HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS OPERA.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS

OPERA

DVOS IN TOMOS DIGESTA:

Cura & studio IACOBI SIRMONDI *Societatis* IESV *presbyteri.*

TOMVS PRIOR.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Architypographi Regis & Reginæ regentis, ET GABRIELIS CRAMOISY. via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

Rabani Archiepiscopi Moguntini.

REVERENTISSIMO ET DESIDERANTISSIMO FRATRI, ET MERITO RECTÆ FIDEI AC SANÆ PROFESSIONIS AB OMNIBVS CATHOLICIS RITE VENERANDO

HINCMARO PONTIFICI,

RABANVS SERVORVM DEI SERVVS IN DOMINO ÆTERNAM OPTAT SALVTEM.

Lupus Abbas Ferrarienſis epiſtola XLII. ad Hincmarum Epiſcopum Remenſem.

Non ſum neſcius, cùm tantis diuinæ gratiæ muneribus abundetis, vltro vos cogitare apud Principem iuuandi bonos facultatem diuinitùs accepiſſe, vt quod in ſe non habent, in vobis poſſideant, & remunerandæ veſtræ induſtriæ materiam præbeant. Nobilitatem veſtræ generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officij commendat religio profeſſionis. Hæc veſtræ celſitudini non arrogantiæ vitio, ſed amicitiæ ſtudio ſcripſi: vt quoniam in vobis & nobilitas & ſapientia conuenerunt, quantum hæc ſocietas valeat etiam nolentibus emineat, qui ipſa quoque lumina Eccleſiæ obſcurare contendunt.

LECTORI.

HINCMARI Remensis Opera, Lector, duobus his Tomis complexi sumus. non sanè omnia. hoc enim spondere sibi aut sperare quis audeat? Sed ea prorsus, quæ vel iam edita, vel in occulto adhuc latentia inuestigare & assequi licuit. Dum plura, cùm Deus volet, se offerant, non ingratam hanc tibi aliísque, quos tanti viri lucubrationes delectant, tot eius librorum accessionem futuram confido. Erunt etiam qui nobilem illam aduersus Prædestinatianos dissertationem, quæ nunc primùm exoritur, opportunam hoc tempore ad eosdem refellendos aptissimámque arbitrentur. Quamquam in operibus Hincmari nullum est, quod vtilitate sua careat, & in quo præstans auctoris iudicium cum scientiæ copia non eluceat. In his porrò digerendis concinnandísque, quia seriem temporum, quam spectabamus, vt vbique teneremus res passa non est, Synopsim tibi chronicam subsidio comparauimus, quæ ab Hincmari vsque ordinatione ad vitæ finem deducta, de singulis ferè admonet, quas ad res, quæve ad tempora referri præcipuè debeant. Fruere, Lector, & vale.

SYNOPSIS CHRONICA AD INTELLIGENTIAM vtriusque Tomi accommodata.

ANNO CHRISTI.

844. HINCMARVS decennio post depositionem Ebonis Remorum Archiepiscopus ordinatur in Synodo Beluacensi, CAROLO caluo rege, Sergio Pontifice. *Tom. II. epist.* XIX. *pag.* 272.

847. Sergio Papa VI. Kalendas Februar. defuncto, Leo IV. in eius locum eligitur.

848. Synodus Moguntina Rabani Archiep. in qua Gothescalcus monachus de prædestinatione Dei prauè sentiens damnatus est, & ad Hincmarum Metropolitanum suum transmissus. *Tom. I. pag.* 20. *Tom. II. pag.* 262.

Synodus apud Carisiacum palatium, in qua Gothescalcus iterum damnatus, presbyteri gradu est deiectus, atque in ergastulum retrusus in Altouillari monasterio, & Capitula quatuor Gothescalci capitulis opposita sunt constituta. *Tom. I. pag.* 20. *& cap.* XVI. *ac deinceps.*

851. Ebo Remorum quondam Episcopus moritur XIII. Kalend. Aprilis. *Tom. II. pag.* 313.

852. Hincmari Capitula parochiæ Remensis presbyteris Kalend. Nouembris data. *Tom. I. p.* 710. 716

853. Concilium Suessionense quinque prouinciarum, in quo actũ est de Wlfado, aliísque clericis ab Ebone post depositionem ordinatis, & de legitima Hincmari successoris eius electione. *Tom. II. pag.* 282. *&* 306.

Æneæ Parisiensis Episcopi ordinatio, cuius occasione à Prudentio Tricassino scripta est epistola, de qua Hincmarus in præfatione sua sub finem, & cap. V. De prædest. *Tom. I. p.* 26

855. Synodus Valentina trium prouinciarum, cuius primi canones Carisiacensibus Hincmari capitulis reprehendendo aduersantur. *In epistola ad Carolum regem initio Tomi I.*

Leo IV. Papa moritur mense Augusto, eíque succedit Benedictus III.

856. Iudith Caroli regis filia, Edilulfo Anglorum regi despõsata, Kalendis Octobr. ab Hincmaro coronatur apud Vermeriam. *Tom. I. pag.* 750.

Hincmarus de prædestinatione Dei & de libero arbitrio contra reprehensores suos, maximéque contra Gothescalcum & Ratramnum, tres libros scribit ad Carolum regem. Cuius operis sola restat, de qua dictum est, præfationis epistola initio Tomi I.

857. Hincmari Capitula anno Episcopatus duodecimo superioribus capitulis adiecta. *Tom. I. p.* 730.

Hincmari Collectio ex sacris scripturis & orthodoxorum dictis, Quòd vna & non trina dicenda sit Deitas, contra Gothescalcum. *Tom. I. pag.* 415.

858. Benedicto Papæ defuncto substituitur Nicolaus.

Ludouico Germaniæ regi, cùm Caroli fratris regnum inuaderet, admonitionem scribunt Episcopi duarum prouinciarum. *Tom. II. pag.* 126.

859. Proficiscente cum exercitu Carolo, vt Ludouici fratris impetum retunderet, Hincmarus de coërcendis militum rapinis litteras ad eum mittit, & ad clericos palatij. *Epist.* V. VI. VII. *Tom. II. pag.* 142. *&c.*

Synodus Lingonensis, in qua Synodi Valentinæ decreta confirmata sunt à Remigio Lugdunensi, & aliis Episcopis.

Concilium Tullense duodecim prouinciarum apud Saponarias, in quo relecta sunt Capitula Lingonensia, Regíque mox oblata, & Hincmaro à rege data ad respondendum. *Tom. I. pag.* 2. 3.

Hincmarus alterum de prædestinatione insigne volumen edit cõtra Gothescalcum & ceteros Prædestinatianos. *To. I. p.* 1. *&c.*

860. Synodus Aquisgranensis duplex in causa Teutbergæ vxoris Lotarij regis, in qua publicæ illam pœnitentiæ addixerunt. Quo comperto Hincmarus librum scripsit, cui titulus, De diuortio Lotarij & Teutbergæ reginæ. *Tom. I. pag.* 561.

De Ingeltrude Bosonis Comitis vxore, quæ viro relicto profugerat, consultus à Gunthario

Hincmarus quid ſentiret ad eius quæſita reſpondet. *Tom. II. epiſt.* XXVIII. *pag. 669.*

Concilium Tullenſe II. prouinciarum quatuordecim apud Tuſiacum, cuius mandato Hincmarus ad Rodulfum & Frotarium Epiſcopos ſcripſit de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi. *Tom. II. pag.* 647.

862. Synodus III. Aquiſgranẽſis, menſe Aprili exeunte, in qua permiſſum eſt Lotario, vt aliud coniugium iniret.

Balduinus Comes Caroli regis filiam furatur in vxorem. *Tom. II. pag.* 244.

863. Concilium Metenſe, in quo Waldradæ cum Lotario nuptiæ approbatæ ſunt, in Concilio Romano mox damnatum, eiúſque auctores Guntharius & Teutgaudus depoſiti. *Tom. II. pag.* 261. 262.

Rothadum Sueſſionenſem Epiſcopum, Hincmaro inſtigante in Concilio Siluanectenſi nuper depoſitum, Nicolaus Papa Romam ad inſtaurandum iudicium mitti iubet. *Tom. II. pag.* 246. *&* 260.

Carolus rex, Nicolao Papa deprecante, filiam ſuam Iudith Balduino legaliter coniugio ſociari permittit. *Tom. II. pag.* 246.

865. Concilium Romanum, in quo Rothadus in priſtinum honorem reſtitutus eſt, & Hincmari reſciſſum iudicium. *Tom. II. pag.* 399. 401.

866. Concilium Sueſſionenſe III. Nicolai Papæ iuſſu, pro cauſa Wlfadi ſociorúmque eius, ad eos gradibus ſuis reſtituendos conuocatum XV. Kalend. Sept. Ad huius Synodi Epiſcopos quatuor ſunt Hincmari epiſt. XVIII. XIX. XX. & XXI. *Tom. II. pag.* 265. *&c.* eodémque etiam pertinent XXII. *p.* 282. XXIII. *p.* 285. XXIV. *p.* 290. *&* XXV. *p.* 298.

Hirmintrudis regina Sueſſione in Baſilica S. Medardi ab Hincmaro, & aliis Epiſcopis, Carolo rege poſtulante coronatur. *Tom. I. pag.* 752.

Rodulfo Epiſcopo mortuo Bituricenſis Eccleſia Wlfado à Carolo rege committitur. *Tom. II. pag.* 285.

867. Nicolaus Papa obiectiones Græcorum in Galliam mittit vt refellantur. *Tom. II. pag.* 809.

Concilium Tricaſſinum ſex prouinciarum, ab Epiſcopis qui Sueſſionenſi adfuerãt celebratum VIII. Kalend. Nouembris. Cuius acta per Actardum Epiſcopum ad Nicolaum miſſa, ſed Hadriano eius ſucceſſori reddita, totam Ebonis, ordinatorúmque ab eo clericorum cauſam accuratè complexa ſunt. *Tom. II. pag.* 406. *&* 824.

868. Nicolao Papæ Idibus Decembris mortuo ſuccedit Hadrianus II.

Carolus rex Hincmarum Laudunenſem ad ſæculare iudicium vocat, eúmque proſcribit. *Tom. II. epiſt.* XXIX. *pag.* 316. 317.

869. Concilium apud Vermeriam VIII. Kalend. Maias, in quo primùm accuſatus Hincmarus Laudunenſis ſedem Apoſtolicam appellauit. *Tom. II. p.* 351. 604. 605.

Hincmarus Laudunenſis duplicẽ pro defenſione ſua veterum decretalium Collectionem contexuit. Monſtruoſum primò librum, cui ſubſcripſit ipſe, & à

suis subscribi iussit. *Tom. II. p.* 526. 599. deinde alterum versiculis prænotatum, qui Hincmaro apud Gundulfi villam per Wenilonem Archiepiscopum redditus est, exstátque *Tomo II. pag.* 355. *& deinceps.* Vtriusque mentio est in epistola XXXV. pag. 599. & 600.

Lotario rege VI. Idus Augustas in Italia defuncto, Carolus rex illius regnum obtinet, Metísque ab Hincmaro coronatur V. Id. Septemb. *Tom. I. pag.* 741. *&c.*

870. Concilium apud Attiniacum decem prouinciarũ mense Maio, in quo Hincmarus Laudunensis iterum accusatus, tres iudices elegit, professionémque suam Regi & Metropolitano suo dedit, pòst fuga lapsus ad sedem proclamauit Apostolicam. Actum etiam in eodem de rebellione Karlomanni regis filij. *Tom. II. p.* 350. 604. 644. Eodémque anno, sed ante Concilium scripta epistola XXX. *pag.* 334. & epist. XXXI. *pag.* 359.

Hincmari volumen LV. capitum Hincmaro nepoti apud Attiniacum oblatum. in quo duabus eius Collectionibus, aliísque scriptis omnibus respondet. *Tom. II. epist.* XXXIII. *p.* 377. *& pag.* 600. Ad hæc etiam tempora pertinet epistolæ XXXIV. XXXV. XXXVI. & quæ his interposita est prolixa Hincmari nepotis epistola. *pag.* 608. *& seqq.* itémque epistola XLI. & XLII. *pag.* 689. *&c.*

871. Karlomanni complices ab Hincmaro, nisi intra V. Idus Martias se correxerint, excommunicati. *Tom. II. pag.* 353.

Synodus Duziacensis mense Augusto, in qua Hincmarus Laudunensis ab officio remotus est. acta Romam per Actardum missa.

872. Actardus Namnetensis Episcopus ad Turonensem Ecclesiam translatus. *Tom. II. pag.* 741.

Hadriano Papæ mortuo succedit Ioannes VIII. XIX. Kalendas Ianuarias.

873. Concilium Siluanectense, in quo Karlomannus Caroli regis filius clericus Diaconus gradu deiectus, laicæque communioni est redditus.

Hincmari de Hunoldi presbyteri purgatione epist. *To. II. p.* 819.

874. Hincmari Capitula in Synodo Remis edita mense Iulio. *Tom. I. pag.* 732.

875. Carolo rege Romam profecto Ludouicus frater regnum eius iterum inuadit. *Tom. II. pag.* 157. *&* 834.

Ludouico Imp. mortuo Carolus Romæ Imperator à Ioanne Papa exeunte anno coronatur.

Hildeboldus Suessionensis Episcopus morti proximus breuiculum confessionis suæ ad Hincmarum mittit, ab eóque absoluitur. *Tom. II. pag.* 686.

876. Ioannes vices suas in Gallia & Germania delegat Ansegiso Senonensi IV. Nonas Ianuar. *Tom. II. epist.* XLIV. *pag.* 719.

Concilium Pontigonense mense Iunio, in quo lecta est Ioannis Papæ epistola de primatu Ansegisi, & iuramentum ab Hincmaro exactum, de quo *Tom. II. pag.* 834.

Frotarius Burdigalensis propter

paganorum deuaſtationem transfertur ad Eccleſiam Bituricenſem v. Kalend. Nouemb.

Hincmarus de villa Nouilliaco ſcribit. *Tom. II. pag.* 832.

877. Capitula ab Hincmaro data Gunthario & Odelhardo Archidiaconibus presbyteris. *To. I. p.* 738.

Carolus Imperator ad Ioannem Papam ſcribit de iudiciis & appellationibus Epiſcoporum & presbyterorum. *Tom. II. p.* 768.

LVDOVICVS Balbus Carolo patri mortuo ſuccedit, & ab Hincmaro apud Compendium coronatur VI. Idus Decembr. *Tom. I. pag.* 747.

Hincmarus petenti Ludouico regi Epiſtolam mittit de recta regni adminiſtratione. *Tom. II. pag.* 179.

Hoc etiam tempore ſcripta epiſtola XLVI. Quid exequi debeat Epiſcopus. *Tom. II. pag.* 762. & epiſtola L. de viſione Bernoldi. *pag.* 811.

878. Concilium Tricaſſinum Ioannis VIII. in quo reclamauit Hincmarus Laudunenſis aduerſus Remenſem, & alios.

879. Ludouicus rex Compendij mortuus die Paraſceues IV. Idus Apriles. Succedunt filij Ludouicus & Carlomannus, quos Anſegiſus apud Ferrarias coronauit.

Hincmarus ex Synodo Remenſi x. Kalendas Maias binas epiſtolas ſcribit de Godbaldi presbyteri depoſitione, & de Fulcheri & Hardoiſæ ob inceſtas nuptias excommunicatione. *Tom. II. pag.* 821.

880. Ludouicus & Karlomannus regnum inter ſe apud Ambianos diuidunt, ita vt Ludouicus Franciam & Neuſtriam obtineret, Carlomannus Aquitaniam & Burgundiam.

Carolus craſſus Romæ die Natalis Chriſti Imperator ab Ioanne Papa coronatur.

881. Synodus apud S. Macram IV. Nonas Aprilis. Scribunt huius Synodi Epiſcopi Ludouico Regi pro libera electione in Eccleſia Beluacenſi. *Tom. II. epiſt.* XII. *pag.* 188. Scribit & Hincmarus priuatam ad eundem regem epiſtolam XIII. De Odacro inuaſore eiuſdem Eccleſiæ. Quò etiam referenda eſt epiſtola LII. Odacri excommunicationem continens *pag.* 811.

882. Ludouicus rex menſe Auguſto moritur apud S. Dionyſium. Hincmarus pro inſtitutione Karlomanni regis epiſtolam XIV. ſcribit ad proceres regni. *Tom. II. pag.* 201. & XV. ad Epiſcopos regni. *pag.* 216.

Deceſſit Hincmarus x. Kalendas Ianuarias.

INDEX EORVM QVÆ IN PRIORE hoc Tomo continentur.

Hincmari epiſtola ad Carolum regem, quam priori trium librorum contra Prædeſtinatianos Operi præfixerat. ã ij.
Præfatio ſubſequentis Operis poſterioris. ẽ.

Hincmari poſterior de prædeſtinatione Dei & libero arbitrio diſſertatio contra Gotheſcalcum & ceteros Prædeſtinatianos. pag. 1.
Eiuſdem contra Gotheſcalcum eundem Collectio ex ſanctis ſcripturis & orthodoxorum dictis, de vna & non trina Deitate, ſanctæ videlicet & inſeparabilis Trinitatis vnitate. 415.

Index Capitum Operis ſubſequentis. 557.

Hincmari, De diuortio Lotarij regis, & reginæ Tetbergæ. 561.

Eiuſdem Capitula parochiæ Remenſis presbyteris data anno DCCCLII. 701.
Quibus de rebus magiſtri & decani per ſingulas Eccleſias inquirere, & Epiſcopo renuntiare debeant. 716.
Capitula anno XII. *Epiſcopatus ſuperaddita.* 730.
Capitula in Synodo data presbyteris anno DCCCLXXIV. 732.
Capitula Archidiaconibus presbyteris data anno DCCCLXXVII. 738.

Coronationes regiæ per Hincmarum factæ.
Caroli calui, in regno Lotarij regis. 741.
Ludouici Balbi, quando Carolo patri ſucceſſit. 747.
Iudith Caroli filiæ, cùm regi Anglorum deſponſata eſt. 750.
Hirmintrudis reginæ, vxoris Caroli regis. 752.

Hincmari expoſitio in Ferculum Salomonis verſibus ab eo conſcriptum. 756.

HINC-

HINCMARI
DE PRÆDESTINATIONE
CONTRA GOTHESCALCVM.

á

Flodoardus lib. III. Historiæ Remensis cap. XV.
De libris ab Hincmaro compositis.

Composuit volumen ingens plures continens libros de Prædestinatione Dei & libero arbitrio, contra quosdam reprehensores suos Episcopos, maximéque contra Gothescalcum atque Ratramnum monachum Corbeiensem, ad Carolum Regem.

Idem ibidem cap. XVI.

Item aliud edidit volumen insigne ad eundem Regem, contra præfatum Gothescalcum, & ceteros Prædestinatianos.

LECTORI

De priore Hincmari opere contra Prædestinatianos.

DVPLEX fuit Hincmari aduersus Prædestinatianos lucubratio. Vna tres libros continens, pro defensione Carisiacensium eius Capitulorum contra Gothescalcum, quæ Lugdunenses scriptis suis impugnarant. Altera non libris distincta, sed capitibus octo & triginta, cùm Lugdunenses iterum aduersus Hincmarum insurgerent. Atque hæc posterior illa est Dissertatio, quam in hoc volumine integram repræsentamus ex Codice sancti Remigij Remensis, vel Hincmari potiùs, à quo librum Monasterio illi datum docet inscriptio. Prioris autem operis sola, quod sciam, apud Flodoardum restat Epistola seu Præfatio ad Carolum regem, quam ad iacturæ solatium hoc loco exhiberi visum est operæ pretium.

HINCMARI EPISTOLA AD CAROLVM REGEM priori eius contra Prædestinatianos Operi præfixa.

DOMINO GLORIOSO REGI CAROLO Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus, vnà cum Collegis domnis & fratribus meis venerandis Episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ deuotis.

DEO gratias agimus, qui cor vestrum ad amorem suum accendit, & ad cognitionem veritatis & orthodoxæ fidei scientiam & diligentiam igniuit: prudentiam quoque & intelligentiam vobis in litteris diuinitus inspiratis donauit, & in earum meditatione atque exercitatione, quantum vobis pro rei publicæ negotiis licet, studium vestræ deuotionis quotidiano augmento ad vtilitatem sanctæ suæ Ecclesiæ prouehit. Ceterùm capitula synodalia venerabilium consacerdotum nostrorum, trium scilicet prouinciarum, sicut ibidem continetur, & inferiùs scriptum inuenietur, vobis delata, quæ nostræ humilitati iuxta scripturam præcipientem, *Interroga sacerdotes legem meam*, quia & fidei legem esse legimus, præcedentium regum more, ob studium cognoscendæ veritatis, legenda & ventilanda dedistis, reuoluimus. In quibus nos, licèt nomina nostra sint tacita, designatione tamen effectus velut non catholicos reprehensos, & sine fraternitatis respectu despectos reperimus. Capitula quoque, quæ ob notam vobis & infrà innotescendam necessitatem, ex catholicorum patrum sensibus & verbis excerpsimus, velut inutilia, immo noxia, repulsa & abominata inuenimus. Quæ capitula, sicut à nobis excerpta sunt, suis scriptis inserere noluerunt, ne ab illis legerentur, in quorum manus illorum capitula deuenirent: sed quæ-

Aggæi 2.12

dam de his, quæ in capitulis à nobis excerptis habentur, alio ſenſu & aliis verbis tetigerunt, vt abominanda illa monſtrarent: quædam autem ſuppreſſerunt, & taliter inde memoriam habuerunt, quaſi nos contra ſanctorum patrum ſenſa in Africana & Arauſica ſynodo ſenſerimus. De quodam autem capitulo, id eſt, quòd omnes homines vult Deus ſaluos fieri licèt non omnes ſaluentur, funditus tacuerunt, ſicut poſtmodùm ſignantiùs demonſtrabimus; cùm Dominus dicat, *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Priùs enim, ſi de conſcientia rectæ intelligentiæ fuere confiſi, ponentes ea quæ deſtruere nitebantur, ſicut illa cum integritate ſua acceperant, in quibus euellenda & diſſipanda erant legentibus demonſtrare, & tunc illis per auctoritatem deſtructis atque diſperſis, ſua rationabiliter & ordinabiliter plantare debuerant, ac in ſublime ædificantes extollere. De quodam etiam Capitulo, quaſi ludificatio aliqua in ſacris myſteriis eſſe poſſit, ita ſcripſerunt, vt legentes hoc à nobis dictum fuiſſe intelligere poſſint, de quo nihil à nobis eſt memoratum: & quare nihil à nobis inde ſit dictum, & in cuius ſcriptis à nobis, poſtea quàm illa Capitula ſcripſimus, ſit inuentum, ſuo loco dicemus. Inſeruerunt etiam in eiſdem ſuis ſcriptis de quibuſdam ſexdecim Capitulis, quaſi nobis debeant imputari: de quibus nihil audiuimus, vel vidimus, antequam venerabilis Ebo Gratianopolitanus Epſcopus vobis ea, quaſi à bonæ memoriæ fratre veſtro Lothario tranſmiſſa, apud Vermeriam palatium detulit. Quorum Capitulorum auctorem nec ibi annotatum inuenimus, nec cùm multum quæſierimus, inuenire valuimus. Vnde putauimus quia alicuius inuidia ad cuiuſquam opinionem infamandam fuerint compilata, ſicut ſæpe legimus. Vt de multis pauca commemoremus, veluti Epiſtola capitulorum extitit, quam venerabilis Ibas Epiſcopus ſuam eſſe in ſynodo denegauit: & ſicut quidam æmuli de verbis beati Auguſtini adhuc in ſua vita fecerunt, quæ ille argutè & catholicè repulit, quantum ad illius notitiam exinde peruenit. Poſt eius etiam obitum, quidam inuidi capitulatim de ipſius ſcriptis, ex his etiam vnde nunc agitur, colligere curauerunt, vt illius doctrinam orthodoxam atque vtillimam ob perſonæ illius inuidiam vilifacere præualerent, & lectores deuotos ab illius dilectione ac lectione & neceſſaria credulitate auerterēt. Quæ videlicet æmulorum mendacia, ex delegatione ſanctæ ſedis Romanæ per Cæleſtinum Papam, ſanctus Proſper catholico & prudenti ſtylo falſa eſſe & imprudenter obiecta oſtendit, & memorati ac memorandi viri doctrinam orthodoxam eſſe lucidiſsimè demonſtrauit. Vnde & fieri poteſt, vt iſta Capitula, quæ vobis ex nomine confratrum noſtrorum ab aliis quàm ab illis delata vel tranſmiſſa ſunt, taliter in ſuggillatione noſtra conſcripta non fuerint, ſed inſtigante diabolo, inter cetera mala quæ nunc in hoc mundo crebeſcunt, ad immittendam inter Domini ſacer-

Hier.1.10.

dotes discordiam sint confecta. qui caritatem vehementer in nobis & timet & inuidet, cùm videt illam à nobis seruari hominibus terrenis in terra, quam ille seruare nolens Angelicus spiritus amisit in cœlo. Quomodo enim fieri posset, vt sic fratres nostri nos succensoriè cum adnihilationis despectu iudicarent, qui regulam Dominicam, qualiter confratrem quisque admonere debeat, continuè præ oculis & in vsu quotidie habeant? Scriptum enim esse cognoscunt: *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iustè.* Sanctus enim Augustinus hæreticorum & reprehensorum suorum scripta, si in eis quiddam bene dictum inuenit, benignissimè acceptauit, & plura ad rectos sensus interpretari elaborauit, nulla autem de recto sensu ad prauum inclinare tentauit. Et quomodo fratres nostri talia agerent, antequam nos secundum Euangelicam regulam vel viua voce, vel scriptis suis inde interrogarent, vt vel volentes discere docerent, vel prauum sentientes, & ad tramitem veritatis & fidei redire contemnentes, fraternè & sæpiùs commonerent, & auctoritatis diuinæ & sanctorum patrum scripta nobis proponerent, & vt in vnum conueniremus nos cum mansuetudine & lenitate inuitarent, scientes quia Episcopus ideo ad synodum consacerdotum debet venire, vt aut discat aut doceat? Litteras namque quorumdam eorum quidam nostrûm benignas & fraternas suscepimus, nostrásque illis remisimus, & nihil tale de eorum parte perspeximus, audiuimus, intelleximus, sensimus, vel percipere præualuimus. Si autem talia scripserunt, si fortè illi scripserunt, vt suam sapientiam de nostra insipientia demonstrarent, & plùs de iactantia laudis appetitum quærerent, quàm bona nostra & bene à nobis dicta, si forent, per caritatem sua facerent: si etiam secus à nobis dicta inuenerunt, plùs illa publicare, quàm nos fraternè corrigere maluerunt: miramur de tantis & talibus viris, Archiepiscopis & Episcoporum primoribus. maximè autem de Ebone, qui religiosus est, vt audiuimus. quippe sicut ab ipsis pænè cunabulis sub religione & habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ monasterio, vbi requiescit sanctus Remigius. In quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque à domno Ebone auunculo suo, tunc Remorum Archiepiscopo, ibidem diaconus consecratus, & Abbas monachorum ad regularem ordinem tenendum & gubernandum constitutione Episcopali est ordinatus. Quemque ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere & tenere velle didicimus, vt illi & omnibus scriptum est, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Spiritus enim potestatem habentis spiritus est superbiæ, locus autem noster est humilitas, quam à se verè locus munitus & turris fortitudinis nos discere iubet, *Discite à me*, inquiens, *quia mitis sum & humilis corde.* quámque pro loco tuto contra elationis ac iactantiæ spiritum, præfatum religiosum virum obnixè tenere velle audiuimus,

Eccli. 11. 7.

Eccl. 10. 4.

Matt. 11. 19.

& pro certo credimus, & idcirco discredimus ista Capitula ab eo confecta: quia prætermissis aliorum consacerdotum nominibus, solius Ebonis nomen cum Archiepiscopis est ibidem iactanter, vt quibusdam videtur, expressum. & quòd quàm maximè in hoc ipse collaborauerit. quasi è regione sit sensum, vt etiam cum Archiepiscopis maior ceteris & doctior in sententia fuerit. Hoc enim de sancto Augustino, qui in Conciliis Africanis scientia & labore ac vigilantia maior extitit, nequaquam inuenimus. Nam & ipse sanctus Augustinus non solùm se ceteris Coepiscopis priuatam gloriam quærens non prætulit, nec præferri permisit: verùm se aliis supposuit, cùm ipse plus aliis laborauerit, sicut in epistolis ad sanctum Innocentium Papam scriptis, & ad alios Apostolicæ sedis Præsules, qui legere voluerit inuenire valebit. Nec de vlló Episcoporum in vllis Conciliis taliter legimus: nisi fortè Apostolicæ litteræ propter euidentem causam aliquem Coepiscoporum ad hoc negotium cum Archiepiscopo suo ex nomine designari decreuerint, sicut de Augustodunensi Episcopo in epistolis beati Gregorij legimus. quanto magis iste religiosus & vir cautus in huiusmodi se efferre noluisset, aut præferri despectis ac prætermissis ceteris Coepiscopis permisisset? Huc accedit, quia fratres nostri & consacerdotes surda aure non debuissent transire Salomonis dictum commonitorium, si ex nobis aut auditu aut scripto quiddam sinistri secretò accepissent, vt præproperè illud in publicum, quacumque mobilitate nostra moti, vnde non sumus conscij, ad contentiones & iurgia propalarent. Ait enim: *Quæ viderunt oculi tui ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis, cùm dehonestaueris amicum tuum.* Scimus tamen quia sunt nonnulli, qui dum plus sapere quàm oportet sapere student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultósque contemnunt. Vnde per se veritas admonet dicens, *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est, quatinus à pace concordiæ nunquam recedat. Vnde terribiliter Paulus admonet dicens, *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Præcipuè autem nos eam seruare & persequi, id est perfectè sequi debemus, qui Deo quotidie sacrificare debemus, & veritate contestante specialiter quasi præcipimur, vt si offeramus munus nostrum ad altare, & ibi recordati fuerimus, quia frater noster habet aliquid aduersum nos, relinquamus ibi munus nostrũ ante altare, & eamus priùs recõciliari fratri nostro, & tunc venientes offeramus munus nostrum. Ecce ductor & doctor noster à discordantibus non vult accipere sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hîc ergo perpendendum est, quantum sit malum discordiæ, propter quod & illud non admittitur, per quod culpa laxatur. Non enim nos aduersus fratres nostros habemus, si talia contra nos ante collationem scripserunt. Sed credendum est si illa scripsissent, ad nos, contra quos

Prou.25.8.

Marc.9.49.

Heb.12.10

Mat.5.23.

illa ſcripſerant, tranſmiſiſſent. Nunc autem illis quomodo reſcribere poſſumus, cùm vtrum illa ſcripſerint ignoremus? Veruntamen ne ſine reſponſo noſtro veſtra dominatio maneat, vobis de cuius manu illa accepimus, corde, ore, & ſtylo, non formidantes carpentium nos derogationem, reſpondere curamus. Primò ſcilicet mittentes ea quæ ab eiſdem fratribus noſtris in ſynodo conſcripta fuiſſe leguntur, licèt hinc antè alia fuiſſe conſcripta reperiantur. Sed quia hæc in ſuggillationem noſtram & contra excerpta à nobis capitula confecta noſcuntur, ea primùm iudicauimus ponere, quæ maioris nominis, licèt non auctoritatis, quia partim non veritatis, propter tamen ſynodalem prætitulationem dignum duximus magnipendere. Deinde illa, quæ à pluribus & per aliorum manus de pluribus ex his cauſis accepimus, propter quam neceſſitatem ex catholicorum patrum, vt diximus, ſenſibus & verbis capitula illa quatuor excerpere procurauimus, ea conditione, vt de ſingulorum ſcriptis ex ſingulis ſententiis, quæ in à nobis excerptis capitulis continentur, quædam prout neceſſe viderimus ponamus. Poſt hæc, capitula à nobis excerpta de patrum ſenſibus & verbis, vt illa excerpſimus, ponere procurabimus. Et ſi diuinis & authenticis ſcripturis, & catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, ſanctæque Romanæ ſedis fidei, & orthodoxorum patrum ſenſibus, qui eidem ſanctæ matri Eccleſiæ præſederunt, & qui ab eadem Apoſtolica ſede Romana nobis in canone recipiendi dati ſunt, ſenſum noſtrum in eiſdem capitulis expreſſum concordari demonſtrare potuerimus, agere veraciter, humiliter, ac deuotè ſtudebimus: quia aliorum ad ſtipulandum noſtræ catholicæ intelligentiæ ſenſum ſententias recipere nec proferre volumus: cùm conſtet illud eſſe verum atque catholicum, quod ipſa mater omnium Eccleſiarum, & vniuerſalis Eccleſia duxerit ad probandum. Et ſi qui fuerunt appellati doctores, ad probandam fidei ſinceritatem illorum ſententias non recipimus, neque proferimus, niſi quorum ſententias ipſa catholica mater Eccleſia decreuit eſſe probabiles. Si autem & aliqui emerſerunt, qui doctrinalem cathedram tenuerunt, poſtquam ab eadem ſancta ſede canon ſacrarum ſcripturarum, atque doctorum catholicorum, fidelibus cunctis eſt datus, qui aliter ſenſerunt, quàm ipſi intellexerunt atque docuerunt, quos ipſa mater catholica ſuo orthodoxo ſinu recepit, amplectitur, atque fouet, nec debemus, nec neceſſe habemus, ad auctoritatem ſententias illorum proferre, aut recipere volumus, quoniam in iſtis & per iſtos ſatis ad ſalutem habemus. Et ſi qui aliter, quàm iſti maturiore & ſaniore documento tenendum docuerunt, dogmatizant aut dogmatizare præſumpſerunt, totum ducimus fidei & ſaluti aduerſum, quicquid ab eorum ſalubri doctrina conſtat eſſe diuerſum. Eorum etiam ſententias, qui diuina dignatione, poſtquam ipſe canon à beato Gelaſio conſcriptus eſt, ſenſu & doctrina catholi-

ea & ſanctitate conuerſationis in Eccleſia floruerunt, & ab ipſorum orthodoxorum patrum, qui in eodem canone adnotati ſunt, fideli quia catholica doctrina nihil diſſonum, nihil diuerſum ſcripſerunt vel docuerunt, reuerentia pari amplectimur. Veluti venerabilis Bedæ preſbyteri, à diſcipulis ſancti Papæ Gregorij catholica fide imbuti, & à ſancto Theodoro Archiepiſcopo, vtriuſque linguæ Græcæ videlicet & Latinæ perito, & à ſancta Romana Eccleſia ad Anglos poſt diſcipulos beati Gregorij ad eruditionem tranſmiſſo, non mediocriter inſtructi, ac venerandæ memoriæ Paulini Patriarchæ Aquileienſis parochiæ, atque Alcuini viri religioſi & docti. Quorum fidem & doctrinam Apoſtolica ſedes Romana non ſolùm benigniſſimè acceptauit, verùm & multis laudibus extulit, ſicut in ſcriptis ipſius ſanctæ ſedis inuenimus, quæ Eccleſiæ noſtræ ab eadem Eccleſiarum matre acceperunt tempore diuæ memoriæ Caroli imperatoris, quando ſynodus pro cognita infidelitate Felicis eſt habita, & ad Romanam Eccleſiam velut ad apicem Eccleſiarum tranſmiſſa. Sed & eorum ſcripta qui legit, quàm ſint laudanda & recipienda intelligit. Denique ſi talium, vt diximus, ſententiis concordari capitula quæ excerpſimus demonſtrare non potuerimus, parati ſumus doctioribus & catholicis aurem accommodare, ſenſum ſubdere, & ſine contentione nos doctrinæ illorum ſubiicere. Et quia libellum de ſcrinio bonæ memoriæ fratris veſtri Lotharij ſine nomine auctoris ſuſcepimus, in quo ſingillatim per loca ſingula capitula à nobis excerpta ſunt poſita, & aſſenſu illius, quiſcumque ille fuerit, reprehenſa ſunt & damnata, cùm de catholicorum patrum dictis noſtra capitula ſi poterimus confirmare curabimus, ipſius etiam reprehenſiones ponemus, & eas, quantum Dominus dederit, confutare ſtudebimus. Tunc demum ponemus de capitulo confratrum noſtrorum quinto, vnde notam nobis quaſi tacitè & è latere impegerunt, quod in Gotheſcalci ſcriptis inuenimus poſtquam capitula quatuor ſæpe memorata excerpſimus, & quid inde ſentiamus Domino inſpirante dicemus. Et ſic tandem ſubiiciemus illa decem & ſex capitula, pro quibus de Scotorum pultibus confratres noſtri, ſine culpa noſtra, in hac duntaxat cauſa nos paſcere decreuerunt, & quid de eiſdem capitulis ſentiamus, ex catholicorum patrum ſenſibus oſtendemus.

PRÆ-

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS
PRÆFATIO SVBSEQVENTIS OPERIS.

OMNES in quorum manus hoc laboris nostri opusculum venerit, supplici deuotione per caritatis viscera postulamus, vt quoniam de ipsis schedulis notariorum ante emendationem, instante domino nostro rege Karolo, sub celeritate illud transcribi fecimus, & idcirco in locis plurimis eradi & emendari quædam necessitas compulit, si nacta occasione aliquis æmulus recta hinc eraserit, & fortè praua superinduxerit, aut scriptorum imperitia secùs transcripserit, alienum nobis errorem non imputent. Sed collecta hîc à nobis testimonia catholicorum inspicientes, quorum doctrinam sensu, ore, & manu, quantum dat Dominus sequimur, aut superseminata ab inimico zizania in medio tritici euellant & colligant, aut si tantùm adhibere dignati fuerint studium, per quemcumque illis placuerit paucis literulis hæc innotescendo, de Ecclesiæ Remensis Archiuo vnde dubitauerint releuare procurent. Et cuius dignationi hæc quæ sequuntur transcribere complacuerit, hanc etiam postulationem conscribi quæsumus faciat. Quæ ideò dicimus & precamur, quoniam & olim Nestorium Constantinopolitanum, & Macarium Antiochenum Episcopum, de scripturis authenticis ac sanctorum dictis quædam interrasisse atque corrupisse prodentibus gestis comperimus. Et sicut ipsorum qui interfuerunt Concilio relatione didicimus, quando diuæ memoriæ domnus Karolus Felicem, infelicem Orgellitanæ ciuitatis Episcopum, Synodali decreto hæreticum comprobatum atque damnatum comperit, etiam reuictum inuenit quia, corrupto muneribus iuniore Bibliothecario Aquensis palatij, librum beati Hilarij rasit, & vbi scriptum erat quia in Dei filio carnis humilitas adoratur, immisit *carnis humilitas adoptatur*. Sed & sicut mox lector inueniet, sermonem Flori de prædestinatione nuperiùs editum non incerto indicio credimus deprauatum.

In capite indiculorum sequentis operis sermonem Flori, quem mutuante Heriboldo, quondam Autissiodorensium venerabili Episcopo, in Synodali conuentu apud Bonoilum transcripsimus, & post reuersionem de tumultu Brionensi, quodam offerente clerico, ex scrinio Ebonis, sicut ipse dixerat, venerabilis Gratianopolitani Episcopi

é

accepimus, integrum hîc ponere dignum duximus, quia & constructione & sensus veritate cautè incedit, exceptis duobus locis, in quibus eum ita dixisse non credimus, sicut in eo scripto inuenimus quem de scrinio venerabilis Ebonis accepimus, cùm in aliis sic catholicè dixerit, sicut patebit legentibus. maximè quia in eodem scripto, quem per manus præfati Heriboldi, sicut ad se à prædicto Floro transmissum accepimus, aliter inuenerimus, quàm in isto quem postea accepimus reperiamus. Qua de re immutatum ab aliquo suspicamur. Quæ loca, antequam sermonem illum scribere adoriamur, » specialiter designare curabimus. Vbi enim dicit, Sed quos præsciuit » & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos præ» destinauit ad æternam damnationem iusto iudicio, in illa rotula scriptum habetur quam de Heriboldo accepimus: Sed quia eos præ» sciuit & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, præ» destinauit ad æternam damnationem, qua ipsi punirentur iusto iudicio. Et in eo loco vbi scriptum est, Non enim ille aliquem præ» destinauit vt malus esset, sed verè omnem malum prædestinauit vt » impunitus non esset: inuenimus in rotula, quam à prædicto Heri» boldo accepimus, Sed verè prædestinauit pœnam, vt omnis malus impunitus non esset. Quod in sequentibus ipse demonstrat dicens, » Pœnam eorum & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse, quia iustus est. Cetera catholici lectoris iudicio derelinquimus. Sed idcirco hunc sermonem ex integro ponere necessarium duximus, quia ex eo confictor in proximo subsequentium Capitulorum duo Capitula de præscientia & prædestinatione, confuso & præpostero ordine, ac sensu falsissimo, in secundo Capitulo studuit compilare, sicut qui hunc & illa legerit apertè intelliget.

Sermo Flori de Prædestinatione, sicut est de Ebonis scrinio sumptus.

OMNIPOTENS Deus, quia verissimè verus & solus Deus est, omninò in sua æterna & incommutabili scientia præsciuit omnia antequam fierent, sicut scriptura testatur, dicens, *Deus æterne, qui es absconditorum cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Præsciuit ergo sine dubio & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi: sed in bonis ipse fecit sua gratia vt boni essent, in malis verò non ipse fecit vt essent mali, quod absit, sed tantùm præsciuit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem vt aliud esse non possent, sed tantùm quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille vt Deus præuidit ex sua omnipotenti maiestate. Vnde scriptura incontaminabilem iustitiã eius nobis insinuans, ait de illo, *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Quòd ergo impiè agunt impij & iniqui, & spatium temporis vitæ huius, quod eis Deus dedit ad bene agendum, ipsi è contrario conuertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, & ideo rectè damnantur ipsius iustitia. Præsciuit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseueraturos præuidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil iniustè constituit, & qui reddet vnicuique secundùm opera sua, id est & bene agentibus bona æterna, & malè agentibus mala perpetua. Ergo bonos præsci-

Dan.13.42.

uit omninò, & per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, & in præsenti sæculo bene victuros, & in futuro feliciter remunerandos, vtrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Vnde Apostolus vasa misericordiæ eius appellat, dicens, *Vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* E contrario autem, malos & præsciuit per propriam malitiam malos futuros, & præsciuit per suam iustitiam æterna vltione damnandos. Sicut præsciebat de Iuda proditore, *quòd eum esset traditurus*, sicut Euangelium dicit, *cùm esset vnus ex duodecim:* præsciebat etiam æternã eius damnationem cùm diceret, *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Sic & de impiis Iudæis præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in Psalmo, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*: præsciebat & subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem Psalmo subiunxit, *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Sed in istis & in omnibus iniquis illud prius ex propria est prauitate, istud sequens ex diuina æquitate. Hoc modo & de prædestinatione Dei omninò sentiendum est, quia in bonis prædestinauit & ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, & pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, vt ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Vnde ait Apostolus, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* & alio loco, *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Prædestinauit itaque electos suos, vt & nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, & in futuro efficiantur conformes imaginis filij Dei, per eandem Dei gratiam secundùm imaginem eius renouati & glorificati. Prædestinauit omninò vt & hîc essent boni, non ex se sed ex illo, & illic beati non per se sed per illum. In vtroque ergo bona sua in eis & de eis futura præsciuit & prædestinauit: in malis verò & impiis non prædestinauit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, vt mali & impij essent & aliud esse non possent. Sed quos præsciuit & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinauit ad æternam damnationem iusto iudicio: non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimet ipsis extiterunt causa perditionis. Deus autem iudex iustus & ordinator iustus ipsius damnationis. Non enim prædestinauit iniusta, sed iusta. Prædestinauit tamen & coronas iustis, & pœnas iniustis, quia vtrumque est iustum. Quam iustitiam eius commendans nobis Apostolus ait, *Numquid iniquus Deus, qui infert iram? absit.* Et quia modò omnibus prærogat patientiam, vt conuertantur ad pœnitentiam: & qui pereunt suo contemptu & duritia pereunt, quia tantam bonitatem Dei contempserunt, iterum alio loco dicit, *An diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua.* Hinc etiam alia scriptura testatur dicens, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Impij autem manibus & verbis accersierunt illam, & æstimantes amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam; quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* Non ergo omnipotens Deus vlli hominum causa mortis vel perditionis existit, sed ipsam mortem & perditionem manibus & verbis ipsi impij sibi accersunt, dum nequiter operando, & nequiùs aliis persuadendo, & sibi & illis damnationem adducunt: dum viam iniquitatis & perditionis amantes, à recto itinere deflectuntur, & ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiæ, quasi ex voto & sponsione festinant, fœderati mortis, & vitæ æternæ inimici, ipsi secundùm duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die iusti iudicij Dei quia vnusquisque secundùm opera sua recipit, nemo ex Dei præiudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinauit vt malus esset, sed verè omnem malum prædestinauit vt impunitus non esset: quia & vnaquæque lex iusta crimen non habet, ne sit in-

Rom.9.23. Ioan.6.72. Marc.14.21. Psal.68.22.29. Ephes.1.5. Rom.8.29. Rom.3.5. Rom.2.4. Sap.1.13.

iusta, & tamen criminosum punit vt verè sit iusta. Qui ergo dicit quòd hi qui pereunt, prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter euenire non potest: similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo saluentur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confusè & insulsè dicit, & illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis. ac per hoc quid aliud agit, nisi vt & pereuntibus secundùm illum sit imposita necessitas perditionis, & his qui saluantur sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi iustè damnentur, quia iusti esse non potuerunt, nec isti iustè remunerentur, quia aliud quàm iusti esse nequiuerunt. vt in vtraque parte & perditio & salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio diuinæ præordinationis. Et vbi erit illud, *qui reddet vnicuique secundùm opera sua?* & iterum, *Numquid iniquus Deus qui infert iram? absit.* Apertè namque causa perditionis illorum qui pereunt in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinauit, vt aliud esse non possent. quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cuius filij & sectatores esse debemus, ita nobis firmissimè tenendum insinuat, vt superiùs iuxta scripturæ sanctæ auctoritatem breuiter designauimus. Videlicet, omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præsciisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam verò eorum & præsciisse quia Deus est, & prædestinasse quia iustus est, vt & in illis sit meritum suæ damnationis, & in illo potestas & iudicium iustè damnantis. Non enim prædestinat Deus nisi quæ ipse facturus est: præscit verò multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ mala vtique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, & suo vitio vasa iræ apta in interitum perseuerauerunt, & in massa damnationis vel originali vel actuali merito permanserunt. In bonis autem omnipotēs Deus, sicut suprà satis ostensum est, vtrumque præsciuit & prædestinauit, vt & in præsenti vita per suam gratiam existerent boni, & in futura etiam beati. Vtriusque enim boni eorum, id est & præsentis & futuri, ipse est auctor & ipse largitor, & idcirco sine dubio vtriusque præcognitor & prædestinator: quia & ipsi ex seipsis non solùm aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum qui iustificat impium ex impiis iusti efficerentur. Siue autem in illis qui saluantur, siue in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini saluatoris est sanata, vt ex mala & praua fieret bona & recta, est proculdubio dignissimè coronata: in istis autem, quia non adquiescit per saluatorem recipere sanitatem, iustissimè per eundem iudicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breuiter totum, quod de libero arbitrio iuxta veritatem fidei catholicæ est tenendum. Quòd scilicet omnem hominem liberi arbitrij condiderit Deus. Sed quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, ita istud liberum arbitrium in vniuerso humano genere illius præuaricationis merito vitiatum & corruptum, ita obcæcatum est & infirmatum, vt sufficiat homini ad malè agendum, id est ad ruinam iniquitatis, & ad hoc solum possit esse liberum: ad bene verò agendum, id est ad exercitium virtutis & fructum boni operis, nullo modo assurgat & conualescat, nisi per fidem vnius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, & donum Spiritus sancti, instauretur, inluminetur, atque sanetur: sicut ipse saluator in Euangelio promittit dicens, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* & Apostolus ait, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* vt per hanc gratiam Christi & spiritus Christi, humanum liberum arbitrium liberatum, inluminatum, atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ, *Dominus inluminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, vt ad bene & piè viuendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandúmque committat, de quo idem Psalmista dicit, *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Illum oret atque illi supplicet dicens, *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non do-*

Rom.2.4. Rom.3.5. Ioan.8.36. 2.Cor.3.17. Psal.26.1. Psal.36.23. Psal.118.133. Psal.5.9.

minetur mei omnis iniustitia, & iterum, *Domine, deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua.* & cetera similia. Hæc vobis breuiter rescripsi ad ea quæ iussistis: nunc fideliter deprecor & exhortor, vt in simplicitate & sinceritate veræ fidei fundati, claudatis aures vestras aduersus linguam nequam illius vanissimi & miserrimi hominis, qui cùm sit paratus ad contentionem, & contumax aduersus veritatem, maluit se infelix diabolico inflatus spiritu à Christi Ecclesia & sacerdotibus separare, quàm sua profana & inaniloquia deserere.

Explicit Hincmari Archiepiscopi Remensis, ad omnes penè tunc temporis Episcopos tam Galliæ, quàm aliarum prouinciarum, suppresso nomine contra Gothescalcum, tunc temporis ab ipso Hincmaro in Altouillari monasterio retrusum, qui in Orbacensi monasterio priùs monachus fuerat.

Hæc Capitula in Synodo Tullensis territorij primò relecta, & à quibusdam fratribus refutata, sequenti autem opere Catholicorum doctrina sunt pleniùs confutata. Capitulorum autem quarti & quinti ab aliorum peruersitate diuersitas, in subsequenti opusculo consequenter est vigesimo secundo & trigesimo quinto capitulis explanata.

I. DEVM præscire & præscisse æternaliter, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem scripturæ dicentis habemus, *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant*, fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præscisse omninò per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos verò præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam iustitiam æterna vltione damnandos, vt secundùm Psalmistam, *Quia potestas Dei est, & Domini misericordia*, reddat vnicuique secundùm opera sua. & sicut Apostolica doctrina se habet, *His quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam: his autem qui ex contentione, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* In eodem sensu idem alibi, *In reuelatione*, inquit, *Domini nostri de cælo, cum Angelis virtutis eius, in igne flammæ dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Dei nostri, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus qui nouit omnia antequam fiant, præsciuit ex sua omnipotenti & incommutabili maiestate. Nec ex præiudicio eius aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari, nec ipsos malos ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suóque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

Dan.13.42. Psal.61.13. Rom.1.7. 2.Thess.1.7

II. Sed & de prædestinatione Dei placuit & fideliter placet. Iuxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* vbi & statim subiungit, *Quòd si volens Deus ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata siue præparata in interitum, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ, in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam*, fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem. In electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum meritum malum præcedere iustum Dei iudicium. Prædestinatione autem Deum tantùm statuisse, quæ vel ipse gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat, secundùm scripturam dicentem,

Rom.9.21. Ibid.22.23.

Qui fecit quæ futura sunt. In malis verò ipsorum malitiam præsciisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam sanè malum meritum exsequentem, vti Deum qui omnia prospicit, præsciuisse & prædestinasse, quia iustus est. apud quem est, vt sanctus Augustinus ait, de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Ad hoc siquidem facit Sapientis dictum, *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* De hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem benè intelligitur dictum, *Cognoui quòd omnia opera quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum. non possumus his addere nec auferre quæ fecit Deus vt timeatur.* Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse diuina potestate, videlicet vt quasi aliud esse non possint, non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantùm mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica Synodus, illis anathema dicimus.

Prou.19.29 — Eccl.3 14.

III. Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio vsque ad passionem Domini, in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum diffiniant, contra illud propheticum, *Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne,* illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* & Apostolus, *Christus,* inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Porrò Capitula numero XIX. syllogismis ineptissimè & mendacissimè à quodam Scoto conclusa, vbi non argumentum fidei, sed potiùs commentum perfidiæ, paret nulla omninò philosophiæ arte vt arroganter à quibusdam iactatur constructum, sed inani fallacia & deceptione imperitissimè confusum, à pio auditu fidelium penitùs explodimus: & vt talia & similia caueantur per omnia, auctoritate Spiritus sancti interdicimus: nouarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus.

Osee 13.14. — Ioan.3.14. — Hebr.9.28.

IV. Item firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, & iuxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata, in eius sanguine sit à peccatis suis abluta, quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret & vera redemptio, cùm in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, & ipsa suî veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios saluari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes, *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit,* alios qui noluerunt permanere in salute fidei, quam in initio acceperunt, redemptionisque gratiam potiùs irritam facere praua doctrina vel vita, quàm seruare elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo peruenire. In vtroque siquidem doctrinam pij doctoris habemus, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* &, *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* & iterum, *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* & iterum, *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Matt 10.22 & 24.13. — Rom. 6.3. — Gal.3.27. — Hebr.10.22. — Ibid.28.

V. Item, de gratia per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo ho-

mine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus eius redintegrato & sanato, id ipsum constantissimè & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausica Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt: sed & de natura & gratia in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas & aniles penè fabellas, Scotorúmque pultes puritati fidei nauseam inferentes, quæ periculosissimis & grauissimis temporibus ad cumulum laborum nostrorum vsque ad scissionem caritatis miserabiliter & lacrymabiliter succreuerunt, ne mentes Christianæ inde corrumpantur, & excidant à simplicitate & castitate fidei, quæ est in Christo Iesu, penitùs respuimus, & vt fraterna caritas cauendo à talibus auditum castiget domini Christi amore monemus. Recordetur fraternitas malis mundi grauissimis se vrgeri, messe nimia iniquorum, & paleis leuium hominum se durissimè suffocari. hæc vincere ferueat, & corrigere laboret, & superfluis cœtum piè dolentium & gementium non oneret: sed potiùs certa & vera fide, quod à sanctis Patribus de his & similibus sufficienter prosequutum est, amplectatur.

Sanctorum Patrum de gratia & libero arbitrio sententiæ. Eccl. Lugd. p. 1238.

1. IN præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit.

2. Quòd nemo nisi per Christum libero bene vtatur arbitrio.

3. Quòd omnia studia & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudémque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donauerit.

4. Quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

5. Omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur auctorem, & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & misericordia Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus & agamus.

6. Fatemur gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus dari, eámque non dari secundùm merita nostra, vt vera sit gratia, id est, gratis data per eius misericordiam, qui dixit, *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Rom. 9. 15. Exod. 33. 19

7. Fatemur esse liberum arbitrium, etiam si diuino indiget adiutorio.

8. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari.

9. Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatísque non seruit. Tale datum est à Deo vtique homini primo, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potuit reddi. vnde veritas dicit, *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ioan. 8. 36.

VI. Et quia indiscussi & inexaminati, scientiæque litterarum penè ignari, minúsque Apostolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis nostris agentibus, per ciuitates Episcopi ordinantur, qua occasione maximè vigor Ecclesiasticus deperit: placuit vt si quando alicuius ciuitatis Episcopus vocatione Domini de-

cesserit, à gloriosissimis principibus supplicando postuletur, vt canonicam electionem clero & populo ipsius ciuitatis permittere dignentur, atque ita aut in clero, aut in populo, aut diœcesi certè ipsa, si opus sit in vicinia ipsius, probata & officio digna persona quæratur, quæ inuenta consensu totius cleri & populi ad honorem ciuitati præficiatur. Sed & si à seruitio piorum principum nostrorum aliquis clericorum venerit, vt alicui ciuitati præponatur Episcopus, timore casto sollicitè examinetur, primùm cuius vitæ sit, deinde cuius scientiæ. & vigore Ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, ceteris Episcopis sicut Dei ministris adiutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompa sæculi turgidus, & Simoniaca hæresi pollutus, humilibus & mundis membris Christi Ecclesiæque superponatur Episcopus, nec præsumat inliteratum, & cupiditate inlicita cæcatum, redditurus facti sui Deo rationem, populo præficere. Si verò necessarium isdem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, vt indebito honorem bonis tantùm debitum tradat, instruat populum, informet Ecclesiam, potiùs adire clementiam Regum, & ipse cum Coepiscopis suis quibus valuerit modis adeat, vt Ecclesiam Dei gloriosi reges digno honorent ministro. Si autem turpiter cupiditate quacumque Metropolitanus victus, aut aliquo munere deceptus, tantum opus negligenter & ægrè fuerit executus, iudicium omnia cernentis Dei se incurrere non dubitet, sed & sententia Ecclesiastica nouerit se culpandum.

Vt hi qui ordinandi sunt, secundùm ordinem Ecclesiasticum, & institutionem sanctorum Patrum ordinentur, videlicet iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circum circa sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem, ex excerptis Martini. Non liceat electionem facere eorum qui ad sacerdotium prouocantur, sed iudicium sit Episcoporum, vt ipsi eum qui ordinandus est probent, si in sermone & in fide, & in Episcopali vita edoctus est.

Item quo iudicio ferien di sint, qui in ordinandis Episcopis sanctorum Patrum statuta neglexerint, ex decretis Papæ Leonis. Si qui Episcopi talem consecrauerint sacerdotem qualem esse non liceat, etiam si aliquo modo damnum proprij honoris euaserint, ordinationis tamen ius alterius non habebunt, nec vnquam ei sacramento intererunt, quod neglecto Dei iudicio immeritò præstiterunt.

Hæc autem quatuor Capitula quæ sequuntur, apud Carisiacum contra Prædestinatianos constituta, & post lectionem præcedentium in præfata Synodo relecta, in subsequenti etiam Opere scripturarum atque orthodoxorum sunt testimoniis confirmata.

I. DEvs omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis, secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. Ceteros autem, quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit, pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodò dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.

II. Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum dominum nostrum recepimus: & habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

III. Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult saluos fieri,

licèt non omnes saluentur. Quòd autem quidam saluantur, saluantis est donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

IV. Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium, & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem. quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

Sequitur Epistola Prudentij Trecassinæ ciuitatis Episcopi, quæ in processu operis sequentis sæpè commemoratur, & à catholicorum fide atque doctrina discordare monstratur.

PATRI venerabili, & ceteris patribus fratribúsque sincerissimè diligendis, atque Coepiscopis reuerendis, Prudentius æternam in Domino salutem. Quantum ad meritum peccatorum meorum spectat, iustissimo Dei iudicio, quantum verò ad indebitas atque indeficientes eius misericordias pertinere dinoscitur, misericordissimo ipsius munere, infirmitatibus penè omnibus notis depressus, sancto desiderabilíque vestro conuentui adesse prohibeor. Quod autem possum, præsentibus litteris, atque legato nostræ Ecclesiæ presbytero Arnoldo, mei consensus præsentiam eotenus exhibeo, vt is qui ordinandus est, si Apostolicæ sedis omnibus institutis, & beatorum patrum Innocentij, Zosimi, Bonifacij, Sixti, Leonis, Gelasij, Cælestini, Gregorij, Hilarij, Ambrosij, Augustini, Isidori, Primasij, Fulgentij, Hieronymi, Cassiodori, Bedæ, aliorúmque adæquè catholicorum atque orthodoxorum virorum scriptis & dictis, ac specialiter super quatuor Capitulis, quibus omnis Ecclesia catholica aduersus Pelagium eiúsque hæreseos sequaces pugnauit ac vicit, atque ad posterorum memoriam litteris auctoritate & veritate plenissimis mandauit, confitendo subscribere, & subscribendo confiteri voluerit, eius me ordinationi consentaneum esse profitear: sin aliàs, prorsus neque assentior, neque fidelibus Christi assentiendum suadeo. Capitulorum verò quatuor præmissorum seriem, quamuis vestram prudentiam multo viuaciùs quàm meam extremitatem compertam esse non dubitem, necessariò tamen breuiter adnectendam iudicaui, vt faciliùs quid sentiam, cui veritati consentiam, vestra beatitas recognoscat. Videlicet, vt liberum arbitrium, in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Dominum nostrum Iesum Christum redditum atque liberatum confiteatur, interim in spe, postmodùm autem in re, sicut dicit Apostolus, *Spe enim salui facti sumus*, vt tamen semper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, siue cogitandum, siue inchoandum, operandum, ac perseueranter consummandum, & sine ipsa nihil boni nos posse vllatenus aut cogitare, aut velle, aut operari sciamus. Secundò, vt Dei omnipotentis altissimo secretóque consilio credat atque fateatur quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia sæcula prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili iustitia prædestinatos ad pœnam: vt id videlicet, siue in saluandis, siue in damnandis prædestinauerit, quod se præscierat esse iudicando facturum, dicente Propheta, *Qui fecit quæ futura sunt*. Tertiò, vt credat & confiteatur cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Iesu Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum: non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodiéque credunt, nunquam nec credituri sunt, dicente ipso Domino, *Venit enim filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*. Quartò vt credat atque confiteatur, Deum omnipotentem omnes quoscumque vult saluare, & neminem posse saluari vllatenus, nisi

Rom.8.24.

Matt.21.28

quem ipse saluauerit, omnes autem saluari quoscumque ipse saluare voluerit: ac per hoc quicumque non saluantur, penitùs non esse voluntatis illius vt saluentur, dicente Propheta, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Et licèt quædam sint alia, quibus in Pelagio damnatis vniuersaliter Ecclesia consenserit, fategerit, atque subscripserit, hæc tamen specialiùs aduersus eum eiúsque complices, per Apostolicam sedem, instantia beatissimi Aurelij Carthaginensis Episcopi, atque Augustini, cum aliis trecentis quatuordecim Episcopis, ab eius prauissimis sensibus eruta, vindicata, & multis tam epistolis quàm libris toto orbe vulgatis, omnis hodiéque gaudet, confitetur, prædicat, & tenet, atque tenebit Ecclesia. His per omnia consentaneam, prædicabilem paternitatem, fraternitatémque vestram gratia superna inuictam atque præualidam, & suo munere gaudentem perpetim conseruare dignetur.

Psal. 134. 6.

CETERVM multiplices ac tortuosas & venenatas sententias Gothescalci, cuius debita cum execratione in sequenti Opere sæpiùs facimus mentionem, sed & complicium eius agones pestiferos hîc præponere non necessarium duximus, quia licèt pestilens eorum doctrina ex aliquantis se in diuersa scindat itinera, de prædestinatione tamen reproborum ad interitum, & quòd Deus non omnes homines vult saluos fieri, sed eos tantummodò qui saluantur, & quia non pro omnibus passus sit, vnde opusculum subsequens catholicorum doctrinam sufficienter ostendit, conspirare noscuntur, & contra eos iam singillatim in aliis libellis ante hos actis, prout Dominus dedit, laborem impendimus, sicut ei cui libuerit vel licuerit patere valebit.

INDEX CAPITVM.

CAP. I. QVANDO, *& vbi, & vnde hæc Prædestinatiana hæresis, primum exorta fuerit, & per quos ac qualiter reuicta atque compressa extiterit.* Pag. 3.

II. *Per quos & qualiter hæc eadem hæresis, vt de trunco amaritudinis spuria vitulamina, in tempore isto repullulauerit.* 20

III. *De Fulgentio, de cuius libris ad suam confirmandam sententiam exempla Prædestinatiani ponunt.* 22

IV. *De Apostolica sede sequenda, cuius doctrinæ inniti & auctoritatem sequi debemus.* 24

V. *De consuetudine Gothescalci & complicium eius, & de libris eorum de quibus quædam hîc excerpta ponuntur.* 25

VI. *Exordium Capitulorum de quibus agitur, vnde compositor eorum illa compilare studuerit.* 26

VII. *De exemplo Apostolico, quod Capitulorum compilator ad suam confirmandam ponit sententiam.* 29

VIII. *Vnde Prædestinatiani auctoritatem potiusque opinionem huiuscemodi expositionis Apostolici capituli, non sibi profuturam quia ex mendacio, sumpserint.* 31.

IX. *Quòd etiam Isidorum ad suam confirmandam sententiam in testimonium deducunt, & quædam de libris B. Augustini proferunt, vnde ipse vir insignis eos reuincit, & Fulgentius ipse auctoritatem quam ex illo adsumunt manifestè dissoluit.* 33

X. *De testimoniis scripturarum, quibus Gothescalcus & sui complices, alieno sensu à fide catholica & orthodoxorum doctrina, inreuerentissimè abutuntur.* 42

XI. *De perscrutandis Capituli subsequentis reliquiis.* 45

XII. *Diffinitio sancti Augustini quid sit*

sanctorum prædestinatio, à qua Capitulorum istorum compilator omnimodis discordare cognoscitur, & per ambages fidem diuinæ prædestinationis extenuando peruertit, & verba veritatis, quantum potest, ad mendacia inflectit. Vnde eum Catholicorum doctrina aperta veritate & si non eum pertinaciæ inhærentem ad tramitem veritatis reflectit, verùm de mendacio contrarium veritati reuincit. 47

XIII. *De eo quod Fulgentius in libro suo ad Monimum scripsit, prædestinationem Dei non tantùm in bono, sed etiam in malo dici.* 59

XIV. *Hinc sequitur exhortatio ad scholam dyscolam Gothescalci.* 62

XV. *De quorum verbis atque scripturarum sententiis, quatuor Capitula à nobis olim contra reexortos Prædestinatianos excerpta, quæ istorum Capitulorum compositor reprehendit, collecta fuerint & excepta: & quæ inde veteres Prædestinatiani dixerint, quæve moderni ex his delirantes dicant hæretici.* 62

XVI. *Abhinc excerpti à nobis primi Capituli textus ponitur, & vnde sumptus fuerit membratim designando monstratur.* 66

XVII. *De eo quòd Gothescalcus exemplum libri B. Augustini, quem sui complices eiusdem esse auctoris denegant, ad suam confirmandam sententiam posuit. & de aliis sanctorum sententiis ad statum Capituli à nobis excerpti propositis.* 95

XVIII. *De certo numero Prædestinatorum.* 105

XIX. *Qualiter vna Dei prædestinatio gemina fideliter possit dici, vnde Gothescalcus cum sua synagoga peccantium prauè sentiendo atque interpretando anxiè ac perniciosè laborat.* 106

XX. *Qualiter intelligi debeat quòd B. Gregorius plurali numero prædestinationes posuit.* 115

XXI. *Qualiter de secundo Capitulo, à nobis contra Prædestinatianos excerpto de gratia & libero arbitrio, veteres Prædestinatiani senserunt, & de quorum verbis sumpsimus illa quæ exinde posuimus, & de præposteratione illius, quæ à quibusdam inordinatè facta esse dinoscitur.* 118

XXII. *De eo qui ad reprehensionem istorum Capitulorum tacito suo nomine libellum composuit, & de sententiis synodalibus, quas compilator Capitulorum nobis à regia sublimitate datorum collegit, volens ostendere ab illis nos discordasse.* 132

XXIII. *Sequitur redargutio ipsius compilatoris ex B. Augustini & ceterorum doctorum verbis.* 146

XXIV. *Reddenda ratio incipit de Capitulo tertio à nobis excerpto, quod compilator Capitulorum nobis à regia sublimitate datorum acerrimè reprehendit, cum his quæ Prædestinatiani exinde ad suam dicunt confirmandam sententiam, & qualiter Catholici eorum prauè dictis ex scripturarum sententiis contradicant.* 149

XXV. *Sequuntur orthodoxorum verba, quibus cognosci valeat qualiter exinde sanctæ Ecclesiæ catholici sensere doctores.* 165

XXVI. *Recapitulatio redditæ rationis post sanctorum nomina designata de Capitulo tertio.* 204

XXVII. *Ratio reddenda quarti Capituli incipit, quod nos contra Prædestinatianos excerpsimus, quódque Capitulorum quæ nobis sollicitudo regia dedit compositor errore nimio denotauit, deuocans in mediũ, ad exaggerandam reprehensionis nostræ notam, Antichristum & impios in sua impietate defunctos, & ante aduentum Christi igne damnatos æterno.* 210

XXVIII. *Qualiter de impiis in sua impietate defunctis senserunt Catholici, pro his etiam passum fuisse Dominum, licèt non eius passionis mysterio ad salutem perpetuam sint redempti.* 219

XXIX. *Ratio redditur de duobus quæ necessitate compulsi in hoc quarto Capitulo verbis B. Prosperi inseruimus.* 224

XXX. *Quòd exceptis his duabus quasi syllabicis sententiis, nihil in hoc Capitulo posuimus, nisi quod ex B. Prosperi verbis excepimus.* 230

XXXI. *De decem & nouem Capitulis, quæ compilator Capitulorum nobis à regia dominatione datorum in suggillationem nostram commemorat, & de aliis, siue quæ nos passim scripta inuenimus, siue quæ à quibusdam leuibus quærendo adinuenta audiuimus.* 231

XXXII. *De clausula Capituli compilatoris, & de tribus quæ huic Capitulo subnectere procurauimus. quorum vnum est, quia turbæ quæ Dominicum aduentum præcesserunt, & quæ subsequuntur, vna eadémque fide conclamant dicentes Osanna, quoniam per gratiam Dei saluari credimus, quemadmodum & illi.* 233

XXXIII. *Abhinc ſequitur, qualiter docent ſanctarum ſcripturarum auctoritate catholici viri generaliter Chriſtum fuiſſe paſſum pro omnibus.* 247

XXXIV. *Nunc quod ſuprà memorauimus tertium ſequitur, quomodo orthodoxi & antiqui magiſtri ex ſcripturis authenticis demonſtrant, diſcretè nos debere intelligere, quia licèt Chriſtus fuerit paſſus pro omnibus, non tamen omnes ad æternam ſalutem mundi pretio, id eſt paßionis eius myſterio ſunt redempti. à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt captiuitatis ſeruitutem reuerſi.* 284

XXXV. *Sequitur ratio reddita de quinto Capitulo, quod quaſi ſuper dolorem vulnerum noſtrorum adiciens in ſuggillationem noſtram reprehenſor noſter acerrimus conſpuere voluit.* 304

XXXVI. *Apologia denotationis noſtræ ſubſequitur, quia filius Ephrem contra nos intendens arcum miſit ſagittas, ſed ſuum fortè ſentiet arcum prauum, cuique conuerſus ipſius gladius non præſtabit auxilium in die belli.* 317

XXXVII. *Et quoniam nuper remota hæreſis olim, vt oſtendimus, in veteribus hæreticis eſt reuicta, quid de huiuſmodi prauè ſentientibus Eccleſiaſtica decernat auctoritas, per duodecim Capitula præmiſsis ſubnectere procurauimus.* 329

XXXVIII. *Sequitur tandem totius rei digeſtæ ex quatuor Capitulis, quoniam quintus de baptiſmo in hoc quarto de redemptione Chriſti continetur, Epilogus ſuccinctè compoſitus, vt non debeat faſtidiri legentibus à contradictorum veræ fidei reſponſione lacinioſa remotus, volens ſanare quem demonſtrat trigeſimo octauo Capitulo, ac ſi triginta & octo annis iacentem languidum, malè ſentientium ſcilicet chorum, duodequadraginta numero, qui legis Decalogo per quatuor ſancti Euangelij libros impletur, minus habentem, & à dilectione Dei ac proximi, quam legis pariter & Euangelij ſcriptura commendat, vacuum incedentem. In quo licèt plures ſint choro, ſi adquieſcere veritati conſenſerint, quaſi vnus recuperabunt in vnitate fidei ſanitatem. quia præter vnitatem catholicæ fidei nullus cuilibet patet ſalutis locus. à cuius vnitate quiſque diſcrepat, ſalutem quæ ab vno eſt conſequi nequaquam valet.*

EPILOGI CAP. I. 353

II. *Quid ſit inter gratiam & prædeſtinationem, & inter præſcientiam & prædeſtinationem.* 356

III. *Quid ſit ſanctorum prædeſtinatio, & quòd à Deo electi ad vitam prædeſtinati ſint, & vita illis ſit prædeſtinata æterna. Reprobi autem non à Deo prædeſtinati, ſed præſciti atque relicti ad pœnam ſint, pœna autem ex retributione iuſtitiæ illis ſit prædeſtinata æterna.* 361

IV. *Qualiter catholica Eccleſia de gratia & libero arbitrio teneat.* 374

V. *Quòd Deus omnes homines vult ſaluos fieri, licèt non omnes ſaluentur: quòd autem quidam ſaluantur, ſaluantis ſit donum, & quòd quidam pereunt, ſit pereuntium meritum.* 379

VI. *Quòd Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit, licèt non omnes paßionis eius myſterio ad ſalutem redimantur æternam: & quia non omnes paßionis eius myſterio redimuntur, non ad ſacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem, cùm ſanguis domini noſtri IeſuChriſti pretium ſit totius mundi. à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſeruitutem perſeueranti infidelitate vel iniquitate reuerſi.* 391

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS

DE PRÆDESTINATIONE DEI ET LIBERO ARBITRIO,

POSTERIOR DISSERTATIO

Aduersus GOTHESCALCVM & ceteros Prædestinatianos.

EPISTOLA AD REGEM.

DOMINO KAROLO REGI GLORIOSO HINCMARVS *nomine non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, unà cum collegis dominis & fratribus meis venerandis Episcopis, oratoribus scilicet salutis atque prosperitatis vestræ deuotis.*

NVPER elapso mense Iunio, per Indictionem septimam, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIX. dedistis nobis quædam capitula, sicut nostræ dixistis humilitati, à Remigio reuerentissimo Lugdunensium Archiepiscopo vestræ porrecta sublimitati, iubentes vt tempore congruo de his vobis redderemus responsum, si vnanimes vno ore eorumdem capitulorum sensui concordaremus: an quia vobis à cana patrum fide in quibusdam dissentire videbantur, noster sensus, quem à catholico tramite non deuiare credebatis, ab eis in aliquo dissideret. sequentes & præcepti dominici iussionem, & Christianam prædecessorum vestrorum consuetudinem. Est enim & diuinis legibus cautum, & prisco anteriorũ Principum more suetum, vt quotiescumque in catholica fide vel diuina religione quiddam noui emerserit, à principali sententia Episcoporum consultui referatur, & quod eorum iudicio, scripturarum sanctarum auctoritate, & orthodoxorum

magiſtrorum doctrina, atque ſecundum auctoritatem canonicam, & decreta Pontificum Romanorum, Chriſti Dei noſtri Vicarij & ſanctæ Eccleſiæ Præſules credendum, ſequendum, & tenendum, atque prædicandum decreuerint, id ab omnibus corde credatur ad iuſtitiam, ore confiteatur ad ſalutem, ſequatur ad vocationem, teneatur ad coronam, prædicetur ad lucrum. Quæ ſiquidem capitula in conuentu Epiſcoporum habito in territorio Tullenſi, in villa quæ dicitur Saponarias, ante biduum quàm vobis porrecta fuerint, ſunt recitata, proferente & deponente ea Synodo domno Remigio Lugdunenſium Archiepiſcopo: quæ ſicut dixit, & in epigrammate eorumdem capitulorum continetur, in hoc ipſo anno, in Kalendis nihilominus ibidem deſcriptis, & in ſuburbio Lingonicæ vrbis, ad inſtructionem dominici populi ipſe & ſibi comprouinciales Epiſcopi ediderunt. Et in craſtina alia quædam capitula, de quibus pòſt locuturi ſumus, relecta fuere: ſuper quibus, ſicut quibuſdam ex fratribus viſum eſt, quorumdam ſenſus eſt motus. Nam vt verè & nos fateamur, noſtræ conſcientiæ ſuper pridem capitulis, quæ vt diximus Remigius Archiepiſcopus Synodo præſentauerat, recitatis, catholicorum ad memoriam reducentes Doctorum traditiones, non modicè ſe concuſſerunt. Vnde noſtrorum quidam fidei Chriſtianæ zelo ſuccenſi aliqua Synodo voluere ſuggerere: ſed motus noſtri ab eodem venerabili Archiepiſcopo Remigio Lugdunenſium ſunt modeſtè compoſiti: eo venerabiliter perorante, vt ſi quorumcumque noſtrorum ſenſus ab eiſdem prolatis capitulis in aliquo diſſentiendo ſe commoueret, ad proximè futuram Synodum catholicorum libros Doctorum quique deferre curemus, & ſicut melius ſecundum catholicam & Apoſtolicam doctrinam in commune inuenerimus, de cetero omnes vnanimiter teneamus. In cuius deuotione, coepiſcoporúmque ipſius diœceſeos, quorum etiam & ante ordinationem mentem catholicam atque doctrinam, ſicut & vos non latet, cognouimus, quantum ſenſui puſillitatis noſtræ fidem accommodare audemus, percepimus quia non ex ipſis, vt non dicamus per ipſos, Synodo capitula ipſa fuere prolata. Quapropter quamuis blando ſibilo eos quidam charaxare voluerunt de eo quod ſanctus Cæleſtinus Epiſcopos Gallicanos redarguit, dicens, Quid illic, inquit, ſpei eſt, vbi magiſtris tacentibus hi loquuntur, qui ſi ita eſt eorum diſcipuli non fuerunt? Timeo ne conhibere ſit hoc tacere: timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faueamus errori.] Nos tamen plures, qui eorum & fidem, & doctrinam, & prudentiam nouimus, minùs in eis iſta noſcentibus ſententiam pro diſſenſione baptiſmi de beato Cypriano, à ſancto Auguſtino conlaudatam ſæpenumero, in libro ſecundo de baptiſmo poſitam

Epiſt. VIII.

Cõtra Donatiſtas. c. 4

proposuimus. Quomodo enim, inquit, potuit ista res tantis altercationum nebulis inuoluta ad plenarij Concilij luculentam inlustrationem confirmationémque perduci, nisi primò diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & conlationibus Episcoporum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, vt cùm diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis caritas, in qua fructus maior est, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem cùm contra id quod sentiebant declaratum esse cognoscunt.] Sciebant namque iidem venerabiles catholici & docti viri, quia in multis regionibus ac prouinciis hæc pestifera erat recommota doctrina. Et ideo silentium in suis prouinciis imponere tam facilè sicut fortè poterant noluerunt errori, donec ad plurimorum notitiam peruenta plurimorum iudicio quæstio sopiretur: quia vt dicit sanctus Cælestinus in epistola ad Nestorium directa, omnes debent nosse quod agitur quoties omnium causa tractatur.] videlicet vt cùm omnium in vnius propositione fuerit diffinita consultatio, cunctorum valeat ad omnes emanare solutio. Hæc eadem namque capitula, sicut facilè reminisci potestis, ante triennium nobis in villa Rotomagensis Episcopij, quæ Nielfa dicitur, quando in excubiis contra Nortmannorum infestationem degebamus, sub titulo quasi in Valentina Synodo conscripta fuerint, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLV. sub Hlothario imperatore dedistis, vt ad illa quæ nobis viderentur catholicè ex orthodoxorum magisterio responderemus: cum aliis quorumcumque scriptis quæ hinc ad vestram notitiam peruenêre. quorum quædam scripta recepimus, sed ea publicare noluimus, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: donec cum eis qui vobis illa transmiserant familiari conloqueremur sermone, & eos si aliquo modo valeremus ab hac praua intentione ad catholicæ fidei vnitatem cooperante Domino reuocaremus. Sed quia partim occupationibus præpediti, partim autem in fraternis suasionibus minùs quàm necesse fuerat obauditi, eos quos monere disposuimus à sua intentione reuocare nequiuimus. inde quia, sicut dicit Apostolus, *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt*, adeò quorumdam excreuit dissensio, vt hæc dissonantia ad vestram perueniret notitiam, & Synodali decreto, pro zelo fidei & vnanimitatis amore, antequam hæc nobis perscrutanda committeretis, quatuor capitula Episco-

Epist. v. in fine.

I. Tim. 5. 24.

pali diffinitione vobis de catholicorum patrum dictis colligi, & singulorum exigeretis manibus roborari. Postea verò & quorumdam ex his qui eisdem capitulis subscripserant, & aliorum etiam in tantum est accumulata vecordia, vt necesse foret & iussionis vestræ instantia, & executionis nostræ obedientia, hinc eorum quos præmisimus scriptis & propositionibus litterali officio respondere. Inter quæ & his capitulis, quæ nobis nuper dedistis, pro nostri ingenioli capacitate, sub dubietate tamen respondimus: quia non credidimus vt fratres & Coepiscopi nostri contra regulas Ecclesiasticas aduersum nos talia debuissent conscribere. præsertim cùm non ignorarent dominicis institutionibus & legibus sancto Spiritu promulgatis præfixum esse, qualiter si in sæpefatis capitulis fidei obloqueremur, nos compellare, & tunc Synodali iudicio nos nostrásque sententias à sua debuissent communione explodere. Nunc verò, quia certi sumus, cuius compositioni debemus de sæpenominatis quæstionibus respondere, seruatis relationum absolutionibus contra eos quibus à vestra dominatione pro imposito nobis ministerio iussi sumus reddere rationem, contra hæc tantum capitula, quantum ex nobis est cum omnibus pacem habentes, ex sanctarum scripturarum auctoritate, & catholicorum patrum sententiis, simpliciter respondere curabimus. vt cui fortè omnia illa legere non licuerit, vel non libuerit, hîc compendiosas pro tempore capitulorum responsiones inueniat. quas furatis horulis à diuersis occupationum distensionibus, qui cogitationum ferias non habemus, sicut de sententiis sanctorum patrum accepimus, ne torpore vel inobedientia à vestra denotaremur Christiana deuotione, committere schedulis tumultuario sermone studuimus. quoniam in præfatis relationibus prouocati multiplicibus multiplicium inlationibus, multipliciter multiplicibúsque conlationibus, non sine sicut scimus & confitemur lectoris tædio, sensu sed tamen catholico, in tribus libris laciniosо sermone respondere sategimus. Sed in hoc maximè benigno lectori nos satisfacere autumamus, quia singulorum singulas semper ponentes sententias, singulariter ad obiecta & resistentia fidei respondere studuimus. Et vel in hoc solo deuotum quemque lectorem nobis conciliari confidimus, quia cùm ex sua mente nostrum laborem perpenderit, nos apud se excusatos habebit. Quis verò sit istorum capitulorum compositor, cui quasi à nouo cogimur respondere, ipse se prodet cùm necessariò vrgebitur ad lucem veritatis venire: quia operator tenebrosorum operum, inter quæ ab Apostolo & hæreses describuntur, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. omnis verò qui bona agit, inter quæ bona ab Apostolo & fides connumeratur, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Sed & ille quicumque est, si ad lucem venerit, & veritati ex corde consenserit, esse filius lucis poterit,

Si autem & pertinaciter contradixerit veritati, ipſe infidelitate ſua & contentionis ſuæ vecordia, hæretici ſibi nomen imponet. quia non ſtatim eſt hæreticum quod ignoranter à fide ſentitur diuerſum, ſi non fiat pertinaci contentione hæreticum.

CAPVT PRIMVM.

Quando, & vbi, & vnde hæc Prædeſtinatiana hæreſis primùm exorta fuerit, & per quos ac qualiter reuicta atque compreſſa extiterit.

NVNC iam dicendum cenſuimus quando, & vbi, & qua occaſione hæc hæreſis orta primùm extiterit. Ante cccc. circiter triginta & eo ampliùs annos hæc hæreſis eſt exorta tempore Theodoſij & Valentiniani Imperatorum, ſub præſulatu ſancti Cæleſtini, per idem tempus quando & Neſtoriana hæreſis apud Græcos in Conſtantinopoli ciuitate auctore Neſtorio ebulliuit, ſancti Auguſtini temporalis vitæ termino imminente, ſicut Proſper in Chronica ſua demonſtrat, dicens, Theodoſio XI. & Valentiniano Conſulibus. & ad locum, Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus nouum Eccleſiis molitur errorem inducere. & item, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſsimus moritur v. Kal. Septembris, libris Iuliani inter impetus obſidentium Wandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione gratiæ Chriſtianæ perſeuerans.] Et Beda in Chronica ſua, Theodoſius, inquit, minor, Arcadij filius, annos XXVI. regnauit. Valentinianus iunior, Conſtantij filius, Rauennæ Imperator creatur. & pòſt paululum, Sed beatus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, & omnium doctor eximius Eccleſiarum, ne ciuitatis ſuæ ruinam videret, tertio obſidionis eius menſe migrauit ad Dominum v. Kal. Septembris, cùm vixiſſet annos LXXVI. in clericatu autem annos fermè XL. compleſſet.] Qui beatus Auguſtinus in ipſo dierum ſuorum fine Librum de hæreſibus, inter reſponſiones prædictorum librorum Iuliani, quorum Proſper fecerat mentionem, ad Quodvultdeum Diaconum ſcripſit, ſicut ipſe in epiſtola ad prædictum Diaconum ita commemorat, Cùm mihi, inquiens, hæc ſcribendi offerretur occaſio per Fuſalenſem preſbyterum, quem commendo caritati tuæ, relegi epiſtolam tuam, in qua petis vt de hæreſibus, quæ oriri potuerunt ex quo Domini in carne nuntiari cœpit aduentus, aliquid ſcriberem. Hoc autem feci, vt viderem vtrum iam deberem ipſum opus aggredi, & inde tibi aliquid mittere, vbi conſiderares tanto eſſe difficilius quanto vis eſſe breuius. Sed ne hoc quidem potui, talibus curis ſuperuenientibus impeditus, à quibus omninò diſsimulare non

Tomo VI. in princ.

possem. Nam me & ab eo quod habebam in manibus auerterunt: hoc autem est, vbi respondeo libris Iuliani, quos octo edidit post illos quatuor quibus antè respondi. Hos enim cùm Romæ accepisset frater Alypius, nondum omnes descripserat, cùm oblatam occasionem noluit præterire, per quam mihi quinque transmisit, promittens alios tres citò se esse missurum, & multùm instans ne respondere differrem. Cuius instantia coactus sum remissiùs semper agere quod agebam, vt operi vtrique non deessem, vni diebus alteri noctibus, quantum mihi ab aliis occupationibus hinc atque hinc venire non desistentibus parceretur. Agebam verò rem plurimùm necessariam. nam retractabam opuscula mea, & si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi posset & deberet operabar. Et duo volumina iam absolueram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam, eósque CCXXX & duos esse cognoui. Restabant epistolæ, & tractatus populares quos Græci Homilias vocant.] Isti autem libri Iuliani, sicut manifestum est, non sunt illi, quos in libris Retractationum commemorat.

Sed & de hæresibus LXXXVIII. isdem doctor mirificus Augustinus conscripsit, quibus nouissimam hæresim Pelagianam subiunxit. Inde Gennadius Massiliensis sacerdos valdè doctus, qui & de viris inlustribus scripsit, ab eo loco incipiens vbi sanctus Hieronymus memoriæ scriptorum inlustrium finem imposuit, & ad sua vsque tempora scriptores famosos cum debita laude commemorauit, hanc Prædestinatianam nonagesimam hæresim sectæ Pelagianæ supposuit, dicens. Sunt, inquit, qui dicunt quòd Deus non omnes homines ad hoc creet, vt omnes saluentur, sed vt multitudine hominum ornetur mundus.] & reliqua quæ prosequitur, quæ in processu monstrabimus. Deinde nonagesimam primam Nestorianam ponit, sícque Eutychianam, & post hanc Timotheanam. Sed & Hyginus, catalogum describens hæreseon, octogesimam & nonam hæresim Nestorianam ponit, & nonagesimam istam Prædestinatianam, cum libello ab eisdem Prædestinatianis composito, ita dicens, Nonagesima hæresis, inquit, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini Episcopi esse mentitam, Prædestinatianorum nomen accepit.] Beatus etiam Augustinus in præfatione Retractationum de opusculis suis dicit, Illud enim quod scriptum est, *ex multiloquio non effugies peccatum*, terret me plurimùm. non quia multa scripsi, vel quia multa etiam quæ dictata non sunt, tamen à me dicta conscripta sunt. absit enim vt multiloquio deputetur, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine dicantur. Sed istam sententiam scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certè videantur, siue etiam conuin-

Tomo 1. in princ.

Prou. 10. 19.

cantur non neceſſaria.] & paulò ſuperiùs, Neque enim quiſquam, niſi impudens, ideo quia mea errata reprehendo me reprehendere audebit. Sed ſi dicit non ea debuiſſe à me dici quæ poſtea mihi etiam diſplicerent, verum dicit & mecum facit. Eorum quippe reprehenſor eſt, quorum & ego ſum. Neque enim ea reprehendere deberem, ſi dicere debuiſſem.]

Nam & in Africanis & in Gallicis regionibus hæc primum hæreſis cepit exordium adhuc in vita beati Auguſtini. Vnde & ipſe ad Valentinum & cum illo monachos librum ſcripſit de correptione & gratia, ſicut Proſper in epiſtola ſua ad eumdem Auguſtinum directa demonſtrat, dicens, Multi, inquit, ſeruorum Chriſti, qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis, quæ aduerſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputaſti. Et cùm aliquandiu tarditatem ſuàm culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidámque eorum lucidiorem ſuper hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expoſitionem voluerint poſtulare, euenit ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, vt cùm quidam intra Africam ſimilia mouiſſent, librum de correptione & gratia plenum diuinæ auctoritatis emitteres. quo in notitiam noſtram inſperata opportunitate delato, putauimus omnes querelas reſiſtentium ſopiendas, quia vniuerſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat ſanctitas tua, tam plenè illic abſolutéque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialiter ſtudueris, vt quæ apud nos erant turbata componeres.] Quem librum iſdem beatus Auguſtinus in ſerie librorum Retractationum vltimum poſuit. qui in eorumdem præfatione dicit, Quapropter quicumque iſta lecturi ſunt, non me imitentur errantem, ſed in melius proficientem. Inueniet enim fortaſſe quomodo ſcribendo profecerim, quiſquis opuſcula mea ordine quo ſcripta ſunt legerit. Quod vt poſſit, hoc opere quantum potero curabo vt eumdem ordinem nouerit.] De quo libro & Proſper in præfata epiſtola præcedentibus ſubnexuit, dicens, Recenſito autem hoc beatitudinis tuæ libro, ſicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores multo inſtructioréſque ſunt facti, ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, aduerſiores quàm fuerant receſſerunt. Quorum tam abrupta diſſenſio primùm propter ipſos metuenda eſt, ne tam claris támque egregiis in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis inludat. ne ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutiſſimum ſibi æſtiment, quòd audiant eos quorum auctoritatem ſine iudicio ſequuntur aſſerere.] Et circa finem ipſius epiſtolæ, Neceſſarium & vtile eſt, inquit, etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leue exiſtimetur quod non frequenter

Tomo VII. ante librũ de Prædeſt. Sãctorum.

Tomo I. in princ.

Tom VII. post epist. Prosperi.

arguitur.] Hinc & Hilarius Arelatensis Episcopus ad eumdem sanctum Augustinum misit epistolam, in qua dicit, Hæc sunt itaque quæ Massiliæ vel etiam aliquibus locis in Gallia ventilantur, & reliqua. & item circa finem suæ epistolæ dicit, Libros, cùm editi fuerint, quos de vniuerso opere moliris, quæso habere mereamur: maximè vt per eorum auctoritatem, si qua in tuis displicent, à dignitate tui nominis iam non trepidi sequestremur.]

Vnde & sanctus Augustinus duos libros, alterum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de Bono perseuerantiæ, ad præfatos Episcopos Prosperum scilicet & Hilarium scripsit. In quibus libris, sicut sibi visum fuerat, nomen prædestinationis, quo antea in aliis suis libris indifferenter vsus fuerat, propriè posuit, sicut & in libro de correptione & gratia diffinitiuè correxit. In quibus etiam & horum nouorum hæreticorum facit crebriùs mentionem, vti qui legit agnoscit, & nos breuiter lectoris præsentamus obtutibus. Ait enim in libro de bono perseuerantiæ, Porrò si hæc ita Deum nouerant dare, vt non ignorarent eum daturum se esse præscisse, & quibus daturus esset non potuisse nescire, proculdubio nouerant prædestinationem, quam per Apostolos prædicatam contra nouos hæreticos operosiùs diligentiúsque defendimus. & item, Quid autem coëgit loca scripturarum, in quibus prædestinatio commendata est, copiosiùs & enucleatiùs isto nostro labore defendi, nisi quòd Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari? & reliqua.] & iterum, De hac enim re, quam nunc aduersus nouos hæreticos non commemorare tantùm, sed planè tueri & defensare compellimur. & item, Quæ nunc contra nouos hæreticos cura diligentiore defenditur. & item, Ac per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.] Sunt & qui dicant, quia nomen prædestinationis non aliter, nisi sicut in aliis suis libris posuerat, beatus Augustinus retractare voluerit. Vnde sciant quia post omnes libros suos, quos in libris retractationum commemorat, istos duos libros conscripsit, quos loco retractationis composuit. In quibus nihilominus de eisdem retractationum libris memoriam facit, sicut facilè lector agnoscit. Ait enim in libro de prædestinatione Sanctorum, De hoc primo duorum illorum libro in secundo retractationum primùm locutus sum.] & item in libro de bono perseuerantiæ, Denique in primo Retractationum libro, quod opus meum nondum legistis, cùm ad eosdem libros retractandos venissem, & reliqua.] Et in libro Hypomnesticon ab æmulis se calumniatum fuisse demonstrat, dicens, Credere nos quippe vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum Euangelio Christi eiúsque Apostolis, prædestinationem dicimus, eo quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cælorum, vt si nolint

[Margin notes: Cap 19. — Cap. 20. — Cap 23. — Cap. 4. — Cap. 11. — Lib. VI.]

nolint orare & ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omninò perire non posse.] & paulo pòst, Non miramur vos de nobis, id est homines de hominibus, falsa posse confingere, cùm videamus vos sic à diabolo esse fascinatos, vt scripturas sanctas & veridicas ad voluntatis vestræ intellectum mutare nitamini.] & reliqua quæ disertè prosequitur.

De quo videlicet Hypomnesticon libro, quidam contendunt quòd eum sanctus Augustinus non composuerit, quoniam illorum erroribus manifestissimè contradicit: dicentes quia sanctus Episcopus, qui omnium librorum illius nomina in indice conscripta Vitæ ipsius subiunxerit, illum non adnotauerit. Vnde sciendum est, quia plures illius libros habemus, qui in eodem indiculo non habentur: sicut est de Disciplina Christiana, excepto etiam illo qui titulatur de Doctrina Christiana. Sed & de prædestinatione gratiæ, & de hæresibus ad Quodvultdeum diaconum, & de vnitate Trinitatis, & librum de Pœnitentia, quem commemorat in epistola ad Consentium monachum, & librum qui titulatur de Verbis Domini, & alios quos commemorare superfluum ducimus: cùm idem ipse sanctus Augustinus in fine Retractationum dicat, Hæc opera nongenta & tria in libris CCXXXII. me dictasse recolui, quando hæc retractaui, vtrum aliquos adhuc essem dictaturus ignorans. Itaque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi vrgentibus fratribus, antequàm epistolas atque sermones ad populum, alios dictatos, alios à me dictos, retractare cœpissem.] & isdem sanctus Episcopus, qui indicem librorum illius siue epistolarum conscripsit, in fine ipsius indiculi subiungat dicens, Fiunt, inquit, simul quos memoratus sanctus Augustinus Spiritu diuino actus in sancta Ecclesia catholica ad instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas, M. XXX. excepto qui numerari non possunt, quia nec numerum designauit ipsorum.] Ipse sanctus Episcopus, qui illa descripsit, numerari non posse tractatus & epistolas illius dixit, & quidam omnium librorum siue epistolarum eius numerum diligentissimè in fine ipsius scripturæ eumdem sanctum Episcopum subiunxisse testantur: cùm possint & ipsi videre in eodem indiculo si conscripti sunt libri isti de Prædestinatione sanctorum, ac Bono perseuerantiæ, quos sancti Augustini esse nemo denegare aut volet aut valet. De quibus etiam contendere quosdam audiuimus, qui eosdem beati Augustini libros intelligenter non legerant, quòd de illis scriptum sit in indiculo, Responsio obiectis Hilarij liber I. cùm sine aliqua contentione falsum esse valeat demonstrari ab his qui eosdem libros noscuntur habere, quia & ille Hilarius, cui est in vno libro responsum, monachus fuit Syracusanus, iste autem Hilarius extitit Arelatensis Episcopus, cui simul cum Prospero istos quos nunc memoramus libros rescripsit. Si quis tamen eosdem libros non habet, videat in collectione ve-

Epist. 146. sub finem.

nerabilis Bedæ presbyteri de opusculis sancti Augustini super Apostolum, & ibi discere poterit quod antea ignorauit. Sancti nihilominus Episcopi Africæ prouinciæ ita eorumdem librorum in Synodica sua epistola faciunt mentionem dicentes, Dei gratia plurimùm amplectendis sanctis fratribus, Ioanni presbytero & Archimandritæ, & Venerio diacono, & fidelibus viris quorum in vestra epistola subscriptio continetur, Datianus, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Pontius, Quodvultdeus, famuli Christi in Domino salutem.] & in eadem ad locum, Libros sancti Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerite. quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisda, sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistola, quam consulenti se sancto fratri consacerdotíque nostro Possessori scripsit, cum magno præconio catholicæ laudis inseruit. cuius hæc verba sunt, De arbitrio tamen libero & gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur & seruet Ecclesia, licèt in variis libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum abundè possit agnosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.] Et in eadem epistola præfati sancti Episcopi ipsa beati Augustini verba de supradicto Hypomnesticon libro ex responsione tertiæ quæstionis ad reuincendos ponunt hæreticos. Et ipse beatus Augustinus in libro ad Dulcitium de octo quæstionibus, quas ei scripto soluit reuertens à Carthagine, commemorans libros suos in quibus de eisdem quæstionibus scripserat, ita ad finem ipsius operis de eodem Hypomnesticon libro commemorat dicens, Addere etiam hoc quammaximè huic operi oportet, vt vestra calumnia, quam nobis obicere soletis, per inluminationem gratiæ Saluatoris reuincatur, immo confutetur, & nostræ fidei integritas comprobetur. Credere nos quippe vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum Euangelio Christi eiúsque Apostolis prædestinationem dicimus.] & reliqua quæ ibi Lector ex integro cum sextæ quæstionis solutione de Hypomnesticon libro inueniet. Similiter & de libro qui sub nomine sancti Hieronymi intitulatur de Induratione cordis Pharaonis, quia eorum sensui contradicit, magnopere satagunt non esse ipsius. Sed nihil eis proficit si eum reiciunt, quoniam isdem sanctus Hieronymus, & ceteri Doctores catholici, eodem sensu eos malè sentire conuincunt, quo & idem liber illorum exurit zizania.

Inter opera Fulgentij.

Hormisdæ epist. 67.

De reprehensione nihilominus sua, vnde præmisimus, contra obtrectatores suos isdem in fine libri de Bono perseuerantiæ dicit. Qui verò me errare existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent.] Beatus siquidem Cælestinus hoc in epistola decretali ad Veneriũ & ceteros Gallicanos Episcopos etiam post obitum illius demonstrat dicens, Vitentur huiusmodi qui labo-

Epist. VIII.

rat per terras aliud quàm ille noster iussit agricola seminare. Nec tamē mirari possumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentiū fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit & honori. Vnde resistatur talibus quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarum afflictatione, quia membra nostra sunt, nos quoque conuenit macerari. quamuis maneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere. quibus quid promittat Dominus in futurum sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum, quando vniuersalis Ecclesia quacumque nouitate pulsatur. Intelligamus hæc ipsa vobis quæ nobis non placent displicere. quod ita demùm probare poterimus, si imposito improbis silentio de tali re in posterum querela cessabit.] Sanctus quoque Prosper hinc in epistola ad Rufinum ita dicit, Has, inquiens, versutias, quibus se filij tenebrarum in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cùm & Orientalium Episcoporum iudicia, & Apostolicæ Sedis auctoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit, beatissimus quoque Augustinus, præcipua vtique in hoc tempore portio Domini sacerdotum, copiosè & pulchrè in multis voluminum disputationibus destruxit. vtpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissimè spiritus veritatis impleuit, habens etiam hanc scientiæ & sapientiæ ex Dei caritate virtutem, vt non solùm istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses inuicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad inluminationem Ecclesiæ, & ad gloriam Christi qua ipse inlustratus est perfulgenti, quidam nostrorum, quod de ipsis multùm dolendum est, occultis sed non incognitis susurrationibus obloquuntur. & prout sibi obnoxias aliquorum aures opportunásque repererint, scripta eius quibus error Pelagianorum impugnatur infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitùs submouere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem. adicientes etiam duas illum humani generis massas & duas credi velle naturas, vt scilicet tantæ pietatis viro Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas. Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes ne dicam impij sunt, vt tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant, tam insanis prædicationibus non resistant, nec saltem aliquibus scriptis eum à quo talis emanat doctrina conueniant? Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore reuocauerint. Nisi fortè

Sub initiū epist.

modesti homines, nouíque censores, magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, & securi quia libros eius nemo vsquam recipiat conquiescunt. Atqui nouerint, immo nouerunt, non solùm Romanam, Africanámque Ecclesiam, & per omnes mundi partes vniuersos promissionis filios, cum doctrina huius viri sicut in tota fide ita in gratiæ confessione congruere: sed etiam in his ipsis locis, in quibus aduersus eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ saluberrimis eius disputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Christi in quantum ea ipse multiplicat dilatantur.] Et item idem Prosper in libro quem edidit contra Cassiani quondam Abbatis librum, qui prænotatur de Protectione Dei, de reprehensoribus librorum sancti Augustini, scilicet de Correptione & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum, ac Bono perseuerantiæ, quos circa finem ediderat, ita post laudem beati Augustini à Cælestino prolatam dicit, Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem, audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ syncerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? vt scilicet, quia in epistola Papæ librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse conlatam.] & post aliquanta, Apostolica enim sedes quod à præcognitis sibi non discrepat cum præcognitis probat, & quod iudicio iungit laude non diuidit. Qui ergo hos proximè editos libros refutant, anterioribus adquiescant, & iis quæ pro gratia Christiana priùs sunt scripta consentiant. Sed non faciunt. Sciunt enim omnia Pelagianis esse contraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem. Igitur huiusmodi hominum prauitati non tam disputationum studio, quàm auctoritatum priuilegio resistendum est: vt de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, vt si ei liceat, prætenta correctionis imagine, aliquod sibi fauentium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Vbi enim non aliud habet summa quàm portio, non est deuotionis dedisse prope totum, sed fraudis restituisse vel minimum. Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Xysto, & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reseruata pastori, vt sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos. illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo conlaborantem secum hortatus est dicens, Sunt enim quidam qui iu-

Sub finem libri.

ſtiſſimè damnatas impietates adhuc liberiùs defendendas putant, & ſunt qui occultiùs penetrant domos, & quod in aperto clamare iam metuunt, in ſecreto ſeminare non quieſcunt. Sunt autem qui omninò ſiluerunt magno timore compreſſi, ſed adhuc corde retinentes quod ore iam proferre non audent. Qui tamen eſſe fratribus poſſunt ex priore ipſius dogmatis defenſione notiſſimi. Proinde alij ſeueriùs ſunt coërcendi, alij vigilantiùs veſtigandi, alij tractandi quidem leniùs, ſed non ſegniùs ſunt docendi, vt ſi non timentur ne perdant, non tamen negligantur ne pereant. Sufficienter vt arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores ſancti Auguſtini & vana obicere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptorúmque armis inteſtinum bellum mouentes, dictis diuinis atque humanis conſtitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non ſunt à fraterna ſocietate diuiſi, toleranda magis eſt intentio quàm deſperanda correctio. vt donec Dominus per Eccleſiæ principes, & legitimos iudiciorum ſuorum miniſtros, hæc quæ per paucorum ſuperbiam & quorundam imperitiam ſunt turbata componat, nobis Deo adiuuante ſit ſtudium, quieta modeſtáque patientia odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare conflictus: veritatem non deſerere, nec cum falſitate certare, ſempérque à Deo petere, vt in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus ſermonibus aque actionibus noſtris, ipſe teneat primatum qui ſe dixit eſſe principium. quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula Amen.] Et item Proſper Camillo & Theodoro Ianuenſium preſbyteris ſcribens, In libris, inquit, beatæ memoriæ Auguſtini Epiſcopi, quorum titulus eſt de Prædeſtinatione Sanctorum, quædam ſanctitatem veſtram vel inſolita aut minùs clara mouerunt, quæ ad humilitatem meam de contextu diſputationis excerpta miſiſtis, vt quo intellectu quóve iudicio ea acciperem noſceretis, & reliqua.] Et item in libro qui titulatur de Ingratis contra Pelagianos, alióſque hæreticos, quorum ibidem nomina deſignantur.

In principio.

Contra Auguſtinum narratur ſerpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor aduſſit edax.
Inter multa ſuis quæ tradidit Hæreſiarches,
Quòd cognoſcis ait naturam, quæ bona facta eſt,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe parentis.
Et quoniam tales naſcantur nunc quoque, qualis
Ille fuit noſtri generis pater ante reatum,
Poſſe hominem ſine peccato decurrere vitam,
Si velit, vt potuit nullo delinquere primus
Libertate ſua. nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundíque manu. Connectit & illud

Idem auctor, quòd lex ita sanctos miserit olim
Cælorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio sancto scis esse peremptum.
Obiectum est aliud ipsum dixisse magistrum,
Quòd meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis aduersum hoc fidei nimiúmque repugnans
Esse videns, dixit se non ita credere, & illos
Damnari dignos, quorum mens ista teneret.

Verùm & in Præfatione obiectionum atque responsionum contra Gallos prauè sentientes hoc idem demonstrat dicens, Doctrinam, inquit, quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus, contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, litterísque mandauit, quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, & hoc quasi compendium cognitionis his qui iudicio eorum ducebantur afferre, vt quæ in libris prædicti viri damnabilia se reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent, talíque commento & detestationem eius quem impeterent obtinerent, & ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse Doctoris, qualem eum qui frustrà calumniantur ostentant, singulis capitulis, quæ damnationis titulo prænotarunt, breui & absoluta professione respondeo: in nullo recedens à tramite earum diffinitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur. vt facilè vel tenuis diligentiæ aduertat inspector, quàm iniustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur, & in quod peccatum cadant qui aliena instigatione commoti scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habeant culpare quàm nosse.]

Hæc autem, quæ prolata sunt à sancto Cælestino & beato Prospero in redargutione & compressione ex verbis beati Augustini huius nouæ hæreseos, acta sunt post obitum ipsius doctissimi & catholici viri, secundo anno postquam ipse obiit. & congregata, sicut Prosper in Chronica sua demonstrat, apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo iuuabant dogma, damnatur. Sed & sanctus Liberatus, Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginis regionis sextæ, in Breuiario causæ Nestorianorum & Eutychianorum collecto ita ad locum dicit, Cyrillus verò per Posidonium diaconum suum retulit de Nestorio Papæ Cælestino, & quid Constantinopoli ageretur ei per epistolam suam allegauit.] & post aliquanta, Imperator sacram & beato Augustino Hipponeregiensi Episcopo per Ebagnium Magistrianum scripsit, vt ipsi Concilio

Cap. IV.

Cap. V.

præſtaret ſui præſentiam. qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audiuit à Capreolo ipſius vrbis Antiſtite beatum Auguſtinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum, acceptíſque ab eo ad Imperatorem litteris loquentibus de obitu beati Auguſtini, Conſtantinopolim vnde venerat rediit. Porrò Capreolus Archiepiſcopus propter impetus Wandalorum, Africanas regiones obſidentium, vniuerſale Concilium congregare non valens, Veſſulam diaconum ſuum miſit Epheſum ad Concilium legatum. Cæleſtinus verò Papa Romanus ſcripſit Neſtorio increpationis epiſtolam, & ſequentia.] Sed & memorata epiſtola Capreoli, quæ à nobis & à multis habetur, hæc ita ſe habere teſtatur, ſicut legentibus narratio ipſa confirmat. Contra quam hæreſim venerandæ memoriæ Auguſtinus, ſicut contra alias ſolitus erat, morte præuentus ſpeciali labore nequiuit confligere. Fortè etiam quia pro certo ad ſuam non peruenit notitiam. quam ſi euidenter agnouiſſet, credi poteſt de ipſius feruoris zelo erga fidei ſynceritatem, quia non omitteret quin contra illam ſcribere procuraret: ſicut & contra iſtam, quæ apud Gallos excitata per Proſperum & Hilarium ſibi innotuit, & antea in Africanis regionibus commotam non ignorauit, cuíque nomen quod poſtea accepit non indidit, quia in ſuo tempore compreſſa pleniter non obmutuit. Sed poſt obitum illius, auctoritate Apoſtolicæ Sedis, per beatum Cæleſtinum, inſtantia ſancti Proſperi, ex delegatione ipſius ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ, verbis præfati venerabilis Auguſtini Synodali cenſura eſt redarguta, conuicta, atque ſopita, veluti ſupraſcriptus beatus Cæleſtinus in memorata epiſtola demonſtrat dicens, Dilectiſſimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auſonio, Archadio, Filtanio, & ceteris Galliarum Epiſcopis Cæleſtinus.] & ad locum, Filij noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus preſbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, vt indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia veritati. Sed veſtræ dilectioni hoc iuſtiùs imputamus quando illi ſupra vos habent copiam diſputandi.] & item, Habetote fratres chariſſimi pro catholicæ plebis pace tractatum. ſciant ſe, ſi tamen cenſentur preſbyterij dignitate, vobis eſſe ſubiectos. ſciant omnes qui malè docent, quòd ſibi diſcere magis competat quàm docere. Nam quid in Eccleſiis vos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi?]

Epiſt. VIII.

Ad cuius iuſſionem prædicti Galliarum Epiſcopi Synodum habuerunt, & huiuſmodi prauè ſentientes, aut reſipiſcentes pietate Eccleſiaſtica regulariter receperunt, aut in ſua vecordia & prauis ſenſibus perſiſtentes Epiſcopali atque catholica & Apoſtolica auctoritate à conſortio fidelium ſegregauerunt, ſicut epiſtola amicalis

Fausti ad Lucidum presbyterum, & libellus eiusdem presbyteri Lucidi in Synodo porrectus Episcopis apertè demonstrat. quæ vtraque, & epistolam scilicet & correctionis libellum, ad demonstrandum rei euidens documentum, quia non quærimus de mendacio adstruere veritatem, hîc inserere necessarium duximus.

Tom. I. Concil. Galliæ p. 148.

Epistola Fausti ad Lucidum presbyterum. *Domino deuinctissimo, & mihi speciali affectu venerando & suscipiendo fratri, Lucido presbytero Faustus. Grandis caritas est parum cauti fratris errorem per Dei gratiam & adiutorium magis velle curare, quàm sicut summi Antistites meditantur ab vnitate suspendere. Quid possum de hoc sensu sicut vis cum vnanimitate tua per litteras loqui, cùm te præsens multa & blanda & humili conlocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de Dei gratia & obedientia hominis, id omnimodo statuere debemus, vt neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regia magis gradiamur via. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quòd nullus vnquam sub religiosa professione contra catholicam fidem vel scripserit vel prædicauerit, cùm plurimi multiplices & profanos errores suos etiam scriptorum monumentis crediderint inserendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam, quantum cum absente loqui possum, quid sentire cum catholica Ecclesia debeas. Id est vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli semper adiungas, & eum qui prædestinationem excluso labore hominis asserit cum Pelagij dogmate detesteris. Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse saluari, damnanda præsumptione contenderit, & qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit. Item anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solenniter baptizatum & asserentem catholicam fidem, & postmodum per diuersa mundi huius oblectamenta & tentamenta prolapsum, in Adam & originale peccatum periisse asseruerit. Item anathema illi, qui per Dei præscientiam hominem deprimi in mortem dixerit. Item anathema illi, qui dixerit illum qui periit non accepisse vt saluus esse posset. Item anathema illi, qui dixerit quòd vas in contumeliam non possit adsurgere, vt sit vas in honorem. Item anathema illi, qui dixerit quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit. Cùm autem ad nos in Christi nomine veneris, aut cùm à sanctis sacerdotibus euocatus fueris, tunc opportuna si Dominus iusserit locis suis testimonia proferemus, quibus & quæ catholica sunt manifestentur, & quæ catholicis contraria destruantur. Nos autem per inluminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui periit per culpam, saluum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsi famuli laboris obedientiam non negasset, & eum qui per gratiam ad bonæ consummationis metas seruitio obsequente peruenit, cadere per desidiam & perire potuisse per culpam. Nos ergo per medium Christo duce gradientes, post gratiam sine qua nihil sumus laborem officiosæ seruitutis asserimus: sed omni modo arrogantiam & præsumptionem laboris excludimus. vt totis viribus desudantes ne gratia in nobis euacuetur, quicquid de manu Domini susceperimus*

mus, donum pronuntiemus esse non pretium. scientes laboris ipsius fructum officij rem esse, non meriti, cum Euangelista dicentes, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. *Hæc quæ strictim pro epistolæ breuitate memorata sunt aut recipere se, aut respuere, vnanimitas tua recurrente sermone respondeat. Ceterùm qui hanc veritatis mensuram gratia præcedente & conatu adsurgente non sequitur, dignus erit qui sacris liminibus arceatur. Ego tamen indiuiduam mihi bonitatem tuam toto syncerꝰ benignitatis amplexu in via retinens, intra matris Ecclesiæ gremium permanere repudiato hoc errore desidero. qui si citò respuatur, ignorantia fuisse videbitur: blasphemia verò reputabitur, si pertinaciter defendatur. Grauem namque in auctorem retorquemus inuidiam, si dicamus quòd ei possibilitatem capessendæ salutis noluerit dare qui periit: cùm minimè negare possimus, quòd mandati præuaricatorem in iudicij sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quomodo reus possit esse de perdito. ac sic peccantes in Deum, cuius in primis incautiùs asseruimus gratiam, in postremis eius videbimur impugnare iustitiam. Huius autem epistolæ exemplar mecum retineo, in conuentu sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quam si suscipiendam putauerit fraternitas tua, aut subscriptam manu propria mox remittat, aut sequentibus scriptis omnino se improbasse respondeat. Quòd si eam subscriptam, vt dixi, remittere nolueris, apertè adhuc se in errore persistere ipso silentio comprobabis. ac proinde iam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideo secundùm hæc quæ à me sunt directa rescribe, vt ea remotis circuitionibus aut agnoscas, aut respuas.* Item alia manu. *Faustus exemplar epistolæ meæ relegi & subscripsi.*

Luc. 17. 10.

Item exemplar libelli Lucidi presbyteri. *Dominis beatissimis & in Christo reuerentissimis patribus, Eufronio, Viuentio, Veriano, Paulo, Eutropio, Marcello, Claudio, Leontio, Mamerto, Auxanio, Megetio, Leontio, Croco, Vrsicino, Fonteio, Patienti, Fausto, Græco, Claudio, Basilio, Prætextato, Pragmatio, Viuentio, Ioanni Episcopo, Theoplasto, Iuliano, Opilioni, Leocadio, Amicali, & Licinio presbyteris Lucidus. Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. vnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera professione me diluam. Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit laborem humanæ obedientiæ diuinæ gratiæ non esse iungendum. qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. qui dicit quòd Christus dominus & saluator noster mortem non pro omnium salute susceperit. qui dicit quòd præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quòd Dei pereant voluntate qui pereunt. qui dicit quòd post acceptum legitimè baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit. qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos. qui dicit ab Adam vsque ad Christum nullos ex Gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturæ in aduentum Christi fuisse saluatos, eo quòd liberum arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint. qui dicit Patriarchas ac Prophetas vel summos quosque Sanctorum, etiam ante redemptionis*

tempora, in paradisi habitatione deguisse. qui dicit ignes & inferna non esse. Hæc omnia quasi impia & sacrilegiis repleta condemno. Ita autem assero gratiam Dei, vt adnisum hominis & conatum gratiæ semper adiungam: & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam & infirmatam esse pronuntiem. & periclitari eum qui saluus est, & eum qui periit potuisse saluari. Christum etiam Deum ac saluatorem nostrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus hominibus obtulisse. & quia nullum perire velit qui est saluator omnium hominum maximè fidelium, diues in omnibus qui inuocant illum. Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum est, memini me antè dixisse quòd Christus pro his tantùm quos credituros præsciuit aduenisset, sententias Dominicas sequens, quibus ait, Sicut filius hominis venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis. *& illud,* Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *vel illud Apostoli,* Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. *Nunc verò sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abundè per spatia diuinarum scripturarum inueniuntur, & seniorum doctrinæ ratione patefacta, libens fateor Christum etiam pro perditis aduenisse, qui eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solùm qui videntur esse saluati, immensæ diuitias bonitatis ac beneficia diuina concludi. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus qui redempti sunt, videbimur absoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos. Assero etiam per rationem & ordinem sæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos: nullos tamen ex initio mundi ab originali nexu nisi intercessione sacri sanguinis absolutos. Profiteor etiam æternos ignes & infernales flammas factis capitalibus præparatas, quia perseuerantes in finem humanas culpas meritò sequitur diuina sententia, quam iustè incurrunt qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me domini sancti & Apostolici patres.* Lucidus presbyter hanc epistolam manu propria subscripsi, & quæ in ea astruuntur assero, & quæ sunt damnata damno.]

Matth. 20. 28. Matth 26. 28. Hebr. 9. 27.

Hæc autem ideo his scriptis interponere dignum duximus, vt manifestum fiat, quia quædam isti moderni Prædestinatiani dicunt, quæ & veteres hæretici antè dixerunt. in quibus catholica & Apostolica auctoritate & isti, longè pòst exorturi atque futuri, deuicti & prædamnati fuerunt, sicut Prosper in præfato libro contra Cassiani Abbatis librum edito ad locum dicit, Venerabilis, inquiens, memoriæ Pontifex Cælestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen iudicij, sed solum sententiæ remedium esse præstandum, Cælestium quasi non discussi negotij audientiam postulantem totius Italiæ finibus iussit extrudi. Adeo & prædecessorum suorum statuta & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat, vt quod

Sub finem libri.

ſemel meruerat abſcidi nequaquam admitteret retractari. Nec verò ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit: quando quoſdam inimicos gratiæ, ſolùm ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scottis Epiſcopo, dum Romanam Inſulam ſtudet ſeruare catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt: quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei catholicæ defenſori, ad debellandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio, quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum proſternerentur. Per hunc virum intra Gallias iſtis ipſis, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentiæ eſt adempta libertas. quando conſulentium actione ſuſcepta, & librorum qui errantibus diſplicebant pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri ſancto manifeſtauit eloquio, euidenter pronuntians, quantum ſibi præſumptionis iſtius nouitas diſpliceret, qua auderent quidam aduerſus antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere, Auguſtinum, inquiens, ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque pro meritis, in noſtra ſemper communione habuimus.] & ſequentia, ſicut ex epiſtola eiuſdem Papæ ſuprà poſuimus. Quia nihilominus ex delegatione Apoſtolicæ Sedis hæc incompoſita in Gallicis regionibus compoſuerit, ſicut & in præfata epiſtola Cæleſtinus monſtrauit, iſdem Proſper in præfatione Vincentianarum obiectionum oſtendit dicens, Quidam, inquit, Chriſtianæ ac fraternæ caritatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquomodo ſtudent lædere, vt ſuam ſe euertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt, ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eáque oſtendenda & ingerenda multis publicè priuatímque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo. Quæ falsò in nos ad ſuſcitandam inuidiam iactitari, facilè & ſufficienter ſubſcriptione vnius probaremus anathematis, niſi malignitas eorum, qui ſe grauari putant ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ breuitatem ſuſpectam eſſet habitura. Vnde ne huius querelæ inueniretur occaſio, neceſſarium conueniénſque credidimus, vt ſiue ad calumniantium animos mitigandos, ſiue ad eos quorum auribus tale aliquid inſonuit inſtruendos, quantum adiuuante Domino fieri potuerit, plenè lucidéque pandamus quid de peruerſis diffinitionibus iudicemus. Propoſitis igitur ſingillatim XVI. capitulis, ſub vnoquoque eorum ſenſus noſtri & fidei, quam contra Pelagianos ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate defendimus, verba ponemus: vt qui paululum ſe ad legenda hæc dignati fuerint occupare, euidenter agnoſcant, impiarum profanarúmque opinionum nullum

cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earumdem repertoribus censeant debere puniri.] Hæc commota & compressa atque composita illis ita fuere temporibus.

CAPVT II.

Per quos & qualiter hæc eadem hæresis, vt de trunco amaritudinis spuria vitulamina, in tempore isto repullulauerit.

IN hoc autem tempore quidam Gothescalcus, ex Metropolis Ecclesiæ Remorum Monasterio, quod Orbacis dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & inter suos mobilitate noxia singularis, de omnibus quæ peruersè tunc temporis sensa cognouerat, quatuor sibi elegit capitula, omnium penè peruersitatum illarum fœtidas & cænulentas feces in se continentia, quibus simplicium & deuotorum sensus peruertere, & magistri sibi nomen vsurpando, post se discipulos trahere, illísque qui ad sua vota auribus prurientes magistros sibi coaceruare decertant valeret indebitè, quoniam legitimè non poterat, vita religiosa & catholica doctrina præesse. Isque quos potuit sibi complices fecit duntaxat innotesci desiderantes, qui quoniam rectis non poterant dyscolis noti fierent. Quique à Monasterio inregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, in Moguntina ciuitate habitæ Synodo & Rabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus cum litteris Synodalibus ad Remorum Metropolim est remissus. quarum litterarũ exemplar hîc inserere rationabile duximus, quod ita se habet.

Reuerentissimo fratri & consacerdoti Hincmaro Archiepiscopo Rabanus seruus Christi & seruorum eius in Domino salutem. Notum sit dilectioni vestræ quòd quidam gyrouagus monachus nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, nouas superstitiones & noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens. dicens quòd prædestinatio Dei sicut in bono sit ita & in malo. & tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigere, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque iubente piissimo rege nostro Hludouuico, decreuimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos. quatenus eum recludatis in vestra parochia vnde primùm inordinatè recessit, & non sinatis eum ampliùs errorem docere, & seducere populum Christianum, quia iam multos seductos, vt audiui, habet, & minùs deuotos erga suam salutem, qui dicunt, Quid mihi proderit laborare in seruitio Dei? quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam

illam euadam: si autem malè egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine vlla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis scripsimus, intimantes qualem eius doctrinam reperimus: vos etiam valebitis de ore eius quid sentit pleniùs audire, & quid inde agendum sit iustè decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, & pro nobis orantem, in æternum conseruare dignetur. Indéque à Synodali conuentu in Carisiaco palatio iterum auditus ab Episcopis, & ceteris quamplurimis viris Ecclesiasticis atque religiosis, qui eidem Synodo interfuerunt, videlicet Wenilone Sennensium Archiepiscopo, Hincmaro Remorum Episcopo, Folcoino Morinensium Episcopo, Teuderico Camaracensium Episcopo, Hrothado Suessonicæ ciuitatis Episcopo, Ragenario Ambianensium Episcopo, Immone Nouiomagensium Episcopo, Erpoino Siluanectensium Episcopo, Lupo Catalaunensium Episcopo, Yrminfrido Beluacensium Episcopo, Pardulo Laudunensium Episcopo, Teutboldo prouinciæ Lugdunensium & Lingonicæ ciuitatis Episcopo, Gernobrio Turonensium prouinciæ Episcopo, Rigboldo Remorum Chorepiscopo, Witao Camaracensium Chorepiscopo, & aliis, qui nunc Dei gratia Episcopi ordinati, tunc autem iam dictæ Synodo cum Episcopis suis secundùm Ecclesiasticum morem fuerunt. Wenilo scilicet, tunc cum Ragenario patre suo, nunc autem Rotomagensiũ Archiepiscopus, Æneas notarius sacri palatij, & modò Parisiorum Episcopus, Isaac diaconus Parduli, & nunc Lingonicæ ciuitatis Episcopus. Sed & venerabiles Abbates Synodo ipsi interfuere, Ratbertus Corbeiæ, Bauo Orbacis, & Halduinus Altiuillaris Monasterij, aliíque domini sacerdotes ac diaconi. Wlfadus quoque Remorum Metropolis œconomus, & Rodoaldus Archidiaconus, cum aliis sequentibus cleri ordinibus. In quorum præsentia idem Gothescalcus, sicut & in Moguntina ciuitate, inuentus hæreticus atque incorrigibilis, honore presbyterali, quem per Rigboldum Remorum Chorepiscopum, cùm esset Suessonicæ parochiæ monachus, inscio ciuitatis suæ Episcopo, vsurpauerat potiùs quàm acceperat, abiectus, & pro sua inreuocabili contumacia, secundùm leges, & Agathenses canones, ac regulam sancti Benedicti, vt improbus virgis cæsus, sicut decreuerant Germaniæ prouinciarum Episcopi, ne aliis noceret qui sibi prodesse nolebat, ergastulo est retrusus. Sed ne ille solus periret, sibi consentientes cœperunt vndecumque exsurgere, & prauam ab illo remotam doctrinam & verbo & scripto disseminare. Quo adulterino semine hæc quibus nobis iubetis respondere pullularunt capitula. Quapropter primò sciendum est, quoniam quædam prisco tempore aliter dixerunt hæretici de præfatis quatuor capitulis quæ primùm Gothescalcus sibi assumpsit, & de quinto quod postea superaddendo præsumpsit, & quædam aliter Gothescalcus, nouorum Prædestinatianorum primicerius, & scholæ dyscolæ caput dicit. Verùm quia sicut scriptum est, *Quasi stuppa col-* Eccl. 21. 10.

lecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis, & illa vetus congregatio, & ista noua complexio, sunt errore pares, quamquam diuersa fatentes. Et idcirco capitulatim de vnaquaque sententia ponendum duximus quæ illi dixerunt, & quæ isti dicunt, qui catholicorum & Apostolicæ Sedis doctrinæ contradicunt, quíque capitula à nobis ex orthodoxorum verbis excerpta discerpunt: & sic catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ magistrorum ponentes sententias, qualiter illi senserunt, & vtrum nostro collegio, an illorum diuisioni, diffinitiones eorumdem orthodoxorum faciant, Domino inspirante & cooperante, demonstrare curabimus, cùm sectæ pestiferæ catholicorum sensibus respondere, & de capitulis à nobis excerptis rationem reddere cœperimus.

CAPVT III.

De Fulgentio, ex cuius libris ad suam confirmandam sententiam exempla Prædestinatiani ponunt.

VNDE præmonemus quemque Lectorem, ne prauorum hæreat sensibus, cùm in illorum scriptis testimonia inuenerit posita de libris Fulgentij, quòd reprobi prædestinati sunt non ad malum, sed ad interitum. quæ in libro ad Monimum, quasi in defensione beati Augustini, sæpiùs replicat. Vnde non est necesse catholicis ab illo hanc beati Augustini excusationem suscipere, quia satis supérque idem beatus Augustinus se hinc excusauit, atque retractando defendit. & Legatus Romanæ Ecclesiæ fidelísque eius interpres beatus Prosper, de cuius libris recipiendis in catalogo orthodoxorum memoriam faciens sanctus Gelasius inter alios ita dicit, *Item opuscula beati Prosperi viri religiosissimi*, pro illo nobis satissimè satisfacit: & quoniam non dicendum neque credendum nobis sit, Deum prædestinasse ad interitum reprobos, sed pœnam reprobis prædestinasse, nos credere & docere euidentissimè instruit. Non tamen venerandum Fulgentium pro hoc dicto in cunctis reicimus, neque illũ in hoc dicto, videlicet vt reprobi à Deo prædestinati ad interitum credi vel dici debeant, sicut Augustinum, in his duntaxat quæ inde dixerat in præfatis libris, videlicet de correptione & gratia, de Prædestinatione sanctorum, & Bono perseuerantiæ, & Hypomnesticon sex quæstionum contra Pelagianos & Cælestianos, & in libro de Prædestinatione gratiæ, quos hinc contra æmulos suos scripserat, & sicut sanctum Prosperum, immo sanctam matrem & Sedem Apostolicam sequimur. Sed sic de venerando Fulgentio dicimus, sicut in Hilarij Arelatensis epistola ad sanctum Augustinum pro hoc negotio, vnde nunc agitur, de eiusdem opuscula calumniantibus dicitur, Sed planè, inquiens, illud tacere non debeo, quòd se dicant

In Synodo LXX. Episc.

Tomo VII. ante librũ de Prædest. Sanctorũ.

tuam ſanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.] Scimus namque ſanctum Cyprianum aliter de hæreticorum baptiſmo ſenſiſſe, quàm ſanctus Stephanus Romanæ Eccleſiæ Pontifex ſenſerit, & nunc ſancta Eccleſia teneat, tamen inter catholicos computari Doctores. Sanctus Auguſtinus quædam aliter ſanctum Hilarium ſenſiſſe quàm idem ſentiri velit, in libro VI. de Trinitate capitulo decimo monſtrat, & ſanctus Leo ad Chalcedonenſe Concilium confirmandum, eiuſdem beati Hilarij teſtimonia inter catholicorum Doctorum exempla etiam prima connumerat, & beatus Gelaſius eum, ſicut & ſanctum Auguſtinum, ac Proſperum, & Cyprianum, atque Leonem, ſiue Hieronymum receptiſſimum in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum atque inluſtrium computat. Sed & de eo vt notum eſt à notiſſimo dicitur, Hilarius Epiſcopus Romanorum Lucifer, Eccleſiarum lucerna & pretioſa lampas, pulchro aureóque ore loquitur vniuerſa.] Quædam aliter ſanctus Auguſtinus ſenſit quàm beatus Hieronymus: & item ſanctus Hieronymus quædam aliter ſenſit quàm beatus Auguſtinus, & ambo inter catholicos Doctores perſeuerant. Quædam autem aliter beatus Gregorius, de ſe præcedentium doctrinæ floribus quammaximè fauus repletus & dulcedine propenſiore profuſus ſenſit, quàm ſanctus Hieronymus, & quædam aliter expoſuit quàm ſanctus Auguſtinus expoſuerit vel correxerit, & ambos vt orthodoxos amplectitur & vt Doctores Eccleſia veneratur: quoniam vt beatus Auguſtinus in libro de baptiſmo dicit, Ideo plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis caritas, in qua fructus maior eſt, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem cùm in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem cùm contra id quod ſentiebant declaratum eſſe cognoſcunt.] Scientes ſcripturam diuinam eſſe pretioſam margaritam, quæ ex omni parte forari poteſt. & ideo diuerſo ſtylo, ſed non diuerſa fide, exponunt plura pluraliter, vt pluribus non modò ſalubriter, verùm & innoteſcant delectabiliter. Eſt etiam quia in catalogo Apoſtolicæ Sedis, vbi à beato Gelaſio Doctores catholici deſcripti & deſignati ſunt, eundem virum venerabilem Fulgentium probabilem non reperimus. Sed nec quoniam in reprobandorum deſcriptione deſignatum inuenimus, improbabilem per omnia iudicamus. Imperante ſiquidem Anaſtaſio, cuius tempore beatus Gelaſius ſeriem orthodoxorum atque inluſtrium virorum edidit, ſicut ipſius epiſtolis ad eundem directis manifeſtatur, principatus eſt in Africa Wandalorum rex Traſemundus, ſicut in Chronicis aliis, & etiam in Chronica venerabilis Bedæ preſbyteri reperimus. Cuius tempore Fulgentius in Africa claruit: quíque contra quaſdam propoſitiones eiuſdem Traſemundi reſcripſit, & contra eius perfidiam tres libros compoſuit. primum videlicet de myſterio Mediatoris, ſecundum de

Contra Donat. lib. 2. c. 5.

immensitate diuinitatis Filij Dei, tertium de sacramento Dominicæ passionis. Non tamen illum sanctus Gelasius inter scriptores Ecclesiasticos numerauit, sicut beatum Prosperum, qui temporibus beati Gelasij Papæ superuixit. Sed & ab Adam vsque ad Iustini Augusti tempora, & obitum Ioannis Papæ, quarti post beatum Gelasium, & finem Consulatus Symmachi & Boëtij, qua tempestate Wandalis præfuit Hildericus successor Trasemundi, qui post necem sanctorum & innumeras clades indignam vitam digna morte finiuit, isdem beatus Prosper Chronicam mira veritate composuit. in qua diuersarum regionum viros sanctitate & sapientia præclaros, & etiam exortos hæreticos, cum fama cuique congrua designauit, & non eundem venerabilem Fulgentium nominauit. Venerabilis siquidem Beda presbyter in Chronica sua, cùm plures alios inlustres viros descripserit, sæpè fatum Fulgentium nequaquam commemorauit. Verùm nec à quinta Synodo, quæ temporibus Vigilij vndecimi Papæ post Gelasium, sub Iustiniano Constantinopoli contra Theodorum & alios hæreticos est aggregata, ad confirmandam fidem catholicam inter alios orthodoxos Doctores inuenitur descriptus. Quin nec à VI. Synodo vniuersali, Constantinopoli celebrata temporibus Agathonis tricesimi primi Papæ à B. Gelasio, sub Constantino principe, inter catholicorum Doctorum testimonia suorum librorum mentio habita reperitur. præsertim cùm plures, qui post eundem Fulgentium in Ecclesia claruerunt, ad confirmandam fidem catholicam in testimonium deuocati reperiantur. Vnde si aliter de prædestinatione Dei dixit, quàm sanctus Augustinus in præfatis libris ad sibi obiecta rescriptis correxit, & aliter etiam quàm beatus Prosper ex delegatione Sedis Apostolicæ iussu sancti Cælestini diffiniuit, aliterque quàm ipsa sancta Sedes Apostolica dicta suscepit ac dici voluit, ipse viderit. Sed & nos quid inde dixerit, quia cunctis legentibus est manifestum, ignorare non possumus.

CAPVT IV.

De Apostolica Sede sequenda, cuius doctrinæ inniti & auctoritatem sequi debemus.

SEQVIMVR autem quæ catholica & Apostolica nos docet sancta Romana Ecclesia, quæ nos in fide genuit, catholico lacte aluit, vberibus cælo plenis ad solidum cibum nutriuit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios instruendum sua probatione instituit, atque in doctrinali cathedra fautore & adiuuante Domino sublimando constituit. sicut sanctus Innocentius ad Decentium Episcopum Eugubinum scribit dicens, Quis enim nesciat, aut non aduertat id quod à principe Apostolorum Petro Romanæ

Epist. 29. in princip.

Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari, nec superduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum. præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulásque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerint sacerdotes. aut legant si in his prouinciis alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inueniũt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana cũstodit, à qua eos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere.]

CAPVT V.

De consuetudine Gothescalci & complicium eius, & de libris eorum de quibus quædam hîc excerpta ponuntur.

PRÆMONEMVS etiam Gothescalci & complicium eius fore consuetudinem, vt catholicorum testimonia, prælatis Doctorum atque librorum nominibus, excerpta detruncent, & ad suos sensus, sicut & scripturarum sententias, inflectere curent, quatinus auditorum sibi sensus, si minùs cauti fuerint, conciliare præualeant. Vnde quisque illorum scripta relegens memoretur quod dicitur, *Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba*, &, *carpe botrum, caue spinam.* Qua de re secundùm Apostolum omnia probantes & quæ bona sunt retinentes, quæ ipsi dixerint quæque auctorum exemplis confirmare voluerint conferentes, ea quæ illi detruncata vel compilata ad suam confirmandam sententiam proferunt, in libris auctorum, de quibus testimonium donant, videant si meraca veritate sunt excerpta quæ proferunt. vt ne his incautè credentes quæ prolata sunt, per vias quæ bonæ quidem videntur esse, sed earum finis ad interitum ducit, in infidelitatis voraginem demergantur: sed faciant sicut præceptum est, *State super vias, & interrogate quæ sit via bona, & ambulate in ea.* His ita præmissis, ponamus quæ Gothescalcus, signifer & præuius atque huius prauæ doctrinæ modernus resuscitator, de primo capitulo, vnde versatur quæstio, in libro suæ virosæ conscriptionis Archiepiscopo Rabano porrecto scribat dicens, "Tandem, inquit, legi librum venerande Pontifex tuum, in quo positum reperi, quòd impij quoque siue reprobi non sint diuinitùs ad damnationem prædestinati.] & post aliquanta, Præsciuit inquam illos pessimum habituros ortum, peiorem obitum. prædestinauit autem eos ad luendum perenne tormentum & sempiternum interitum.] & iterum post aliquanta, Quia re vera sicut electos omnes prædestinauit ad vitam per gratuitum solius gratiæ suæ beneficium,

1. Thess 5. 21.

Hier. 6. 16.

» quemadmodum veteris & noui testamenti paginæ manifestissimum
» præbent sollerter ac sobriè considerantibus indicium, sic omninò
» & reprobos quosque ad æternæ mortis prædestinauit supplicium,
» per iustissimum videlicet incommutabilis iustitiæ suæ iudicium.]
Inde & in chartula suæ professionis ad eundem Rabanum Episco-
» pum ita dicit, Ego Gothescalcus credo & confiteor, profiteor & te-
» stificor ex Deo patre, per Deum filium, in Deo Spiritu sancto,
» & adfirmo atque approbo coram Deo & Sanctis eius, quòd gemina
» est prædestinatio, siue electorum ad requiem, siue reproborum ad
» mortem: quia sicut Deus incommutabilis ante mundi constitutio-
» nem omnes electos suos incommutabiliter per gratuitam gratiam
» suam prædestinauit ad vitam æternam, similiter omninò omnes re-
» probos, qui in die iudicij damnabuntur propter ipsorum mala me-
» rita, idem ipse incommutabilis Deus per iustum iudicium suum in-
» commutabiliter prædestinauit ad mortem meritò sempiternam.] Et
domnus Prudentius in epistola, quam nobis veneratio vestra defe-
rente eam vobis venerabili Ænea Parisiorum Episcopo tradidit, cu-
ius in præfatis libris memoriam fecimus, quámque Weniloni suo
Archiepiscopo, & ceteris Coepiscopis, ad ordinationem eiusdem
Æneæ Prudentius ipse direxit, vt si secus ordinandus sentiret, in
ipsius ordinatione ipse nullatenus consentire deberet, ita dicit, Se-
» cundò, vt Dei omnipotentis altissimo secretóque consilio credat at-
» que fateatur, quosdam Dei gratuita misericordia ante omnia sæcula
» prædestinatos ad vitam, quosdam imperscrutabili iustitia prædesti-
» natos ad pœnam: vt id videlicet, siue in saluandis siue in damnan-
» dis prædestinauerit, quod se præscierat iudicando esse facturum,
» dicente Propheta, *Qui fecit quæ futura sunt.* Ratramnus nihilomi-
nus Monasterij Corbeiæ monachus libellos duos, quos nobis exa-
minandos dedistis, ea intentione elaboratos porrexit, vt ostendat
quatinus sicut electi à Deo prædestinantur ad vitam, ita & reprobi
à Deo prædestinentur ad mortem. Indéque prætermissis aliis, quo-
rum nomina hîc non necessarium recitari putauimus, quoniam in
vnam concurrunt sententiam, & in præfatis tribus libris iam vt po-
tuimus ex catholicorum auctoritate respondimus, ad capitula ve-
niamus, quæ secundò, vt legitur in lege veteri, petrinis cultellis cir-
cumcidenda à vestra iussione suscepimus, quorúmque noxia atque
superflua acumine catholicorum amputare curabimus.

Iosue 5. 4.

CAPVT VI.

Exordium capitulorum de quibus agitur, vnde compositor eorum illa compilare studuerit.

AIVNT enim, præmissis commendationum suarum fabulis, in secundo capitulo, *Deum præscire & præscisse æternaliter & bona*

quæ boni erant facturi, & mala quæ mali sunt gesturi, quia vocem scripturæ dicentis habemus, Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant; *fideliter tenemus & placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam iustitiam æterna vltione damnandos. vt secundùm Psalmistam*, Quia potestas Dei est & Domini misericordia, *reddat vnicuique secundùm opera sua, & sicut Apostolica doctrina se habet*, His quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem qui sunt ex contentione, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. *In eodem sensu idem alibi*, In reuelatione, inquit, Domini nostri de cælo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Dei nostri, qui pœnas dabunt in interitu æternas cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. *Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non posset: sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicut Deus, qui nouit omnia antequàm fiant, præsciit ex sua omnipotentia & incommutabili maiestate. nec ex præiudicio eius aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari: nec ipsos malos ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suóque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.*] Hoc capitulum, sicut conferentes ex scripto Flori Ecclesiæ Lugdunensis ministri, quod olim in Bonoilo à venerandæ memoriæ Heriboldo Episcopo Autisiodorense accepimus, excerptum ex maxima parte inuenimus. quapropter vtcumque à ratione non inuenitur penitùs alienum. De præscientia enim Dei catholicæ fidei aduersa non loquitur. Sed prætermisit insulsus excerptor, quod ibidem inuenerat dare exemplum de electis dono gratiæ ad vitam æternam, volens quædam per suam sapientiam addere. Et ideo quæcumque inuenit ex retributione iustitiæ reddenda impiis coaceruare exempla curauit. Dicens enim bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, tacuit æqualia merita, & doni gratiæ prætermisit exempla. Sícque subsecutus adiunxit, malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam iustitiam æterna vltione damnandos. Vnde quæ alieno labore exempla collecta inuenit, inordinato ordine posuit. Deinde postquam inordinatè posuit quod ordinatè alterius ore accepit, nec ipsos malos ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suóque vitio in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt, sine vlla interpositione in tertio capitulo subdidit, Sed & de prædestinatione Dei

Dan. 13. 42.

Psal. 61. 12.

Rom. 2. 7.

2. Thess. 1. 7.

Rom. 9. 21.

placuit, & fideliter placet iuxta auctoritatem Apostolicam quæ dicit, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam*, vbi & statim subiungit, *Quòd si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata siue præparata in interitum, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam*, fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem.] Dat, sicut longè ante nos dictum est, sine mente sonum. Paululùm præmisit, quia suo vitio mali in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permaneant, & statim subiunxit, quia placuit & fideliter placet fidentérque fatetur, prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem. & quomodo hoc possit vtrumque fieri videre non possumus, scilicet vt & in massa damnationis relicti permaneant, & item iidem prædestinati à Deo ipsius prædestinatione ad mortem vadant. Si enim ita constantem posuisset sententiam, sicut Florus eam in sermone suo posuit, vnde hanc iste compilauit, bene eam quisque intelligeret, quia rectè constaret. Ait enim, vt audiuimus & apparet, isdem vir doctus penè in principio scripti sui, Præsciuit ergo sine dubio Deus, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi: sed in bonis ipse fecit sua gratia vt boni essent, in malis verò non ipse fecit vt essent mali, quod absit, sed tantùm præsciuit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem vt aliud esse non possent: sed tantùm quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille vt Deus præuidit ex sua omnipotenti maiestate.] & post plurima, Nemo ex Dei preiudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis condemnatur.] & iterum supra ante multa quàm ad hæc perueniret, In malis verò & impiis non prædestinauit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est vt mali & impij essent, & aliud esse non possent, sed quos præsciuit & præuidit malos atque impios futuros proprio vitio, prædestinauit æternam damnationem qua ipsi punirentur iusto iudicio, non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt.] Quam sententiam sic haberi in rotula ab Heriboldo accepta relegimus: sed in illa, quam ex scrinio Ebonis Episcopi Gratianopolitani per quendam accepimus, aliter constare inuenimus. quam falsatam nequaquam discredimus, cùm in his duobus capitulis, ipsius religiosi & docti viri à compilatore eorum scriptum commixtum atque confusum & detruncatum reperiamus. In Heriboldi namque rotula sicut præmisimus scriptum relegimus: & in rotula, quam sicut dictum est, ex scrinio Ebonis accepimus, Ipse eos prædestinauit ad æternam damnationem iusto iudicio, scriptum inuenimus, quod iste in fine capituli posuit, suóque vitio in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt.]

Melius ille posuit, immo ille bene quia iste malè. Videlicet inquit Florus, omnipotentem Deum in malis ipsorum malitiam præscisse quia ex ipsis est, non prædestinasse quia ex illo non est: pœnam verò illorum & præscisse quia Deus est, & prędestinasse quia iustus est. Quam sententiæ particulam iste compilator de consequentia præcedentis ad istud reseruauit capitulum. Cui coniunctum est in Flori scripto, vt & illis sit meritum suæ damnationis, & in illo potestas & iudicium iustè damnantis. Non enim prædestinat Deus nisi quæ ipse erat facturus: præscit verò multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ vtique mali faciunt, non ille. ipsósque malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, & suo vitio vasa iræ aptata in interitum perseuerauerunt. Quod furatus iste compilator de medio, sciens se daturum istud Apostolicum exemplum, ne mox redargueretur à cunctis legentibus, in capitulo altero coniunxit, suo vitio in massa damnationis vel originali vel actuali merito permanserunt. Quæ perspicientes, subuenit nobis quod dixit Macarius Antiochenus Episcopus redargutus in sexta Synodo coram Imperatore Constantino, quare detruncauerit testimonia catholicorum, quæ conlata ex libello illius libris authenticis furatus ea fuerat comprobatus, Ad hoc enim inquiens egi, vt intentionem meam potuissem statuere. Sic & iste ad hoc illius viri docti composita scripta scienter malè deposuit, vt suam prauam intelligentiam, quia ex veritate non poterat, mendacio confirmaret. festinans falsa ostentare, vt posset vera subripere, aut inscius, aut oblitus, quia pictores mendam cum alis sine pedibus, quoniam diu constare non potest, sunt soliti pingere, quæ à prauè sentientibus & incautis & inconsideratis laqueos protendentibus inconstabilis & aranearum cassibus similis solet protendi. Sed sicut scriptum est, *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.*

Actione VIII.

Prou 1. 17.

CAPVT VII.

De exemplo Apostolico, quod capitulorum compilator ad suam confirmandam ponit sententiam.

EXEMPLVM denique ponit compilator capitulorum beati Pauli Apostoli, quia sicut sunt electi prædestinati ad vitam, ita & impij à Deo sint prædestinati ad mortem, dicens, *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vnde videndum est, si vasa iræ aptata vel præparata sunt à Deo, scilicet eius prędestinatione, in interitum. Ergo iniquus Deus, qui infert iram puniens eos quos tales prædestinauit. Sed nunquid iniquitas est apud Deum? absit. Si autem Dei prædestinatione vasa iræ non sunt aptata vel præparata in interitum, quid

Rom. 9. 21.

adiuuat illum istud exemplum ad suam confirmandam sententiam, qua dicit quia impij sunt à Deo prædestinati ad mortem? Hoc etiam exemplum & Prædestinatiani, sicut Hyginus in suprà memorato illorum libello dicit, ad suam confirmandam sententiam protulerunt. quod beatus Augustinus in epistola ad Sixtum presbyterum alio sensu exponit dicens, Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, qui ex ea massa facti sunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, meritò Deus iustéque damnauit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent, qui eis misericordiam non debitam præstitit.] & aliquanto superius, *Ergò cui vult miseretur, & quem vult obdurat.* Talibus itaque dicamus cum Apostolo, non enim melius illo inuenire possumus quid dicamus, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Quærimus namque meritum obdurationis, & inuenimus. merito namque peccati vniuersa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potiùs vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur si non gratis donatur, sed meritis redditur.] Sed & sanctus Gregorius in libro Moralium XXXIV. non inconuenienti comparatione de refuga spiritu dicit, *Qui factus est vt nullum timeret.* Sic quidem factus est per naturam, vt conditorem suum castè timere debuisset, timore videlicet sobrio, securo, non timore quem foras caritas mittit, sed timore qui in sæculum sæculi permanet: sed sua peruersitate talis factus est vt nullum timeret. Relicto eo qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit, & tanto magis infra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit.] Sic & vasa quæ in massa humani generis, bono scilicet vase Adam, in quo fuimus omnes boni à Deo bono facti, si ipse in eo statu permaneret in quo factus fuerat rectus, pereunte illo suggestione diabolica & vitio proprio, in quo periuimus omnes, facti sumus vasa iræ, præparata vel aptata siue perfecta in perditionem. De qua si nullus eriperetur, inreprehensibile esset Dei iudicium: quia autem multi eripiuntur, ineffabilis gratiæ Dei est donum. Et item beatus Gregorius in libro XXIX. Moralium dicit, Diabolus quippe vel homo ab statu conditionis propriæ elata mente corruerunt, vt vel ille diceret, *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*, vel iste audiens crederet, *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Idcirco ergo vterque cecidit, quia esse Deo similis, non per iustitiam, sed per potentiam concupiuit. Sed homo per gratiam liberatus, qui Dei similitudinem peruersè appetendo ceciderat, in reatu criminis sui longè Deo imparem se esse cognoscens clamat,

Epist. 105.
Rom. 9. 18.
Rom. 9. 20.
Cap. XVII.
Iob. 41. 24.
Cap. VI.
Esa. 14. 14.
Gen. 3. 5.

Domine quis similis tibi? Diabolus verò, in lapsu sui criminis iustè dimissus, in mensura ruinæ suæ minimè permansit: sed quanto diutiùs ab omnipotentis Dei gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulauit. Nam qui ideo cecidit, quia peruerso ordine Deo similis esse voluit, eousque perductus est, vt Antichristus veniens videri Deo similis dedignetur, atque eum, quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus putet inferiorem.] Sic & de vasis iræ in perditionem propria iniquitate perfectis, *qui se*, sicut Paulus dicit, *gratia Dei emundauerit ab his*, quibus inquinatus existit, *erit vas in honorem:* qui autem in iniquitate permanere delegerit, vel iam adeo ad iniquitatem excreuerit, vt iudice Deo ex iustitiæ retributione ab iniquitate redire non possit, sicut legitur de Pharaone obdurato quia gratia non emollito, & de his qui sunt in reprobum sensum traditi quia gratia non liberati, erit vas in contumeliam, & perfectum in perditionem. de qua qui non eripitur, sicut est inreprehensibile Dei iudicium, ita & inexcusabiliter atque inrefragabiliter tormentum patietur æternum. Sic enim aptata ad interitum vasa sunt iræ, sicut & Apostolus isdem dicit *natura filios iræ.* non qua primus homo est conditus, sed qua post peccatum ipsius ex maledicto semine quisque est generatus. vnde soli saluantur qui Saluatoris gratia salui fiunt, & Psalmus dicit, *Factus sum tanquam vas perditum.* quod exponit Hieronymus, homo perditus per peccatum.

Psal. 34. 10.

2. Tim. 2. 21.

Ephes. 2. 3.

Psalm. 30. 13.

CAPVT VIII.

Vnde Prædestinatiani auctoritatem, potiúsque opinionem huiuscemodi expositionis Apostolici capituli, non sibi profuturam quia ex mendacio sumpserint.

CETERVM non latet nos vnde compilator capitulorum hunc sententiæ Apostolicæ sensum cum fiducia ad suum suorúmque complicium errorem adstruendum adsumpserit: nimirum de verbis Fulgentij, qui sicut suprà posuimus, ad Monimum de prædestinatis ad interitum, quasi sub defensione sancti Augustini, scripserat exponendo verba illius quæ dixerat in libro de Perfectione iustitiæ hominis. Legente me, inquis, librum de Perfectione iustitiæ hominis, testimonium Prophetæ in ordinem relegens, auditu cauto pedetentim paululùm retractaui, & cetera, vsque dum à beato Augustino ibidem dicitur, sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Hîc dicta sancti Augustini determinans, & ad me intentionem tuarum dirigens litterarum, dicis sentire me iam, cur iterum hæc inculces, scilicet quod sæpiùs reluctanti mihi prædestinationem non tantùm in bono dici, sed etiam in malo.] Postea autem adsumit testimonium sancti Augustini ex libro

Lib. 1. ad Mon. c. 3.

ſecundo de Baptiſmo paruulorum ad Marcellinum, vt ſuam valeat confirmare ſententiam quia ſunt damnandi prædeſtinati ad pœnam. In quo libro tractans hoc Apoſtolicum teſtimonium ita dicit, Quia cauſam iniquitatis ſuæ ex propria homo habuit voluntate, propterea beatus Paulus *ſuſtinuiſſe* aſſerit *Deum in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum.* & poſt paululum, In hoc itaque iſta vaſa Deus aptauit in quod prædeſtinauit, hoc eſt in interitum: illum vtique interitum, quem Paulus malis repentè ſuperuenturum demonſtrat dicens, *Cùm enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.*] Poſt quæ ſubiunxit in eodem libro de beato Auguſtino dicens, Et vt manifeſtiore, inquit, dictorum eius indicio noſtra fulciatur aſſertio, aliquid nobis ponendum eſt de libro quem ſcripſit de Prædeſtinatione ſanctorum, quo manifeſtiùs oſtendit ſine prædeſtinatione præſcientiam Dei eſſe poſſe, prædeſtinationem verò ſine præſcientia eſſe non poſſe.] & poſt pauca, Non autem ignoras, etiam præterito tempore illi luculentiſſimo ſancti Auguſtini operi, quod ſcripſit de Prædeſtinatione ſanctorum, à quibuſdam Gallis obiectum quòd beatus Auguſtinus in aſſertione prædeſtinationis diuinæ peccatores non ad ſolum prædeſtinatos diceret iudicium, ſed etiam ad peccatum. cuius dicta, quia ipſe celeri præuentus eſt obitu, Proſper vir eruditus & ſanctus recta defendit fide & copioſo ſermone. Ex quibus Gallorum capitulis vt non multa nunc ponamus, ne libellum iſtum quem prolixum facere diſputandi neceſſitas cogit prolixiorem voluntas facere videatur, duarum reſponſionum loca duximus inſerenda. Decima quarta quippe Gallorum obiectio ſic habetur. Quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt ex Dei prædeſtinatione non credant, & quòd Deus ita diffinierit, vt quicumque non credunt ex ipſius conſtitutione non credant. Huic itaque prauitati, quæ beati Auguſtini dictis non ex veritate ſed ex liuore obiciebatur, tali Proſper ſermone reſpondit, Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur. bonorum enim Deus auctor eſt, non malorum. Prædeſtinatio igitur Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium non ad conſtitutionem Dei ſed ad præſcientiam referenda eſt, quæ non ideo neceſſitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Decima quinta etiam obiectio his verbis inſerta eſt. Quòd idem ſit præſcientia quod prædeſtinatio. Cui Proſper ſic reſpondit. Qui præſcientiam Dei in nullo ab ipſius prædeſtinatione diſcernit, quod tribuendum eſt Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adſcribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatorémque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda ſint, dubium non eſt ſine vlla

Fulgentius ibid. c. 26.

Rom. 9. 22.

1. Theſſ. 5. 3.

Cap. 29.

Cap. 30.

tem-

temporali differentia, Deum & præsciſſe ſimul & prædeſtinaſſe quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda. Præſciſſe autem tantummodò, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Nos itaque, cariſſime, hæc interim pauca de libris ſancti Auguſtini, & de reſponſionibus Proſperi, ob hoc maluimus huic libello inſerere, vt cuncti nouerint quid debeant de prædeſtinatione ſanctorum impiorúmque ſentire.] Hæc ſumpta ſunt de libro Fulgentij.

CAPVT IX.

Quòd etiam Iſidorum ad ſuam confirmandam ſententiam in teſtimonium deducunt, & quædam de libris beati Auguſtini proferunt, vnde ipſe vir inſignis eos reuincit, & Fulgentius ipſe auctoritatem quam ex illo adſumunt manifeſtè diſſoluit.

ADDVCVNT etiam in teſtimonium Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum, virum doctum & legentibus in multis proficuum. qui in libro Sententiarum geminam dicit eſſe prædeſtinationem, ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborum ad mortem. Qui hanc ſententiam in ſecundo libro cap. VI. quaſi ex verbis ſancti Gregorij de libro Moralium XXIX. vel XXV. ſiue de ſancti Auguſtini dictis, vt videtur legentibus, vel vndecumque ſumpſerit, compilauit: ſed non ita, ſicut in lectione eiuſdem libri quilibet euidentiſſimè poterit cognoſcere, ſecundùm beati Gregorij ſenſum excerpſit. Vnde poteſt opinari, vt iſte Iſidorus, in aliis doctus, in hac ſententia de reliquiis Gallorum in Hiſpaniis per ſucceſſiones remanſerit. De quibus Proſper in epiſtola ſua ad beatum Auguſtinum mandauit ad locum dicens, Poſtremò quemadmodum per hanc prædicationem propoſiti Dei, quo fideles fiunt qui præordinati ſunt ad vitam æternam, nemò eorum qui cohortandi ſunt impediatur, nec occaſionem negligentiæ habeant ſi ſe prædeſtinatos eſſe deſperent. Illud etiam qualiter diluatur quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres, quòd retractatis de hac re priorum opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet voluntatem & actionem præſcierit. Quibus omnibus enodatis, & multis inſuper quæ altiore intuitu ad cauſam hanc pertinentia magis potes videre diſcuſſis, credimus & ſperamus, non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam: ſed etiam ipſos, quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos.

Tom. VII. ante librum de Prædeſt. Sāctorum.

Nam vnum eorum, præcipuæ auctoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatorémque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, iampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre. Sed quia vtrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, & omnium nostrûm fatigatio, prouidente hoc præsenti sæculo Dei gratia, in tuæ caritatis & scientiæ vigore respirat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leue existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec vulnus superductum cute sentiunt: sed intelligant peruenturum ad sectionem quod habuerit perseuerantem tumorem.] Ad quæ sanctus Augustinus eisdem viris Prospero & Hilario, vt præmissum est, libros de Prædestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantiæ rescripsit. Verùm qui contemplatur verba Isidori, quibus subsequitur in præfata sententia de gemina prædestinatione dicens, Vtraque diuino aguntur iudicio, vt semper electos superna & interiora sequi faciat, sempérque reprobos vt infima & exteriora delectentur deserendo permittat, sic vt ignoret homo terminum lucis & tenebrarum, vel vtriusque rei quis finis sit.] & reliqua quæ sequuntur, & relegit locum verborum beati Gregorij in præfato libro Moralium, vbi dicit, *Indica mihi si nosti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, vt deducat vnumquodque ad terminos suos, & intelligat semitas domus eius*, apertè conspicit noluisse intelligi beatum Gregorium, reprobos à Deo prædestinatos ad mortem, sicut electi ab eo sunt prædestinati ad vitam. Ait enim inter cetera quæ pleniùs in suis locis lector inueniet, *Et intelligas*, inquiens, *semitas domus eius.* id est consideres atque discernas, vel cui bona actio perseuerans æternam mansionem præstet in regno, vel quem vsque ad terminum suum actio praua constringens in æternum damnet supplicium.] & item ad locum, Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, & iam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò debet in spe esse securitas, sed etiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & iste torpentes pungat. Vnde rectè per Prophetam dicitur, *Qui timent Dominum sperent in Domino.* ac si apertè diceret, De spe in cassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit.] & item, Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota pietate iudicetur: quia districtè discussa, inde ante oculos iudicis vnde se placere suspicatur obstruitur. Vnde rectè Domino per Prophetam dicitur, *Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*] & paulo pòst, Hinc rursus per Salomonem dicitur, *Quis hominum intelligere poterit viam suam?* Et nimirum bona maláve quis faciens conscientia attestante cognoscit.

Iob 78. 18.

Lib. xxix. cap. 9. Iob. 38. 20.

Psal. 117 11.

Psal. 142. 2.

Prou. 20. 24.

ſed idcirco dicitur quòd via ſua ab hominibus neſciatur, quia etiamſi recta ſe quiſque opera agere intelligat, ſub diſtricto tamen examine quò tendat ignorat.] & in eodem libro exponens ſententiam, *Numquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* alio ſenſu modos ſupernorum iudiciorum in electis & reprobis demonſtrat, quàm Iſidorus in prædicta ſententia colligat, de quibus ſuo loco dicemus. Nam quiſquis omnes beati Gregorij libros ſollicita conſideratione perluſtrare ſategerit, ita geminam prædeſtinationem, vt ſicut electi ad vitam ita reprobi à Deo prædeſtinentur ad mortem, nequaquam illum dixiſſe vel intellexiſſe reperiet. Sed velut ſanctus Auguſtinus in libro de prædeſtinatione ſanctorum, & Proſper contra Gallos dicunt, prædeſtinationem Dei, quæ ſemper in bono eſt, quia aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ, in diuinis operibus, quæ ſemper bona ſunt, inter quæ computantur, cùm per indebitam gratiam ſaluantur electi, & per debitam iuſtitiam reprobi puniuntur, manifeſtè confirmat, vti in ſubſequentibus demonſtrabimus. Proferunt nihilominus ad ſuam confirmandam ſententiam moderni Prædeſtinatiani, quia ſanctus Beda presbyter, qui vt in ſuis opuſculis apertè demonſtrat, aliter intellexit & tenuit ex verbis ſancti Auguſtini quodam loco in Hexameron libro, & venerabilis Alcuinus in adbreuiatione commenti Euangeliſtæ Ioannis, quod ſanctus Auguſtinus copioſiſſimè ad populum per ſermones diſſeruit, ſicut ibidem dictum inuenerant, prædeſtinatos ad interitum poſuerunt. Nam ſi aliter quàm in prædicti viri tractatibus inuenerunt, in ſuis excerptionibus poſuiſſent, non alienorum verborum exceptores, ſed de alienis ſuorum potiùs compilatores quàm compoſitores exiſterent. Vnde non noſtra, ſed quæ nobiſcum etiam ipſi legunt accipiant. Dixit Dominus ad Iudæos, *Ego non accuſo vos. eſt qui accuſat vos Moyſes in quem ſperatis.* Sic quoque B. Auguſtinus, qui indifferenter vſus eſt nomine prædeſtinationis, dicens interdum prædeſtinatos ad interitum in libris quos ante iſtos ſcripſerat, in quibus propriè prædeſtinationem expoſuit, eos reſponſo redarguat, quo refragatoribus ſuæ poſterioris ſententiæ in libro de Bono perſeuerantiæ ex libris de libero Arbitrio reſpondere curauit, Fruſtra itaque mihi, inquiens, de illius libri mei vetuſtate præſcribitur. Nemo, vt opinor, eſſet tam iniuſtus atque inuidus, qui me proficere prohiberet.] & item in eodem libro, Quamuis, inquit, neminem velim ſic amplecti omnia mea vt me ſequatur, niſi in his in quibus me non erraſſe perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec meipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem. ſed proficienter me exiſtimo Deo miſerante ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantiùs loquor quàm veriùs, ſi vel nunc dico me ad perfectionem ſine vllo errore ſcribendi iam

Cap. XVIII. Iob 38. 33.

Ioan. 5. 45.

Cap. 12.

Cap. 21.

in ista ætate venisse. Sed interest quantum & in quibus rebus erretur, & quàm facilè quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si cum sic proficientem dies vltimus vitæ huius inuenerit, vt adiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs iudicetur. Quocirca si hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia peruenit ad eos antequàm me diligerent aliqua mei laboris vtilitas, nolo existere ingratus, quanto magis Deo, quem non diligeremus nisi priùs dilexisset nos, & fecisset dilectores suos, quoniam *caritas ex ipso est*, sicut dixerunt quos fecit magnos, non solùm amatores, verùm etiam prædicatores suos?] Sed & si de Fulgentio ad suam confirmandam sententiam exempla dare voluerint, obiciemus eis, in præfato libro ad Monimum libros de Prædestinatione sanctorum, & responsiones Prosperi laudibus extulisse, & quia Prosper vir eruditus recta fide & copioso sermone reprehensoribus beati Augustini obstiterit. Quapropter de præfato Apostoli testimonio audiant quid beatus Augustinus in laudato ab eis libro Augustini de Prædestinatione sanctorum dicit, Cur autem, inquit, non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendum iudicauit, quia *volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.* Hinc est quòd verbum crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salui fiunt virtus Dei est.] & post aliquanta, Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit in vno omnes isse in condemnationem sine dubitatione iustissimam: ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscunt. vt qui gloriatur non in suis meritis, quæ paria videt esse damnatis, sed in Domino glorietur. Cur autem istum potiùs quàm illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Meliùs enim & hîc audimus aut dicimus, *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.] Et item in epistola ad Sixtum presbyterum, In vasis quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia diuina largita sit.] & post paululum, Denique ad vtrumque concludit, *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autē iustissimo merito.] & aliquanto superiùs, Quærimus enim meritum

1. Ioan. 4. 7.

Cap. VIII.

Rom. 9. 22.

Cap. IX.

Rom. 9. 20.

Epist. 105.

Rom. 9. 18.

obdurationis & inuenimus. merito namque peccati vniuersa massa damnata est. Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. quibus enim non impertitur, nec digni sunt nec merentur, ac potiùs vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur sed meritis redditur.] Et item idem sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione gratiæ, Occurrit enim cur pereant ex his aliqui, cùm omnipotens omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Deinde cur rursus induret alios misertus aliorum, aut quomodo omnes homines velit saluos fieri, cùm ipse nonnullos ne saluentur induret.] & post aliquanta, Si ergo, vt apparuit, de præuaricatoris semine omnes nascimur debitores, quoniam *in ipso omnes*, sicut ait Apostolus, *peccauerunt*, & ipso iam in principio vnde descendimus massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quòd verò Deus aliis gratuita vocatione conuersis misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam liberalitatem veritatis ratione referendum est.] & paulo pòst, Itaque ex superiore huius parte sententiæ qua dicit, *Cui vult miseretur*, puto quòd nullus nisi indignus misericordia audeat disputare. Quod verò sequitur, *quem vult indurat*, ibi paululum humanæ mentis intentio verbi nouitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset duritiam cordis operetur. Quid est enim aliud duritia quàm Dei obuiare mandatis?] & post pauca, Ergo quicquid post illam præuaricationem natus supplicij homo patitur, iustè reddi meritóque fateatur. Indurare enim dicitur Deus eum quem mollire noluerit, sic etiam excæcare dicendus est eum quem inluminare noluerit, sic etiam repellere eum quem vocare noluerit. *Quos enim prædestinauit illos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit.*] & post aliquanta, Hæc quidem, quantum ad fidei regulam, Domino inluminante piè dicta sint. Sed iam video quid etiam hinc calumniosa prauitas possit opponere. Sequitur enim, vt si eos quos prædestinauit illos & vocauit, & si eos quos vocauit illos & iustificauit, qui nec prædestinati nec vocati, ac per hoc nec iustificati sunt, ab omni culpa debeant esse innocentes, iniustéque ab eis pro vitæ prauitate transactæ in illo agnitionis die sint poscenda supplicia. Dicat istis Apostolus Paulus, *Nunquid iniquitas apud Deum?* statim ipse respondeat, *absit.* cúmque hoc fuerit in hominis mente sana pietate fundatum, quòd nulla sit iniquitas apud Deum, ita intelligat, *Cui vult miseretur & quem vult indurat*, quasi diceretur, cui vult miseretur, cui non vult non miseretur. itémque hoc ipsum ita rursus intelligat, quasi diceretur, cui vult donat, & à

Tom. VII. in Append. Cap. II.

Cap. III.

Rom. 5. 12.

Cap. IV.

Rom. 8. 29.

Cap. VI.

Rom. 9. 14.

quo vult debitum poſcit. quod qui dicere perſeuerat iniuſtum, ab Apoſtolo audiat, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Congruè ſiquidem huiuſmodi impietatem Apoſtolica retundit auctoritas, tantum de exaggeratione nominum pondus incutiens, cùm dicit, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* ô homo Deo, lutum figulo? Subiungit enim idem Apoſtolus, *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?*] & poſt ſequentia, Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, Verbum patris æquale & coæternum patri, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & cùm peccatum ipſe non eſſet, factus aſſumpta carne peccatum, vt peccato carnis homine ſanato peccatum damnaret in carne, venit quærere quod perierat, ſanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat, poteſtatem habens dimittere peccata, quod non debebat donare, quod ei debebatur ignoſcere, deletíſque omnibus veteris culpæ maculis quam fecerat reparat naturam. de his quibus pœnam ſeueritas iuſtè decreuerat, ſecundùm ineffabilem diſpoſitionis occultæ miſericordiam elegit vaſa quæ faceret in honorem, & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis abſoluit, alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reſeruauit. nulli tamen agnoſcendæ veritatis abſtulit facultatem: & ita plenitudo diuinæ præſcientiæ, in alios manante iuſtitia, in alios gratia profluente completa eſt, vt pereuntibus quos præſcierat Deus eſſe perituros, & ſaluatis quos in illa ſecreta ſua electione præſcierat eſſe ſaluandos, toto orbe diffuſa multiplicaretur Eccleſia. Gratulare ergo, quicumque inluminatus es, & gratiam quam non merebaris agnoſce. geme quicumque induratus es, & iuſtitiam confitere. Dic quicumque ab originali contagio lauacro gratiæ te gloriaris ablutum, Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multæ miſericordiæ, non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Dic quicumque damnaris, *Iuſtus es Domine in omnibus quæ feciſti nobis, & omnia iudicia tua vera*, quia in veritate & iudicio ſuperinduxiſti omnia hæc propter peccata noſtra.] & item in eodem, *Ego autem indurabo cor Pharaonis.* quid eſt indurabo niſi non molliam? Apparet enim in alios manante iuſtitia, in alios gratia profluente, ſcripturæ illius ſententiam fuiſſe completam, qua dicit Deus Pharaoni, *In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam. & vt adnuntietur nomen meum in vniuerſa terra.* Vtente enim Deo bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, & tot ac tantis in illa gente miraculis pariter aceruatímque perfectis, quid aliud geſtum eſt, quàm vt Dei virtus, apud ſe magna in ſe plena, ad humani generis notitiam perueniret, non Deo ſed ipſis relegentibus & credentibus profutura?] & poſt pauca, Hoc etiam diuinæ poteſtatis in hominum electione iudicium paulo antè commemorans beatus Apoſtolus ro-

Rom.9. 20.

Cap.XIII.

Cap.XIV.

Dan.3.27.

Cap.VI.

Exod.4.21.

Exod.9.16.

Cap.VII.

bustissimis monstrauit exemplis, cùm de Rebeccæ partu adhuc intra vterum constituto totum ad Dei gratiam referens loqueretur. Sic enim ait, *Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, cùm nondum nati fuissent neque aliquid egissent boni aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* statímque subiecit, Quid dicemus? *Numquid iniquitas apud Deum?* negánsque respondit, *absit.*] & post aliquanta, quæ pleniùs lector in suis locis inueniet, Prædestinatus est ergo Iacob vas in honorem, sed non ex operibus, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, maior seruiet minori. Et ne fortè vasa in honorem prædestinata aliquid suis viribus tribuendo negarent gloriam Creatori, alio ea loco Apostolus *vasa misericordiæ* nominat, vt totum quicquid essent secundùm misericordiam se esse cognoscerent.] & post pauca, Ecce in illis iustè punitur iniquitas, in istis gratis nulla iustitia muneratur.] & item, Hanc itaque distributionem, qua diximus à Deo homines nullis existentibus meritis vocari, & vocatos, vt boni aliquid operentur, Dei adminiculis indigere, sumpto de veteribus litteris Apostolus monstrat exemplo. Postquam illam de duobus geminis electionem, omni repulsa laude meritorum, ad Dei gratiam iudiciúmque retulerat, videns quid impia posset blasphemare garrulitas, dixit, *Numquid iniquitas apud Deum?* & sequitur, *absit.* & quasi diceretur ei, vnde probas? parum putauit auctoritatem suæ valere doctrinæ, nisi sententiam suam etiam legis doceret exemplo. Sic enim intelligi voluit quod Moyses dixerat, *Miserebor cui miserebor, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* vt primam à Deo misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ sola ad rectè viuendum non sufficit, si deserat qui vocauit. Ideóque additum, *& misericordiam præstabo cui misericors fuero.* vt à Deo accipi manifestum sit etiam ipsa misericordiæ opera, quæ cùm videmur impendere Dei misericordiam promeremur.] & paulo pòst, Si quem verò mouet, quòd non omnes, etiam de his qui iam vocati sunt, ad secundam gratiam, id est ad rectè viuendi donum peruenire mereantur, sicut Dominus in Euangelio dicit, *Multi vocati, pauci verò electi*, hinc intelligat quale sit, quod contra Dei gratiam defensare molitur qui de libero sibi blanditur arbitrio. Quicumque enim, diuinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rursus defluxere perfidiam, ipsis Dei gratia deserente ad implendum quod voluerint sufficit arbitrium.] & item post aliquanta, Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit, & ideo ei ad pereundum liberum suffecit arbitrium. quem quidem nullus ita ignarus diuinarum scripturarum erit qui audeat dicere illa omnia iniustè esse perpessum. An fortè, si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus? Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem: qua differens iustum meri-

Rom. 9. 10. Cap. VIII. Rom. 9. 23. Cap. X. Exod. 33. 19. Cap. X. Matt. 22. 14. Cap. XIV.

túmque ſupplicium, miraculorum verbera crebra denſabat. numquid non potuit, ſicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoſcere? Si dicitur, iam Pharaonem non potuiſſe mutari, quia eum præſcierat Deus non eſſe mutandum: reſpondetur, Dei præſcientiam non cogere hominem vt talis ſit qualem præſciuit Deus, ſed præſcire talem futurum qualis futurus eſt, quamuis eum non ſic fecerit Deus. quoniam ſi cogeret eſſe, hoc vtique cogeret quod non eſt. porrò ſi hoc præſcierat futurum eſſe quod non eſt, præſcientia non eſt. quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quiſque qui peccatis ſuis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum eſſe præſcierit. Poteſt exiſtere nihilominus fortaſſe qui dicat minùs idoneam ad ſalutem viam, ſi nulla intrinſecùs vocatione pulſatus tamen quiſpiam flagelletur. Vnde Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam? Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rurſus accepit? Pharao autem ipſis eſt flagellis durior effectus, & periit. Hîc mihi rationem reddat qui diuinum conſilium nimis altum ſapienti corde diiudicat, cur medicamentum vnius medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem, niſi quia Chriſti bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis eſt odor mortis in mortem. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad cauſam, ambo captiuum Dei populum poſſidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quòd vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio? Hîc quicumque reſpondet, illi vt mutaretur adfuiſſe diuinum, huic vt induraretur defuiſſe præſidium, & hoc contendit iniuſtum, propter quod rerum ipſarum fines in Dei voluntate conſtituens dixit Apoſtolus, *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, dicente etiam Domino, *Sine me nihil poteſtis facere*, intelligat iſta omnia vel adiuuante Domino perfici, vel deſerente permitti, vt nouerit tamen nolente eo nihil prorſus admitti.] & poſt pauca, Nunc autem, cùm damnatis pœna iuſta datur, ſaluatis autem gratia donatur indebita, quis vſque adeo humanæ conditionis oblitus diuini ſenſus arcana diſcutiat, vt cùm ipſam pœnam meritò fuerit conſecutus, queratur cur alius gratiam quæ ei non debebatur acceperit?] & item S. Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ, Non enim eſt iniquitas apud Deum, ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, vniuerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas. Inueſtigabilis ergo eſt miſericordia, qua cuius vult miſeretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inueſtigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cuius miſeretur plerumque communibus, ſicut duorum geminorum, quorum vnus aſſumitur, alius relinqui-

Cap. XV.

Rom. 9. 18.

Ioan. 15. 5.

Cap. XVI.

Cap. XI.

linquitur, diſpar eſt exitus, merita communia. In quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas eſt apud Deum? abſit: ſed inueſtigabiles ſunt viæ eius. Itaque miſericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur ſine dubitatione credamus, neque inſcrutabilia ſcrutari aut inueſtigabilia veſtigare conemur. Ex ore quippe infantium & lactentium ſuam perficit laudem. vt quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his quorum damnationem vtriſque communia originalia ſola præcedunt, hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur. id eſt, non putantes vel ſecundùm ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quemque puniri, ſiue pares qui liberantur atque puniuntur, ſiue diſpares habeant cauſas malas. vt qui videtur ſtare videat ne cadat, & qui gloriatur non in ſeipſo ſed in Domino glorietur.] Item Auguſtinus in libro IV. contra Pelagium, Attulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem, vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam. Ira quippe non redditur niſi debita, ne ſit iniquitas apud Deum: miſericordia verò etiam cùm præbetur indebita, non eſt iniquitas apud Deum. Et hinc intelligunt vaſa miſericordiæ quàm gratuita illis miſericordia præbeatur, quòd iræ vaſis, cum quibus eis eſt perditionis cauſa & maſſa communis, ira debita & iuſta rependitur.] & item Auguſtinus in epiſtola ad Optatum, Dixerat tanquam figulum luti, ex eadem maſſa facere, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. meritò autem videretur iniuſtum, quòd fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa vniuerſa ex Adam maſſa damnata. Quòd ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quòd autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Oſtendit ergo Deus iram ſuam, non vtique perturbationem animi, ſicut eſt quæ ira hominis nuncupatur: ſed iuſtam fixámque vindictam, quòd de ſtirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque ſupplicij, & *homo natus ex muliere*, ſicut in libro Iob ſcriptum eſt, *breuis eſt vita, & plenus iracundia.* eius enim rei vas eſt qua plenus eſt. vnde iræ vaſa dicuntur. Oſtendit & potentiam ſuam, qua bene vtitur etiam malis, multa illis naturalia & temporalia bona largiens, eorúmque malitiam ad exercendos & comparatione admonendos bonos accommodans, vt in eis diſcant agere gratias Deo, quòd ab eis non ſuis meritis, quæ in eadem maſſa paria fuerunt, ſed illius miſeratione diſcreti ſunt.] De qualibus Gregorius in XXI. Ezechielis homilia dicit, Paulus cùm adhuc rudis eſſet in fidei vocatione, quia iam Domini verba perceperat, & cæleſti gratia plenus erat, vas electionis appellatur cùm dicitur, *Vas electionis mihi eſt.* Hinc paſtores atque doctores Propheta admonet dicens, *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Ipſi etenim qua-

Ad Bonifacium contra duas Epiſt. lib. 4. cap. 5.

Epiſt. LVII.

Iob 14. 1.

Paulò ante medium.

Act. 9. 15.

Eſa. 52. 11.

ſi menſæ Domini vaſa portant, qui vitam fidelium erudiendo tolerant, vt quandoque hanc Domino ad holocauſtum & ſacrificium perducant.] Quas ſequens ſententias FLORVS, ex cuius ſcripto iſte quicumque ſit compilator falſidicus hæc capitula commaſticans ex- Rom. 9. 20.
» puit, ibidem ſcripſit dicens, Vnde Apoſtolus, inquit, vaſa miſeri-
» cordiæ eius appellat, vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ quæ præpa-
» rauit in gloriam. E contrario autem malos præſciuit per propriam
» malitiam malos futuros, & præſciuit per ſuam iuſtitiam æterna vl-
» tione damnandos. Sicut præſciebat de Iuda proditore quòd *eum*
» *eſſet traditurus*, ſicut Euangelium dicit, *cùm eſſet vnus ex duodecim.* 1. Ioan. 6 72.
» præſciebat etiam æternam eius damnationem cùm diceret, *Væ au-* Matt. 26. 74.
» *tem homini illi per quem filius hominis tradetur. bonum erat ei ſi natus non*
» *fuiſſet homo ille.* Et item malos non ideo perire quia boni eſſe non
» potuerunt, ſed quia mali eſſe voluerunt, & ſuo vitio vaſa iræ aptata
» in interitum perſeuerauerunt, & in maſſa perditionis vel origina-
» li vel actuali merito permanſerunt.]

CAPVT X.

De teſtimoniis ſcripturarum, quibus Gotheſcalcus & ſui complices alieno ſenſu à fide catholica & orthodoxorum doctrina inreuerentiſſimè abutuntur.

SCIENDVM eſt etiam, quòd ſub hoc ſenſu, quo iſte compilator vſus eſt Apoſtoli teſtimonio, etiam aliis teſtimoniis in aſſerendo ſuum errorem Gotheſcalcus cum ſuis ſcholaſticis vtitur. vt *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* & de Eccleſiaſtico, *qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum, parauit eum Deus ad romphæam.* De quibus ita Catholici ſentiunt. quia impium ad diem malum operatus eſt Dominus, & tranſgredientem à iuſtitia ad peccatum parauit ad romphæam, quia quem impium & tranſgredientem futurum præſciuit, non prædeſtinauit vt ad diem ſibi malum, & ad romphæam id eſt debitam vltionis vindictam perueniret, ſed permiſit, factúmque proprio vitio impium, & arbitrio ſuo tranſgreſſorem, iuſto iudicio condemnauit. Qui non ideo eſt impius factus, neque eſt idcirco tranſgreſſus, quoniam impius futurus & tranſgreſſor eſt à Deo præſcitus: ſed ideo eſt impius & tranſgreſſor à Deo præſcitus, quia impius & tranſgreſſor vitio ſuo erat futurus. Propterea quicumque legerit hoc Apoſtoli teſtimonium in huius tertio compilatoris capitulo poſitum, ſaniùs ſecundùm catholicorum Patrum doctrinam intelligere debet quod dictum eſt ab Apoſtolo, *Vaſa iræ perfecta vel aptata ad interitum*, peccato primæ præuaricationis: & quod dicit, facit Deus vas in honorem, ſcilicet gratia & prædeſtinatione. Facit autem vas in contumeliam, non operando, ſed iuſtiſſimè deſerendo, ſicut plena ſunt orthodoxorum volumina tali expoſitione. Sci-

Prou. 16. 4.
Eccli. 26. 27.
Rom. 9. 22.

licet quia cor Pharaonis iusto iudicio indurauit, quod per gratiam non emolliuit: in reprobum sensum ex retributione iustitiæ, quia est peccatum & pœna peccati. in aliud sæpè peccatum peccatores tradidit, quia gratiâ non liberauit: iustitia excæcauit, quia gratia non inluminauit: vas in contumeliam fecit, quia iustè in massa perditionis atque damnationis reliquit, & non per gratiam prædestinando vas honorabile fecit. Sic & inclusit quoniam non aperuit, destruxit quia non ædificauit, despexit quem non respexit. & eum qui transgreditur à iustitia ad iniquitatem, ex retributione iustitiæ Deus parauit ad romphæam. & permisit gentes ingredi vias suas, & hominem dimisit in manu consilij sui. balteum regum iustè deserendo dissoluit, fune renes eorum permittendo præcingit. ex retributione iustitiæ in tentationem inducit, quoniam iustè induci permittit. Et in Iob, *Priuauit Deus sapientia*, cui iustè non dedit. & de his de quibus scriptum est, quia *non potuerunt audire quoniam voluit Deus eos occidere*, scilicet quod merebantur. vt reddat iustitia quod non indulget gratia. Vnde & Prosper, ex verbis sancti Augustini, in responsione obiectionis xv. Vincentianarum, ostendit quia sicut Deus nemini correctionis adimit viam, ita nec quemquam boni possibilitate dispoliat. quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, vt Deus quibus pœnitentiam non dederit resipiscentiam abstulerit, & quos non leuauerit, alliserit: cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo, aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito. Istæ sunt duæ sortes, & duo funiculi dimensi, vnus ad occidendum, & vnus ad viuificandum, commemorati de scripturis in libello domni Prudentij, ad confirmandam sententiam quia sunt reprobi à Deo prædestinati ad mortem, sicut electi ad vitam. Sed meliùs, quia veriùs, Prosper, vt diximus, ex verbis sancti Augustini, qualiter catholicè intelligere debeamus huiusmodi scripturæ sacræ locutiones aperuit. Videlicet quia aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ, quicquid Deus misericorditer iustéque facit, qui fecit quæ futura sunt. quia vt S. Augustinus dicit in libro de Bono perseuerantiæ, nihil est nisi quod aut ipse fecit, aut fieri ipse permittit. & in libro de Gratia & libero Arbitrio ad Valentinum & cum eo Monachos, Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur, ne incurratis in illud prouerbium Salomonis, *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.*] & in eodem post aliquanta, Quando ergo auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus seduxi Prophetam illum*, & quod ait Apostolus, *cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*, in eo quem seduci

Iob 39. 17.
1. Reg. 2. 25.
Cap. xxi.
Prou. 19. 3.
Cap. 23.
Ezech. 14. 9.
Rom. 9. 18.

permittit vel obdurari, mala eius merita, in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, Ego indurauí Pharaonem, vel indurauí aut indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea ipse Pharao non indurauit cor suum. nam & hoc de illo legitur, quando ablata est ab Ægyptiis cynomyia dicente scriptura, *Et adgrauauit Pharao cor suum & in isto tempore, & noluit dimittere populum.* ac per hoc & Deus indurauit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium.] Huius etiam locutionis modum & Beda in secundo libro commenti Lucæ Euangelistæ demonstrat, exponens sententiam dicti Dominici, animam saluam facere an perdere, hoc est hominem curare an non. idem est quod præmiserat bene facere an malè. non quòd Deus summè bonus auctor mali nobis aut perditionis esse possit: sed quòd eius non saluare scripturæ consuetudine perdere dicatur. sicut dicitur indurasse cor Pharaonis, non quòd molle obdurauerit, sed quòd meritis præcedentibus obduratum misericorditer emollire noluerit. Et cùm rogamus, *Ne nos inducas in tentationem*, protinus addendo, *Sed libera nos à malo*, manifestè docemur, eius inducere in tentationem non esse aliud quàm non liberare à malo: eius perdere animam esse à perditione saluam non facere.] Et sanctus Gregorius in libro XXIX. Moralium, Semetipsum, inquit, Dominus hoc gelu gignere perhibet, non quo prauorum mentes ipse ad culpam format, sed quo à culpa non liberat. sicut scriptum est, *Ego obdurabo cor Pharaonis*, quod quia misericorditer mollire noluit, profectò districtè se obdurare nuntiauit.] Hinc sanctus Augustinus in Psalmo XXXV. *Dedit illos Deus in concupiscentia cordis illorum, facere quæ non conueniunt.* Si Deus hoc facit vt faciant quæ non conueniunt, quid ipsi fecerunt? Ergo fuit concupiscentia, quam vincere noluerunt, cui traderentur iudicio Dei, si aut digni haberentur qui traderentur.] & in Psalmo XXVIII. Alij dicebant bonus est, alij non. vt alios in caritatẽ suam traiceret, alios in malitia eorum relinqueret.] & in Psalmo VI. *Dedit illos Deus in reprobum sensum.* Nam ea est cæcitas mentis. in eam quisquis datus fuerit ab interiore Dei luce secluditur. sed nondum penitùs cùm in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem iudicij pertinere intelliguntur, vt penitùs extra Deum sit quisquis dum tempus est corrigi noluerit.] & in Psalmo V. Cùm punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum eos dimittit.] & in Psalmo VII. Esse ad lucem pertinet, non esse ad tenebras. Qui ergo deserit eum à quo factus est, & inclinat in id vnde factus est, id est in nihilum, in hoc peccato tenebratur, & tamen non penitùs perit, sed in infimis ordinatur.] His catholicorum documentis agnoscat capitulorum compilator, nihil se adiuuari posse à Fulgentio in expositione secundùm suum sensum hu-

Exod.8.
Matt.6.13.
Cap. XV.
Exod.4. & 7.
Rom.1.28.

ius Apostolici testimonij. Quapropter ad perscrutanda capituli reliqua transeamus.

CAPVT XI.

De perscrutandis capituli subsequentis reliquiis.

DENIQVE ait noster, quia veritatis secundùm suam intelligentiam infestissimus persecutor, In electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem periturorum malum meritum præcedere iustum Dei iudicium.] Noluit hæc iste compilator sic ponere, sicut illa FLORVS in suo scripto bene studuit ponere, & in quantocumque illa verbis conuertit, in tanto à recto sensu peruertit. Dixit namque ille, Siue autem in illis qui saluantur, siue in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini saluatoris est sanata, vt ex mala & praua fieret bona & recta, est proculdubio dignissimè coronata. In istis autem, quia non adquiescit per Saluatorem recipere sanitatem, iustissimè per eumdem iudicem sentiet perpetuam damnationem.] & suprà, Ergo bonos præsciuit omnino & per gratiam suam bonos futuros, & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos: id est & in præsenti sæculo bene victuros & in futuro feliciter remunerandos. vtrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Vnde Apostolus vasa misericordiæ eius appellat dicens, *Vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Econtrario autem malos & præsciuit per propriam malitiam malos futuros, & præsciuit per suam iustitiam æterna vltione damnandos.] Immutauit compilator incompositè verba composita, & rectum sensum transtulit in peruersum. Si enim dixisset, in saluatione electorum misericordiam Dei præcedere bonum meritum, vtcumque constare intelligeretur sententia. Nunc autem, quia dicere maluit, in electione saluandorum misericordiam Dei præcedere bonum meritum, à consequentia recti sensus recessit. Nam de saluandorum electione scriptum est, *Elegit Deus nos in ipso*, id est in Christo, *ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum.* Vnde Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum dicit, Si quæratur vnde quisque sit dignus, non desunt qui dicant voluntate humana: nos dicimus gratia vel prædestinatione diuina.] & prædestinatio, quæ sine præscientia esse non potest, ipsa est electio, sicut docet Apostolus, *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* & iterum. *Quos præsciuit hos & prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit* quibus singulis hanc opponens sententiam sanctus Augustinus subiungit, & non alios. & electio gratiæ ipsa est misericordia. Dicat ergo, quæ misericordia est alia quæ præcedit bonum meritum in electione saluandorum, si in electione saluandorum præcedit misericordia. Igitur mise-

Rom. 9. 23.
Ephes. 1. 4.
Cap. x.
Rom. 9. 29.
Cap. xvii.

ricordiam præcedit misericordia, & erunt duæ misericordiæ quibus eliguntur saluandi: cùm non in electione saluandorum, sed in saluatione electorum duobus modis sit intelligenda Dei misericordia, videlicet eius gratuita gratia. Vnde si vult inter primam & secundam misericordiam, gratuitam scilicet gratiam, cognoscere differentiam, legat sancti Augustini librum de gratiæ Prædestinatione, in quo ad locum dicit, *Misereor cui miserebor, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* vt primam à Deo misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari. quæ sola ad rectè viuendum non sufficit, si deserat qui vocauit. Ideóque additum, *& misericordiam præstabo cui misericors fuero.* vt à Deo accipi manifestum sit etiam ipsa misericordiæ opera, quæ cùm videmur impendere Dei misericordiam promeremur. Sic enim in Euangelio Dominus dicit, *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Quod nisi sic intellexisset Apostolus, nunquam probationis gratia disputationi suæ hoc testimonium curasset inserere. Si quem verò mouet quòd non omnes, etiam de his qui iam vocati sunt, ad secundam gratiam, id est ad rectè viuendi donum peruenire mereantur, sicut Dominus in Euangelio dicit, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, hinc intelligat quale sit, quod contra Dei gratiam defensare molitur qui de libero sibi blanditur arbitrio. Quicumque enim, diuinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rursus defluxere perfidiam, ipsis Dei gratiam deserentibus ad implendum quod voluerant sufficit arbitrium.] & reliqua, quæ latiùs & disertissimè ibidem prosequitur gratiæ cælestis orator. Hinc & Prosper in libro sententiarum epigrammatum, quas ex sancti Augustini dictis breuiter adnotauit, cap. CXXX. Sicut duo sunt, inquit, officia medicinæ, vnum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: ita duo dona sunt gratiæ, vnum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animi perseuerare virtutem.] His doctorum sententiis discat & intelligat se non bene dixisse, in electione saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: quoniam prima est quam altera non præcedit gratia in electione & vocatione saluandorum, quæ omne præcedit bonum meritum. quin & cogitare & velle bonum, & fidem totius operis boni initium, quæ per dilectionem operatur, sine qua impossibile est placere Deo, vt scriptura testatur dicens, *Non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. qui dedit nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* &, *alteri datur fides in eodem spiritu.* Vnde Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem membra eius. & quomodo eligeret eos qui nondum erant nisi prædestinando?] & post aliquanta, Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prędestinans nos in adoptionem filiorum: non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauítque vt essemus.] alioquin gratia iam

Cap. x. Exod. 33. 19.

Matt. 5.7.

Matt. 22.14

2. Cor. 3.5.

Philip. 2.13.

1. Cor. 12.8.

De Prędest. sanctorum cap. XVIII.

non eſt gratia, ſi non fuerit gratis data. Secunda autem eſt miſericordia ſiue gratia rectè viuendi, ad quam præſciti & prædeſtinati electi atque vocati gratiæ dono peruenire merentur. qua gratia iuſtificati in futuro glorificabuntur, accipientes gratiam pro gratia, id eſt gratiam beatæ retributionis pro gratia bonæ operationis, ſicut ſanctus Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ ſcripſit. Cap. xiv.

CAPVT XII.

Diffinitio ſancti Auguſtini, quid ſit ſanctorum prædeſtinatio, à qua capitulorum iſtorum compilator omnimodis diſcordare cognoſcitur, & per ambages fidem diuinæ prædeſtinationis extenuando peruertit, & verba veritatis ad mendacia quantum poteſt inflectit. vnde eum catholicorum doctrina aperta veritate, & ſi non eum pertinacia inhærentem ad tramitem veritatis reflectit, verùm de mendacio contrarium veritati reuincit.

HÆc eſt inquiens prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud. præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.] & item in eodem, Poſt caſum autem hominis, non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere vt homo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuã voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo in quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur, ac per hoc ſicut operatur vt accedamus, ſic operatur ne diſcedamus.] & in libro, ſicut ſuprà diximus, de prędeſtinatione ſanctorum. Si diſcutiatur, inquit, & quæratur vnde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant voluntate humana: nos autem dicimus gratia vel prædeſtinatione diuina. Inter gratiam porrò & prædeſtinationem hoc tantùm intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia verò iam ipſa donatio. Quod itaque ait Apoſtolus, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*, gratia eſt. Quod autem ſequitur, *quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus*, prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt.]

Cap. vii. Cap. x. Epheſ. 2. 9.

Sed iſte commutator, immutans verba & ſenſus FLORI qui ſecucutus fuerat ſenſum Auguſtini, ſicut dicitur, *Cattus in obſcuris cepit pro ſorice picam*. Putamus quòd quando dixit in electione ſaluandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum malum meritum præcedere iuſtum Dei iudicium, hoc dicere voluerit, quod ſanctus Auguſtinus rectiſſimè & apertiſſimè in libro de Bono perſeuerantiæ dicit, Ex ore, inquiens, infantium & lactentium Deus ſuam perfecit laudem, vt in his quorum liberationem id eſt electionem videmus, bona eorum merita nulla

Cap. x.

præcedant, & in his quorum damnationem videmus, non cunctemur nisi suis meritis quemque puniri, siue pares qui liberantur & qui puniuntur, siue dispares habeant causas malas.] Nam ideo dicuntur electi, quia de massa perditionis sunt gratia electi, nullum habentes meritum antequàm eligantur, quorum electio ipsa est Dei misericordia, sicut in Arausica Synodo, cui beatus Cæsarius ex delegatione Sedis Apostolicę pręsedit, & capitula ab Apostolica Sede directa, subscribenda & tenenda omnibus protulit, cap. XIV. dicitur, Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista, *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* & illud, *Deus meus, misericordia eius præueniet me.*] & cap. XVIII. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant.] Hæc est gratuita electio, quæ præcedit opera bona, hæc est misericordia, qua miseri liberantur, cùm de massa perditionis eliguntur, id est gratis leguntur. Quam misericordiam, id est antesæcularem electionem, Dei scilicet æternam prædestinationem, alia misericordia non præcedit. Qua videlicet misericordia miseri eliguntur, vt boni de malis fiant. quibus per eandem misericordiam electis datur fides, parantur opera bona, in quibus præuenti, adiuti, ambulantes, & vt perseuerent subsecuti, ad vitam, id est ad gratiam perueniant sempiternam.

Psal. 78. 8.

Quod verò subiunxit, in damnatione autem periturorum malum meritum præcedere iustum Dei iudicium, si vult ipsam prædestinationem reproborũ appellari iudicium Dei, quòd videlicet iudicium Dei, id est prædestinationem, præcedat malum meritum reproborum, pro quo secundùm pręscientiam prædestinauit reprobos ad interitũ, quia malum meritum illorũ præsciens Deus ad interitum illos prædestinauit, quàm malè dicat intelligat. Neminem enim Deus damnat antequàm peccet, quia neminem deserit antequàm deseratur, sicut catholici dicunt doctores. & sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantiæ, latissimè & frequentissimè atque catholicissimè hinc repugnat eis, scripturæ sacræ exemplis, & veracissimis ratiocinationibus, quorum verba talem imperitiam resonabant, & insipientia talem stultitiam demonstrabat. Si autem intelligi vult, iusto Dei iudicio, quod præcedit periturorum malum meritum, pœnam eis ex retributione iustitiæ prædestinatam, ipse suam sententiam, qua prædestinatos ad interitum dicit, cùm conatur adstruere, videtur pro certo destruere. quia vtrumque, & prædestinati & relicti, id est & gratia præparati, & retributione iustitiæ in massa perditionis cui est pœna prædestinata relicti, esse non possunt. quoniam catholici magistri nostri sentiendo confirmant, quia Deus hominem creauit, quem consistere ad æternitatem voluit, & non vt periret prædestinauit: periturum autem illum præsciuit, qui factus est massa perditionis totius humani generis, ex qua massa perditionis

præ-

præſciuit & prædeſtinauit ante omnia ſæcula quoſdam ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam, vt dicit Apoſtolus, *Gratia autem Dei vita æterna*, quæ in Euangelio appellatur regnum paratum, id eſt prædeſtinatum, electis ſcilicet prædeſtinatis ab origine mundi.

Rom. 6. 23.

Deinde ſubiungit atque dicit, Prædeſtinatione autem Deum tantùm ſtatuiſſe quæ ipſe vel gratuita miſericordia vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundùm ſcripturam dicentem, *qui fecit quæ futura ſunt:* in malis verò ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. pœnam ſanè malum meritum eorum exequentem, vti Deum qui omnia proſpicit præſciuiſſe, & prædeſtinaſſe quia iuſtus eſt. Ordinabiliùs FLORVS in ſuo ſcripto, vnde hic commiſculans iſta decerpſit, legitur poſuiſſe. Videlicet inquiens omnipotentem Deum in malis ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. pœnam verò illorum & præſciſſe quia Deus eſt, & prædeſtinaſſe quia iuſtus eſt. vt & in illis ſit meritum ſuæ damnationis, & in illo poteſtas & iudicium iuſtè damnantis. Non enim prædeſtinat Deus niſi quæ ipſe facturus eſt: præſcit verò multa quæ ipſe facturus non eſt, ſicut omnia mala, quæ vtique mali faciunt, non ille. Vnde & Proſper in reſponſione XV. contra Gallos dicit, Qui præſcientiam Dei in nullo ab ipſius prædeſtinatione diſcernit, quod tribuendum eſt Deo de bonis, hoc etiam de malis conatur adſcribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatorémque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda ſint, dubium non eſt, ſine vlla temporali differentia, Deum & præſciſſe ſimul & prædeſtinaſſe quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda: præſciſſe autem tantummodò, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia, prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt.] Tamen qualitercumque iſte confuſor iſta poſuerit, videtur nobis quia intelligere poſſumus quæ dicit, Prædeſtinatione autem Deum tantùm ſtatuiſſe quæ ipſe vel gratuita miſericordia vel iuſto iudicio facturus erat, ſecundùm ſcripturam dicentem, *qui fecit quæ futura ſunt:* in malis verò ipſorum malitiam præſciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Pœnam ſanè malum meritum eorum exequentem, vti Deum qui omnia proſpicit præſciuiſſe, & prædeſtinaſſe quia iuſtus eſt. Beatus namque Auguſtinus dicit, & Proſper ex verbis illius clariſſimè manifeſtat, quoniam prædeſtinatio Dei eſt, quæ aut ad donum pertinet gratiæ qua liberantur electi, aut ad retributionem iuſtitiæ qua puniuntur iniuſti. Et bene poſuit, non intelligens quod de alterius dictis aſſumpſit, prædeſtinatione Deum ſtatuiſſe quæ ipſe vel gratuita miſericordia vel iuſto iudicio facturus erat: quoniam miſericordia ſtatuit liberare electos,

iudicio pœnam prædestinauit iniustis. Et hoc totum est Dei prædestinatio, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. Nunc dicat quomodo Deus perituros ad interitum prædestinauit, quoniam in secundo capitulo dixit, quia in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt: & in tertio fidenter est fassus, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem, & postea subsecutus est dicens, Misericordia saluantur electi, iudicio iniustis est pœna prædestinata. Talem enim sensum exprimit sua contextio. Quomodo ergo nunc iterum iniusti possunt intelligi ad pœnam à Deo prædestinati? Quoniam si à Deo ad interitum prædestinantur, Dei prædestinatione sine dubio pereunt, sicut ad salutem prædestinati Dei prædestinatione saluantur. Et si reprobi Dei prædestinatione pereunt, dicant quis auctor est eorum perditionis. Vnde [Prosper actione XVI. contra Vincentianos dicit, Non perseueraturi, videlicet perituri, non ex Dei opere, inquit, sed ex sua voluntate deficiunt, casuri tamen & recessuri ab eo qui falli non potest præsciuntur.] Ecce in his duobus capitulis incompositus iste compositor dixit reprobos in massa perditionis relictos, & ad interitum iterum prædestinatos: & post hæc eosdem priùs relictos, & pòst ad interitum prędestinatos, in malis suis præscitos non prædestinatos, pœnam autem eis prædestinatam. Monstruosa confectio, vt de monte Lyciæ per transformationem confingitur, *Prima leo, postrema draco, media ipsa chimera.* Quid quærit latibula? veritas angulos non habet. quid tergiuersando ad omnia se componit? Quæ catholici dicunt dicit, vel potiùs ad illa se affectando componit, & quæ hæretici dicunt pro viribus asserit. Sicut de chamæleonte refertur, qui in omnes quos viderit mox se colores conuertit, & de Æsopi barba fabulosè refertur, quia quicquid de ea dominus serui dolosi dixerit, dictum suum in illa inuenire valebit. sic & iste suam sententiam temperat, vt & catholicis & dyscolis se acommodans, cùm vtrisque se partibus præstet, nulli conueniat. Cæterùm postquam dixit, Pœnam sanè malum meritum eorum exequentem, vti Deum qui omnia prospicit præsciuisse, & prædestinasse quia iustus est, adiunxit, apud quem est, vt S. Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia quàm certa præscientia. Hoc namque verum est quod S. Augustinus in libro suo conuenientissimè posuit, & iste compositor incompositus hîc inconuenientissimè vsurpauit. Nihil enim Deus præscit, quod non sit omnino futurum: nec futurum quid esse potest, quod non Deus præscierit. Non tamen quicumque pereunt, ideo pereunt quia perituri à Deo præsciuntur, sed quia perituri sunt, à Deo ante sæcula præsciuntur. Sicut Prosper in XIII. responsione contra Vincentianos dicit, quòd etsi ex æterna præscientia præcognitum habet quid vniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quòd falli non

potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus sanctus. nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit, cuius opere multos scimus ne laberentur retentos, nullos autem vt laberentur impulsos. Et item in XV. Si ergo in sanctitate viuitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus adquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia ac peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit antequam deseratur, & facit plerumque ne deserat, aut etiam si discessit vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cum scire sufficiat, & ab illo esse quòd statur, & non ab illo esse quòd ruitur. Et item Prosper in libro Sententiarum cap. CCCLXXIX. Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus quæ fieri non cogit præscius?]

Vnde verum est quod exceptor iste de FLORI scripto, licèt inordinato ordine, hìc interposuit dicens, In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. pœnam sanè malum meritum eorum exequentem, vti Deum qui omnia prospicit præsciuisse, & prædestinasse quia iustus est. De sententia autem Augustini, quam supposuit dicens, De omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quàm certa præscientia, sanctus Prosper in præfato libro cap. CLVII. dicit, ostendens quia non sub eo sensu illam Augustinus dixit, quo hic capituli compositor interposuit, ex illa probare cupiens, sic reprobos prædestinatos ad interitum, sicut electi sunt prædestinati ad vitam. Ait enim Prosper, Ira Dei non perturbatio eius est, sed iudicium quo inrogatur pœna peccato. cogitatio verò ipsius & recogitatio mutandarum rerum est incommutabilis ratio. Neque enim sicut hominem ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa est præscientia.] Quam vltimam sententiæ huius partem idem Prosper in eodem libro cap. CCXCI. exponit dicens, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Præuidet bonos futuros & creat, præuidet malos futuros & creat, seipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens etiam malis, misericorditer ignoscens, iustè vlciscens. Item, misericorditer vlciscens, iustè ignoscens, nihil metuens de cuiusquam malitia, nihil indigens de cuiusquam iustitia, nihil sibi consulens de operibus bonorum, & bonis consulens etiam de pœnis malorum.] Et iterum cap. CXL. Nullum Deus vel Angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus commendaret, atque ita

Psal. 110 2.

ordinem sæculorum quasi pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam antithetis honestaret.] Hæc agit præscius & prædestinans omnium bonorum Deus, præscius non prædestinans omnium malorum Deus. apud quem de omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quàm certa præscientia: quia nec aliud, nec aliter futurum est, nisi quod & sicut præscit, & quod & sicut futurum est Deus antè præsciuit. Non tamen mala fieri præscientia sua coëgit, sed quæ futura erant, vt Deus antè præsciuit, de quo scriptum est, *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequàm fiant.*

Dan.13.42.

Et quod in capitulo cōpilator subiunxit, Ad hoc siquidem facit sapientis dictū, *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus*, in hoc sensu potest cōuenienter intelligi positū, quo posuit, Pœnam sanè malum meritum eorū exequentem, vti Deum qui omnia prospicit, præsciuisse, & prædestinasse quia iustus est. Sed ad quid illud posuerit non ignoramus. tamen vt possit qualicumque modo constare, interpretari volumus. De hoc siquidem testimonio venerabilis Beda presbyter patrum sequens sententias dicit. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Et si reprobi, inquit, sicut prædictum est, vel iussionis vel comminationis diuinæ iudicium derident, parata tamen eos expectant iudicia damnationis, quæ vt mallei ferrum candens, ita eos in fornace gehennæ sine fine verberent.] Hinc & sanctus Gregorius in libro XV. Moralium dicit, Quia omnipotentis, inquiens, iustitia futurorum præscia ab ipsa mundi origine ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.] Et S. Hieronymus in libro X. Commenti Esaiæ Prophetæ, Ab heri quippe & præterito tempore præparata est à rege domino Thofeth, id est lata & spatiosa gehenna, quæ eos, id est impios, æternis vrat ardoribus.] Quod mox subsecutus est de hac immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt, etiam apud Ecclesiastem bene intelligitur dictum, *Cognoui quòd omnia opera quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum. non possumus his addere nec auferre quæ fecit Deus vt timeatur.*

Prou.19.29

Lib. II. in Prou.

Eccle.3.14.

Videndum est in doctorū tractatibus, qualiter hoc exemplū suæ adstipuletur sententiæ, qua conatur asserere sicut electos ad vitam, ita & reprobos à Deo prædestinatos ad pœnā. Ait namque Hieronymus in expositione libri Ecclesiastes, *Cognoui*, inquiēs, *quia omnia quæ fecit Deus ipsa erunt in æternum. super illa non potest addi, & ab illis non potest auferri. & fecit Deus vt timeant à facie eius.* Nihil est, inquit, in mundo quod nouum sit. Solis cursus, & Lunæ vices, & terræ arborúmque siccitas vel viror, cum ipso mundo nata sunt atque concreata. Et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, & iussit humanis vsibus elementa seruire, vt homines hæc videntes intelligant esse prouidentiam, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine, at-

Cap. XXXI.

que constantia intelligunt creatorem. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Quòd si voluerimus priore sensu finito quasi à capite legere, *Et Deus fecit vt timeant à facie eius*, hic est sensus, Deus fecit hæc omnia vt timeant homines ab eo quod semel Deus disposuit in alia declinare. Pulchrè autem temperauit dicens, *vt timeant à facie eius.* vultus quippe Domini super facientes mala.] Et Alcuinus in explanatione eiusdem libri, ad Oniam sacerdotem, & Candidum presbyterum, & Natanaelem diaconum discipulos suos, *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum. non possumus eis addere quicquam, nec auferre quæ fecit Deus vt timeatur.* Nihil est in mundo, inquit, quod nouum sit. Solis cursus, & Lunæ vices, & terræ arborúmque siccitas vel viror, cum ipso mundo nata sunt atque creata. Et idcirco Deus certa ratione cuncta moderatus est, & iussit humanis vsibus elementa seruire, vt homines videntes hæc intelligant esse prouidentiam Dei, & timeant à facie Dei, dum ex rerum æqualitate, cursu, ordine, atque constantia, intelligunt creatorem.]

Rom. 1. 20.

Eccle. 3. 14.

Et quoniam hoc de Ecclesiaste testimonium qualiter suæ adstipulationi conueniat, videlicet quia nequaquam conueniat, doctorum sententiis demonstrauimus, ex hoc quod præmisit, De hac inquiens immobilitate præscientiæ & prædestinationis Dei, per quam apud eum futura iam facta sunt, Prosper illi ex libro II. de Vocatione gentium respondeat, Non est, inquiens, in Deo accidens, motus, aut noua voluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur. sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia iam retribuit qui quæ sunt futura iam fecit. Hinc est illud beati Pauli Apostoli scribentis ad Ephesios, *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate. qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipso, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*, & cetera, (sicut ibidem lector quisque deuotus vel curiosus pleniùs & latiùs poterit inuenire,) quæ sub eiusdem sensus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno Dei semper mansisse consilio, omnésque adoptionis filios, non solùm in eo tempore quo iam existentes vocati sunt, sed etiam priusquam mundus constitueretur, electos. In qua electione quisque hominum in Christo præcognitus non est nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui ad regnum Dei de cuiuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista quæ sæcula cuncta præcessit adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac benedictione discretus est. De plenitudine quippe membrorum corporis

Cap. 33.

Ephes. 1. 3.

Christi præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit & nullo detrimento minui potest. summa præcognita atque in Christo ante sæcula æterna præelecta. sicut ad Timotheum scribens Apostolus dicit, *Conlabora Euangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra; sed secundùm suum propositum, & gratiam quæ data est nobis ante tempora æterna.* & sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ, velut Apostolus ait, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum. non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauítque vt essemus. Fecit autem hoc secundùm placitum voluntatis suæ, vt nemo de sua sed de illius erga se voluntate glorietur. Fecit hoc secundùm diuitias gloriæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, non nostrum, sed eius qui vniuersa operatur, vsque adeo vt ipse in nobis operetur & velle. operatur autem secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.] & item, Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, qui secundùm propositum vocati sunt. & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.] & item, Elegit ergo eos de mundo cùm hîc ageret carnem, sed iam electos in seipso ante mundi constitutionem.]

2.Tim.1.8.

Cap.xviii.

Ephes.1.4.

Cap.xvii.

Talis est fides orthodoxorum, de prædestinatione sanctorum. Studeat & dicat capitulorum istorum compilator, quia relictos reprobos, impios & iniustos, ac perituros, ante mundi constitutionem prædestinauit Deus ad interitum, & perditionem, & pœnam. Nos dicere non audemus, quia non dixit Apostolus, nec per eum loquens Dominus Iesus Christus. Nec emendatiore stylo & vngue censorio corrigens sua scripta beatus Augustinus iussit eisdem scriptis nos taliter prædicare. Dicit idem beatus Augustinus in eodem libro, Electi sunt itaque, quin prædestinati, ante mundi constitutionem ea prædestinatione in qua Deus sua futura facta præsciuit: electi autem de mundo ea vocatione qua Deus id quod prædestinauit impleuit. Quos enim prædestinauit illos & vocauit, illa scilicet vocatione secundùm propositum. non ergo alios, sed quos prædestinauit ipsos & vocauit, nec alios: sed quos ita vocauit ipsos & iustificauit, nec alios. sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit. illo vtique fine qui non habet finem.] & item, Elegit Deus, inquiens, in Christo ante mundi constitutionem membra eius. & quomodo eligeret eos qui nondum erant nisi prædestinando? Elegit ergo prædestinans nos. numquid eligeret impios & immundos? Nam si quæstio proponatur, vtrum hos eligat, an potiùs sanctos & immaculatos, quid horum respondeat quis requirat? ac non statim ferat

Cap.eod.

Cap.18.

pro ſanctis immaculatíſque ſententiam?] & item in libro de Prædeſtinatione ſanctorum. Eſt etiam, inquiens, præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe ſaluator, ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. & item, Ipſa eſt igitur prædeſtinatio ſanctorum, quæ in ſancto ſanctorum maximè claruit, quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipſum Dominum gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei filius, prædeſtinatum eſſe didicimus. Clamat doctor gentium in capite epiſtolarum ſuarum. *Paulus ſeruus Chriſti Ieſu vocatus Apoſtolus*, & cetera vſque dum dicit, *qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute*. & item in eodem libro, Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus vt caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus vt membra eius eſſemus.] & item, Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui.] Et in fine libri de Bono perſeuerantiæ, Nullum eſt autem, inquit, inluſtrius prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe Ieſus, vnde & in primo libro iam diſputaui, & in huius fine commendare delegi. nullum eſt inquam inluſtrius prædeſtinationis exemplum quàm ipſe mediator. Quiſque fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipſum, atque in eo inueniat & ſeipſum. Fidelis inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id eſt noſtram, quamuis ſingulariter ſuſcipiente Deo verbo, in vnicum Dei filium ſublimatam, ita vt qui ſuſcepit & quod ſuſcepit vna eſſet in Trinitate perſona.] Ecce caput, ecce lumen prædeſtinatorum, ecce prædeſtinationis exemplum. Quocirca qui reprobos ad interitum prædeſtinatos dicunt, dicant à quo ſunt prædeſtinati, proferant prædeſtinationis illorum exemplum, oſtendant caput talium prædeſtinatorum, demonſtrent, quia lumen non poſſunt, tenebras eorum.

Cap. xv. — Ibidem. — Rom. 1. 1. — Cap. xvi. — Cap. xxiv.

Contra quos videlicet, qui reprobos ad interitum prædeſtinatos dicunt, S. Proſper in reſponſione XII. contra Vincentianos dicit, Hi autem de quibus dicitur, *ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum*, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi.] & ſanctus Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ, Ex duobus, inquit, piis cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi non donetur, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam *ſi fuiſſent ex nobis*, ait vnus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, *manſiſſent vtique nobiſcum*. Quid eſt, quæſo, *non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent manſiſſent vtique nobiſcum*? Nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit *omnem flatum ego feci*, vnius eiuſdémque naturæ animas acceperunt? nonne poſtre-

1. Ioan. 2. 19. — Cap. viii. — 1. Ioan. 2. 19. — Eſa. 57. 18.

mò vtrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti? vtrique ex impiis iuſtificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati?] Secundùm hæc omnia ex nobis erant. & poſt paululum, Non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius qui vniuerſa operatur.] Attendite quid beatus Auguſtinus dicit, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. cur non dixit hunc eſſe ex prædeſtinatis ad vitam, illum ex prædeſtinatis ad interitum? Et Proſper in recapitulatione x. obiectionis Gallorum dicit, Prædeſtinatus itaque viuit ex fide ſibi donata, non prædeſtinatus perit infidelitate voluntaria, non coacta.] & in libro ſententiarum cap. XXVIII. Si omnes ſimul conſideremus, quorum alij miſericordia ſalui fiunt, alij veritate damnantur, vniuerſæ viæ Domini, id eſt miſericordia & veritas, ſuo fine diſiunctæ ſunt.]

» Tandem concludit compilator capitulorum dicens, Verùm ali-
» quos ad malum prædeſtinatos eſſe diuina poteſtate, videlicet vt quaſi
» aliud eſſe non poſſint, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui
» tantum mali credere voluerint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſi-
» ca Synodus, illis anathema dicimus. Faciat ſicut promiſit. Legat totam illam Synodum, & videat ſi inuenire potuerit vt prædeſtinatos ad interitum aliquo modo eadem ſacra Synodus dixerit, & ſi hoc ibi inuenerit, dicat ſicut illa Synodus dixit. Si autem hoc ibi non inuenerit, quod dixit dicat, vt non aliud quàm verum dicat, quia profeſſus eſt ſicut illa Synodus dixit ſe dicere. Si enim aliter dixerit, aut aliud fidei contrarium ſuperaddiderit, manifeſtum eſt eum anathema contraria ſentientibus non dicere ſicut illa dixit, quæ in nullo à fide catholica diſcordauit.

Et quia in ſcripturis dicitur malum, non ſolùm peccatum, ſed & peccantis ſupplicium, videat in Catholicorum ſententiis, vtrum homo, ſicut nec ad peccati malum, ita etiam nec ad pro peccato ſupplicium prædeſtinatus intelligi debeat, ſed potiùs ex retributione iuſtitiæ voluntariè peccanti à iuſto iudice debitum ſit prædeſtinatum ſupplicium. Malum ſiquidem in ſcripturis afflictio nominatur, ſicut ſcriptum eſt, *Sufficit diei malitia ſua*, quam pro afflictione poſitam doctores exponunt: ſicut & dies mala vocatur, non quòd mala ſit, ſed quòd mala faciẽtibus ſit mala. Ita & ignis æternus malus torquendis eſt peccatoribus, Angelis ſcilicet & hominibus malis. non in natura bona operum diuinorum, qua creati ſunt Angeli, & homines, & idem gehennæ ignis: ſed operatione malorum. cuius operationis initium eſt infidelitas, ſcilicet deſertio veritatis, ſicut initium ſalutis fides eſſe dinoſcitur donata gratia largitoris. Idem enim ignis, qui ſtantibus Angelis & hominibus nocere non potuit, cadentium tranſgreſſionem ex retributione iuſtitiæ punit, ſicuti & flamma fornacis Babylonicæ innocentium vincula arſit, & nec capillum quidem eorum aduſſit, diffuſa autem circa fornacem incendit quos reperit miniſtros regis qui eam incendebant. Et ignis tremendi iudicij, qui

Matt.6.34.

qui iudicem venturum præibit, inflammabit in circuitu inimicos eius, & erit sanctis obuiam illi euntibus peruius. Sed & Sol iste visibilis mundum inluminat, & infirmis oculis nocet, non ex se, sed ex passionibus oculorũ: qui non sibi ipsi diuersus diuersa agit, cùm ceram liquat & lutum stringit. Et panis vitam fortium roborat, paruulorum necat, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, & venenum mors est homini, & vita serpenti. Sic vna Dei in Ægypto signorum operatio molliebat cor credulorum, & incredulos indurabat. quia iuxta duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizabant sibi iram in die iræ ex his mirabilibus, quæ cùm videbant fieri non credebant. Et prædicatorum sermo aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Sic & spiritibus refugis, & hominibus reprobis, operatione sua malus fit ignis æternus, creatione diuina bonus.

Ad quod etiam malum, videlicet mortem sine morte, non est homo à Deo prædestinatus, sicut nec ad animæ mortem vel corporis. Adam quippe, vt notum est, peccando animæ mortem cum omni stirpe sua incurrit, de qua scriptum est, *Deus mortem non fecit.* Et ideo mortem à iudice iusto vindicante recepit, hoc est in separatione animæ & corporis, & nisi Dei gratia ante separationem liberata fuerit, in æterna cruciatione animæ ipsius & corporis, illa scilicet, qua discedente anima caro sola moritur, & anima pœnis torquetur, vsque dum rediens in carnem, in eadem & cum eadem in qua peccauit, æternaliter puniatur: vt cum qua communicauit morti peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cùm ipsa communicet morti supplicij, quod præparauit diuina iustitia peccatori. De hac morte saluator noster dicit, *Eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, & de qua scriptum est, *Mors & vita à Domino Deo est*, vt Augustinus exponit, vita scilicet à donante, mors à vindicante. Et vt Prosper dicit in libro Sententiarum cap. ccxcv. Iustum iudicium Dei est, vt peccato suo quisque pereat, cùm peccatum Deus non faciat, sicut mortem non fecit, & tamen quem morte dignum censet occidit. Vnde legitur, *Deus mortem non fecit*, & legitur, *Mors & vita à Deo est*. Quæ duo inter se contraria profectò non videt, quisquis ab operibus diuinis iudicia diuina discernit. quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem.] & iterum cap. CCXCVI. Deus quidem mundum fecit, & corpora prorsus omnia: sed vt corpus corruptibile adgrauet animam, & caro concupiscat aduersus spiritum, non est præcedens natura hominis instituti, sed pœna damnati.] & item contra Gallos, Prædestinatio Dei est, quæ in electis & reprobis aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.] & Paulus confirmat, *Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*, qua bonus & misericors Deus æternaliter in homine coro-

Sap. 1. 13.

Matth. 10. 28.

Cap. ccxcv.

Cap. ccxcvi

Cap. xiv.

Rom. 6. 23.

nat quod temporaliter bene gestum est. quia homo, qui præuenien-te, comitante, & subsequente se Dei gratia, ex voluntate & recta intentione à peccatis, quantum humana fragilitas patitur, se custodiuit, aut ante mortem à peccatis vel incredulitate se retraxit, & in fide recta & bonis operibus vsque ad finem corporalis vitæ perseuerauit, semper Deo viuere vellet, si semper in corpore sine mortis intercessione viuere potuisset. Econtrà verò, stipendio peccati, morte videlicet sempiterna, Deus æternus & iustus ideo quod malè temporaliter ab homine gestum est æternaliter vindicat, quia homo, qui in incredulitate & in peccatis volens vsque ad finem corporalis vitæ perseuerauit, semper peccare vellet, si semper viuere secundùm suum libitum potuisset. Vnde Prosper in libro Sententiarum cap. CCLXXVI. Naturale nobis est velle viuere, malè autem viuere iam non est naturæ, sed peruersæ voluntatis, quam iustè pœna consequitur.]

Quia verò sicut nec ad peccati, ita nec ad mortis malum, homo sit à Deo prædestinatus, Augustinus in libro quarto de Trinitate demonstrat dicens, *Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.* Huius viæ mediator diabolus fuit, persuasor peccati & præcipitator in mortem. Nam & ipse ad operandam duplam mortem nostram, simplam attulit suam. Per impietatem namque mortuus in spiritu, carne vtique mortuus non est. Nobis autem & impietatem persuasit, & propter hanc vt in mortem carnis venire mereremur effecit. Vnum ergo appetiuimus iniqua suasione, alterum nos secutum est iusta damnatione. Propterea quippe scriptum est, *Deus mortem non fecit*, quia causa mortis ipse non fuit. Sed tamen per eius retributionem iustissima mors inrogata est peccatori, sicut supplicium iudex inrogat reo, causa tamen supplicij non est iustitia iudicis, sed meritum criminis. Quò ergo nos mediator mortis transmisit, & ipse non venit, id est ad mortem carnis, ibi nobis Dominus Deus noster medicinam emendationis inseruit, quam ille non meruit, occulta & nimis arcana ordinatione diuinæ altæque iustitiæ. Vt ergo sicut per vnum hominem mors, ita per vnum hominem fieret resurrectio mortuorum, quia magis vitabant homines quòd euitare non poterant, mortem carnis, quàm mortem spiritus, id est, magis pœnam quàm meritum pœnæ, (nam non peccare aut non curatur, aut parum curatur: non mori autem, quamuis non obtineatur, vehementer satagitur.) vitæ mediator ostendens quàm non sit mors timenda, quæ per humanam conditionem iam euadi non potest, sed potiùs impietas, quæ per fidem caueri potest,] & reliqua, quæ ibi prosequitur. & Prosper in libro Sententiarum cap. CCLI. Homo factus erat immortalis, Deus esse voluit. non perdidit quod homo erat, sed perdidit quod immortalis

Cap. XII. Rom. 5. 12.

Sap. 1. 13.

erat, & de inobedientia superbiæ contracta est pœna naturæ.] Ecce ostendunt isti doctores catholici, quia homo nec ad peccati, neque ad supplicij malum sit à Deo prædestinatus, sed ex retributione iustitiæ, sicut & mors corporis, ita & interitio retributa sit illi debitæ vltionis iustæque punitionis.

CAPVT XIII.

De eo quod Fulgentius in libro suo ad Monimum scripsit, prædestinationem Dei, non tantùm in bono, sed etiam in malo dici.

NVNC videamus de hoc quod dixit Fulgentius in suprascripto libro ad Monimum, prædestinationem Dei non tantùm in bono dici, sed etiam in malo. Ad quod respondeat illi idem B. Augustinus ex libro de prædestinatione sanctorum, quem sicut est laudandus, eum Fulgentius isdem laudauerat. ait enim, Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est vt dixi præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.] & ipse Fulgentius à seipso proposita medicina sanari procuret. ait enim idem, vt præmisimus, in præfato libro, Huic itaque prauitati, inquiens, quæ B. Augustini dictis non ex veritate sed ex liuore obiciebatur, tali Prosper sermone respondit, Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. vniuersæ enim viæ enim Domini misericordia & veritas.]

Cap. I.

Lib. I. ad Mon. c. 30.

Adhuc etiam, vt cum venia domni Fulgentij dicamus, aliud quod nos ex verbis illius mouet demonstrare volumus. Dixit enim in præscripto libro, sicut ostendimus, Non autem ignoras, inquiens, etiam præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de prædestinatione sanctorum, à quibusdam Gallis obiectum, quòd B. Augustinus in assertione prædestinationis diuinæ, peccatores non ad solum prædestinatos diceret iudicium, sed etiam ad peccatum. Cuius dicta, quia celeri præuentus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus recta defendit fide, & copioso sermone. Ex quibus Gallorum capitulis, vt non multa nunc ponamus, ne libellum istum, quem prolixum facere disputando necessitas cogit, prolixiorem voluntas facere videatur, duarum responsionum loca duximus inserenda.] & prætermittens illas responsiones apertiùs sibi contradicentes, quamuis & istæ ipsæ illi apertè resistant, quas Prosper obiectionibus de eisdem libris collectis respondit, ad alias se conuertit dicens, Quarta-decima quippe Gallorum obiectio sic habetur, Quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: & quòd Deus ita diffiniuerit, vt qui-

Cap. eodē.

cumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant. Huic itaque prauitati, quæ beati Augustini dictis, non ex veritate, sed ex liuore obiciebatur, tali Prosper sermone respondit, Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donum pertinens gratiæ. vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est. quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Decima quinta etiam obiectio his verbis inserta est, Quòd idem sit præscientia quod prædestinatio. cui Prosper sic respondit, Qui præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur adscribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatorémque eorum Deum, mala autem ad voluntariã rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est, sine vlla temporali differentia, Deum & præscisse simul & prædestinasse quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodò, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.] Post hæc autem finem libro imposuit.

Sed cur apertiores responsiones Prosperi, ad quas se reclamauit, dimiserit & istas posuerit, ipse viderit. Nos autem reclamantibus per Fulgentium, ipsas obiectiones & responsiones commemoratas à Fulgentio, de præfatis B. Augustini libris proponere dignum duximus. vt si nos fortè noluerint, consilium Fulgentij, sicut ipsi dicunt eorum fautoris, quod in reliquum proferemus, obaudiant. Ait enim B. Prosper ad Camillum & Theodotum presbyteros Ianuensium ciuitatis, In libris, inquiens, beatæ memoriæ Augustini, quorum titulus est de Prædestinatione sanctorum, quædam sanctitatem vestram, vel insolita, aut minus clara, mouerunt.] Et sic per septem obiectiones & responsiones progrediens ad octauam peruenit, qua dicitur, Sequitur deinceps quod in libro inuenitur secundo, An quisquam dicere audebit Deum non præscisse quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam? Quæ vtique si præsciuit, beneficia sua quibus nos dignatur liberare præsciuit. Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur? cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur? vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt si mira illa Christi signa vidissent? sed quoniam vt crederent non eis erat datum, etiam vnde crederent est negatum.] Ad hæc S. Prosper respondit, quem

In Præfatione.

Obiectione IX.

Fulgentius de fide & copioso sermone laudauit, Qui istis resistunt, hoc sentire apertissimè probantur, quòd fides non sit donum Dei, & quòd gratia non præueniat liberum arbitrium, sed sequatur, & quòd gratia Dei secundùm merita nostra detur.] & post paululum, Verè qui ita sentiunt fidem non acceperunt, aut quam acceperant perdiderunt.] & item post pauca, Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur, præscisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam. & si hæc præsciuit, beneficia sua illum quibus nos dignatur liberare, præscisse: & hanc esse prædestinationem sanctorum. prædestinationem scilicet & præparationem beneficiorum Dei, qua certissimè liberantur quicumque liberantur. Ceteros autem, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos, & quid nobis remissum sit in eis discamus, de quorum queri damnatione non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum, nec quisquam sub iudicio eius innocens perit.] & reliqua, quæ breuitatis causa hîc ponere supersedimus, quæque qui studiosè vel curiosè voluerit, in suis locis legere præualebit.

Nunc autem audiant, qui dictis innituntur Fulgentij, ipsius consilium. Ait enim in præfato libro, quasi eorum Synagogulam adloquens in Monimo, Nos itaque carissime hæc interim pauca de libris sancti Augustini, & de responsionibus Prosperi, ob hoc maluimus huic libello inserere, vt cuncti nouerint quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorúmque sentire.] Quid sit autem quod cuncti inde sentire debeant secundùm eius consilium, idem in capite sequentis libri ad eumdem Monimum loquitur dicens, Satis, vt arbitror, Monime carissime, quæstionem de diuersitate prædestinationis, iustorum scilicet & iniquorum, hoc est, quos gratuita misericordia Dei præueniens iustificando conuertit glorificatura conuersos, & eorum, quos iusta Dei seueritas in peccatis derelinquit punitura damnandos, superior sermo, in quantum Dominus pusillitatem nostram dignatus est adiuuare, & pertractatam continet & solutam: ita vt plerique, licèt in ea soleant non leuiter permoueri, facilè possint, & diuinorum librorum testimoniis instrui, & sancti Augustini libris, & Prosperi eruditissimi viri responsionibus informari, quibus agnoscant prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iustè. Et quia in peccatis nec misericordia inuenitur nec iustitia, ideóque omnem iniquorum malam voluntatem qua peccant, à Deo præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam, cùm ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo quo fuissent à Domino recessuri, nec Deum prædestinasse discessionem hominis à se, cùm causa ipsa discessionis

Lib. 1. sub finem.

Lib. 2. c. 1.

ſola voluntaria eſſet auerſio peccatoris. quæ, quia Deum futura non latuit, in æterna præſcientia eius præparatam ſibi pœnam iuſtæ retributionis inuenit.]

CAPVT XIV.

Hinc ſequitur exhortatio ad ſcholam dyſcolam Gotheſcalci.

NVNC ex Gotheſcalci ſchola, quicquid antea dixerit, Fulgentij audite conſilium, & credite dictis Auguſtini ac Proſperi, quæ iſdem Fulgentius paulo antè propoſuit, Prædeſtinatio inquiens Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ, & prædeſtinationem ac præparationem gratiæ Dei, qua certiſſimè liberātur quicumque liberantur. ceteros autem, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iuſto nouerimus iudicio non exemptos. & confitemini electos, id eſt, de generali maſſa perditionis ab eo lego, quo dicitur *Qui legitis flores*, gratia electos, & prædeſtinatos, id eſt, gratia præparatos ad vitam. ceteros autem in maſſa perditionis iudicio iuſto relictos: quibus ex retributione iuſtitiæ à iuſto iudice eſt pœna prædeſtinata, ſicut electis à piiſſimo largitore dono gratiæ vita eſt æterna donata. Nam & Apoſtolus hoc vtrumque teſtatur dicens, *Stipendium enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* Rom. 6. 23.

CAPVT XV.

De quorum verbis atque ſcripturarum ſententiis quatuor capitula, à nobis olim contra reexortos Prædeſtinatianos excerpta, quæ iſtorum capitulorum compoſitor reprehendit, collecta fuerint & excerpta. & quæ inde veteres Prædeſtinatiani dixerint, quæve moderni ex his delirantes dicant hæretici.

ET quia de duobus capitulis, neſcimus à quo ex Flori ſcripto de præſcientia & prædeſtinatione Dei excerptis, ſingillatim præmiſſis ſententiis, ex orthodoxorum verbis & ſenſibus, pro mediocritate ingenioli noſtri reſpondimus, vt congruentiùs oſtendere valeamus, de quorum verbis capitula à nobis excerpta, & à præfatorum capitulorum compoſitore reprehenſa collegimus, neceſſarium duximus, alligare in quatuor faſciculis ad comburendum zizania, quæ in Dominici tritici medio priſci ſeminarunt Prædeſtinatiani, varia quidem voce, ſed cognata paríque impietate, de Dei præſcientia & prædeſtinatione ſuum dogma pernicioſiſſimum componentes. quos Auguſtinus & Proſper ſuis ſcriptis ſufficientiſſimè reuicerũt, & contra quos B. Cæleſtinus decreuit. Quorum vnum eſt, quia ſecundùm præſcien-

tiam Deus homines damnet pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent si viuerent. Aliud est, quòd ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, & licèt piè iustéque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reseruentur, donec ruant & pereant. & quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum siue ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur: quoniam Deus tale in hominibus plasmet arbitrium quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit velle nisi malum. Tertium est, quòd idem sit præscientia quod prædestinatio. In quarto autem, prædestinationem electorum ad vitam non denegant, & reproborum prædestinationem ad interitum confitentur: quos sicut dicunt à Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. De quibus moderni Prædestinatiani vnum non tangunt, aliud transiliunt, tertium declinant, quartum colore mutant, sed odoris atque saporis intelligentia redolent. Dicunt enim, prædestinauit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum, cùm non nisi per peccatum perueniri valeat ad interitum.

Quæ quatuor hæretica, beatus Augustinus & Prosper, & cum illis posterior tempore sed prior loco sanctus Gregorius, paria iudicantes æqualiter, & ipsi pariter condemnantes dissoluunt. Ait enim beatus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, Dici non potest quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholica auctoritate condemnant. Scripsit librum de mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Ecclesiasticas litteras amant laudabiliter notum: in quo propterea dicit, non solùm non esse fidelibus inutilem mortem, verùm etiam vtilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest, si etiam futura quæ commissa non sunt peccata puniuntur? Ait tamen ille copiosissimè atque optimè, peccādi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post istam. vbi & illud testimonium ponit de libro Sapientiæ, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Quod à me quoque positum fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro catholico adhibitum. quasi excepta huius libri adtestatione, res ipsa non clara sit, quam volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare Christianus, iustum si morte præoccupatus fuerit in refrigerio futurum? quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit iustum, si à sua iustitia recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi sua præterita profutura iustitia, huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicit? Porrò si quæratur à nobis, vtrum si tunc esset mortuus,

Cap. XIII.

Cap. XIV.

Sap. 4. 11.

quando erat iustus, pœnas esset inuenturus an requiem, numquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa cur dictũ est à quocumque sit dictum, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat. id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset.] & post aliquanta, Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent si viuerent; nihil prodest ei, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, nihil prodest eis qui lapsi moriuntur, si antè morerentur, quod nullus dicere Christianus audebit. Quocirca non debent fratres nostri adstruere, quod non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus, secundùm ea scilicet iudicari quemque mortuorum, quæ gesturus fuerat si tempore prolixiore vixisset.] Et sanctus Gregorius in libro Moralium XXVII. Bene, inquit, per Salomonem dicitur, *Sicut ignoras quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei qui fabricator est omnium.* Vt enim vnum è multis loquar, duo ad hanc lucem paruuli veniunt, sed vni datur vt ad redemptionem per baptisma redeat, alter antè subtrahitur quàm hunc regenerans vnda perfundat: & sæpè fidelium filius sine fide rapitur, & sæpè infidelium concesso fidei sacramento renouatur. Sed fortasse aliquis dicat, quòd hunc Deus acturum prauè etiam post baptisma nouerat, & idcirco eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, peccata quorumdam proculdubio priusquam sint perpetrata puniuntur. Et quis ita recta sciens dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat? Occulta itaque sunt eius iudicia, & quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari.]

Sap.4.11. Cap.2. Eccli.11.5.

De alio Prosper contra Gallos demonstrat, quia in baptismo Christi cuncta remittuntur peccata: sed qui post baptismum à Christo recedit, & alienus à gratia finit hanc vitam, non propter illa quæ ei in baptismo remissa sunt, sed propter illa quæ postea admisit crimina condemnatur. In quæ prolapsus, & sine pœnitentia deficiens, non ex eo necessitatem pereundi habuit quia prædestinatus non fuit, sed ideo non fuit prædestinatus, quia talis futurus ex voluntaria præuaricatione fuit à Deo præscitus. Liberum arbitrium in homine esse dicit: sed ante inluminationem fidei in tenebris & in vmbra mortis manere, priusquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur. In quo voluntas in bonis sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda sit sine gratia.] De tertio idem Prosper dicit, quia non est dubium, sine vlla temporali differentia, Deum & præscisse simul & prædestinasse,

Cap.11. Cap.VI. Cap.XV.

nasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda: præscisse autem tantummodò, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia, prædestinatio autem sine præscientia esse non potest.] De quarto nihilominus idem beatus Prosper, de verbis sancti Augustini ex libro qui titulatur de Bono perseuerantiæ, in responsione VIII. contra Ianuenses dissoluit & repulit, Agnoscamus inquiens sapienter, piéque fateamur, præscisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum quibus nos dignatur liberare præscisse, & hanc esse prædestinationem sanctorum, prædestinationem scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissimè liberantur quicumque liberantur. ceteros autem quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos.] & in absolutione obiectionis tertiæ Gallorum ita dicit ad locũ, Quòd ergo huiusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.] & post pauca, Non enim relicti sunt à Deo vt relinquerent Deum, sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt. atque ob hoc licèt fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen qui illos tales præsciuit, non sunt prædestinati.]

Cap. 11.

Alia duo etiam adinuenerunt prisci Prædestinatiani, vt obnixiùs suam possent confirmare sententiam, quòd Deus reprobos & ad peccatum prædestinauerit, & ad interitum. scilicet quia non vult omnes homines saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, etiamsi omnes saluari velint: & quòd non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus. quia certum est, *si omnes homines*, secundùm Apostolum, *vult saluos fieri*, & *pro omnibus mortuus est*, vt Petrus dicit, neminem vult perire, & nullum credendus est ad perditionem prædestinasse. Contra quæ quatuor Capitula, nouorum Prædestinatianorum infestatione, ex catholicorum Patrum dictis & sensibus quatuor iterum Capitula excerpere sumus compulsi. quæque, sicut in Capitulis à vestra dominatione nobis ante triennium datis, & in Valentina Synodo habitis, scriptum reperimus, reprehensoris condemnatione, iudicio sancti Spiritus, sicut illi non Deo dicere placuit, sunt explosa. Vnde necesse est nobis ostendere, de quorum dictis studuimus illa excerpere, vt euidentiùs clareat si credendi sunt illi Spiritu sancto locuti fuisse, quorum verba lector quisque in Capitulis à nobis excerptis inueniet. Quod cùm fuerit comprobatum, nemo ambiget, explosorem istorum capitulorum de illorum fuisse numero, de quibus scriptum est, quia

1.Tim. 2.4.
1.Petr.3.18.

prophetabant de corde suo dicentes, Hæc dicit Dominus, cùm Dominus non sit locutus. & quia sicut item Dominus dicit per Prophetam de pariete ædificato seu lito absque temperamento, Ite, dicite parieti illi quia casurus est. cuius ædificatoribus væ pronuntiatur ab ipso. & alibi ad Prophetam iterum Dominus dicit, *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices, & plantes*. Impulso pariete ædificato super arenam, & euerso, quia non habuit Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam fundamentum, & disperso, quoniam non habuit ædificatores Apostolos, & Apostolicos viros, conuenit ædificare nos, super fundamentum verum, de lapidibus viuis, sententiis scilicet catholicis, munitionem simplicibus & fidelibus contra hæreticorum fumosos impetus: & impleto à veritate dicto veridico, *omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis eradicabitur*, oportet nos plantare fidelia germina, proferentia fructus, id est intellectus fideles, ad quod sumus gratia Dei plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Ezech. 13. 2. 11.

Hier. 1. 10.

Matt. 15. 13.

CAPVT XVI.

Abhinc excerpti à nobis primi Capituli textus ponitur, & vnde sumptus fuerit membratim designando monstratur.

HIC enim est textus primi Capituli, *Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio malè vtens peccauit, & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundùm præscientiam suam quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. ceteros autem, quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit: pœnam autem illis quia iustus est prædestinauit æternam. Ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodò dicimus. quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.* Ecce Capitulum, quod de prædestinatione electorum Dei gratuita gratia, & relictione reproborum iustissimæ ipsius retributionis iustitia, contra Gothescalcum & erroneam eius scholam, necessitate compulsi, & interrogatione principalis deuotionis exacti, secundùm sanctarum scripturarum tramitem, ex verbis beati Augustini ac Prosperi, ceterorúmque catholicorum doctorum sensibus excerpere procurauimus. Quod quia cum aliis tribus à nobis excerptis, quasi à Patrum catholicorum doctrina & fide discordans, ab infestissimo explosore abominatur, membratim necesse est nobis per verba singula demonstrare, qualiter non modò cum sensu atque doctrina, verùm & cum verbis orthodoxorum Patrum vsquequaque concordat.

Scripsimus enim in principio Capituli, *Deus omnipotens*, sicut scriptum est in Heptatycho dixisse Dominum ad Moysem, *Ego Dominus Deus, hoc est nomen meum memoriale sempiternum in generationes & progenies.* & Hilarius in Psalmo CXXIX. Humanæ, inquit, infirmitatis religiosa confessio est, de Deo hoc solùm nosse, quòd Deus est. & Ambrosius in epistola ad Galatas, Deus enim naturæ nomen est & potestatis. & in cantico Exodi, *Omnipotens nomen eius.* Vnde ex Symbolo Apostolico, Nicæno, & Constantinopolitano, secundùm Propheticas, Euangelicas, & Apostolicas voces, Deum omnipotentem credimus, confitemur, & prædicamus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia. ipsi gloria in sæcula sæculorum.

Exod.3.15.
Exod.5.3.

Subsecuti sumus, *Hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit.* & in Genesi scriptum est, *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum.* Constat enim, & nemo fidelium dubitat, neque diffitetur, quia quem ad imaginem suam Deus sanctus & rectus, qui sine peccato est, condidit, rectum & sine peccato illum creauit. & in libro Ecclesiastico, *Deus creauit hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum.* & iterum, *Conuertit illum in ipsam, & secundùm se vestiuit illum virtute.* & iterum, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* & in Ecclesiaste, *Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Vnde Alcuinus in explanatione eiusdem capituli dicit bonos nos à Deo creatos, sed quia libero sumus derelicti arbitrio, vitio nostro ad peiora labi, dum maiora quærimus, & vltra vires nostras varia cogitamus.] Et beatus Augustinus in libro de Correptione & gratia ad locum ita dicit, Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere.] & aliquanto superiùs in eodem libro, Quapropter saluberrimè confitemur quod rectissimè credimus, Deum dominúmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis exortura esse præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæque iudicium. & post pauca, Sic & hominem fecit cum libero arbitrio.] & item in libro de Natura & gratia, Cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquimur.]

Gen.1.27.
Eccli. 17. 1.2.
Eccli.15. 14.
Eccle.7.30.
Cap.XII.
Cap.X.
Cap.67.

Deinde subiunximus, *Et in paradiso posuit.* quod & lectio Genesis docet, *Plantauit*, inquiens, *Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.* Prosecuti sumus, *quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit.* Vnde & beatus Gregorius in Homilia Euan-

Gen 2 8.
Hom.34. in Euang.

Non longè à principio gelij, *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores*, ad locum dicit, Angelorum quippe & hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit. quam dum consistere ad æternitatem voluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creauit.] In qua æternitate homo permansisset, si in sanctitate iustitiæ perstitisset, sicut sanctus Augustinus in præfato libro de Correptione & gratia, In quo statu, inquit, recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium homo manere voluisset, profectò sine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam merito huiusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati. id est, vt cadere non posset vlteriùs, & hoc certissimè sciret. Nam quomodo ipse posset etiam in Paradiso beatus esse, (immo ibi non esset, vbi esse miserum non deceret,) si eum sui casus præscientia & timor tanti mali miserum faceret?] Et item beatus Gregorius in libro VIII. Moralium Iob. Ad hôc namque homo conditus fuerat, vt stanti mente in arcem se contemplationis erigeret, & nulla hunc corruptio à conditoris sui amore declinaret.] Item in eodem, Ad contemplandum quippe creatorem homo conditus fuerat, vt eius semper speciem quæreret, atque in solemnitate illius amoris habitaret: sed extra se per inobedientiam missus, mentis suæ locum perdidit, quia tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione veri luminis elongauit.] Item in libro XVII. Ad vitam namque homo conditus in libertate propriæ voluntatis, sponte sua factus est debitor mortis.] Item in XIIX. Contemplatus quippe interna gaudia visionis Dei, & socialem frequentiam Angelorum persistentium, reduxit oculos ad ima. vidit quo iaceret, qui ad hoc conditus fuerat, vt in cælestibus stare potuisset.] Item in libro XX. Humanum igitur genus recto Dei iudicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium.] & in Homilia XVII. Quid autem animas hominum nisi cibum Domini dixerim, quæ ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traiciantur, id est, vt in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant.] Et beatus Ambrosius in Psalmo CXVIII. Vnde Apostolus, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem. Si enim non cecidissent, vtique vterentur & ipsi Dei bonitate.] Et sanctus Augustinus in libro XIII. de Trinitate, Quadam iustitia Dei, inquit, in potestatem diaboli traditum est genus humanum peccato primi hominis, in omnes vtriusque sexus commixtione nascentes originaliter transeunte, & parentum primorum debito vniuersos posteros obligante. Hæc traditio priùs in Genesi significata est. vbi cùm serpenti dictum esset *terram manducabis*, homini dictum *terra es, & in terram ibis*. In eo quod dictum est, *in terram ibis*, mors corporis prænuntiata est, quia nec ipsam fuerat experturus, si permansisset vt fuerat rectus.] & paulò inferiùs, *Eramus naturâ filij iræ sicut & ceteri*. Quocirca om-

Cap. x. Cap. VI. Cap. x. Cap. 18. Cap. 24. Cap. 16. Cap. XII. Gen. 3. 14. 19. Ephes. 2. 3.

nes homines ab origine ſub principe ſunt poteſtatis aëris, qui operatur in filiis diffidentiæ. Et quod dixi ab origine, hoc eſt, quod dicit Apoſtolus natura, & ſe fuiſſe ſicut & ceteros, natura ſcilicet vt eſt deprauata peccato, non vt recta creata eſt ab initio.] Et Hieronymus in Michea propheta in ſecundo libro, Deus enim creauit hominem ne interiret, & mortem non fecit.] Et beatus Gregorius in libro quarto Moralium, Quia enim ſi parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret, ſed qui nunc per redemptionem ſaluandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur.] Et ſanctus Ambroſius cùm tractaret, *Intellectum da mihi & viuam*, ait, Si petiſſet Adam ſicut petiuit Dauid, nequaquam illos inextricabiles erroris laqueos incidiſſet, quibus omnis eius hæreditas ſtrangulatur. Ideóque mortuus eſt, & quod grauius eſt morte peccati, quia antè vſurpauit ſcire, quàm intellectum quo viuificaretur acciperet.

Cap. 28.

Eſa. 118. 144.

Deinde ſubiunximus, *Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis.* Vnde Apoſtolus, *Per vnum*, inquit, *hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* & item, *Iudicium ex vno in condemnationem. & ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Hinc ſanctus Ambroſius in expoſitione Lucæ, Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.] Et beatus Auguſtinus, Quia verò, inquit, per liberum arbitrium homo Deum deſeruit, iuſtum iudicium Dei expertus eſt, vt cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccauerat, damnaretur.]

Rom. 5. 12. 16.

Subiunximus denique. *Deus autem bonus & iuſtus elegit ex eadem maſſa perditionis, ſecundùm præſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam.* Hinc Apoſtolorum princeps, *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis ſecundùm præſcientiam Dei patris.* Et Paulus Apoſtolus, *Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Et Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione ſanctorum, & Proſper ex eiuſdem verbis, contra obiectiones querulæ imperitiæ ſeu fallacis inuidiæ æmulorum beati Auguſtini. Prædeſtinatio eſt, inquiunt, gratiæ præparatio. quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata, & quæ prædeſtinata appellantur, non poſſunt non eſſe præſcita. Et Dominus in Euangelio, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum*, id eſt, prædeſtinatum, *eſt ab origine mundi.* & item Paulus, *Gratia autem Dei vita æterna.* Hinc Auguſtinus in præfato libro de Prædeſtinatione ſanctorum, Gratia verò eſt iam ipſa vitæ donatio. & item, Quocirca prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gratiæ eſt vt dixi præpara-

1. Petr. 1. 1.

Rom. 8. 29

Matth. 25. 34.

Rom. 6. 23.

tio, gratia verò ipsius prædestinationis effectus.

Deinde coniunximus, *Cæteros autem, quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit, pœnam autem illis quia iustus est prædestinauit æternam.* Et Prosper, actione III. contra Vincentianos, Omnium quidem hominum creator est Deus, sed nemo ab eo ideo creatus est vt periret.] Et beatus Augustinus in libro de Bono vel Dono perseuerantiæ, ad locum ita dicit, An quisquam dicere audebit, Deum non præsciisse quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam? Quæ vtique si præsciuit, profectò beneficia sua quibus nos dignatur liberare præsciuit. Hæc est Prædestinatio sanctorum, nihil aliud. præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur?] Vnde & sanctus Prosper in absolutione obiectionis VIII. contra Ianuenses, Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur præsciisse incommutabiliter Deum quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum quibus nos dignatur liberare præsciisse. & hanc esse prædestinationem sanctorum. prædestinationem scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissimè liberantur quicumque liberantur. ceteros autem, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos, & quid nobis remissum sit in eis discamus, de quorum queri damnatione non possumus.] Et Gregorius in libro XXV. Moralium, Cunctis liquet quòd in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, vt alios ad tormenta deferat, alios ad participationem regni cælestis admittat. Sed & hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstrabitur. Nam iustè ac misericorditer singulorum corda vel examinans vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecùs trahit, hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare.] Et Augustinus in supradicto libro de Correptione & gratia, Quotquot ex hac stirpe, quin primi hominis, gratia Dei liberantur, à damnatione vtique liberantur, qua iam tenentur obstricti, vnde etiamsi nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iustè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit. ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.]

Cap.14. Cap.7. Cap.X.

Et in libro de Gratia Christi, & libero arbitrio, atque originali peccato, quem Hypomnesticon appellauit, ad locum in explanatione quæstionis sextæ de prædestinatione ita dicit, Prædestinatio quippe à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum

Lib. VI. in principio.

aliquid dicitur. Et ideo Deus, cui præscientia non accidens, sed essentia fuit semper & est; quicquid antequam sit præscit prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apostolus, *Nam quos præsciuit*, inquit, *& prædestinauit.* sed non omne quod præscit prædestinat. mala enim tantùm præscit, bona verò & præscit & prædestinat. Quod ergo bonum est præscientia prædestinat, id est priusquam sit in re præordinat. Hoc cùm ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur, *Nam quos prædestinauit hos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit: quos autem iustificauit illos & glorificauit.* Iam igitur apertiùs disseramus quod loquimur, quomodo erga humanum genus præscientia & prædestinatione sua Deus, in quo iniquitas non est, vtatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam & Eua præuaricatione damnabilis mortalísque facta est, non conditione diuina generaliter, sed ex debito, pœna cruciatúsque gehennæ debetur: venia verò non merito, sed Dei iusti iudicis misericordiæ largitate confertur. Quia verò iustus & misericors Deus, præsciúsque futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ inreprehensibili, immo incomprehensibili quos præscit, misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat ad æternam vitam: ceteros autem pœna, vt prædixi, debita punit. quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit, non tamen puniendos ipse fecit vel prædestinauit, sed tantùm, vt dixi, in damnabili massa præsciuit. Quòd si à me quæris scire, cur duo ista differenter Deus facit, si personarum acceptor non est, quia generaliter aut punire debet iustitia, aut misericordia liberare, contende cum Paulo, immò si audes argue Paulum, qui dixit Christo in se loquente, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?*] & cetera quæ lector ibi sufficientissimè poterit inuenire. Nobis autem interim sufficit demonstrare, qualiter ex verbis & sensibus catholicorum à nobis Capitula sint excerpta. Et post plurima, item beatus Augustinus in eodem libro dicit, Oportet igitur vt ad ea quæ superiùs disputare cœpimus reuertamur. Diximus namque, de damnabili humani generis massa Deum prẹscisse, misericordia non meritis, quos electione gratiæ prædestinauit ad vitam: ceteros autem, qui iudicio iustitiæ eius ab hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantùm vitio proprio perituros, non vt perirent prædestinasse. Sed vt dixi, quos in opera impietatis & mortis præsciuit, non præordinauit, nec impulit, in quibus Deum ad iracundiam prouocantes, salutis fidem aut prædicatam sibi accipere nolunt, aut Deo iudice non possunt, vel accepta malè vtuntur, & ob hoc traduntur in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conuenit, his pœnam prædestinatam esse ritè fatemur.] Et sanctus Prosper in prima responsione primæ obiectionis Gallorum ad locum, Prædestinationis autem fides multa sanctarum auctoritate scriptu-

Rom. 8. 29.

Rom. 9. 20.

Lib. VI. sub medium.

rarum munita eſt, cui nullo modo fas eſt ea quæ ab hominibus malè aguntur adſcribi: ſed ex primi patris præuaricatione venerunt, de cuius pœna nemo liberatur, niſi per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti præparatam & prædeſtinatam in æterno conſilio Dei ante conſtitutionem mundi.

Cap.xii. Et Auguſtinus in libro quarto de Trinitate, Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Huius viæ mediator diabolus fuit, perſuaſor peccati, & præcipitator in mortem. Nam & ipſe ad operandam duplam mortem noſtram, ſimplam attulit ſuam. Per impietatem namque mortuus in ſpiritu, carne vtique mortuus non eſt: nobis autem & impietatem perſuaſit, & per hanc vt in mortem carnis venire mereremur effecit. Vnum ergo appetiuimus iniqua ſuaſione, alterum nos ſecutum eſt iuſta damnatione. Sap. 1. 13. Propterea quippe ſcriptum eſt, *Deus mortem non fecit*, quia cauſa mortis ipſe non fuit: ſed tamen per eius retributionem iuſtiſſima mors irrogata eſt peccatori. ſicut ſupplicium iudex irrogat reo, cauſa tamen ſupplicij non eſt iuſtitia iudicis, ſed meritum criminis. Quò ergo nos mediator mortis tranſmiſit, & ipſe non venit, id eſt ad mortem carnis, ibi nobis Dominus Deus noſter medicinam emendationis inſeruit, quam ille non meruit, occulta & nimis arcana ordinatione diuinæ altæque iuſtitiæ. Vt ergo ſicut per vnum hominem mors, ita & per vnum hominem fieret reſurrectio mortuorum, quia magis vitabant homines quod euitare non poterant, mortem carnis quàm mortem ſpiritus, id eſt, magis pœnam quàm meritum pœnæ, (nam non peccare, aut non curatur, aut parum curatur, non mori autem, quamuis non obtineatur, vehementer ſatagitur,) vitæ mediator, oſtendens quàm non ſit mors timenda, quæ per humanam conditionem iam euadi non poteſt, ſed potiùs impietas, quæ per fidem caueri poteſt.] Item Auguſtinus in libro XIII. de Trinitate, Cap.xi. Pater propter nos filio non parcit, ipſe pro nobis eum tradidit ad mortem. Sed video quòd & antea pater dilexit nos, non ſolùm antequam pro nobis filius moreretur, ſed antequam conderet mundum, ipſo teſte Apoſtolo qui dicit, Ephes. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi.*

Non longè à principio. Et S. Cyprianus in libro de lapſis, quia pœna ſit conſtituta reprobis ita dicit, In Euangelio, inquiens, Dominus in verbis doctor & conſummator in factis, docens quid fieret, & faciens quodcumque docuiſſet, quicquid nunc geritur & geretur, nonne antè præmonuit? nonne & negantibus æterna ſupplicia, & ſalutaria cõfitentibus pręmia antè conſtituit?] & in libro de mortalitate ita dicit, Nemo futurorum metum cogitat, diem Domini & iram Dei, & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat.] Item in libro de zelo & liuore. Qui odit, inquit, fratrem ſuum in tene-

De vnitate Eccleſiæ ſub finem.

Poſt medium.

bris

bris ambulat, & nescit quo eat. abit enim nescius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam. recedens scilicet à Christi lumine monentis & dicentis, *Ego sum lux mundi. qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Item in libro ad Demetrianum, Meritò ergo incursantibus plagis non desunt Dei flagella, nec verbera. quæ cùm nihil istic promoueant, nec ad Deum singulos tanto cladium terrore conuertant, manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma, & pœna perpetua. Nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hìc Dei indulgentis terror auditus est.] & item. Rectum te, inquit, Deus fecit: & cùm cetera animalia prona & ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status, & ad cælum atque ad Deum tuum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige: in supernis Dominum quære, vt carere inferis possis. sublimitatem serua qua natus es, perseuera talis qualis à Domino factus es.] & item. Credite, inquit, illi qui incredulis æterna supplicia de gehennæ ardoribus inrogabit.] Item in epistola ad Romanos, Deus enim, inquiens, vt est indulgens, ita est & præceptorum suorum exactor. & quidem diligens, sicut ad conuiuium vocat, sic habitũ nuptialem non habentẽ manibus & pedibus ligatum extra sanctorum cœtum foras iactat. Parauit cælum, sed parauit & Tartarum: parauit refrigeria, sed parauit etiã æterna supplicia. parauit inaccessibilem lucem, sed parauit etiam perpetuæ noctis vastam æternámque caliginem.] & sanctus Hilarius in expositione CXVIII. Psalmi. An cùm ex omni otioso verbo rationẽ simus præstituri, diem iudicij concupisceremus, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia?] Quia nemo Dei prædestinatione perit, & neminem Deus deserit antequam deseratur, in libro de lapsis, Quam vim, inquit, potest obtendere qua crimen purget, cùm vim magis ipse fecerit vt periret? & ita de libro Paralipomenon proponit, *Dominus vobiscum est quamdiu estis vos cum ipso: si autem dereliqueritis eum, relinquet vos.*] Præscientiam quoque non prædestinationem Dei ad pœnam docens, de libro Machabæorum ita exemplum proponit dicens, Quintus, inquit, præter quod carnificinam regis, & duros varióſque cruciatus fidei vigore calcabat, ad præscientiam quoque & notitiam futurorum, spiritu diuinitatis animatus, prophetauit regi indignationem Dei & vltionem velociter secuturam. *Potestatem*, inquit, *inter homines habes.*] & reliqua quæ prosequitur. & post paululum, Nec tanti inquit esse lucrari breuia vitæ momenta, vt offenso Deo incurrere æterna supplicia.] Quo exemplo ostenditur, quia non homo prædestinatur à Deo ad pœnam, sed ipse per propriam iniquitatem pœnam incurrit. & alibi exponens Apostolum, *thesaurizas tibi iram*, & reliqua. Iustum iudicium Dei esse dixit, quia serum est, quia diu multúmque differtur, vt homini ad vitam longa Dei patientia consulatur. Et

Ioan. 8. 12. | Cleri Rom. ad Cypr. epist. 31. | v. *Concupiuit anima mea.* | Cyprian. de exhort. martyrij cap. 8. | 2. Par. 15. 2. | Cap. 15. | 2. Mac. 7. 16. | De bono patientiæ. Rom. 2. 5.

tunc repræsentatur pœna impio & peccatori, quando iam non potest pœnitentia prodesse peccanti.

Psal.118.76 Et sanctus Ambrosius, cùm exponeret de Psalmo CXVIII. *Fiat misericordia tua vt consoletur me*, commendans gratiam Dei, Moysi enim, Exod.33.19 inquit, dicit Deus, *miserebor cuius misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero.* Igitur non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Ergo non debemus velle vel currere? Atqui negligentes Deus deserere cõsueuit. Non ergo hoc dicit, sed quid dicat consideremus. Non volentis neque currentis hominis perseuerantia est. Non est enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est, vt possis Exod.9.16. complere quæ cœperis. Denique iterum dicit, *quia in hoc ipsum te suscitaui, vt ostendam in te virtutem meam.* Colligitur ergo, adhortatio- Rom.9.17. 18. nem diuinæ misericordiæ deputandam. vnde sequitur, *Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat.* hunc miseratus hortatur, illum non reuocat execratus.] Item quia non hominem Deus prædestinauit ad ignem, & diaboli fieri consortem, sed sua iniquitate consors, immo Psal.118. 121. portio diaboli efficitur, tractans versum *Feci iudicium & iustitiam*, ait, Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli. & item, Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam quæ est idololatria. In his enim diaboli voluntatem facimus, & exequimur potestatem, qui per carnis istius desideria incentiuum suæ fraudis operatur. Quemcumque ergo in vitiorum suorum possessione repererit, tanquam obnoxium suo iuri vindicat. Adulterium quis facit, luxuriam exercet, aliena diripit, portio diaboli est. pudicus autem & continens, & misericors, Christi portio est. Christi ergo seruum sibi non potest vindicare, nisi fortè lapsum in vitia deprehenderit. Ne tum quidem vindicat, sed tanquam suum sibi tradi postulat.] & paulo pòst, Ponit thronum suum diabolus super sidera, quando electum decipit, quando iustum circumuenit, cuius opera lucent sicut stellæ in cælo. Nonne & Iudas Matt.5.14. proditor inter ceteros audiebat, *Vos estis lux mundi?* nonne diabolus lumen eius extinxit? Quin etiam, quos non potuerit circumuenire, calumniatur inuidens regni cælestis gloriam: vt quos inlecebris suis à Christo non potuit separare, eos calumniis suis debiti honoris fructu fraudare conetur.]

Et sanctus Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, cuius exemplis Sedes Apostolica cum aliorum mundi luminum, & beatus Augustinus contra Iulianum sæpenumero, & in aliis opusculis suis, velut malleo fortissimo ad conquassanda capita hæreticorum, & verticem capilli perambulantium in delictis suis, auctoritatiuè vtuntur. in libro de Reparatione lapsi ita dicit ad locum, Propterea enim, inquiens, creauit nos Deus, & esse fecit qui non eramus, vt æterna in nos conferat bona, & præstet regna cælorum. Non enim nos ad

hoc fecit vt gehennæ nos tradat igníque perpetuo. Regnum cælorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est. Et hoc ita esse ex Euangeliis doceam. Ipse etenim Dominus dicit his qui à dextris sunt, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi.* illis autem qui à sinistris sunt dicit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est*, non dixit *vobis*, sed *diabolo & angelis eius.* Si ergo propter diabolum gehenna ignis, propter hominem regnum cælorum à constitutione sæculi præparatum est. tantùm est ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus. Donec enim sumus in hac vita, quantacumque nobis acciderint peccata, possibile est absolui omnia per pœnitentiam. Cùm autem abducti fuerimus de hoc sæculo, ibi iam etiam pœnitebit nos: valdè enim pœnitebit, sed nulla erit vtilitas pœnitentiæ. Et licèt sit stridor dentium, licèt vlulatus & fletus,] & reliqua quæ prosequitur. Quod exemplum catholicissimi viri, sicut & cuiuslibet aliorum quos posuimus ac ponemus, sufficere poterat ad rectam intelligentiam & auctoritatem, si in contradicentibus maiores partes potuisset habere recti consensio, quàm praua contentio. Quem magnum virum in Synodo, & etiam in suis scriptis, Gothescalcus reprobus reprehendit. Sed Augustinus, probus ad suas confirmandas sententias, sæpissimè adprehendit. quem & nos sequentes amplectimur, qui gratia Dei diuinam scientiam & fidem catholicam comprehendit.

Matt.25. 34.41.

Et ne quilibet pertinaces, fides fidibus contentionum augentes, quibus ad sui perniciem amplius constringantur, iactitent quia diximus reprobis pœnam prędestinatam, & ex huius testimonio demonstramus, non hominibus, sed diabolo ignem præparatum æternum, attentiùs audiant quæ hic vir sanctus prosequitur, Tantùm est, inquiens, ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus. desinentes scilicet esse quod facti sumus, incipiamus esse vitio nostro quod fieri prohibemur, dicente diuino sermone, *Homo cùm in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*] Vnde sanctus Ambrosius cùm tractaret versum Psalmi CXVIII. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, ita dicit, Scriptura enim, inquiens, eum hominem dicit, qui est ad imaginem & similitudinem Dei: peccantem autem, non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem feminis, aut vulpeculam, aut iumentum vocare consueuit. *Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. In fræno & camo maxillas eorum constringe, qui ad te non appropinquant.* & *dicite huic vulpi* de Herode ait. *Generatio viperarum* vocatur ab Ioanne plebs hominum. Magnum ergo opus Dei es homo, magnum est quod dedit tibi Deus. Vide ne quod tibi Deus tribuit amittas. amittas magnum illud munus quod es ad imaginem Dei, & hoc in te puniatur magis. Deus enim non

Psal.48.13. Psal.118.73. Psal.31.9. 10. Luc.13.32. Luc.3.7.

punit similitudinem suam, sed eum punit, qui ad similitudinem Dei factus, hoc quod accepit seruare non potuit. Punit ergo illud quod ad similitudinem Dei esse desistit, hoc est peccatum tuum. Nam suam Deus non damnat imaginem, nec in illud incendium mittit æternum: sed magis vindicat imaginem de eo, qui imagini illi fecit iniuriam, vt per malitiam quod eras esse desineres, & fieres mulus ex homine. Vindicatur ergo imago, non condemnatur: vindicatur quasi expulsa, non condemnatur quasi rea. Postquam enim peccasti, aliud esse cœpisti, illud quod eras desisti. Quomodo igitur punitur in te quod in te non inuenitur? Nam si inueniatur in te imago Dei & similitudo, nō supplicio incipis dignus esse, sed præmio. Ita imago illa, quæ ad imaginem & similitudinem Dei factus es, non condemnatur sed coronatur. Condemnaris autem in eo quod ipse mutatus es, vt fieres ex homine serpens, mulus, equus, vulpecula. His nos enim nominibus iam scriptura condemnauit. qui exuti cælestis imaginis ornamento, etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus. Et sanctus Augustinus in sermone de Symbolo ad Neophytos, Mementote ita credere omnipotentem Deum, ut nulla omnino natura sit quam ipse non condidit: & ideo peccatum punit quod ipse non fecit, quia eo fœdatur natura quam fecit.]

Hinc sollertissimè perpendendum est, quàm consona isti sancti Doctores, vnò repleti spiritu, sint diuersis oribus variis locuti gentibus. Vnde & Apostolica doctrina ad imaginem Dei, ad quam creati sumus, & reformari, & renouari spiritu mentis nostræ, & nosmetipsos salubriter admonet diiudicare, vt non iudicemur, ne cum hoc mundo damnemur. & sanctus Gregorius in libro XIV. Moralium Iob, quia non homines à Deo sint prædestinati ad pœnam, sed diabolo cum corpore suo ex retributione iustitiæ sit pœna à Deo prædestinata, ita dicit, Et omnes inquiens qui de eius, id est Antichristi, peruersa persuasione in prauis actionibus nati sunt, inlustratione aduentus Domini æterno interitu cum eodem suo capite ferientur.] Item, Hæc sunt tabernacula iniqui. videlicet indicans, quia is qui nunc ignorando extollitur, tunc ad propria tabernacula perueniet, quando eum sua iniquitas ad supplicia demerget.] Item in libro XV. Manus itaque illius ei dolorem reddunt, quia damnationem iustam ex iniqua recipiet operatione. Bene autem non dabunt sed reddent dicitur: quia peruersæ eius actiones æternum ei supplicium quasi quoddam debitum soluent.] Item, *deuorabit eum ignis qui non succenditur.* Miro valdè modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. qui cùm necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere. At contrà gehennæ ignis, cùm sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec ex studio humano succenditur, nec lignis

Rom. 12. 2. Ephes. 4. 23 1. Cor. 11. 31. 32.

Cap. 11.

Cap. 5.

Cap. 17.

nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicit, *Deuorabit eum ignis qui non succenditur*. quia omnipotentis iustitia, futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.] Et sanctus Hieronymus in libro x. explanationis Esaiæ prophetæ, Ab heri quippe & à præterito tempore præparata est à rege Domino Thofeth, id est lata & spatiosa gehenna, quæ eos, id est reprobos, æternis vrat ardoribus. Item idem in libro III. super prophetam Amos, Pœnitentiam autem Dei in scripturis sic debemus accipere, quomodo somnum & iram: non quo Deum pœniteat, & mutet sententiam, qui loquitur per Prophetam, *Ego Deus & non mutor*, & cui nos dicimus, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. sed quo nobis ad meliora conuersis, & ipsum pœniteat sententiæ suæ: vt nec iusto reddat præmia quæ promisit, si declinauerit ad iniquitatem, nec peccatori pœnas quas comminatus est, si conuersus fuerit ad salutem.] & item, Vos autem, filij Israel, quasi in cribro agitatos atque concussos mundabo & eligam. vt qui lapillus fuerit, & per pœnitentiam roboratus, de cribro meo non excidat: qui autem instar pulueris ceciderit in terram, percutiatur gladio & moriatur. *peccatores populi mei*. non quia antè peccauerint, sed quia vsque ad mortem perseuerauerint in peccatis.] Item vbi dicitur, *Ecce ego mundabo*, cùm exponit testimonium Hieremiæ, *Adsumam & loquar super gentem*, & reliqua. Non ergo Deus, inquit, mutatur, qui semper est immutabilis: sed nos cùm nostram conuersationem mutamus, sæuit, irascitur, comminatur, & dicit se inlaturum esse supplicia: si agamus pœnitentiam, ipsum quoque suæ pœnitebit sententiæ.] Et sanctus Augustinus in Psalmo VII. Nec putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei de se proferre, vnde peccata puniantur: sed ipsa peccata sic ordinare, vt quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.] & in Psalmo XXVIII. Cùm venerit Dominus ferens in manu retributionis damnationes impiis, regnum iustis, societatem cum diabolo iniquis, societatem cum Christo fidelibus.] & in Psalmo XL. Nam & Zabulus Christum extinguere concupiuit, & Iudas Christum occidere voluit: occiso autem Christo & resurgente nos viuificati sumus. Diabolo tamen & Iudæ merces malæ voluntatis redditur, non nostræ salutis. Noueritis ex animo quemquam pendendum, ad retributionem vel præmij vel pœnæ.

Iob 20. 26.

Psal. 101. 28

Capitulum quoque ita subiungendo conclusimus, *Ac per hoc vnam Dei prædestinationem dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ*. & beatus Augustinus in libro de Bono vel Dono perseuerantiæ, Quia vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum, quorum alterum ad mi-

Cap. 14.

sericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*] & longè superius, In eo ergo quòd aliis gratiam dat, aliis non dat, cur nolunt cantare Domino misericordiam & iudicium? Cur autem illis potiùs quàm illis detur, quis cognouit sensum Domini? quis inscrutabilia scrutari valeat? quis inuestigabilia vestigare? Conficitur itaque, gratiã Dei non secundùm merita accipientum dari, sed secundùm placitum voluntatis eius, in laudem & gloriam ipsius gratiæ, vt qui gloriatur nullomodo in seipso sed in Domino glorietur, qui hominibus dat quibus vult quoniam misericors est. quod & si nõ det, iustus est: & non dat quibus non vult, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram, suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit, bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio certorum. & bonus in omnibus, quoniam bonum est cùm debitum redditur: & iustus in omnibus, quoniam iustum est cùm indebitum sine cuiusquam fraude donatur.] & in libro contra Pelagium & Cælestium, de gratia Christi, & libero arbitrio, & originali peccato ad locum, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se fecit, cur me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ego autem hoc dico quod dixi, quia quicquid Deus agit, misericorditer, iustè, sanctéque facit, quia solus ipse præsciendo scit quod homo nesciendo nescit. Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? aut quis dicit ei, quid me fecisti sic? Non potest tantùm dici iustus Deus, aut solùm misericors, sed iustus & misericors. Sic legimus, sic credimus. Propterea quando illi cùm Dauid misericordiam & iudicium cantamus, metuentes non interrogamus quæ sit voluntas eius, de iudicio & misericordia conquirentes.] & post paulolum. Quia si scrutari voluerimus secretum Dei, quod iustitiæ ipsius solius notum est, comprehendere non valemus, & impletur in nobis quod scriptum est, *Defecerunt scrutantes scrutationem.* Quare? quia *accessit*, inquit, *homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Sed fortè, cùm sitis reprehensibiles, iudiciorum Dei esse vos comprehensibiles iactatis. melius scilicet Deo placentes, quàm Paulus Apostolus, qui esse incomprehensibilia per sanctum Spiritum prædicauit.] & post aliquanta, Ecce in omnibus quæ ex auctoritate diuina protulimus, habes misericordiam & iudicium.]

Psal. 100. 1. Cap. 11. 12. Hypomn. lib. VI. Psal. 63. 7. 8.

Et sanctus Prosper in responsione obiectionis Gallorum XIV. ita dicit, Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, quæ ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinet gratiæ. vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas.] & sanctus Hieronymus in expositione Oseæ prophetæ, Argentum suum & aurum quicquid ha-

bere poterant naturaliter sermonis ac sensus, verterunt in idola quæ de suo corde finxerunt, & verterunt non vt interirent, sed quia verterunt ideo interierunt. Neque enim hac ratione fecerunt, vt perirent, sed quia fecerunt idcirco perierunt. Et nos verbis beati Hieronymi concordantes dicimus, non ideo perierunt, quia à Deo prædestinati sunt vt perirent, sed ideo à Deo non sunt prædestinati vt salui fierent, quia præsciti sunt ab ipso proprio suo vitio perituri, quibus ex retributione iustitiæ pœnam prædestinauit æternam.] Et Prosper in absolutione obiectionis tertiæ Gallorum, Quòd ergo huiusmodi, inquit, in hæc prolapsi mala, sine correptione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.] & item, Non enim relicti sunt à Deo vt relinquerent Deum, sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt, atque ab eo qui illos tales præsciuit, non sunt prædestinati.] & item in absolutione obiectionis XII. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinauit: sed ideo non prædestinauit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse præuidit.] & in absolutione obiectionis XIII. contra Vincentianos, Quòd etsi ex æterna scientia præcognitum habet, scilicet Deus, quid vniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi.] Item Hieronymus in Amos prophetam, Qui veniunt in diem malum, parantes sibi vitio suo diem malum: non quòd dies vllus sit malus, sed quòd vnusquisque paret sibi malum, iuxta illud quod in Ecclesiaste legimus, *Ne dixeris dies priores meliores erant mihi quàm isti, quoniam non in sapientia interrogas super hoc.* Stultum est enim referre ad tempora, cùm in nostra sit potestate, vel bonum diem nobis facere, vel malum.] item in Nahum prophetam in capite capituli, *vbi est habitaculum leonum.* Hieremias quoque de peccatoribus loquitur, *Percussit eos leo de silua.* & post paululum, *Omnes qui egredientur ex eis*, id est ciuitatibus, *capientur.* In quo animaduerte quòd nemo capiatur, nisi qui de ciuitatibus Dei fuerit egressus. Denique Iudas de ouili Christi fuit, & raptus à leone suspendio suffocatus est. Sed & ille Propheta, cui præceperat Dominus ne comederet panes è regione illa, vbi erant vituli aurei & mentita religio, quia comedit à leone percussus est. Quod totum ad retributionem diuinæ iustitiæ pertinet.

Eccle.7.11.

Nahum 2. 11.

Hier.5.5.

3.Reg.13. 24.

Vnde & sanctus Gregorius in libro decimo Moralium Iob, quia non vt ad gloriam electi, ita sint reprobi à Deo ad pœnam prædestinati, sed in massa perditionis vel in iniquitatibus suis ex retributione iustitiæ iusto iudicio relicti, *Si subuerterit, inquit, omnia, quis contradicet ei?* Sæpè namque in elationem cor attollitur, cùm lætis

Cap.8.

Iob.11.10.

succeſſibus in virtute roboratur : ſed dum latentes motus audaciæ in cogitatione conditor conſpicit, ſe ſibi hominem oſtendendo derelinquit. vt eius mens derelicta quid ſit inueniat, quæ malè ipſa ſecura gaudebat.] Item in libro vndecimo, Sciendum eſt, quia aliud eſt quod omnipotens Deus miſericorditer tribuit, aliud quod iratus habere ſinit. Nam quod peruersè prædones faciunt, hoc diſpenſator æquiſſimus non niſi iuſtè permittit.] Item, *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet : ſi incluſerit hominem, nemo eſt qui aperiat.* Omnipotens Deus humanum cor deſtruit, cùm relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando deſtruit, ſed recedendo : quia ad perditionem ſuam ſufficit ſibi dimiſſa.] Item, Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat. quia ſicut nemo obſiſtit largitati vocantis, ita nullus obuiat iuſtitiæ relinquentis. Includere itaque Dei eſt, clauſis non aperire. vnde ad Moyſem dicitur de Pharaone, *Ego obdurabo cor eius.* Obdurare quippe per iuſtitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit. Includit itaque hominem, quem in ſuorum operum tenebris relinquit.] Item, Nouit decipientem, quia in manu ſuorum operum dimiſſum hunc vt ad peiora proruat deſerit, ſicut ſcriptum eſt, *Qui nocet, noceat adhuc : & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Nouit quoque & eum qui decipitur. quia ſæpè committunt homines mala quæ ſciunt, & idcirco permittuntur decipi, vt cadant etiam in mala quæ neſciunt. quod tamen deceptis aliquando ad purgationem, aliquando verò ad vltionis initium fieri ſolet.] Ecce quomodo prædeſtinatio Dei, aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ. Item idem in eodem, *Balteum regum diſſoluit.* Cùm de ipſa continentia elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus eius ſuperbiam deſerens hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regum itaque balteum diſſoluit, quando in his qui bene regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam caſtitatis cingulum deſtruit.] Item, *& optimates ſupplantat.* Quia cùm mentem regentium iuſto iudicio deſerit, hæc in æternum retributionis præmium non requirit.] Item in libro XIII. Neque ita hoc dicitur, ac ſi omnipotens & miſericors Deus longè cor hominis à diſciplina faciat : ſed quòd ſponte delapſum ibi remanere vbi cecidit iudicando permittit. ſicut in oratione quoque dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem*, id eſt induci minimè permittas.] Item in libro XV. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt.* Quia enim glorificare noluerunt quem cognouerunt, reprobo ſenſui traditi ad hoc relicti ſunt, vt neſcirent iam penſare mala quæ faciebant.] Item in libro XX. Humanum igitur genus, recto Dei iudicio in voluptatibus ſuis ſibi dimiſſum, atque per eaſdem voluptates ſpontaneis tribulationibus traditum, abſinthio eſt ebrium.] Et ſanctus Auguſtinus in propoſitionibus epiſtolæ ad Romanos, Quod autem dicit *tradidit*, intelligitur dimiſit in

[Margin notes: Cap.2. — Iob 12.14. — Cap.5. — Cap.7. — Apoc.22.11 — Iob 12.18. — Cap.8. — Cap.9. — Iob 12.19. — Cap.11. — Matt.6.13. — Rom.1.28. — Cap.16.]

in desideria cordis illorum. Et Cassiodorus in Psalmo LXXXII. Sequitur, *reuereantur & pereant.* Ipse sensus est, quem superiùs dixit, quia ibi reuerendo non proficiunt, sed pereunt qui ad æternum supplicium destinantur, scilicet in malis obstinatione sua, non prædestinatione diuina. sicut mox subiunxit, *& cognoscant quia nomen tibi Domine, tu solus altissimus in omni terra.* Cognoscant ad genus respicit vtrumque peccantium, siue qui obstinatione sua perituri sunt, siue qui habita satisfactione liberantur. Omnes enim cognoscent omnipotentiam Domini, quia ipse solus est altissimus, cùm ipsi cognouerint, & conuersis parcere, & obduratos æterna vltione damnare.] Et in Psalmo LXXXVIII. *Dissoluisti eum ab emundatione, & sedem eius in terra conlisisti.* Frequenter emundat diuinitas quos flagellat, vt purgatum recipiat quem peccatis sordidum respuebat. quos verò ab emundatione dissoluit, id est remouit, hos iam & damnare decreuit. Quapropter illos hîc significat Iudæos, qui obstinatione mentis Christum spernere maluerunt. Sedes quoque eorum in terra conlisa est, quando respuentes regem Dominum saluatorem, nequaquam de gente sua principem vlteriùs habere meruerunt. Sedes enim pro regno posita est. & item in eodem, Ipsa est commutatio Christi, quæ obstinatos deseruit, & fideles dono suæ pietatis adsciuit.] Et in Psalmo CVIII. Siue magis vna generatio illa dicenda est, quando in peccatis nascimur. & ideo petit vt ad secundam, id est regenerationem, non perueniant. Qui tamen in prædestinatione repulsi sunt, vt in prima peccatorum suorum fæce dispereant, nec secundæ natiuitatis beneficio laqueum mortis euadant. Sed hæc & his similia de illis dicuntur, qui in Domini iudicatione damnandi sunt.

Psal. 82.18

Psal. 82.19.

Psal 88.45

Et quia vna est prædestinatio, sanctus Augustinus in sæpè memorato libro Hypomnesticon contra Pelagium & Cælestium, de gratia Christi, & libero arbitrio, ac originali peccato, vt commemorauimus ita dicit, Prædestinatio quippe à præuidendo & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur. & ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam sit præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apostolus, Nam *quos præsciuit*, inquit, *& prædestinauit.*] & in libro de Bono perseuerantiæ, Hæc est prædestinatio sanctorum nihil aliud, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.] & in libro de Prædestinatione sanctorum, Ipsa est, inquit, prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto sanctorum maximè claruit, quam negare quis potest rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse didicimus.] & item in eodem libro, Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd

Lib. VI. in principio.

Rom. 8.29.

Cap. 14.

Cap. 10.

prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò iam ipsa donatio.] & post paululum, Prædestinatio est quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscit quæ fuerat ipse facturus, vnde dictum est, *fecit quæ futura sunt:* præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata. quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, vt pœnæ sint etiam peccatorum, (vnde dictum est, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt,*) non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est vt dixi præparatio: gratia verò ipsius prædestinationis effectus.] & item in eodẽ libro, Cur ergo non omnes docet vt veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet misericordia docet, quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. sed miseretur bona tribuens, obdurat digna retribuens.] Et item sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione gratiæ, Ergo quicquid post illam præuaricationem natus supplicij homo patitur, iustè reddi meritóque fateatur. Indurare enim dicitur Deus eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicendus est eum quem inluminare noluerit. sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit. *Quos enim prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit.* Ipse enim dedit vt simus, ipse vt boni esse possimus. Præsciuit nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim, quamuis pro tempore ex quo factus est cœperit, in illa diuinæ præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium. & quanticumque vel ex Adam vsque in hodiernum homines nati sunt, vel post ætatem nostram generationis sunt propagine nasciturі, apud Deum & iam nati sunt, & decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim, qui nec loco clauditur, nec tempore præuenitur, omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm imminentium scientia plenus est. nec reminiscens voluitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. Et quæcumque omnino sunt, quæ temporum motibus agitantur, ab eo principio in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vsque in finem omnium sæculorum, (de quo fine cùm diceret beatus Moyses, *Domine*, inquit, *qui regnas in sæculum & in sæculum, & adhuc,*) nec sperantur futura, nec præterita transierunt, sed in præsentia diuinitatis præsenti semper luce cernuntur.] & item post aliquanta, De his quibus pœnam seueritas iustè decreuerat, secundùm ineffabilem dispositionis occultæ misericordiam, elegit vasa quæ faceret in honorem, & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absoluit, alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reseruauit: nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem. Et ita plenitudo diuinæ præscientiæ in alios manan-

Rom. 1. 28.
Cap. 8.
Cap. 4.
Cap. 5.
Cap. 15.

te iustitiã, in alios gratia profluente completa est, vt pereuntibus quos præscierat Deus esse perituros, & saluatis quos in illa secreta sua electione præscierat esse saluandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.] & post paululum, Si piè de Deo sicut expedit sentimus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus. Patientia enim Dei valere ei debuit ad salutem: quia differens iustum meritúmque supplicium miraculorum verbera crebra densabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cedens expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere? Sed dicitur iam Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præscierat Deus non esse mutandum. respondetur Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit qualem præsciuit Deus: sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamuis eum non sic fecerit Deus. Quoniam si cogeret esse, hoc vtique cogeret quod non est. Porrò si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est. quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quisque, qui peccatis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum esse præscierit.

Cap. 14.

Cap. 15.

Ecce de quorum verbis Capitulum istud excerpsimus. Accedant reprehensores & oppugnatores nostri, immo impugnatores sed non expugnatores rectæ fidei, & adferant vngues acutissimos cum subtilissimis acubus, & in morem feminarum acupingentium extendant, & diuersis coloribus prauorum sensuum suorum diuariare atque decolorare Capitulum istud attemptent: & vbicumque vel in solo verbo, quanto magis in sensu, orthodoxæ fidei ac catholicorum patrum doctrinæ aduersum vel diuersum inuenerint, minutatim transpungant. Quòd si inuenire nequiuerint, malitiæ suæ mucrone perfossos, & victoria veritatis confusos, atque redargutione ipsius beati Augustini atque Prosperi, quorum se dictis victores iactabant, verecundiæ rubore perfusos intelligentes, nos carpere desinant, & sano intellectui manus donent.

Quod si & adhuc agere detractant, veniat sanctus Gregorius, & percutiat eos, non claua Herculea, sed auctoritate Ecclesiastica, beato Petro Apostolorum primo à viuorum & mortuorum iudice tradita, vt conuertatur dolor eorum in caput ipsorum, & arcus eorum confringatur, & in verticem ipsorum iniquitas eorum descendat. nos autem confiteamur Domino in eius iustitia. Ait enim in Homilia Euangelij XVII. *In quamcumque domum*, inquit, *intraueritis, primùm dicite, Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.* Pax quæ ab ore prædicatoris affertur, aut requiescit in domo, si in ea filius pacis fuerit, aut ad eundem prædicatorem reuertitur. quia aut erit quisque prædestinatus ad vitam, & cæleste verbum sequetur quod audit: aut si nullus audire voluerit, ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax reuertetur. quoniam ei à Domino pro labore sui operis merces recom-

Luc. 10. 5.

penſatur.] Attendant & appendant reprehenſores iſtius Capituli, qui volunt ſic à Deo prædeſtinatos credi & dici ad interitum, quomodo creduntur & dicuntur à fidelibus prædeſtinati ſed ad vitam electi, & reprobi non prædeſtinati ſed relicti ad interitum, quare non dixit ſanctus Gregorius, Et erit quiſque prædeſtinatus ad interitum, & non ſequetur verbum quod audierit, ſicut dixit, aut erit quiſque prædeſtinatus ad vitam, & ſequetur verbum cæleſte quod audit. Ad prædeſtinatum enim ad vitam dixit, ſequetur verbum: ad non prædeſtinatos autem, ſed in maſſa perditionis relictos veniens, ſi nullus audire voluerit dixit.

Quòd ſi hinc veritatem non poſſunt percipere, audiant quid in XIII. Homilia Ezechielis prophetæ dicit. Redemptor igitur noſter, inquit, quia verba quæ dixit etiam per doctorum ſtudium ſcribi largitus eſt, in manu calamum tenuit. Qui calamus menſuræ dicitur, quia ipſa Doctorum ſtudia ſub quadam occulti iudicij diſpenſatione retinentur, vt & aliis legẽtibus proſint, & aliis legentibus prodeſſe nõ poſſint. Vnde & ſancti Apoſtoli, cùm magiſtram veritatem ſibi apertiùs loquentem requirerent cur turbis in parabolis loqueretur, audierunt, *Quia vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum, illis autem non.* Vel certè calamus menſuræ eſt, quia in ipſo ſacro eius eloquio, quod nobis conſcriptum eſt, occultas eſſe diſpenſationes eius agnoſcimus. Nam per incomprehenſibile eius iudicium, alter intra menſuram electorum metitur, & alter foras relinquitur, vt nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo funiculum, habet in manu menſuræ calamum. Qui enim funiculo locum metitur, alibi funiculum trahit, aliunde retrahit, & huc ducit quem aliunde ſubducit. Sic nimirum ſic redemptor noſter in collectione hominum facit, dum alios à ſuis iniquitatibus abſtrahit, & alios in ſua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignatus eſt, occultæ menſuræ funiculum traxit, & ab his quos relinquendos eſſe iudicauit, quid aliud niſi funiculum retraxit? vt & boni intra menſuram cæleſtis fabricæ teneantur, & mali extra fabricam, in quibus bona quæ æſtimantur non ſunt, quaſi ſine menſura remaneant. Hunc funiculum & menſuræ calamum in manu ſua redemptor noſter tenuit, cùm Paulum Apoſtolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus eſt: ita vt iſdem Macedo vir diceret, *Tranſiens adiuua nos*, & tamen volentibus Apoſtolis ad prædicandum ire in Aſiam non permiſit ſpiritus Ieſu. Quid eſt quòd ſancti Apoſtoli vocantur ire, vbi fortaſsè ire non cogitabant, & illuc vbi deſiderabant pergere, ire perhibentur, niſi quia occulti iudicij funiculus & menſuræ calamus tenetur in manu, vt & alij verba vitæ audiant, & alij nullatenus audire mereantur? Funiculus ergo menſuræ eſt, qui aliunde tractus eſt, aliunde retractus. Sancto quoque Euangelio teſte didicimus, quòd venit qui diceret, *Magiſter ſequar te quocumque ieris.* cui reſponſum eſt,

Matt. 13. 11.

Act. 16. 9.

Matt. 8. 20.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Venit alter qui diceret, *Magister, sine me primum ire & sepelire patrem meum.* cui dicitur, *Sine mortuos, sepeliant mortuos suos: tu autem me sequere, & adnuntia regnum Dei.* Quid est quòd ille promittit se ire & deseritur, iste domum vult redire, & tamen vt sequi debeat iubetur? ille non suscipitur, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur? Interno ergo occulto iudicio funiculus & mensuræ calamus ducitur, in quo & iste trahitur, & ille relinquitur, vt cælestis fabrica non sine pio & iusto examine construatur.] Matt.8.21.

Et item sanctus Gregorius in libro Moralium XXV. *Potum meum cum fletu temperabam.* Potus quippe ab exterioribus interiùs trahitur, fletus autem ab interioribus exteriùs emanat. Potum ergo Dominum cum fletu temperare est, alios ab exterioribus introrsus trahere, alios ab interioribus in exteriora reprobare. *Conteret enim multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*] & post pauca, Quòd autem dixit conteret multos, & illico adiunxit innumerabiles, vel multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ humanæ rationis numerũ transit: vel certè indicare voluit quòd omnes qui pereunt intra electorum numerũ non habentur, vt eo sint innumerabiles, quo extra numerum currunt.] & paulo pòst. Sed quia in Ecclesia crescente multitudine etiam reprobi colliguntur, aptè subditur, (dixerat siquidem paulo superiùs per Hieremiam prophetam esse prædictum, *Ædificabitur ciuitas Domino à turre Annanehel vsque ad portam anguli, & exibit vltra normam mensuræ.*) *Exibit vltra normam mensuræ*, quia vsque ad eos quoque extenditur, qui normam iustitiæ transeuntes intra mensuræ cælestis numerum non sunt. Vnde per Esaiam quoque eidem Ecclesiæ dicitur, *Ad dexteram enim & ad læuam dilataberis, & semen tuum gentes hæreditabit.* Intrante quippe multitudine gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam iustificandos suscipit. ad læuam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permansuros admittit. Propter hanc multitudinem, quæ extra electorum numerum iacet, in Euangelio Dominus dicit, *Multi vocati, pauci autem electi.* Sed quia hoc quòd electis aliis alij conteruntur, de merito patientis est, non de iniquitate punientis. Non enim iniquus Deus qui infert iram.] & paulò pòst, *Ligatis manibus & pedibus mittite in tenebras exteriores.* Tunc enim coactus in tenebras exteriores mittitur, quia nunc in interioribus voluntariè excæcatur.] Et item sanctus Gregorius in libro XXXIII. Moralium Iob, Non quasi crudelis suscitabo eum, quin Leuiathan. & velut si mox à nobis rationis causa quæreretur, quomodo eum non quasi crudelis suscitas, quem scimus quia tantos inuadere & deuorare permittas? statim subdidit dicens, *Quis enim resistere potest vultui meo, & quis antè dedit mihi vt reddam ei?* Quibus duobus versibus, & virtutem suæ potentiæ, & omne pondus rationis expleuit. Nam propter poten-

Cap.7. Psal.101.10 Iob 34. 24. Cap. 8. Cap.eodẽ. Hier.31.38. Esa.54.3. Matt.20.16 Cap. 9. Cap.10. Matt.22.13.

tiam dixit, quis enim resistere potest vultui meo ? & propter rationem subdidit, quis antè dedit mihi vt reddam ei? Ac si diceret, Non enim quasi crudelis suscito, quia de eius fortitudine & electos meos potenter eripio, & rursum reprobos non iniustè, sed rationabiliter damno. id est, & eos quos benignè eligo, eripere mirabiliter possum, & eos quos respuo non iniustè derelinquo.] & paulò pòst, Miro modo æquus omnibus conditor, & quosdam præelegit, & quosdam in suis reprobis moribus iustè derelinquit. Nec tunc electis suis pietatem sine iustitia exhibet, quia hîc eos duris adflictionibus premit: nec rursum reprobis iustitiam sine misericordia exercet, quia hîc æquanimiter tolerat quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo & electi præuenientem se gratiam sequuntur, & reprobi iuxta quod merentur accipiunt, & de misericordia inueniunt electi quod laudant, & de iustitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur, *Quis antè dedit mihi vt reddam ei?* ac si apertè diceretur, Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor.

Iob 41.1.

Dicant, dicant istius reprehensores Capituli, quare beatus Augustinus in libro de Bono vel Dono perseuerantiæ, quem loco retractationis cum libro de Prædestinatione sanctorum contra huius obiectionis calumnias scripsit, dixerit, Hæc est Prędestinatio sanctorum, nihil aliud. præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur: ceteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquũtur?] De qua, sicut ex eius verbis pręmisimus, si nullus liberaretur, inreprehẽsibile esset diuinum eius iudicium. Quare non diffiniuit prædestinationem reproborum ad interitum, sicut Prædestinationem sanctorum ad liberationem per diuinæ gratiæ beneficium ? Dixit enim, Prædestinatio præscientia est, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur : ceteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur ? Dicant illi arguti viri qui sunt illi ceteri, & si audent, cum Augustino in hoc loco contendentes, dicant ad interitum, sicut tu Augustine antè dixeras, prædestinati. nos autem cum sancti Augustini verbis correctioribus dicimus, Sancti beneficio gratiæ Dei sunt ad vitam prædestinati. qui & sancti non inuenti, sed gratia sunt effecti. ceteri autem, id est reprobi, in massa perditionis ex retributione iustitiæ sunt relicti.

Cap.14.

Legant etiam quæ posuimus ex libro Hypomnesticon eiusdem beati Augustini contra Pelagium & Cælestium, de Gratia Christi, & Libero arbitrio, atque originali peccato, & non errent palpantes cæci in meridie, quia *hæc est*, vt Propheta dicit, *directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Massæ itaque humani generis, quæ in Adam & Eua præuaricatione damnabilis mortalísque facta est, non conditione diuina generaliter, sed ex debito pœna cruciatúsque gehennæ debe-

Esa.32.2.

Lib. vi. Hypomnesticon.

tur. Venia verò non merito confertur, ſed Dei iuſti iudicis miſericordiæ largitate. Quia verò iuſtus & miſericors Deus præſciúſque futurorum, ex hac damnabili maſſa, non perſonarum acceptione, ſed iudicio æquitatis ſuæ inreprehenſibili, immo incomprehenſibili, quos miſericordia gratuita præſcit & præparat, id eſt prædeſtinat ad vitam: ceteros autem pœna, vt prædixi, debita punit. quos ideo punit, quia quod eſſent futuri præſciuit: non tamen puniendos ipſe fecit vel prædeſtinauit, ſed tantùm, vt dixi, in damnabili maſſa præſciuit.] Quid manifeſtius, quid certius dicere potuit? Et beatus Gregorius, vt præſcripſimus, Sic nimirum, ſic redemptor noſter in collectione hominum facit, dum alios à ſuis iniquitatibus abſtrahit, & alios in ſua iniquitate derelinquit.] Quid clarius, quid apertius dicere valuit? Et item in Homilia quarta Euangelij dicit, Priùs ſoli Iudææ voluit, poſtmodũ cunctis gentibus Dominus prædicari: vt dum illa conuerti vocata renueret, prædicatores ſancti ad vocationem gentium per ordinem venirent, & quod Iudææ fiebat in teſtimonium, hoc gentibus gratiæ eſſet incrementũ. Erant etiam tunc, qui de Iudæa vocandi eſſent, & de gentibus vocandi non eſſent. Nam & in Apoſtolorũ Actibus, prædicante Petro, legimus & priùs Hebræorum tria millia, & poſtea quinque millia credidiſſe: & cùm prædicare Apoſtoli gentibus in Aſia voluiſſent, per Spiritum prohibiti eſſe memorantur. & tamen ipſe Spiritus, qui priùs prædicationem prohibuit, hunc Aſianorum cordibus poſtmodum infudit. Idcirco ergo priùs prohibuit quod poſtmodum fecit, quia tunc in illa erant, qui ſaluandi non erant. tunc in illa erant qui necdum ad vitam reparari mererentur, nec tamen grauiùs de contempta prædicatione iudicari. Subtili ergo occultóque iudicio à quorumdam auribus prædicatio ſancta ſubtrahitur, quia ſaluari per gratiam non merentur. Vnde Pſalmiſta dicit, *Venite & videte opera Domini: quàm terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.* Vidit namque quòd alius miſericorditer vocatur, alius iuſtitia exigente repellitur. & quia alia parcendo, alia Dominus iraſcendo diſponit, expauit quod penetrare non potuit. & quem non ſolùm inueſtigabilem in quibuſdam ſuis ſententiis, ſed etiam inflexibilem vidit, terribilem in conſiliis eſſe memorauit.

Act. 2. 41. Act. 4. 4. Act. 16. 6. Pſal. 63. 5.

Et item alibi in Euangelio legitur de his qui vocati ad cœnam venire noluerunt, quia *qui inuitati erant non fuerunt digni.* quoniam quidam verbo prædicationis vocantur, ſed digni non ſunt vt obaudientes veniant. quidam autem veniunt, ſed digni non ſunt vt in vocatione permaneant. quidam autem nec etiam digni ſunt vt vocentur, ſicut in præfata Euangelij Homilia hic Doctor egregius dixit. Sed & in XXXV. Euangelij Homilia de vocatis & venire nolentibus dicit, quia ſicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt: ita hi quoque peccatores ſunt, qui inuitantur & veniunt. Sed peccatores ſuperbi reſpuuntur, vt peccatores humiles eligantur.

Matt. 22. 8.

De his etiam qui vocati veniunt, sed in vocatione non permanent, item scriptum est, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod Dominus in Euangelio de audientibus & non fructificantibus verbum manifestè demonstrat, loquens de semine quod cecidit secus viam, & super terram, & inter spinas. Nemo tamen eorum euadet iudicium vltionis, quia nec esse poterit excusabilis. De his quippe, qui verbum prædicationis audire non fuerunt digni, Paulus dicit, *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Inuisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* De his autem qui audierunt, & non obaudierunt, iterum scriptum est, *Vocaui & renuistis, despexistis omne consilium meum. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Sed & de his, qui audientes verbum crediderunt, & in fide recta ac bonis operibus non permanserunt, in Euangelio dicitur, *Nemo mittens manum suam in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Et de audientibus, credentibus, ac perseuerantibus dicit, quia *semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum.* & *Qui audit verba mea & seruat ea, similis est viro qui ædificauit domum suam supra petram.* & item, *Qui habet verba mea & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum.* & *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et item idem beatus Gregorius de electis & reprobis breuiter in Homilia octaua dicit, Nascituro Domino mundus describitur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate. Quo contrà de reprobis per Prophetam dicitur, *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.*]

Rom.2.12. Rom.1.20. Prou.1.24.25. Luc.9.62. Luc.8.8. Matt.7.24 Ioan 14.21. Matt.24.13 Psal.68.29.

Sed si adhuc de beato Augustino quod nondum posuimus volunt audire, accipiant quid in præfato libro de Bono vel Dono perseuerantiæ, loquens de Tyriis & Sidoniis, in massa perditionis relictis dixerit. Ex quo, inquit, apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen, si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel facta, per quæ possint credere.] & post paululum, Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia & inuestigabiles viæ: nec istis obfuisset quòd non poterant credere, (quin de quibus dictum est per Prophetam, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum,*) si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus inluminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.] Vnde post paululum sequitur quod præmisimus, quorum alterum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Cap.14. Ioan.12.40 Psal.100.1.

De

De hoc etiam quod in hoc Capitulo circa finem posuimus, *Pœnam autem illis*, videlicet in massa perditionis relictis, *quia iustus est, prædestinauit æternam*, audiant quid in sæpè commemorato de Bono vel Dono perseuerantiæ libro dicat beatus Augustinus, Quoniam quod scriptum est, inquit, *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit*, aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ iustissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est, sine vllo suo originali proprióque peccato. Sed quare illos potiùs quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Et hoc adiciamus, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.] Sed si ista & illa non sufficiunt, quæ de libro sæpè commemorato contra Pelagium & Cælestium posuimus, adhuc ex eodem quæ ipse vir sagacissimus ibidem prosecutus est, quæ necdum posuimus apponemus. Verum autem inquiens esse quod diximus, licèt plenè sit disputatum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi Petrum Apostolum, cùm futuros esse pseudoprophetas & magistros mendaces, & apostatas in Ecclesia dicit, sicut fuerunt in populo veteri, Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Item Iudas Apostolus, *Subintroierunt*, ait, *quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, gratiam Domini nostri Iesu Christi transferentes in luxuriam, & solum Deum auctorem & dominum Iesum Christum negantes.* Et Dominus in Euangelio peccatoribus, *Ite in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius.* prædestinatis autem, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi*, id est prædestinatum. Tenenda est igitur inconcussa huius disputationis regula, qua diuinis testimoniis claruit, peccatores in malis propriis, antequam essent in mundo, præscitos esse tantùm non prædestinatos, pœnam autem eis esse prædestinatam secundùm quod præsciti sunt.] Et Prosper in absolutione obiectionis decimæ contra Vincentianos, Hoc, inquit, prædestinauit, quin Deus, iudicium suum, quo vnicuique retributurus est prout gessit siue bonum, siue malum.]

Cap. 12. Rom. 5. 12. Lib. vi. Hypomn. 2. Pet. 2. 1. Iudæ 4. Matt. 25. 41. 34.

Dicant obtrectatores nostri, quid discors, vel obuium, siue deuium inuenerint istis sanctorum Augustini, Gregorij, atque Prosperi dictis in Capitulo à nobis excerpto. Et si non possunt dicere, manifestum est maluisse eos maledicere, quàm verum dicere. Accipiant etiam concors & consonum præcedentibus dictis beati Augustini exemplum, de sæpè nominato libro qui titulatur de Bono vel Dono perseuerantiæ. Quo exemplo quidam abutentes ad suos sensus conantur inflectere, sed non possunt: quia & manifestissima ve-

ritas in hoc eodem exemplo, & in præcedentibus ac ſubſequentibus eiuſdem libri, fortiſſimè molitionibus eorum renititur. Nam loquens contra obloquentes veritatis ſinceritati, ſicut in lectione eiuſdem libri qui voluerit facilè cognoſcere poterit, ita ad locum dicit, Proinde inquiens ſicut Apoſtolus ait, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* qui & paruulis quibus vult etiam non volentibus, neque currentibus ſubuenit, quos mundi ante conſtitutionem elegit in Chriſto, daturus eis gratiam gratis, hoc eſt nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus. & maioribus etiam his, quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros. quibus non vult ſubuenire, non ſubuenit. de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed iuſtè aliud iudicauit.] Hoc enim exemplo ſuam confirmare obtrectatores noſtri conantur ſententiam, inflectentes hoc quod dixit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem ſed iuſtè aliud iudicauit. quaſi intelligi voluerit ſanctus Auguſtinus, aliud iudicauit, ad interitum prædeſtinauit. quod quàm abſurdum ſit manifeſtiſſimis patet indiciis. Ait enim, quibus non vult ſubuenire, non ſubuenit. Videlicet quia quibus ſubuenit, prædeſtinatione, id eſt, gratiæ præparatione ſubuenit. De his autem quibus non ſubuenit, aliud in ſua prædeſtinatione occultè quidem ſed iuſtè iudicauit. & quid iudicauerit in ſubſequentibus apertiſſimè dicit, Non enim eſt inquiens iniquitas apud Deum: ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. vniuerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas. Inueſtigabilis ergo eſt miſericordia, quia cuius vult miſeretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inueſtigabilis veritas, quia quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cuius miſeretur plerumque communibus, ſicut duorum geminorum, quorum vnus adſumitur, & vnus relinquitur.] Ecce quid eſt illud aliud, quod in ſua prædeſtinatione Dominus iudicauit.

Cap.x. Rom.9.16.

Hinc denique ſequuntur verba ipſius beati Auguſtini in libro de Bono perſeuerantiæ, Diſpar eſt exitus, merita communia. in quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. Numquid enim iniquitas eſt apud Deum? abſit. ſed inueſtigabiles ſunt viæ eius. Itaque miſericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, ſine dubitatione credamus, neque inſcrutabilia ſcrutari, aut inueſtigabilia veſtigare conemur. Ex ore quippe infantium & lactentium ſuam perficit laudem, vt quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his quorum damnationem vtriſque communia originalia ſola præcedunt, hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur. id eſt, non putantes vel ſecundùm ſua merita gratiam cuiquam dari, vel niſi ſuis meritis quemque puniri, ſiue pares qui liberantur atque puniuntur, ſiue diſpares habeat cauſas ma-

las. vt qui videtur ſtare videat ne cadat, & qui gloriatur non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur.] & poſt aliquanta in eodem libro ſubſequitur dicens, Iſta igitur ſua dona quibuſcumque Deus donat, proculdubio ſe donaturum eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit. Quos ergo prædeſtinauit, ipſos & vocauit vocatione illa, quam me ſæpè commemorare non piget, de qua dictum eſt, *ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* Namque in ſua, quæ falli mutaríque non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere, id omnino non aliud quicquam eſt quàm prædeſtinare.] & poſt aliquanta, Cùm hæc & alia multa quæ piget repetere dixerimus, atque oſtenderimus & initium fidei, & vſque in finem perſeuerantiam, Dei dona eſſe, nec vlla futura ſua dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire non potuiſſe, ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe quos liberat & coronat.] & aliquanto ſuperiùs, An fortè nec ipſa dicunt, quin Dei dona, prædeſtinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſciuit. quòd ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſciuit, profectò prædeſtinauit.] Et ſanctus Hieronymus in ſententia Eccleſiaſte, *Non eſt omne recens ſub Sole dicendum*, quòd ex præſcientia & prædeſtinatione Dei iam facta ſunt, quæ futura ſunt. Qui enim electi ſunt in Chriſto ante conſtitutionem mundi, in prioribus ſæculis iam fuerunt.] Et ſanctus Auguſtinus in libro de Correptione & Gratiâ, De illo dicit & propheta Eſaias, *Qui fecit quæ futura ſunt.* Quicumque ergo in Dei prouidentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filij Dei ſunt, & omninò perire non poſſunt.] Et Proſper in abſolutione obiectionis Gallorum xv. Dubium non eſt, inquit, ſine vlla temporali differentia Deum & præſciſſe ſimul & prædeſtinaſſe quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda: præſciſſe autem tantummodò, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia, prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt.] & item in Recapitulatione quinta decima, Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata, & quæ prædeſtinata appellantur, non poſſunt non eſſe præſcita.] & in abſolutione obiectionis xv. contra Vincentianos, Nullam animam nequiter turpitérque victuram Deus ad hoc vt taliter viueret præparauit, ſed talem futuram non ignorauit, & de tali iuſtè ſe iudicaturum eſſe præſciuit. Atque ita ad prædeſtinationem eius nihil aliud referri poteſt, niſi quod aut ad debitam iuſtitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem. Videant & non inuideant reprehenſores noſtri, & damnatores Capituli ex his ſententiis à nobis excerpti, quàm concorditer conſonet ſenſus à nobis in hoc eodem Capitulo ex verbis bea-

Cap.17.
Rom.11.29
Eccle.1.10.
Cap.ix.
Eſa.1.20.

ti Augustini & Prosperi, & aliorum Doctorum excerptus, his sententiis ab eodem sancto viro Augustino contra se calumniantes propositis, & aliis per eos sancto Spiritu promulgante prolatis.

Epist. 105. Addam etiam quædam, quasi ex supererogatione, de epistola beati Augustini ad Xystum presbyterum, de qua nihil excipiendum foret, si aliorum testimoniorum pluralitas id agere non exposceret. Quòd, inquit, personarum acceptorem Deum se credere existimant, quin auctores & disseminatores peruersi dogmatis, si credant quòd sine vllis præcedentibus meritis cuius vult Deus miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, parum adtendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato. Agamus ergo gratias saluatori, dum nobis non redditum cernimus quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim vtrique liberarentur, lateret quid peccato per iustitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur. Misericordia & veritas occurrerunt sibi, vt nec misericordia impediat veritatem qua plectitur dignus, nec veritas misericordiam qua liberatur indignus. Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat. Quærimus enim meritum obdurationis & inuenimus. merito namque peccati vniuersa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, ac potiùs vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur si non gratis donatur, sed meritis redditur. Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia: & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quàm munera sua? *Stipendium*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Sed si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter vnius peccatum in quo omnes peccauerũt, meritò Deus iustéque damnauit. Si autem vasa sunt misericordiæ, quibus ex eadẽ massa factis supplicium debitum reddere noluit, non se inflent, sed ipsum glorificent qui eis misericordiam non debitam præstitit. Non itaque gratuitæ misericordiæ Dei pertinacissima aduersentur insania. Sinant filium hominis in qualibet ætate quærere & saluum facere quod perierat. nec de inscrutabilibus iudiciis eius audeant iudicare, cur in vna eadémque causa super alium veniat misericordia eius, super alium autem maneat ira eius. Qui enim sunt isti qui respondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccæ habenti geminos ex vno concubitu Isaac patris nostri, cùm illi nondum nati nihil egissent boni vel mali, vt secundùm electionem propositum eius maneret, electionem scilicet gratiæ non debiti, electionem qua eligendos facit ipse, non inue-

nit, non ex operibus ſed ex vocante dicit minori ſeruiturum eſſe maiorem. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat. Hoc facit apud quem non eſt iniquitas. miſeretur itaque gratuito dono, obdurat autem iuſtiſſimo merito. Agnoſcant igitur vaſa ex eadem maſſa in honorem facta quid eis miſericordia diuina largita ſit.]

Hinc etiam ſanctus Auguſtinus in libro v. contra Iulianum ita dicit, Denique & hic cùm dixiſſet, *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt*, continuò ſubdidit, quoniam *quos antè præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt ſit primogenitus in multis fratribus. quos autem prædeſtinauit illos & vocauit, & quos vocauit ipſos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit ipſos & glorificauit.* Hi ſunt ſecundùm propoſitum vocati. ipſi ergo electi, & hoc ante mundi conſtitutionem, ab eo qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint, ſed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor & de Iſrael, *reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Et ne fortè ante conſtitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, ſecutus eſt & adiunxit, *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* Ex iſto numero electorum & prædeſtinatorum, etiam qui peſſimam duxerint vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam non ſunt huic vitæ in ipſa ſcelerum perpetratione ſubtracti, vt oſtendatur & ipſis, & aliis coheredibus eorum, de quàm profundo malo poſſit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit quacumque ætate moriatur. abſit enim, vt prædeſtinatus ad vitam ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait, *Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ceteri autem mortales, qui ex iſto numero non ſunt, & ex ea quidem maſſa, ex qua & iſti, ſed vaſa iræ facti ſunt, ad vtilitatem naſcuntur iſtorum. Non enim quenquam eorum Deus temerè ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat. cùm & hoc ipſum bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem ſæculi præſentis exornat. Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſpiritalem, qua homo in Chriſto reconciliatur Deo, ſiue illis ampliorem patientiam, ſiue non imparem præbeat. Quamuis ergo omnes ex eadem maſſa perditionis & damnationis ſecundùm duritiam cordis ſui, & cor impœnitens, quantum ad ipſos pertinet, theſauriſant ſibi iram in die iræ, quo redditur vnicuique ſecundùm opera ſua, Deus tamen alios inde per miſericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios ſecundùm iuſtum iudicium non adducit.] & cetera quæ in eodem loco proſequitur. De quo capitulo contra XIII. obiectionem Gallorum ſanctus Proſper catholicè & ſufficienter ſatis diſſeruit. Item ſanctus Auguſtinus contra Iulianum in libro III. Quis autem Chriſtianus ignoret, quòd ille qui primum hominem fecit ex puluere omnes fabricetur ex ſemine? ſed ex ſemi-

Cap.3. | Rom.11.5 6. | Ioan.6.39. | Cap.17.

ne iam vitiato atque damnato. qui partim per veritatem remanent in ſupplicio, partim per miſericordiam liberantur à malo.] Item in libro III. Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus. poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.] & in libro quinto, Itaque iſto malo, quin libidinis, cùm bene vtuntur coniugati fideles, à cuius reatu ſoluti ſunt munere ſaluatoris, profectò quicumque inde naſcuntur, eiuſdem munere creatoris, non ſicut nobis obicis in regnum diaboli præparantur, ſed ab illo potiùs eruendi, & in regnum vnigeniti transferendi.] Item in eodem libro, Nam prorſus ea non perpeti cùm hîc viuitur, nullo modo, nulla ratione quiſquam poteſt: nec tamen ſiue maximis, ſiue minimis vrgeatur, fas eſt vt dicat ei qui ſe finxit, quamuis omnipotenti, iuſto, & bono, *Quare me ſic feciſti?* & de iugo graui, quod eſt ſuper filios primi Adam, nemo liberat niſi ſecundus Adam.] & poſt paululum, Licèt ipſi hoc neſciant, donec ſi ex illo ſunt prædeſtinatorum numero, accipiant ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciant quæ à Deo donata ſunt eis.] & item in eodem libro, Si hoc profundius eſſe perſpicis, quàm vt abs te valeat inueniri, vtrumque vtrique noſtrûm profundum ſit, cur & in maioribus & in minoribus Deus velit alteri & nolit alteri ſubuenire: dum tamen certum & immobile teneamus, non eſſe iniquitatem apud Deum, qua quemquam ſine malis meritis damnet, & eſſe bonitatem apud Deum, qua multos ſine bonis meritis liberet, demonſtrans in eis quos damnat quid omnibus debeatur, vt hinc diſcant quos liberat, quæ ſibi pœna debita relaxetur, & quæ indebita gratia condonetur.] & item in libro V. Aut certè, quia parum erat vitam quam naſcendo ſortitus eſt, ideo addidit & miſericordiam. ne remaneret naturaliter filius iræ ſicut ceteri, atque inter vaſa iræ, non inter vaſa miſericordiæ fieret.] & in libro VI. Quos quidem ab iſto tanto malo poteſt gratia Dei per ſanguinem mediatoris eruere. ſed vnde potuerunt in tantum malum ruere, ſi diuino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ?] Item in eodem libro, In eis ergo, vt ſæpè diximus, iræ vaſis notas facit, ſecundùm Apoſtolum, diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, ne glorientur tanquam de meritis vitæ ſuæ, cùm cognoſcant hoc ſibi iuſtiſſimè reddi potuiſſe, quod vidēt reddi paribus conſortibus mortis ſuæ.] & item in eodē libro, Certè hîc, vbi fati nulla eſt immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla perſonæ dignitas, quid reſtat niſi miſericordiæ veritatíſque profunditas? vt ſciamus & ex hoc incomprehenſibile comprehendamus, iuxta duos homines, vnum per quem peccatum intrauit in mundum, alterum qui tollit peccatum mundi, omnes filios concupiſcentiæ carnalis, vndecumque naſcantur, ad iugum graue filiorum Adam merito pertinere, & ex his omnes filios gratiæ ſpiritalis, vndecumque naſcantur, ad iugum ſuaue filiorum Dei ſine merito peruenire?] & item in eodem libro, Cur

Cap.18. Cap.1. Cap.4. Cap.5. Cap.8.

putamus ab eius operibus abhorrere, quòd ab origine vitiata damnabiles illo creante naſcuntur, qui creator eſt omnium, & per mediatorem regenerati à damnatione liberantur debita, ſed gratuita miſeratione non debita. quos elegit ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus, vel præteritis, vel præſentibus, vel futuris? alioquin gratia iam non eſt gratia.] Hæc omnia exempla intueatur lector, ſi adſtipulentur Capitulo à nobis excerpto, in quo ſcriptum eſt, *Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iuſtus elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundùm præſcientiam ſuam, quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam. ceteros autem, quos iuſtitiæ iudicio in maſſa perditionis reliquit, perituros præſciuit, ſed non vt perirent prædeſtinauit: pœnam autem illis, quia iuſtus eſt, prædeſtinauit æternam.*

CAPVT XVII.

De eo quòd Gotheſcalcus exemplum libri beati Auguſtini, quem ſui complices eiuſdem eſſe auctoris denegant, ad ſuam confirmandam ſententiam poſuit, & de aliis ſanctorum ſententiis ad ſtatum Capituli à nobis excerpti propoſitis.

DENIQVE Gotheſcalcus de libro Hypomneſticon Auguſtini inter cetera ad confirmandam ſententiam ſuam, quia ſint reprobi à Deo prædeſtinati ad pœnam, hoc ponit exemplum dicens de Iuda, Si talis, inquit beatus Auguſtinus, factus eſſet, inculpabilis eſſet, & Dei opificio reputaretur, non Iudæ. Iniuſtè etiam in eo prælata damnatio eſſet. Item Petrus, *Quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Et Iudas, *Subintroierunt quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium impij.* Cuius cæcitas non tantum admiranda quantum demonſtranda videtur. quia derelictis manifeſtiſſimis talibus tantíſque exemplis, quæ ex eodem libro poſuimus, hæc tantùm tria exempla decurtauit, & ad ſenſum ſuum impudenter inflexit. Nam loquens in eodem libro beatus Auguſtinus de prædeſtinatione electorum, & relictione reproborum, ita dicit, Diximus namque de damnabili humani generis maſſa Deum præſciſſe, miſericordia non meritis, quos & electione gratiæ prædeſtinauit ad vitam. ceteros verò, qui iudicio iuſtitiæ eius ab hac gratia efficiuntur expertes, præſciſſe tantùm vitio proprio perituros, non vt perirent prædeſtinaſſe.] & poſt paululum, His pœnam prædeſtinatam eſſe ritè fatemur. Quod vt probare valeamus, ſolum reor ad exemplum ſufficere Iudam. Hunc enim Deus cùm præſciſſet in vitiis propriæ voluntatis peſſimum fore, id eſt electione diſcipulatus ſui bene à Chriſto conferenda malè vſurum,

2. Pet. 2. 3. Iudæ 4.

Hypomneſticon lib. VI. ſub medium.

& auaritia ardentem pretio Iudæis Dominum traditurum, pœnam ei prædestinauit ex merito.] Quod cùm exemplis scripturarum satissimè confirmaret, ad hunc locum peruenit, quem Gothescalcus detruncatum vsurpare non timuit. Vbi ergo, inquiens beatus Augustinus, commemoratio operum eius malorum à sancto fit Spiritu in psalmis, priusquam esset præscitus est non factus, quòd talis aduersus filium Dei futurus esset. Si enim talis factus esset, inculpabilis esset, & Dei opificio reputaretur, non Iudæ. Iniustè etiam in eum prælata damnatio esset. Sed absit hoc à summè bono iudice auctore omnium bonorum Deo, damnatore verò cunctorum malorum, qui malum Iudam, vt prædixi, præsciuit non fecit, & tamen in quibus præsciuit, iudicio iusto tradens eum in reprobum sensum, vt impleret permisit, & ideo permisit, quia per Spiritum sanctum eum periturum antè prædixit.] & post paululum, Talis ergo periturorum omnium causa est, licèt culpa sit à culpa dissimilis. Verum autem esse quod diximus, licèt plenè sit disputatum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi Petrum Apostolum, cùm futuros esse pseudoprophetas, & magistros mendaces, & apostatas in Ecclesia dicit, sicut fuerunt in populo veteri, *quibus iudicium*, inquit, *iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* Item Iudas Apostolus, *Subintroierunt*, ait, *quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, gratiam Domini nostri Iesu Christi transferentes in luxuriam, & solum Deum auctorem & Dominum Iesum Christum negantes.* Et Dominus in Euangelio peccatoribus, *Ite in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius.* prædestinatis autem, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi*, id est prædestinatum.]

2.Pet.2.3. Iudæ.4. Matt.25. 41.34.

Hinc quoque nihil contra eundem Gothescalcum loqui censuimus, cùm satis apertissimè sanctus Augustinus pro se contra eum loquatur. Cuius sensui & verbis de regno sanctis prædestinato, & de pœnis reprobis præparatis, sanctus Ioannes Constantinopolitanus, vno spiritu, vno animo, vnóque ore concordat in libro de Reparatione lapsi, sicut suprà posuimus. qui ex Euangelica veritate demonstrat regni cælorum gloriam propter homines, gehennam quoque factam propter diabolum. Sed & de Iuda in eodem libro idem sanctus Ioannes ita dicit, Propterea denique inquiens & Iudam inimicus hinc rapuit, ne fortè, quia sciebat quòd esset reditus ad salutem, lapsum suum pœnitentia reformaret. Ego enim, etiamsi mirum videtur esse quod dico, ne illud quidem Iudæ peccatum dixerim vires excedere pœnitentiæ potuisse.] Vnde & sanctus Ambrosius, cùm exponeret versum Psalmi CXVIII. *Posuerunt peccatores laqueum mihi*, ait, Ac ne mediocrem hunc laqueum putes, hic laqueus Iudam Apostolum strangulauit. cui miser cùm esset inlaqueatus, vt proderet Dominum, vbi aduertit quantum sceleris esset admissum, laqueo pro-

Psal.118. 110.

se ipse suspendit. Sed & ipse laqueus diaboli fuit, vt non ageret pœnitentiam, sed laqueo se suffocaret. Deus enim etiam in ipsos pius est proditores, vt ad pœnitentiam prouocentur, atque à flagitioso proposito reflectantur, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. Iam non ærumna est incidisse, sed crimen. qui non solùm se dederunt capiendos, sed etiam ad voluntatem diaboli tenentur adstricti, cùm possint dicere, *Disrumpamus vincula eorum.* Dedit enim tibi scriptura diuina, vt non solùm caueas diaboli laqueum, sed etiam per pœnitentiam eius vincula disrumpas.]

Quantum namque Deus pœnitentiam omnis peccatoris acceptet & diligat, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & in Euangelicis, & in Apostolicis, & in Propheticis scripturis ipse demonstrat. Videns enim ciuitatem peccatricem fleuit super illam dicens, *quia si cognouisses & tu.* subauditur, pœnitentiæ lacrymis fleres. quia gaudium est super vno peccatore pœnitentiam agente, quæ multoties prædicatur, vt *Pœnitentiam agite, adpropinquauit enim regnum cælorum.* Et in Euangelio Marci, *Venit Iesus in Galilæam prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, quoniam impletum est tempus, & adpropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite Euangelio.* Et Ioannes Baptista, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et Petrus, *Pœnitemini & conuertimini vt deleantur vestra peccata.* Et item Scriptura, *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Quam qui agere fugit, non Dei prædestinatione perit, sed ipse in perditionem se ipsum dimergit. Domino attestante in Euangelio Lucæ, *Cùm ei nuntiatum esset à quibusdam de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.* quibus respondens dixit, *Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, quia talia passi sunt? Non, dico vobis. sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut & illi XVIII. supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos, putatis quia & ipsi debitores fuerunt præter omnes homines habitantes in Hierusalem? Non, dico vobis. sed si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Vnde Beda, Et isti Hierosolymitæ, quemadmodum & illi Galilæi, non soli fuerunt peccatores: sed in terrorem sunt reliquorum puniti. qui ruina turris oppressi prenuntiant omnes qui pœnitere noluerunt perituros. Quales plangit Paulus dicens, *Vt lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* & de qualibus Dominus dicit, *Vocaui*, dicens pœnitentiam agite, *& renuistis. extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Propterea prædestinatum tales puniet iudicium de quo ibidem subsequitur, *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & iudicium vel damnatio quasi tempestas ingruerit. cùm venerit super vos tribulatio*

Luc.19.42. Matt.3.2. Marc.1.14. Luc.3.8. Sap.11.25. 24. Luc.13.1.2. 3.4. 2.Cor.12. 11. Prou.1.24. Prou.1.26. 27.

Rom.2.4. &c.

& angustia. Quales alloquitur Paulus, *An diuitias bonitatis Dei & patientiæ contemnis? ignoras quoniam bonitas eius ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundùm duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua. his quidem qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam. his verò qui sunt ex contentione, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, & angustia super omnem animam hominis operantis malum.* De quibus Psalmista, *Statuerunt oculos suos declinare in terram, & ecce qui elongant se à te, Domine, peribunt. & perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Quos inuitat Dominus dicens, *Audi populus meus & contestabor te Israel, si audieris me. Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus.* & de quibus iterum conqueritur dicens, *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Ideo dimisi eos secundùm desideria cordis eorum. ibunt in adinuentionibus suis. Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset. pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula.* Quos adhuc in singulari persona Euangelium Lucæ hortatur dicens, *Cùm autem vadis cum aduersario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè tradat te apud iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat in carcerem.* Aduersarius noster, inquit Beda, in via est sermo Dei contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita: à quo ipse liberatur qui præceptis eius humiliter subditur. Alioquin aduersarius iudici, & iudex tradet exactori. quia ex sermone Domini contempto reus peccator tenebitur in examine iudicis. quem iudex exactori tradet, quia hunc maligno spiritui ad vltionem trahere permittet, vt compulsam animam ipse ad pœnam de corpore exigat, quæ ei ad culpam sponte consensit. Exactor mittit in carcerem, quia per malignum spiritum in inferno retruditur, quousque dies iudicij veniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipse crucietur. Dico tibi, Non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas, id est, donec etiam minima peccata persoluas. quæ quia semper soluere pœnas patiendo, sed nunquam persoluere veniam consequendo poteris, neque enim ibi veniæ locus erit, nunquam exies inde, vbi perpetuas operum pœnas lues, scilicet prædestinato iudicio ex retributione iustitiæ.

Psal.16.11. Psal.72.27. Psal.80.9. Luc.12.58.

Et quia plus sensu pertinacibus quàm viuacibus, & potiùs curiosis quàm studiosis cogimur respondere, dicamus illis quod sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum suis respondit derogatoribus. Multa, inquit, diximus, & fortasse iam dudum potuimus persuadere quæ volumus, & adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur quasi obtunsis, quibus & quod nimium est, non est satis. Sed dent veniam. noua enim quæstio ad hoc nos compulit. Vnde

& explosor, immo quicumque fuerint de schola Gothescalci moderni Prædestinatiani, quia audierunt quæ beatus Augustinus & sanctus Prosper scripserant contra Gallos, accipiant quæ idem beatus Augustinus scripserat contra Africanos Prædestinatianos in libro de Correptione & Gratia, de quo sanctus Prosper ad beatum Augustinum dicit, in epistola pro huiusmodi negotio ad illum directa, Euenit, inquit, ex dispositione misericordiæ Dei, vt cùm quidam intra Africam similia mouissent, videlicet sicut ipse præscripsit, his qui in Massiliensi vrbe consistunt, librum de Correptione & Gratia plenum diuinæ auctoritatis emitteres. De quo, sicut & de aliis libris quos commemorauimus, conuenientius est ad reuincendos errores exempla ponere, per quos voluit ipse eosdem errores reuincere, quàm de illis, quos in libris istis studuit sicut est certum corrigere. Nos in præscripto Capitulo, sicut suprà taxatum est, diximus, *Deus bonus & iustus elegit ex eadem massa perditionis secundùm præscientiam suam quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam: ceteros autem, quos iusto iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit, sed non vt perirent prædestinauit, pœnam autem illis quia iustus est prædestinauit æternam.* & beatus Augustinus in memorato libro de Correptione & Gratia, Qui verò, inquit, perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat, proculdubio nec illo tempore quo bene piéque viuunt in prædestinatorum numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti.] & item, Nec nos moueat, quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam. Absit enim vt ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundùm propositum vocatis, qui verè sunt filij promissionis. Nam isti cùm piè viuunt dicuntur filij Dei: sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei.] Attende quare non dixit hîc, sicut dicunt Prædestinatiani, ad interitum prædestinatio Dei: sed dixit de electis loquens prædestinationem, de reprobis autem præscientiam. & post pauca, Qui verè filij sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imaginis filij eius, & secundùm propositum vocati sunt vt electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum, ex electorum autem paucitate non fuerunt. Non igitur filiis suis prædestinatis Deus perseuerantiam non dedit. Haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent. Ipsi sunt prædestinati, illi prædestinati & secundùm propositum vocati, quorum nullus perit.] & item, Et iam in illa prædestinatione filij sunt eius.] & post aliquanta, Quos antè præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij eius: quos autem prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. illa

Cap. 7.

Cap. 9.

omnia iam facta sunt, præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit. quoniam & omnes iam præsciti ac prædestinati sunt, & multi iam vocati atque iustificati. Quod autem posuit in fine, *illos & glorificauit*, siquidem illa gloria est hîc intelligenda, de qua idem dicit, *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria,* nondum factum est. Quamuis & illa duo, id est, *vocauit & iustificauit*, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt: adhuc enim vsque in finem sæculi multi vocandi & iustificandi sunt. & tamen verba præteriti temporis posuit de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam vt fierent ex æternitate disposuit. Ideo de illo dicit & Propheta Esaias, *Qui fecit quæ futura sunt.* Quicumque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, iustificati, & glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & omnino perire non possunt.] & post aliquanta, Si enim secundùm propositum vocatus est iste, proculdubio illi etiam quòd corripitur Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem ista sit vocatio, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum caritate quod scit esse faciendum. Scit enim tali corripiendo facturum Deum aut misericordiam aut iudicium. misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.]

Coloss. 3. 4.

Cap. 10.

Vnde & idem beatus Augustinus in libro de Prædestinatione gratiæ dicit, Ab illo ergo, qui æternus & præscius, qui & iustus & pius est, qui & exerit debitam seueritatem, & exhibet indebitam pietatem, & habet in creandis atque eligendis hominibus, sicut in luto figulus, potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorem, alia verò in contumeliam. Antequam faceret præsciuit nos, & in ipsa nos præscientia cùm nondum fecisset elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi ab eo qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Apostolus enim dicit, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem.* Intra mundum facti sumus, & ante mundum electi sumus. atque ita vno eodémque, nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, sed tamen potest, apud Deum est, & præscire, & facere, & eligere, & præscientia sua incommutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendos.] & item idem in eodem libro, Hanc itaque diuinam electionem, non meritis reddi, sed sola voluntatis munificentia donari hominibus, Moyses cùm iam tunc quamuis carnalem populum doceret ostendit. Sic enim in Deuteronomio dicit ad populum, *Ecce domini Dei tui cælum, & cælum cæli, terra & omnia quæ sunt in ea. Verumtamen patres vestros elegit Dominus diligere eos, qui elegit semen eorum post ipsos, vos præ omnibus gentibus.* & adiecit, *Circumcidimini ergo à duritia cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius.* Sed hanc in-

Cap. 5.

Ephes. 1. 4.

Cap. 16.

Deut. 10. 14.

Deut. 10. 16.

eis mansisse duritiam cordis, sicut suprà iam dixi, beatus Stephanus cùm Iudæos increpat ostendit. In Actibus enim Apostolorum ipse sic dicit, *Dura ceruice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Vnde dura ceruix in eo populo, qui ex mundo electus est?] & post aliquanta, Cum illo scilicet Apostolo quando de talibus quæritur admiremur, & manente sententia quòd non sit iniquitas apud Deum, si quid illud modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non dignatur angustias, in illa iustitiæ, misericordiæ, præscientiæque diuinæ plenitudine permanere inconcussa æquitate fateamur.] & item aliquanto superiùs, Elegit vasa quæ faceret in honorem, & illos à ventura ira dono gratuitæ vocationis absoluit, alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reseruauit. nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem. Et ita plenitudo diuinæ præscientiæ in alios manante iustitia, in alios gratia profluente completa est.] Item beatus Augustinus in libro de Correptione & Gratia, Ipse igitur eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos: qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt.]

Act.7.51. Cap.13. Cap.12.

Audiat cum schola sua Gothescalcus princeps narratorum, & huius iniquæ fabulationis resuscitator, quid dicat sanctus Augustinus, In prædestinatorum numero non fuerunt. Si vellet & debuisset, conuenienter dicere potuisset, Qui autem cadunt & pereunt, ad interitum prædestinati fuerunt, & ideo ciciderunt & perierunt. Et item sanctus Augustinus in præfato libro ad locum, Hæc de his loquor qui prædestinati sunt ad regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: non de his qui, cùm adnuntiasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum.] & item in eodem libro, Hi verò qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia, siue nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideo verò libero quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum, hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum & electissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur.] & item, Si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum.] & item, Nobis quidem tunc, id est, quando euangelizamus, incipit esse quisque filius pacis cùm obedierit huic Euangelio, & ex fide iustificatus pacem ad Deum habere cœperit: secundùm prædestinationem autem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictum est, super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis: sed *vbi fuerit*, inquit, *filius pacis, requiescet super illam domum pax vestra.*] & item, Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus.] Et hîc attendendum, quare non dixit sanctus Augustinus, qui prædestinatos

Cap.13. Ibid. Ibid. Cap 15. Luc.10.6.

ad vitam à prædestinatis ad interitum discernere non valemus. Et quod iam posuimus ex libro de Bono perseuerantiæ, Deus donat perseuerantiam vsque in finem. Hæc Deus facturum se esse præsciuit. ipsa est prædestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in caritate, prædestinans eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.] & item, Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.]

Et Cassiodorus in Psalmum XIV. Reuera, inquit, ipsi restituta est hereditas, cui ante conditionem rerum fuerat in prædestinatione conlata.] & item, Hereditas Christi est prædestinata multitudo sanctorum.] Et in Psalmo XLIX. Memento quòd per has allusiones prædestinatorum numerum significat, non de sola Synagoga Iudæorum, sed de cunctis gentibus esse completum.] Et in Psalmo LXXVII. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Parasti, significat prædestinatos, qui ab origine mundi ipso miserante præparati sunt.] Et in Psalmo LXXXVIII. *Exaltetur dextera tua.* Clarificetur numerus prædestinatorũ, qui est ad dexteram collocandus.] Et in Psalm. XC. Non enim possunt à latere Domini vel à dextris eius cadere, qui iam in beatorum numero prædestinati esse noscuntur. Sed hoc de præsumptoribus bene dicitur, qui illud se consequi credunt quod minimè promerentur.] Et in Psalmo XCI. Dum plantatio dicitur prædestinatio Domini significatur. quia nisi quis in ea plantatus fuerit, crementum felicissimum non habebit.] Et in Psalmo XCV. Domus enim ista, id est vniuersalis Ecclesia, qua Christus inhabitat, viuis lapidibus semper exstruitur, quia quotidie de confitentibus ædificationis sumit augmentum, nec ædificari desinit, donec vsque ad finem sæculi prædestinatorum numerus impleatur.] Et in Psalmo CIII. *Et cedri Libani quas plantasti.* id est quæ tua prædestinatione sunt in religionis amœnissimo paradiso constitutæ.] & item in eodem, Omnis iustus cùm Dei Ecclesiam cupit augeri, peccatores optat sine dubitatione conuerti. maximè cùm nouerit desiderabilem aduentum Domini vsque ad prædestinatorum numerum posse suspendi.] Et in Psalmo CXVIII. Non incongruè Ecclesiam catholicam, quæ adhuc in isto mundo geritur, quatuor cardines mundi indicare noscuntur, quando adhuc imperfecta est, donec prædestinatorum numerum competenter adquirat.] Et in Psalmo CXLIII. Reputas eum, vtique in ouibus tuis in numero prædestinatorum.] His sententiis sanctorum doctorum animaduerti potest, quia non prædestinatione Dei quisquam perit, nec Iudas periit, nec etiam ipse Antichristus maximus periet: sed infidelitate & perseueranti iniquitate pereunt quicumque pereunt. quia Deus neminem deserit antequam deseratur. Præsciuit tamen Deus ante omnia sæcula, sicut & Iudam, omnes perituros quicumque pereunt, vel perituri sunt, iuxta quod scriptum est, *Sciebat enim*

Psal.67.11.
Psal.88.14.
Psal.103.16.
Ioan.6.65.

Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.

Et quoniam sanctus Augustinus plura locutus est de certo prædestinatorum numero, ne quisquam malè sicut diabolus scripturas interpretans, dicat quia certus est numerus prædestinatorum, & qui pereunt in prædestinatorum numero non fuerunt: & qui prædestinati ad vitam sunt, quicquid faciant, quamlibet negligentes viuant, perire non possunt, hoc enim & veteres Prædestinatiani dixerunt, audiant eundem B. Augustinum contra suos obtrectatores in Hypomnesticon libro dicentem, Credere nos quippe vel prædicare sugillatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum Euangelio Christi eiúsque Apostolis, prædestinationem dicimus, eo quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cælorum, vt si nolint orare & ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omnino perire non posse, nec prorsus debere suî esse sollicitos, quos Deus quia voluit semel iam eligendos prædestinauit ad vitam: quosdam verò sic prædestinet in pœnam gehennæ, vt etiamsi credere velint, si ieiuniis & orationibus, omníque voluntati diuinæ se subiecerint, in eis Deum non delectari, vitam illis æternam in toto dari non posse, sic electione prædestinatos esse vt pereant: Deum nos taliter operantem personarum esse dicere acceptorem. Non miramur vos de nobis, id est, homines de hominibus falsa posse confingere: cùm videamus vos sic à diabolo esse fascinatos, vt scripturas sanctas & veridicas ad voluntatis vestræ intellectum mutare nitamini, fidem Christi Apostolorum prædicatione fundatam euertere, falsum dogma vestrum anteponere veritati. Hinc est vtique, vt non possitis agnoscere veritatem. Immo hinc est, vt corrupti & abominabiles facti sitis in voluntatibus vestris.]

Lib.1.in principio.

Et item ad locum, Velut nobis calumniam obicitis, quòd operari bona, & oportere esse in Dei proposito sollicitos prohibeamus. Quin potiùs qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam sentiunt pertinere, hortamur oportere incumbere orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, vigiliis, omníque operi voluntatis diuinæ. Prædestinatis enim dicitur Apostolis, cùm tamen generale sit quod illis dicitur à Christo, prædestinato secundùm carnem ex semine Dauid, prædestinante autem secundùm potentiam Dei Patris cum Patre & Spiritu sancto, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Item, *Vigilate in omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Item, *Contendite intrare per angustam portam.* Item, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* & multa alia, quæ longum est enarrare. Sed vt superiùs memoraui, qui eis dixit, sine me nihil potestis facere, per ipsum quæ iubentur facere possunt. Huiusmodi in Christo esse electos Dei ait Apostolus, *In quo prædestinati secundùm propositum eius qui omnia operatur.* Intellige dictum qui omnia operatur; & crede esse opus Dei opera eorum

Sub finem libri 6.

Matt.26.41.

Luc.21.36.

Luc 13.24.

Ioan 15.24.

Ephes.1.11.

qui ambulant ſecundùm propoſitum Dei. Qui verò abſque prædeſtinationis gratia ſunt, id eſt, alieni à propoſito Dei, & perdurant in operibus malis, ſi ſic etiam ex hac vita migrauerint, non eos dicimus, vt vos putatis, ita à Deo hominum opifice ordinatos vt perirent, tanquam ipſe illis mores malæ vitæ creauerit, ipſe ad omne opus mortis inuitos præcipitauerit. Abſit hoc à diuino propoſito. Non enim volens iniquitatem eſt Deus, nec mandauit cuiquam impiè agere, nec alicui dedit laxamentum peccandi. Fecit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles nationes orbis terrarum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui ſunt ex parte illius. Nec dicimus, vt fingitis, & ſi credere velint, vel bonis operibus Dei vacare, Deum illis hoc nolle præſtare, cùm eiuſmodi velle Dei ſit donum. Si ergo ex Deo eſt quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod donauit. Si autem ex Deo non eſt, ſed eſt de iactantia propriæ voluntatis, qua ſe meritis Deum æſtimant promereri, manifeſtè quod volunt capere non poſſunt, quia *non volentis*, inquit Apoſtolus, *neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et quia non poteſt homo à ſe facere quicquam, niſi datum illi fuerit deſuper, non hoc agit Deus ſummè bonus malitia, ſed iuſtitia: nec perſonarum acceptione, ſed cauſarum ſecretarum diſcretione.]

Rom. 9. 16.

Cap. 22.

Et item idem in libro de Bono perſeuerantiæ, Vos, inquit, etiam ipſam obediendi perſeuerantiam à patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſperare debetis, & cotidianis orationibus poſcere, atque hoc faciendo confidere, non vos eſſe à prædeſtinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis ipſe largitur. Abſit autem à vobis, ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine. & bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc ſpem tenentes, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. quoniam de vita æterna, quam filiis promiſſionis promiſit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cùm conſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio eſt ſuper terram. Sed faciat nos ſperare in ſe vſque in huius vitæ finem, cui cotidie dicimus, ne nos inferas in tentationem.] & item poſt aliquanta, Attendant ergo quomodo fallantur qui putant eſſe à nobis, non dari nobis, vt petamus, quæramus, pulſemus. & hoc eſſe dicunt quòd gratia præceditur merito noſtro, vt ſequatur illa cùm accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperitúrque pulſantibus. Nec volunt intelligere, etiam hoc diuini eſſe muneris, vt oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus. Accepimus enim ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Quod vidit & beatus Ambroſius. Ait enim, Et orare Deum gratia ſpiritalis eſt, ſicut ſcriptum

Cap. 23.

eſt,

eſt, *Nemo dicit Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto.* Hæc igitur, quæ poſcit à Domino, & ſemper ex quo eſſe cœpit popoſcit Eccleſia, ita Deus vocatis ſuis daturum ſe eſſe præſciuit, vt in ipſa prædeſtinatione iam dederit. Quod Apoſtolus ſine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum, *Conlabora*, inquit, *Euangelio ſecundùm virtutem Dei ſaluos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm ſuum propoſitum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna, manifeſtata autem ſunt nunc per aduentum ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Et item hinc idem in libro de Correptione & Gratia.

2.Tim.1.8.

Capvt XVIII.

De certo numero Prædeſtinatorum.

Certvm verò eſſe numerum electorum, neque augendum, neque minuendum, quamuis & Ioan. Baptiſta ſignificet, vbi dicit, *Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud voſmetipſos, patrem habemus Abraham. Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* vt oſtendat ſic eſſe iſtos amputandos ſi non fecerint fructum, vt non deſit numerus qui promiſſus eſt Abrahæ. Tamen apertiùs in Apocalypſi dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius non eſt accepturus niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus electorum. Quòd autem etiam perſeueraturis ſanctis ſic iſta dicuntur, quaſi eos perſeueraturos habeatur incertum, non aliter hæc audire debent quibus expedit non altum ſapere ſed timere. Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ angelum, ne extolleretur, colaphizaretur tantus Apoſtolus. Hinc Apoſtolis dicebatur, *Si manſeritis in me*, dicente illo, qui eos vtique ſciebat eſſe manſuros, & per Prophetam, *Si volueritis & obaudieritis me*, cùm ſciret ipſe in quibus operaretur & velle. & ſimilia multa dicuntur.] Hæc ſententia ſæpiùs reuoluenda & firmiter retinenda eſt, contra eos qui dicunt, quicquid facit prædeſtinatus ad vitam, ad regnum perueniet ſempiternum: & quicquid etiam faciet prædeſtinatus ad interitum, in mortem ibit æternam. Quod dixerunt & æmuli ſancti Auguſtini, ſicut Proſper in obiectionibus calumniatorum, quas orthodoxè diſſoluit, manifeſtè demonſtrat, & nos pro noſtra mediocritate commemorauimus. Vnde etiam in epiſtolis, quas ad beatum Auguſtinum direxerant, iidem Proſper & Hilarius Arelatenſis conqueſti fuerant, ad quæ hæc beatus Auguſtinus reſcripſerat. Et item ad locum in eodem libro dicit, Numerus ergo ſanctorum per Dei gratiam Dei regno prædeſtinatus, donata ſibi vſque in finem

De Correptione & Gratia.
Matt.3.8.
Apoc.3.
Ibid.

perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia saluatoris sui, siue cùm conuertuntur, siue cùm præliantur, siue cùm coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam sancta scriptura testatur, vbi sanctus de Domino Deo suo dicit animæ suæ, *Qui coronat te in miseratione & misericordia.*] Sed & tunc pro bonorum operum meritis, iusto iudicio etiam misericordia tribuetur. Quod vidit beatus Gregorius, primæ & sanctæ Sedis Romanæ ornatus præcipuus, dicens in libro primo Dialogorum, Quæ perennis, inquit, regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.] Vnde & sicut in gestis Romanorum Pontificum legitur, arcanis sacramentorum cælestium augmentare curauit, Vt dies nostros in sua pace disponat, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum suorum iubeat grege numerari, per Christum Dominum nostrum prædestinatorum & electorum caput, Deus & pater eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ad quem sacri canones preces ad altare dicendas à sacerdotibus fundi iubent, per eundem filium suum Dominum nostrum, cui cum eo in vnitate Spiritus sancti est gloria, virtus, & imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 102.

Cap. 8.

CAPVT XIX.

Qualiter vna Dei prædestinatio gemina fideliter possit dici, vnde Gothescalcus cum sua synagoga peccantium, prauè sentiendo atque interpretando, anxiè ac perniciosè laborat.

LABORAT nihilominus Gothescalci complexio, vt sic geminam prædestinationem ostendat, quatenus sicut electi à Deo prædestinantur ad vitam, ita reprobi à Deo prædestinentur ad mortem. Cui nunc hoc modo sensibus & verbis catholicorũ Patrum respondere censuimus. B. Gregorius in libro xx. Moralium, Dicitur inquiens Deus zelans, dicitur iratus, dicitur pœnitens, dicitur misericors, dicitur præscius, dum nec zelus, nec ira, nec pœnitentia, nec propriè misericordia, nec præscientia esse possit in Deo. Hæc namque omnia ab humanis in illum qualitatibus tracta sunt. In illo enim nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia adsistunt. Nam dum circa nos quædam prospera & aduersa variantur, in eo quòd nos mutamur, quasi eius circa nos mutatum animum suspicamur. Ipse verò in se incommutabilis permanens aliter atque aliter in cogitatione sentitur hominum pro qualitate meritorum.] Qua de re, quantum ad proprietatem nominum, & diui-

Cap. 23.

nam ſpectat eſſentiam, ſicut beati Gregorij verbis oſtendimus, præſcientiam in Deo, cui non eſt aliud eſſe & aliud ſcire, ſed hoc eſt ſapere quod eſſe, cuique nihil præterit accidítque futurum, ſed ſemper eſſe in illo eſt, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, cui veraciter dictum eſt, *Tu autem ſemper idem ipſe es.* illum præſcire, cui iterum dictum eſt, *Tu autem Domine qui noſti omnia antequam fiant*, & de quo ſcriptum eſt, *qui fecit quæ futura ſunt*, dicere nõ valemus. Verumtamen ſcriptura ſacra, quæ excellentiã ſuam aliter nobis demonſtrare non poteſt, niſi condeſcendendo nobis talibus verbis congruat, quibus nos ad ſuam intelligentiam trahere & ſubleuare præualeat, nobis propria vſurpauit, vt ſibi propria nos doceret. quatinus per impropria quantũ licet mortalibus propria cognoſcamus. Sicut item S. Gregorius in libro XXIX. Moralium dicit, Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus, in eo quòd virtus & ſapientia Dei eſt, de patre ante tempora natus eſt, vel potiùs, quia nec cœpit naſci nec deſinit, dicamus veriùs ſemper natus. Non autem poſſumus dicere ſemper naſcitur, ne imperfectus videatur. at verò vt æternus deſignari valeat & perfectus, & ſemper dicamus & natus, quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & ſemper ad æternitatem. vt quocumque modo illa eſſentia ſine tempore temporali valeat deſignari ſermone. Quamuis hoc ipſo quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expreſſione deuiamus, quia quod factum non eſt, non poteſt dici perfectum. Et tamen infirmitatis noſtræ verbis Dominus condeſcendens ait, *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*] Hoc enim de radice traximus quod in ramis portamus, vt talibus ac taliter doceri indigeamus. quoniam corpus quod corrumpitur adgrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, & quandiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, & ingemiſcimus grauati, ſuperindui cupientes habitationem quæ de cælo eſt. Cùm autem corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, quod nunc verbis ſibi impropriis diuina eſſentia, quaſi in figura & ænigmate, ex parte nos docet, qui docet hominem ſcientiam, & à cuius facie eſt ſcientia & intellectus, quando venerit quod perfectum eſt, & euacuabitur quod ex parte eſt, & reuelata facie gloriam Domini ſpeculabimur in ciuitate lucida atque perſpicua, quæ eſt ſimilis auro mundo, vitro mundo, & cuius lucerna eſt agnus, omnéſque eius filij erimus docti à Domino, in propriis propria doceri non indigebimus.

Psal.101.28 | Dan.13.42 | Cap.1. | Marc.5.5.

Verùm tamen, ſaluo fidei intellectu, rectiſſimè dicitur præſcientia & prædeſtinatio Dei, quæ non ei ex tempore accidens ſed eſſentia eſt, cui ſemper eſſe eſt, & id ſcire quod eſſe eſt. Et ſicut idem Deus ſempiternus, idem ſemper æternus & bonus eſt, ita præſcientia & prædeſtinatio eius coæterna & bona, non accidens ſed eſſentia fuit illi ſemper & eſt. Vnde Auguſtinus in ſententia Euangelij

Ioan.5.30. Ioannis, *Sicut audio iudico.* Audit videlicet, per vnitatem ſubſtantiæ & proprietatem ſcientiæ. à quo eſt genitus, ab eo illi eſt intelligentia, ab illo vtique eſt ſcientia. ab eo igitur audientia, quæ nihil eſt aliud quàm ſcientia. Et ſicut idem Deus vnus, & non ex accidenti ſed eſſentialiter bonus & iuſtus eſt, ita & prædeſtinatio eius, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt, vna & bona & iuſta eſt, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ, ſicut ſanctus Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ dicit. Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Namque in ſua, quæ falli mutaríque non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere, id omnino nec aliud quicquam eſt prædeſtinare. Et in libro de Prædeſtinatione ſanctorum, Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit quæ fuerat ipſe facturus. vnde dictum eſt, *fecit quæ futura ſunt.* Quia vt ipſe in tertio libro de Trinitate dicit, In illa ſumma eſſentia nec oritur nec moritur aliquid, nec incipit eſſe nec deſinit.] & in libro Hypomneſticon, Deus cui præſcientia non accidens eſt, ſed eſſentia fuit ſemper & eſt, quicquid antequam ſit ſic præſcit, prædeſtinat, & propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit præſcit: ſed non omne quod præſcit prædeſtinat. mala enim tantùm præſcit, bona verò præſcit & prædeſtinat. Quod ergo bonum eſt præſcientia prædeſtinat, id eſt, priuſquam ſit in re præordinat, hoc cum ipſo auctore eſſe cœperit, vocat, ordinat, & diſponit.]

Lib.vi. ſub initium.

Qua præſcientia & prædeſtinatione Deus bonus & iuſtus quæcumque fecit in tempore, & ipſa etiam tempora, qui fecit quæ futura ſunt, præſciuit & prædeſtinauit ſine tempore, quia ante omnia tempora, hominem cum libero arbitrio ſe facturum. Præſciuit autem, non prædeſtinauit, eundem hominem per idem liberum arbitrium caſurum, & maſſam perditionis totius humani generis futurum. Præſciuit etiam & prædeſtinauit ſine tempore, quia ante omnia tempora, ex eadem maſſa quoſdam per gratiam ſe ad eandem æternam vitam reparaturum, ad quam primum hominem conſiſtere voluit, quem ſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ante omnia tempora prĝſciuit & prĝdeſtinauit facturum. & eadem gratia præſciuit & prædeſtinauit ante tempora ſæcularia, præſcitis & prædeſtinatis ſuis eandem æternam vitam ſe donaturum. Præſciuit autem, non prædeſtinauit, quoſdam in eadem maſſa mortis permanſuros, & ad ſecundam mortem quæ æterna eſt peruenturos. prædeſtinauit verò eiſdem, perſeuerante iniquitate ad æternam mortem peruenturis, pœnam ſe meritò redditurum. Quoniam ſicut præſciuit & non prædeſtinauit ante omnia tempora hominem peccaturum, & per peccatum mortem incurſurum: ita iſdem, qui non eſt auctor mortis, ſed damnator vitæ & mortis, non eſt mors morientium, ſed vita viuentium, qui dixit, *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium*, præſciuit non prædeſtinauit hominem ad mortem, quem ad æternitatem con-

Matt.22.32.

ſiſtere voluit. in quo omnes conſiſterent ſi ipſe perſiſteret, ſicut in eo omnes peccauerunt, quando ipſe peccauit, ſicut ſcriptum eſt, *In quo omnes peccauerunt.* Non prædeſtinauit hominem ad pœnam, quem condidit cum honore ad gloriam. non inquam prædeſtinauit, ſed præſciuit hominem ad pœnam, ad quam per pœnis digna opera peruenitur. quia & infidelitas pœnale opus eſt, ſicut & opus ſalutis eſt fides, dicente Domino, *Hæc eſt autem opus eius, vt credatis in eum quem miſit ille.* vt quicumque ad pœnam vadit, originali vel actuali peccato in infidelitate permanens, aut non credendo, aut malis operibus, ſicut Apoſtolus dicit, Deum negando, non prædeſtinatione Dei, ad illam peruenit. alioquin opificio illius reputaretur, vt deputatur eius opificio quòd prædeſtinati ad vitam perueniunt ſempiternam. Sicut nec primus homo Dei prædeſtinatione peccauit, vel prædeſtinatione mortem incurrit, quia Deus non prædeſtinat niſi ea quæ ipſo auctore ſunt facienda. Sic etiam & de præſcientia Dei ſentiendum eſt: quia ſicut non præſcientia Dei, ſed proprio vitio primus homo peccauit & cecidit, ita etiam nemo propaginis illius præſcientia Dei in peccati maſſa cogitur permanere, vel ad pœnam peruenire. quia non ideo primus homo peccauit, quia Deus illum peccaturũ prẹſciuit: ſed quia peccaturus erat homo primus, Deus præſciuit. Similiter non reprobi permanent reprobi quia Deus hoc præſciuit: ſed quia illi permanſuri erant reprobi, Deus præſciuit, ſed non prædeſtinauit. quia quod futurum eſt non præſcire Deus non poteſt, ſicut & quod Deus præſcit non poteſt non eſſe futurum. veluti non aliud nec aliter eſt, niſi ſicut Deus præſcit: nec aliter vel aliud Deus præſcit, niſi ſicut & quod eſt pro certo futurum. Præſcientia igitur Dei in malis ſine prædeſtinatione eius, in bonis autem cum præſcientia & prædeſtinatio Dei eſt: & prædeſtinatio Dei ſemper in bono eſt, quæ ſicut dictum eſt, aut ad donationem pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ. & præſciti ac prædeſtinati donatione gratiæ ad vitam perueniunt, & vita illis donatur æterna: præſciti autem tantùm & non prædeſtinati, ad pœnam perueniunt, & ex retributione iuſtitiæ pœna illis præſcita & prædeſtinata redditur ſempiterna. Quocirca vna eſt Dei prædeſtinatio quæ ſemper in bono eſt: & eſt à Deo prædeſtinatio electorum ad vitam, non autem eſt à Deo prædeſtinatio reproborum ad mortem.

Rom. 5. 12.

Ioan. 6. 29.

Verùm, vt venerabilis Beda preſbyter in Commento Euangelij Lucæ dicit, Nulla falſa doctrina eſt, quæ non aliqua vera intermiſceat.] Et ſanctus Cyrillus ad Eulogium preſbyterum, Non omnia, inquit, quæcumque dicunt hæretici, fugere & refutare decet. Multa enim confitentur, ſicut & nos confitemur. velut Arriani quando dicunt Patrem quia creator eſt omnium & dominus, numquid propter hoc fugere conſequens eſt huiuſmodi confeſſiones? Sic & in Ne-

Sub initiũ epiſtolæ.

ſtorio, licèt duas naturas dicat, diuerſitatem ſignificás carnis & Verbi, altera enim Verbi natura, altera carnis eſt, ſed tamen nequaquam vnitatem confitetur nobiſcum. Nos autem hæc vnientes in vnum, vnum Chriſtum, vnum filium eundem, vnum Deum confitemur.] & item vbi ſuprà memorabilis Beda presbyter, In hæreticis & malis catholicis non ſacramenta communia, in quibus nobiſcum ſunt, & aduerſum nos non ſunt, ſed diuiſionem paci veritatíque contrariam, qua aduerſum nos ſunt, & Dominum non ſequuntur nobiſcum, deteſtari & prohibere debemus.]

Quoniam Gotheſcalcus & ſui complices geminam prædeſtinationem dicunt, non per totum neque in toto hoc refutare debemus, ſed ſenſum catholicæ fidei contrarium in hoc dicto, quo prædeſtinationem Dei geminam adſtruunt, fidei catholicæ filij abominari & anathematizare debemus. Dicunt enim, vt præmiſimus, quia ſicut electi à Deo prædeſtinantur ad vitam, ita reprobi à Deo prædeſtinantur ad mortem. Qui tam vitandi ſunt Eccleſiæ, vt ſi fieri poteſt, ſicut de leproſis hæreticos ſignificantibus legitur, longiùs remoti magno clamore Chriſtum interpellent, & cum aliis turbis non comprimant, de quibus legitur, *qui ſteterunt à longè*. Qui verò in ſinu catholicæ matris Eccleſiæ poſitus, ita Dei prædeſtinationem voluerit dicere geminam, vt in effectu operum Dei, qui fecit quæ futura ſunt, hoc recto ſenſu intelligat: ſcilicet vt ad electos donum gratiæ pertinere, & ſecundùm ſuperiorem ſenſum ad reprobos retributionem iuſtitiæ fateatur, vt dono gratiæ electi ſint prædeſtinati ad vitam, & illis vita ſit prædeſtinata æterna, reprobi autem non à Deo prædeſtinentur ad pœnam, ſed retributione iuſtitiæ illis pœna prædeſtinetur æterna, non diſcordat à vero, ſi hanc Dei prædeſtinationem ſic dicit geminam, ſicut catholici Doctores caritatem geminam dicunt, quæ vna eſt, & in præceptis duobus, dilectione videlicet Dei & proximi, gemina dicitur. ſed non alia eſt caritas quæ diligit proximum, quàm illa quæ diligit Deum. quamuis ſit aliud Deus, aliud proximus, tamen vna caritate diligendus eſt Deus & proximus. Et ſicut vnus eſt Spiritus & duo data, ita vna eſt Dei prædeſtinatio, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iuſtitiæ. Quia ſicut beatus Gregorius in Homilia XVII. Ezechielis prophetæ dicit, Non alia cogitatione Deus iuſtos adiuuat, atque alia iniuſtos damnat: ſed vna eadémque vi naturæ ſingularis, ſibi ſemper indiſſimilis, diſſimilia diſponit. Cur autem hoc de potentia creatoris admiremur, qui virtutis eius veſtigia & in creatura conſpicimus? Natura quippe luti & ceræ diuerſa eſt, Solis verò radius non eſt diuerſus: & tamen cùm diuerſus non ſit, diuerſa ſunt quæ in luto operatur & cera: quia vno eodémque ſui ignis calore lutum durat, & ceram liquat. Sed fortaſsè hoc in natura luti vel ceræ eſt, non in ipſa Solis ſubſtantia, quæ in naturis diuerſis diuerſa videtur

Luc. 17. 12.

Sub mediũ.

operari. Omnipotens autem Deus in ſemetipſo habet ſine immutatione mutabilia diſponere, ſine diuerſitate ſuî diuerſa agere, ſine cogitationum viciſſitudine diſſimilia formare. Longè ergo diſſimiliter operatur diſſimilia nunquam ſibi diſſimilis Deus, qui & vbique eſt, & vbique totus eſt.]

Et ſicut Paulus dicit, *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, & in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt*, vno eodémque bono odore quidam ſalui fiunt, quidam autem pereunt. Qui ſalui fiunt, gratiæ dono ſaluantur & coronantur: qui pereunt, ſua iniquitate pereunt, & ex retributione iuſtitiæ puniuntur. Et vt beatus Gregorius in Tractatu Ezechielis prophetæ, ſed & in Moralibus Iob dicit, Panis vitam fortium roborat, paruulorum necat, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat.] Et beatus Auguſtinus in ſeptimo Pſalmo exponit dicens, Sed quia non ſagittas tantùm, ſed etiam vaſa mortis dixit in arcu Dominum paraſſe, quæri poteſt quæ ſint vaſa mortis, an fortè hæretici. Nam & ipſi ex eodem arcu, id eſt, ex eiſdem ſcripturis, in animas pro caritate inflammandas, ſed veneno mortis perimendas inſiliunt. quod non contingit niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ipſa diſpoſitio tribuenda eſt: non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipſa ſit pœna peccati. Quorum tamen morte filij catholicæ Eccleſiæ, tanquam quibuſdam ſpinis, à ſomno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant ſcripturarum. *Oportet enim & hæreſes eſſe, vt probati*, inquit, *manifeſti fiant inter vos*, hoc eſt, inter homines, cùm manifeſti ſint Deo. An fortè eaſdem ſagittas & vaſa mortis diſpoſuit ad perniciem infidelium, & ardentes vel ardentibus operatus eſt ad exercitationem fidelium? Non enim falſum eſt quod Apoſtolus dicit, *Aliis ſumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Et ad hæc quis idoneus? Non ergo mirum ſi iidem Apoſtoli, & vaſa mortis eis à quibus perſecutionem paſſi ſunt, & igneæ ſagittæ ſunt ad inflammanda corda credentium. Poſt hanc diſpenſationem iuſtum veniet iudicium, de quo ita dicit, vt intelligamus vnicuique homini ſupplicium fieri, & ei iniquitatem in pœnam conuerti. Nec putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei de ſe proferre vnde peccata puniantur: ſed ipſa peccata ſic ordinare, vt quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, ſint inſtrumenta Domino punienti.] Et in Pſalmo XLIV. [qui ſequebantur bonum odorem.] Diligebat amicum ſponſi ſui ipſa ſponſa, quæ dicit in Cantico canticorum, *Poſt odorem vnguentorum tuorum curremus.* Illi autem alij, quanto magis eum videbant, quin Paulum, in gloria prædicationis Euangelij, & in vita inculpabili, tanto magis inuidia torquebantur & occidebantur bono odore.] Et item ſanctus Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione gratiæ, Poteſt exiſtere nihilominus fortaſsè, qui

2.Cor.2.15.

Sub finem.

1.Cor.11. 19.

2.Cor.2.16

Verſus finem.

Cant.1.3.

Cap.XV.

dicat minus idoneam ad ſalutem viam, ſi nulla intrinſecùs vocatione pulſatus tantùm quiſpiam flagelletur. Vnde Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam? nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis durior eſt effectus, & periit. Hîc mihi rationem reddat, qui diuinum conſilium nimium alta ſapienti corde diiudicat, cur medicamentum vnius medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem, niſi quia *Chriſti bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo reges, quantum ad cauſam ambo captiuum Dei populum poſſidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quòd vnus manum Dei ſentiens, in recordationem propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnauit arbitrio? Hîc quicumque reſpondet, illi vt mutaretur adfuiſſe diuinum, huic vt induraretur defuiſſe præſidium, & hoc contendit iniuſtum, propter quòd rerum ipſarum fines in Dei voluntate conſtituens dixit Apoſtolus, *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, dicente autem Domino, *Sine me nihil poteſtis facere*, intelligat iſta omnia vel adiuuante Deo perfici, vel deſerente permitti.]

2.Cor.2.15. Rom.9.18 Ioan.15.5.

Et Proſper in libro Epigrammatum cap. XXVIII. De duplici opere Dei, Si omnes homines ſimul conſideremus, quorum alij miſericordia ſalui fiunt, alij veritate damnantur, vniuerſæ viæ Domini, id eſt miſericordia & veritas, ſuo fine diſtinctæ ſunt. Si autem ſolos ſanctos intueamur, non diſcernentur hæ viæ. Indiuidua eſt enim ibi & à miſericordia veritas, & à veritate miſericordia: quia beatitudo ſanctorum, & de munere eſt gratiæ, & de retributione iuſtitiæ.

Omnibus in rebus geminum eſt opus omnipotentis,
Totum aut iuſtitia eſt quod gerit, aut pietas.
Quæ ſimul in terras deſcendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti deſit vtrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miſerentis egemus,
Præcedit ſemper gratia iuſtitiam,
Damnantem elatos, ſaluantem iuſtificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

Et item idem in eodem libro cap. XVI. de Iuſtitia & Gratia, Duæ retributiones iuſtitiæ, cùm aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. tertia eſt retributio gratiæ, cùm per regenerationem remittuntur mala & retribuuntur bona. Atque ita manifeſtatur quòd vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Illam autem impiorum retributionem, qua pro bonis mala reſtituunt, Deus neſcit, qui niſi retribueret bona pro malis, non eſſet cui retribueret bona pro bonis.

Iustitiæ merces gemina est, cùm vel bona rectis,
Vel prauis dignè cùm mala restituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Christi,
Non pensans meritum, diluit omne malum.
Credentésque omnes renouans baptismate sacro,
Dat bona quæ propter det meliora bonis.

Et item sanctus Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ, At enim voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo, quis hoc negauerit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat. nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.] Hinc sanctus Hilarius in Commento Matthæi dicit, Secundùm diluuij tempus, in ipso vitæ nostræ cursu omnia agentibus ac facientibus magnus ille dies aderit. Quin etiam in assumendis fidelibus futurum esse discrimen ostendit, cùm duobus in agro positis adsumitur vnus, & alius relinquitur, & duabus molentibus improbetur altera, & altera eligatur, & ex duobus qui in lecto erunt, adhæreat vnus & alius deseratur. Infidelium enim & fidelium discrimen in relinquendis aliis & aliis adsumendis docet. Dei enim ira ingrauescente, sancti, vt Propheta ait, in promptuariis recondentur, perfidi verò ad cælestis ignis materiem relinquentur. Duos igitur in agro, id est, duos populos fidelium & infidelium in sæculo, tanquam in vitæ huius opere, dies Domini deprehendet. separabuntur tamen, relicto alio & alio assumpto. De molentibus quoque par ratio est. Mola opus legis est. Sed quia pars Iudæorum, vt per Apostolos credidit, ita per Eliam est creditura, & iustificanda per fidem est: ideo vna per eandem fidem boni operis adprehendetur, alia verò in infructuoso legis opere relinquetur, molens in cassum, non factura cælestis cibi panem. Duo autem sunt in lecto, eandem passionis dominicæ requiem prædicantes, circa quam & hæreticorum & catholicorum eadem atque vna confessio est. Sed quia vnitatem patris & filij, & communem eorum theoteiam, quam deitatem nuncupamus, catholicorum veritas prædicauit, & eandem rursum plurimis contumeliis hæreticorum falsitas impugnauit, idcirco ex duobus in lecto alius relinquetur, & alius assumetur: quia fidem confessionis vtriusque in vno assumendo, & alio relinquendo, diuini arbitrij iudicium comprobabit.]

Cap. vi.

Canone xxvi.

Vnde præmissis exemplis apertissimè demonstratur, quia hæc Dei prædestinatio ita recto sensu potest gemina dici, non quo ea ipsa prædestinatione sic prædestinentur reprobi ad interitum, sicut prædestinantur electi ad vitam: sed quia electis dat gratia quod non meretur malitia, relictis autem reddit æquitas quod meretur iniquitas. Sed & caritatem, quæ vna est, quia Deus caritas est, quæ vt & omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens à patre luminum est, non solùm geminam dicit beatus Gregorius, verùm

& de eadem ſcribens, Sicut ex vna, inquit, radice multi arboris rami prodeunt, ita & ex vna caritate multæ virtutes generantur. Et de ſancto Spiritu, qui vnus eſt, & duo ſunt eiuſdem ſancti Spiritus data, cùm laus ſapientiæ deſcribitur in libro qui nomine Sapientiæ titulatur, poſtquam dictum eſt *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, adiunctũ eſt, *Eſt enim in illa*, quin ſapiẽtia, *Spiritus intellectus, ſpiritus vnicus, multiplex, ſubtilis, mobilis, humanus, ſtabilis.* qui tamen vnus eſſe non dubitatur. & dicitur vnicus quia indiuiſus, multiplex verò, quoniam in virtutum effectibus multiformis. Et in prophetia Eſaiæ, quam Dominus in Euangelio in ſeipſo monſtrauit eſſe completam, dicitur *Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris Domini.* quæ ipſius ſancti Spiritus dona per impoſitionem manus epiſcopalis & conſignationem ſacri chriſmatis in confirmatione fidelium cælitus largiendo ſancta celebrat & frequentat Eccleſia. Vnde beatus Ambroſius in tertio libro de Sacramentis dicit, Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt vt perfectio fiat. quoniam ad inuocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij atque virtutis, ſpiritus cognitionis atque pietatis, ſpiritus ſancti timoris. Septem quaſi virtutes ſunt, & omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinẽt: ſed iſtæ quaſi cardinales, quaſi principales iſtæ ſunt ſeptem virtutes, quas accipis quando ſignaris. Nam, vt ait Apoſtolus ſanctus, quia *multiformis eſt ſapientia Domini noſtri, & multiformis ſapientia Dei:* ita multiformis eſt Spiritus ſanctus, qui habeat diuerſas variáſque virtutes. vnde Deus virtutum dicitur, quod aptari poteſt patri, & filio, & Spiritui ſancto.] Et ſanctus Gregorius in libro Moralium XXXV. Ioannes ſeptem Eccleſiis in Apocalypſi ſcripſit, per quas vniuerſalem Eccleſiam intelligi voluit, Quæ nimirum vniuerſalis Eccleſia vt plena ſeptiformis gratiæ ſpiritu ſignaretur, Eliſeus ſuper mortuum puerum ſepties oſcitaſſe deſcribitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens quaſi ſepties oſcitat, quia ei dona ſpiritus ſeptiformis gratiæ miſericorditer adſpirat. Et hæretici, atque hi qui æquè extra Eccleſiam poſiti ſunt, reatus ſui abſolutionem non accipiunt, niſi gratiæ ſeptiformis ſpiritu vniuerſali paci, à qua exciſi fuerant, adgregentur.] Sed & beatus Paulus dicit, *Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ*, & cetera vſque dum dicit, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Nam ſicut fides opus eſt Dei iuxta Euangelicam veritatem quæ dicit, *Hoc eſt autem opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille*, ita & reliquæ virtutes ac donorum chariſmata diuiua ſunt opera, quæ tunc ex Dei prædeſtinatione effectibus operum oſtenduntur, cùm largitate bonitatis diuitiarum eius, qui diues eſt in omnibus, pro ſua miſericordia & voluntate hominibus ad credentium vtilitatem diſtribuuntur, ſicut dicit Apoſtolus, *vnicuique da-*

Sap. 1. 7. Sap. 7. 22. Eſa. 11. 2. Luc. 4. 21. Cap. 1. Epheſ. 3. 10. Cap. VII. Apoc. 1. 4. 1. Cor. 12. 8. 11. Ioan. 6. 29. 1. Cor. 12. 7.

tur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Hi enim omnes operis diuini effectus ad donum gratiæ pertinere noscuntur.

CAPVT XX.

Qualiter intelligi debeat quòd beatus Gregorius plurali numero prædestinationes posuit.

BEATVS etiam Gregorius effectus prædestinationis Dei in libro Moralium XXVIIII. plurali numero, dispositionum scilicet & prædestinationum, nominauit dicens, Ordinem, inquit, cæli nosse est, supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre: rationem verò eius in terram ponere est, ante humana corda talium secretorum causas aperire.] & paulò pòst multos effectus diuini operis computat, qui omnes aut ad donum pertinent gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. Dicit enim, Quis intelligat quæ esse ratio secretorum potest, quòd sæpe vir iustus à iudicio, non solùm non vindicatus, sed etiam punitus redeat?] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut scriptum est, *sanctus sanctificetur adhuc.* Veluti sancti Dei in conciliis & in synagogis flagellati, & ante reges & præsides ducti & condemnati fuerunt. Nam vt nos dono gratiæ saluaret, propter nos homines & propter nostram salutem, & Iesus stetit ante præsidem, qui alapis & contumeliis affectus exiit à iudicio iniustè iudicatus, & veniet in maiestate sua & patris ac sanctorum Angelorum viuos & mortuos iustè iudicaturus. Sequitur in verbis sancti Gregorij, Et iniquus eius aduersarius non solùm non punitus, sed etiam victor abscedat?] quod est ex retributione iustitiæ, vt qui nocet noceat adhuc, quatenus iustus iustificetur adhuc. Item sequitur, Quis intelligat cur viuit alius insidians mortibus proximorum?] quod est ex retributione iustitiæ, vt qui in sordibus est sordescat adhuc. Item, Et moritur alius, qui profuturus esset vitæ multorum?] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut scriptum est, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.* Vnde Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, Dictum est hoc secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei, vt tentationum subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. Item, Alius culmen potestatis assequitur, qui non nisi lædere studet.] quod est ex iustitiæ retributione, sicut scriptum est, *Transierunt in affectum cordis.* Item, Alius tantummodò læsos defendere concupiscit, & tamen ipse oppressus iacet.] quod ad donum pertinet gratiæ. quia sæpe quidam in subiectione cautiùs se custodiunt, & in prælatione delinquunt, vt in Dauid operibus discimus, quem Dominus misericorditer temperat, ne forte qui in planis titubat in præcipitio pedem ponat, sicut idem sanctus Gregorius in Regula

Cap. XVIII.

Apoc. 22. 11

Sap. 4. 11.

Psal. 72. 7.

Apoc.22.11 pastorali demonstrat. Et sicut scriptum est, *Sanctus sanctificetur adhuc*, vt Tobias & ceteri in captiuitate electi. Item [alius vacare appetit, & innumeris negotiis implicatur : alius negotiis implicari desiderat, & coactus vacat.] Quæ sæpè ad donum pertinent gratiæ, sæpe ad retributionem iustitiæ, sicut idem sanctus Gregorius & in libris Moralibus, & in Regula pastorali demonstrat. Item, [alius malè inchoans vsque ad vitæ suæ terminum ad peiora progreditur.] quod pertinet ad retributionem iustitiæ, sicut apertissima exinde exempla multoties in scripturis inuenimus. Et Paulus dicit in epistola ad Romanos, de his qui cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. *Propterea tradidit eos Deus in reprobum sensum*, vt de Pharaone legitur. [alius bene incipiens, per longitudinem temporum proficit ad augmentum meritorum.] quod ad donum gratiæ non dubium est pertinere, sicut scriptum est, *Ascensus in corde suo disposuit in conualle lacrymarum*, qui, vt Paulus dicit, *renouatur de die in diem.* Et item Psalmus, *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi.* quoniam illi in senecta vberi multiplicantur, quorum vita cùm differtur, semper ad melius fortitudo producitur, eísque per augmentum temporum crescunt etiam lucra meritorum. Item è contra, [alius malè viuens diu reseruatur vt corrigatur.] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut Paulus dicit, *Fidelis sermo, Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. sed ideo misericordiam consecutus sum, qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* [alius verò bene quidem videtur viuere: sed in hac vita eousque durat, quo ad peruersa prorumpat.] quod occulto fit, sed non iniusto, Dei in quo non est iniquitas iudicio. De qualibus scriptum est, *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* sicut Balaam post prophetiam & lacrymas, & Iudas de Apostolatu post signa miraculorum, quia cupiditatis ignem extinguere noluit, ad perpetua tormenta peruenit. quod pertinet ad retributioně iustitiæ. Item [alius in errore infidelitatis natus, in errore deficit.] quod pertinet ad retributioně iustitiæ: quia quod in radice putruit, in ramo exaruit. de quibus scriptum est, *errauerunt ab vtero.* vt Esau adhuc in vulua est reprobatus. [alius in catholicæ fidei rectitudine genitus, in catholicæ fidei rectitudine consummatur.] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut Hieremias & Ioannes de ventre vocati, & in vtero sanctificati, & Isaac antequam conciperetur designatus, & Iacob vocatione electus. E contrà verò, [alius catholicæ matris ventre editus iuxta, vitæ terminum erroris voragine deuoratur.] quod pertinet ad retributionem iustitiæ, quia cùm Deum cognouisset, vt Paulus dicit, *non sicut Deum honorificauit.* & de diabolo, talium videlicet capite, scriptum est *quia in veritate non stetit.* in qua sine dubio fuit, sed non in ea permansit, quoniam tumens de dono

Rom.1.28 · Psal.83.6. · 2.Cor.4.16 · Psal.91.15. · Luc.8.13. · Psal.57.4. · Rom.1.21. · Ioan.8.44.

gratiæ Dei, de sublimi excellentia ex retributione iustitiæ cecidit ad miseriæ infima. [alius autem vitam suam in catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia cum lacte matris hauserat virus erroris.] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut scriptum est, *Gratia salui facti estis, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est.* [alius celsitudinem bene viuendi appetere & volet & valet.] quod ad donum pertinet gratiæ, sicut Paulus dicit, *Datum nobis esse à Deo & velle & perficere pro bona voluntate.* [alius nec volet nec valet, alius volet & non valet, alius valet & non volet.] quæ pertinent ad retributionem iustitiæ, quoniam hoc, remoto etiam additamento iniquitatis nostræ, promeruit generalis massa perditionis: de qua, vt Augustinus dicit, si nullus liberaretur, vt incomprehensibilis ita & irreprehensibilis esset Dei iustitia.

Ephes.2.8.

Philip.2.13

Ad cognoscendos quippe istos iudiciorum secretorum sinus nullus ascendit: quia scit in suo secreto consilio artifex & peritus cementarius, quò funem perpendiculi trahere, vel quò retrahere debeat: quem lapidem in maceria Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, ab intus foras trahere, quem à foris intus retrahere, & vbi in opere suæ constructionis ponere, quem à compositione debeat ipsius suæ ciuitatis relinquere. quod fit vnius eiusdémque prædestinationis aut dono gratiæ, aut retributione iustitiæ. Vnde sanctus Gregorius in Ezechielis prophetæ homilia XIII. dicit, Vis illa diuinitatis, quæ in diuersitatis motum & mutabilitatem non ducitur, ea ipsa luce iustitiæ adflictos ac pœnitentes viuificat, qua superbientes ac rigidos percutit.] & homilia XVII. Omnipotens Deus, quia sibimetipsi dissimilis non est, ea virtute videt qua audit, ea virtute creat qua iudicat creata. eius verò & videre simul omnia administrare est, & administrare conspicere: nec alia cogitatione iustos adiuuat, atque alia iniustos damnat. sed vna eadémque vi naturæ singularis sibi sempérque indissimilis dissimilia disponit.] De quo terribili in consiliis super filios hominum exclamat Paulus, *O altitudo*, inquit, *sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Qui si mutat tempus, non mutat consilium, quoniam consilium eius in æternum manet, cogitationes cordis eius in sæculum sæculi. Hæc est prædestinatio Dei, qui prædestinat ea quæ ab ipso sunt, vel quæ erat ipse facturus, prædestinans, id est, gratia præparans electos, probos & iustos ad regnum, ad vitam æternam, id est, ad gratiam quæ est prædestinationis effectus: puniens relictos, reprobos, iniustos, quod est iustæ retributionis effectus. Sícque, vt beatus Prosper istis ipsis verbis confitetur, & alij catholici Doctores concordi sensu fatentur, & sacra scriptura, atque catholica credit & docet Ecclesia, prædestinatio Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Ideo has multiplices varietates atque effectus diuinæ prædestinationis à

Sub mediū

Rom.11.33.

beato Gregorio computatos, qualiter aut ad donum gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ pertineant, ostendere procurauimus: quia quidam, sicut in præfatis libellis ostendimus, prædestinationes ex verbis sancti Gregorij plurali numero posuerunt, vt hinc prædestinationem geminam perdocerent, qua sancti ad vitam, & sicut illi dicunt, reprobi prædestinantur ad mortem. Nunc ad reddendam rationem secundi Capituli transeamus.

CAPVT XXI.

Qualiter de secundo Capitulo, à nobis contra Prædestinatianos excerpto de gratia & libero arbitrio, veteres Prædestinatiani senserunt, & de quorum verbis sumpsimus illa quæ exinde posuimus, & de præposteratione illius, quæ à quibusdam inordinatè facta esse dinoscitur.

SECVNDVM Capitulum in Synodo apud Carisiacum habita nos de gratia & libero arbitrio ex sanctorum Patrum dictis excerpsimus. de quo prisci dixerunt Prædestinatiani, quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum siue ad malum, prædestinatio Dei in hominibus operetur. quoniam Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum, quod proprio motu nihil aliud possit velle nisi malum. Inde & Gothescalcus modernus Prædestinatianus in libello ad Rabanum Archiepiscopum » Moguntinum dicit ad locum, De quo videlicet libero arbitrio quid » Ecclesiæ Christi tenendum sit atque credendum, cùm à ceteris ca» tholicis patribus euidenter sit Deo gratias disputatum, tum præci» puè contra Pelagianos & Cælestianos à beato Augustino pleniùs & » vberiùs diuersis in opusculis, & maximè in Hypomnesticon esse » cognoscitur inculcatum. Vnde te potiùs eiusdem catholicissimi do» ctoris fructuosissimis assertionibus incomparabiliter inde quoque » malueram niti, quàm erroneis opinionibus Massiliensis Gennadij, » qui plerisque præsumpsit in locis, tam fidei catholicæ, quàm bea» torum etiam Patrum inuictissimis auctoritatibus, infelicis Cassiani » perniciosum nimis dogma sequens reniti. Contra quæ nos in præfata Synodo scripsimus, *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus. & habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.*] Cui Capitulo, cum aliis tribus de quibus ratio agitur, in conuentu Episcoporum domnus subscripsit Prudentius. Postea autem in epistola ad Wenilonem suum Archiepiscopum de ordinando Ænea Parisiorum Episcopo » directa, quatuor ponens Capitula, ita de hoc primo dicit, Liberum

arbitrium in Adam merito inobedientiæ amissum, ita nobis per Do- «
minum nostrum Iesum Christum redditum atque liberatum con- «
fiteatur, interim in spe, postmodum autem in re, sicut dicit Apo- «
stolus, *Spe enim salui facti sumus*, vt tamen semper ad omne opus « Rom. 8. 24.
bonum Dei omnipotentis gratia indigeamus, siue cogitandum, siue «
inchoandum, operandum, ac perseueranter consummandum, & sine «
ipsa nihil boni nos posse vllatenus aut cogitare, aut velle, aut ope- «
rari sciamus.] Vnde miramur, cùm in præfata Synodo Capitulis superiùs memoratis subscripserit, & canonicas sanctiones, atque decreta Apostolicæ sedis Pontificum, sufficienter cognita de Synodali subscriptione atque professione habeat, tam inconsultè, & inconsuetè, sine probabili conlatione, contra regularum instituta, huiusmodi scriptum pro ordinationis consensu Coepiscopi sui ad Archiepiscopum & Coepiscopos suos transmiserit. vel quia in Capitulis sæpè memoratis secundum obtinet locum de gratia & libero arbitrio, cur in hac sua epistola illud Capitulum in capite posuit. Conuenientiùs quippe anteponitur illud Capitulum, in quo de prædestinatione Dei loquitur, quæ ante omnia sæcula extat & tempora, illi Capitulo in quo dicitur de libero arbitrio, quod homo in sæculo & in tempore non penitùs vel in totum perdidit, sed infirmauit. Denique in volumine nobis à vestra dominatione ad respondendum commisso inuenimus in sexto capitulo quæ sequuntur. Item
de gratia per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis crea- «
tura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio, per peccatum in «
primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus «
eius redintegrato & sanato, id ipsum constantissimè & fide plena «
fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scripturarum «
nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arausicana Sy- «
nodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis ca- «
tholica fide tenuerunt, sed & de natura & gratia in aliam partem «
nullo modo declinare præsumentes. «

De hoc etiam compilatore istorum Capitulorum miramur, cur post omnia capitula de quibus rediuiua quæstio ventilatur, nouissimè posuerit de gratia & libero arbitrio, cùm tertio & quarto conuenientiùs præponi valeat, sicut potest quilibet sanum sapiens ex consequentia rationis discernere. Sed non est mirum, quoniam captiosus quisque, dum vult improuidis & incautis laqueos ostendere, confusione multiplici eandem studet decipulam paleis vel quibuscumque valet permiscendo quisquiliis occultare, sicut & in præscripto capitulo de Flori verbis atque sententiis studuit agere. Quapropter necesse est nobis integritatem Capituli à nobis excerpti iterum ponere, & verba catholicorum de quibus illud excerpsimus demonstrare. Hic enim eiusdem est textus secundi Capituli, *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus,*

& habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia: & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum & gratia de corrupto sanatum. Vnde Augustinus, in libro de Bono perseuerantiæ, quia libertas arbitrij in primo homine fuerat ita dicit, Fuerat inquiens in homine antequam caderet: quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis.] Quam in illo scilicet primo homine amisimus, sicut idem doctor in libro de Correptione & Gratia dicit, Nunc verò inquiens, posteaquam facta est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.] & aliquanto superiùs, Hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem.] Subsecuti sumus, *quam per Christum Dominum nostrum recepimus.* Illam arbitrij libertatem, quam per Christum recepimus, illam, inquam, & non aliam, in homine primo perdidimus: qui siue ad peccandum, siue ad non peccandum, arbitrium liberum habuit, & non per aliud offensam contraxit, nisi per quod ne delinqueret suadenti resistere potuit. Qui ergo per posse bonum vincere potuit velle malum, per malum velle perdidit bonum posse. Vnde post casum primi parentis arbitrium hominis, priusquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate dimersit: sícque in malis omnibus arbitrij iustitiæ liberi, serui autem peccati, voluntas intelligenda est sine gratia. Accedente autem gratia, idem arbitrium liberum, quod sua libertate erat prauum, spiritu Dei agente fit rectum. Sícque in bonis omnibus est libera voluntas intelligenda de gratia, quam arbitrij libertatem per Christum recepimus, qui cum Patre dedit nobis pignus spiritus, & vbi est spiritus Domini, ibi libertas, & vt scriptum est, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* qua libertate Christus nos liberauit. Hinc sanctus Augustinus in libro de Correptione & Gratia dicit, Vnde autem non glorietur omnis caro (id est omnis homo) coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis.] & item in libro Hypomnesticon, Vitiato libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod absque adiutorio gratiæ, vt Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere sufficit.] & aliquanto superiùs, Ideo liberum arbitrium dictum est, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit potestatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus. Sed huiusmodi, vt antè iam dixi, fuit in homine protoplasto, cùm ante peccatum maneret inlæsus. Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id quo potuit ne delinqueret resistere suadenti. Per velle ergo malum, rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum

Cap. VII. Cap. XII. Cap. XI. Ioan. 8. 36. Cap. XII. Lib. III. sub initium.

num potuit vincere velle malum. Quem iuste Deus iam delicto captiuum voluntati deprauatæ dimisit, vt hæc eidem esset pœna in non faciendo quod vellet, quæ semper si Deo fuisset obediens sufficere potuisset ad omne opus bonum quod voluisset.] & item, Credit enim catholica Ecclesia, quòd salus hominis ex Deo sit Christus, cuius vulnere liberum nostrum curatur & reformatur arbitrium vulneratum.] & item in eodem, Cùm autem acceperit spiritum Domini, erit in eo libertas, ad Domini capessenda præcepta, quia vbi spiritus Domini, ibi libertas.]

Deinde subiunximus. *Et habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia.* Et Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, Est ergo inquiens in malorum potestate peccare: vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas.] Et item Augustinus in libro Hypomnesticon, Est igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, quòd sine Deo bonum opus, id est quod ad eius sanctum propositum pertinet, nec incipere nec perficere possit, catholicus est.] & item, Vitiato libero arbitrio totus homo est vitiatus. per quod absque adiutorio gratiæ Dei, vt Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere sufficit. Præuenitur autem medicina, id est Christi gratia, vt sanetur & reparetur in eodem vitiata, atque præparetur voluntas, qua semper indigens in adiutorium, inluminante gratia saluatoris, possit tam Deum cognoscere, quàm secundùm eius viuere voluntatem.] & item, Non ergo homo voluntate sua, adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum vt cognoscat & quærat eum, gratiam tanquam meritis accepturus: sed præcedit etiam, vt diximus, misericordissima gratia sua Deus homines ignorantes, & necdum se quærentes voluntate liberi arbitrij, vt eos se scire & quærere faciat, sicut dicit Ioannes Apostolus in epistola sua, *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. hic est verus & vita æterna.*] Audiat etiam quisque lector, siue beniuolus siue maliuolus, quid de libero arbitrio præuento & adiuto gratia, & de eodem libero arbitrio deserto gratia, sentiat idem doctor catholicus. Esse fatemur, inquiens, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare vel certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bonis naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, (& cetera quæ ibi prosequitur,) quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt: immo ex ipso, & per ipsum sunt, vel esse cœperunt. Malis vero dico, vt est velle ido-

Libro III. post mediũ

Ibid. sub initium.

Paulò post superiora.

1 Ioan. 5. 20

Libro III. sub initiũ.

lum colere, velle homicidium perpetrare, & reliqua quæ prosequitur in eodem Hypomnesticon libro.

Quod autem in conclusione subiunximus dicentes, *Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.* sanctus Augustinus in libro de Correptione & Gratia prosequitur dicens, Hi verò qui non pertinent ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia, siue nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideo verò libero, quia per ipsã gratiam liberato, perducit ad regnum, hi ergo, qui non pertinent ad istum certissimum & fidelissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur. Aut enim iacent sub peccato quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitriũ alia insuper addiderunt. arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatũ, liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxiásque cupiditates, alij magis, alij minùs, sed omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis suppliciis iudicandi.] De sensu autem & contextu totius Capituli, idẽ B. Augustinus in libro de Perfectione iustitiæ hominis ita dicit, Verum est autem quod ait, quin obtrectator suus, quòd Deus tam bonus quàm iustus, talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iustè viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semiuiuum latrones in via reliquerunt: qui grauibus saucius confossúsque vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere, qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.]

Cap. XIII.

Epist. XLVI.

Ioan. 3. 17.

Rom. 3. 5.

Et in epistola ad Valentinum, Primò enim Dominus Iesus, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis Apostoli, *non venit vt iudicaret mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut scribit Apostolus Paulus, *iudicabit Deus hunc mundum*, & venturus est, sicut tota Ecclesia in symbolo confitetur, *iudicare viuos & mortuos.* Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Proinde librum vel epistolam meam, quam secum ad vos supradicti attulerunt, secundùm hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, vt à Dei gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid, vel agere secundùm Deum vlla ratione possimus, quod omnino non possumus.] & post aliquanta, Credite diuinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deum, & quod piè creditis, vt etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, vt sapien-

ter intelligamus, eſt vtique liberum arbitrium. Niſi enim libero arbitrio intelligeremus atque ſaperemus, non nobis præciperetur dicente ſcriptura, *Intelligite* ergo *qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* Eo ipſo quippe, quo præceptum atque imperatum eſt, vt intelligamus atque ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio. Sed ſi poſſet hoc ipſum ſine adiutorio Dei gratiæ fieri, per liberum arbitrium vt intelligeremus atque ſaperemus, non diceretur Deo, *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua*, nec in Euangelio ſcriptum eſſet, *Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas*, nec Iacobus Apoſtolus diceret; *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluentes, & non improperat, & dabitur ei.*] & iterum in altera epiſtola ad eumdem Valentinum, Quantum potuimus, egimus cum iſtis & veſtris & noſtris fratribus, vt in fide ſana catholica perſeuerent, quæ neque liberum arbitrium negat, ſiue in vitam malam, ſiue in bonam, neque tantum ei tribuit; vt ſine Dei gratia valeat aliquid, ſiue vt ex malo conuertatur in bonum, ſiue vt in bonum perſeueranter proficiat, ſiue vt ad bonum ſempiternum perueniat, vbi iam non timeat ne deficiat.] & poſt pauca, In his verbis ſanctæ ſcripturæ conſiderate, fratres; quia ſi non eſſet liberum arbitrium, non diceretur; *Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Et tamen ſine Dei gratia ſi poſſet hoc fieri, non poſtea diceretur, *Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet.*] & poſt aliquanta, Ideo vobis dixi ne declinetis in dexteram, neque in ſiniſtram, hoc eſt nec ſic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona opera ſine Dei gratia tribuatis: nec ſic defendatis gratiam, vt quaſi de illa ſecuri mala opera diligatis, quod ipſa gratia Dei auertat à vobis.]

Pſal. 99. 8. — Pſal. 118. 73. — Luc. 24. 45. — Iac. 1. 5. — Epiſt. XLVII — Prou. 4. 27.

Et item ad eumdem Valentinum in libro de Gratia & libero arbitrio, Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt liberum arbitrium.] & item, *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis.* Vt quid enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt vt propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò cùm dixiſſet, *Gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboraui*, ſubiunxit atque ait, *Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum. ac per hoc nec gratia Dei ſòla, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.] & item, His talibus teſtimoniis diuinis probatur gratia Dei non ſecundùm merita noſtra dari, quandoquidem non ſolùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & cotidie dari videmus: ſed planè cùm data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona, per illam tamen. Nam ſi ſe ipſa ſubtraxerit, cadit homo, non erectus ſed præcipitatus libero arbitrio.] & item in eodem

Cap. IV. — Cap. V. — 2. Cor. 6. 1. — 1. Cor. 15. 10. — Cap. VI.

Cap.xiv. libro, Hæc dixi, vt Apostolicis verbis liberum arbitrium vestrum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum. Nec tamen ideo debetis in homine, hoc est, in vobis ipsis, sed in Domino gloriari.] & item, Psal.94.8. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur vbi dicitur, *Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.* sed nisi posset Deus etiam Ezech 11. 19.& 36.26. duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam, *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.*] & item, Cap.xv. Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo voluntatis bonæ, qui priùs fuit voluntatis malæ. Tunc enim vtile est velle cùm possumus, & tunc vtile est posse cùm volumus. Nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus?] & item, Cap.xvii. Vt ergo velimus sine nobis operatur, cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bonæ pietatis opera nihil valemus.]

Libro iii. versus finē. Et item in libro Hypomnesticon ita dicit, Et gratia inquiens & liberum arbitrium peragit sine dubio iter fidei. Liberum arbitrium, Psal.5.9. Psal.36.23. dum Dei Christianus facit præcepta, sed non, vt supra dixi, sine gratia dirigente vel gubernante. Propter quod dicit in Psalmis, *Dirige in conspectu tuo viam meam*, &, *à Domino gressus hominis diriguntur.* Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. Tamen paruulos sine vsu liberi arbitrij facit gratia habere beatam vitam: eos autem qui iam rationis capaces sunt, præuenit atque docet, vt bonum velint & possint.] & item, Nemo sit segnis & remissus ad seruiendum Deo, nec sic de gratia confidat, tanquam de libero arbitrio eius, quod per mortem filij sui reparauit, & sibi præparauit, opera non requirat.] & item, Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullis liberi arbitrij meritis, & ipsa faciente, gubernante, & perficiente, vt abundent in libero arbitrio, non damnamus, quia ex his vel huiusmodi homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo. Damnamus verò auctoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Christo iustificari extolluntur. Quis enim prior dedit ei, & retribuet illi? & item, Ausculta & intellige, si tamen aures habeas audiendi, & cor non sit induratum intelligendi. Propter liberum arbitrium. quo bona & mala operantur homines, dictum est vnicuique reddi secundùm opera sua. Habet enim homo malum meritum, cùm vitio suo iam baptizatus declinat à bono, & facit 2.Tim.4.9 malum, id est, cùm relinquit Deum & diligit sæculum, sicut fecisse 2.Tim.1.15 Demam & Hermogenem testatur Apostolus: vel cùm etiam in to-

to ſpem habens in variis ſimulacris, Deum verum agnoſcere non vult, quem cognoſcendi in hoc ſæculo habet poteſtatem. ſi velit ſummus Deus, tam per indebitam gratiam qua iuſtificat impium ſaluare, quàm etiam cùm ſe auertit iudicio iuſto traditum in reprobum ſenſum futuro gehennæ ſupplicio reſeruare, vt reddat ei ſecundùm opera ſua. Habet nihilominus & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bona in ſe operanti non reſiſtit, ſed cooperator exiſtit.] & item, Sed ais mihi, quia oculis hæretico dolore turbatis intendere lumen veritatis non potes, & nullum eſt prorſus meritum propriæ voluntatis. Si diſcernas inter voluntatem & gratiam eſt. Audi ergo breuiter, Propriæ voluntatis tunc eſt meritum bonum, quando gratiæ donum præcedit vniuſcuiuſque voluntatem, & operatur vt meritum faciat homo per propriam voluntatem.]

Et Gregorius in libro Moralium XVI. Si quis ſaluari, inquiens, ſic munditia manuum ſuarum creditur, vt ſuis viribus innocens fiat, proculdubio erratur: quia ſi ſuperna gratia nocentē non præuenit, nunquam profectò inueniet quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moyſis voce dicitur, *Nullúſque apud te per ſe innocens eſt.* Superna ergo pietas priùs agit aliquid in nobis ſine nobis, vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio bonum quod iam appetimus agat nobiſcum: quod tamen per impenſam gratiam in extremo iudicio ita remuneret in nobis, ac ſi ſolis proceſſiſſet ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas vt innocentes faciat præuenit, Paulus ait, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* & quia eandem gratiam noſtrum liberum arbitrium ſequitur, adiungit, *& gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait, *non autem ego*, & tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia inuenit, adiunxit *ſed gratia Dei mecum.* Munditia itaque manuum ſuarum innocens ſaluabitur, quia qui hîc præuenitur dono vt innocens fiat, cùm ad iudicium ducitur ex merito remuneratur.] & in libro XXXIII. Nemo quippe, vt diuina illum gratia ſubſequatur, priùs aliquid contulit Deo. Nam ſi nos Deum bene operando præuenimus, vbi eſt quod Propheta ait, *Miſericordia eius præueniet me?* Si quid nos bonæ operationis dedimus, vt eius gratiam mereremur, vbi eſt quod Paulus Apoſtolus dicit, *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus?* Si noſtra dilectio Deum præuenit, vbi eſt quod Ioannes Apoſtolus dicit, *Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos?* vbi eſt quod per Oſee Dominus dicit, *Diligam eos ſpontaneè?* Si ſine eius munere noſtra virtute Deum ſequimur, vbi eſt quod per Euangelium veritas proteſtatur dicens, *Sine me nihil poteſtis facere?* Vbi eſt quod ait, *Nemo poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me traxerit eum?* vbi quod iterum dicit, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos?* Si ſaltem dona bono-

Cap. x.
Exod. 34.
1. Cor. 15. 10.
Pſal. 58. 11.
Epheſ. 2. 8.
1. Ioan 4. 10.
Oſee 14. 5
Ioan. 15. 5.
Ioan 6. 44.
Ioan. 15. 18.

rum operum virtute nostra bene cogitando præuenimus, vbi est quod rursum per Paulum tam salubriter dicitur, vt omnis de se humanæ mentis fiducia ab ipsa cordis radice succidatur, cùm ait, *Non quia sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quasi debitorem possit.] & paulò pòst, Idcirco enim nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quin reprobi, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cùm eorum mens à terrenis desideriis gratia adspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus & Dei est, & nostrum: Dei per præuenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei gratias in æternum agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quòd eius munere præuenimur: & rursum quia non immeritò retributionem quærimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus.] Et in homilia Euangelij XXXVII. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis.* posui, ad gratiam plantaui, vt eatis volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo dixit, quia velle aliquid facere iam mente ire est. Qualem verò fructum afferre debeant subditur, *& fructus vester maneat.* Ibi ergo, id est post mortem, illa retributio inchoat, vbi ista terminatur.] Et in homilia IX. Ezechielis prophetæ, *Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos.* Ecce diuina vox iacenti Prophetæ iussit vt surgeret: sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset: quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus si ipse non adiuuat qui iubet. Sic Paulus cùm discipulos admoneret dicens, *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem operamini*, illicò quis in eis hæc ipsa bona operaretur adiunxit dicens, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hinc est quod ipsa veritas discipulis dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Sed in his considerandum est, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? si autem ita nostra sunt, vt dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodò nostra sunt, bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt & nostra: quia ipse adspirando nos præuenit vt velimus, qui adiuuando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præueniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Paulus breui sententia expli-

2. Cor. 3. 5.

Ioan. 15. 16.

In principio. Ezech. 2. 2.

Philipp. 2. 12. 13.

Ioan. 15. 5.

cat dicens, *Plus illis omnibus laboraui.* Qui ne videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat, adiunxit, *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim cælesti dono præuentus est, quasi alienum se à bono suo opere agnouit dicens, *Non autem ego.* Sed quia præueniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere, adiunxit, *sed gratia Dei mecum.* ac si diceret, In bono opere laboraui, non ego, sed & ego. In eo enim quòd solo Domini dono præuentus sum, non ego: in eo autem quòd donum voluntate subsecutus, & ego. His igitur breuiter contra Pelagium & Cælestium dictis, ad exponendi ordinem redeamus.]

I.Cor.15. 10.

Et Prosper in epistola ad Rufinum de gratia & de libero arbitrio, Quis ambigat, inquit, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendíque generauerit?] & item, Qui credunt, Dei aguntur spiritu, qui non credunt, libero auertuntur arbitrio.] & item, Et omne quod non est ex fide, peccatum est. vt scilicet intelligas iustitiam infidelium non esse iustitiam, quia sordet natura sine gratia. Amissa quippe naturali innocentia, homo exul ac perditus, ambulans sine via, profundiores intrabat errores: sed quæsitus, & inuentus, & reportatus est, & in via quæ veritas & vita est introductus, ac dilectione in Deum, qui illum non diligentem prior dilexit, agnitus est.] & item, Gratia igitur Dei, quoscumque iustificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit, postea per profectum ex bonis factura meliores, non adempto libero arbitrio, sed liberato. quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit iustitiæ, vixítque peccato: vbi autem id inluminauit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei. In quo vt permanere possit, ne ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseuerantiam, vnde accepit industriam.]

Et item sanctus Augustinus in libro Hypomnesticon, Si adtendas ad peccatum primorum hominum, quo massa humani generis damnari meruit, quia secundùm testimonium Pauli Apostoli, *ex vno omnes in condemnationem*, poteris agnoscere iudicia Dei esse iustissima. Inde est enim malum meritum in omnibus, tam paruulis quàm maioribus, præcedens iudicia Dei, vt iusto eius iudicio puniantur.] & item, Audi tamen adhuc calcatiùs, vt ad propositum superioris disputationis reuertamur, quia homo vulneratus libero arbitrio per Adæ peccatum, sine gratia Dei per se solum sanare se non potest, nec sponte ad paradisum reuerti sanctorum numero sociandus, nec eum gratiam meritis vllis accipere, sed totum sua misericordia Deum peragere.] & de vulnerato ac *semiuiuo relicto* secundùm parabolam Euangelicam ibidem loquens iisdem S. Augustinus subiungit, Rectè dictus est semiuiuus. habebat enim vitalem mo-

Lib III.

Rom.5. 16.

Luc.10.30.

tum, id eſt liberum arbitrium vulneratum, quod ei ſolum ad æternam vitam quam perdiderat redire non ſufficiebat.] & item, Cùm autem acceperit ſpiritum Domini, erit in eo libertas ad capeſſenda Domini præcepta, quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.] & poſt aliquanta, Quia cum Dei miſericordia ſe præueniente agit & ipſe ſatis per liberum arbitrium, vt mundetur: ſola autem voluntate ſua ſi præſumat, mundari non poteſt.] & item, Quibus enim dicitur in Pſalmis, niſi liberum arbitrium habentibus, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos?* Quomodo autem vnicuique ſecundùm ſua opera redderetur in die iudicij, niſi liberum eſſet arbitrium? & ideo non eſt perſonarum acceptio apud Deum. In omni itaque opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrij, id eſt operatur Deus, cooperatur homo.] & plura alia, quæ ſi quis pleniùs ſcire voluerit, eundem librum ex ordine relegat, in quo multa mirifica & miranda aut cognoſcere aut recognoſcere valebit.

Pſal. 33. 12.

Et ſanctus Cæleſtinus in Decretalibus ex verbis Innocentij Papæ, Liberum enim, inquit, arbitrium primus homo perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda dimerſus eſt, & nihil quemadmodum exinde ſurgere poſſet inuenit, ſuáque in æternum libertate deceptus, huic ruinæ ſubiacuiſſet oppreſſus, niſi eum pòſt Chriſti pro ſua gratia releuaſſet aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium ſui baptiſmatis lauacro purgauit.] Item, Aduerte tandem, ô prauarum mentium peruerſa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipſa decepit, vt dum indulgentiùs frænis eius vtitur, in præuaricationem præſumptione incideret. Nec ex hac potuit erui, niſi ei prouidentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus.] & poſt aliquanta, Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.] & poſt aliquanta, Quod vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum.] Et item ſanctus Proſper in epiſtola ad Rufinum, Et vt magis probaretur, inquit, liberum arbitrium nihil poſſe ſine gratia, cui dictum fuerat, *Confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem*, quíque reſponderat, vtique ex libero arbitrio, *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem & in mortem ire*, eidem prædicitur quòd priuſquam gallus cantet, ter Dominum negaturus ſit. quod quid eſt aliud quàm quòd in fide defecturus ſit?] & item, Nimium verò ineptè, nimiúmque inconſideratè ab aduerſantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio.] & poſt pauca, Proinde homo, qui libero arbitrio

Poſt epiſt. VIII.

Luc. 22. 32.

fuit

fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus: ſed per ſe malus, per Deum bonus, qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non ſolùm culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret.] & item, Ex vna maſſa, quæ eſt caro primi hominis, vnam ſcimus omnium hominum creatam creariq́ue naturam, & eandem per ipſius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccauerunt, eſſe proſtratam, nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberam, niſi eam ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformauerit, liberúmque eius arbitrium agendo, ſpirando, auxiliando, & vſque in finem præeundo ſeruauerit.] & item in eadem epiſtola, Nunc autem idem arbitrium conuerſum eſt, non euerſum, & donatum ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam non in ſe, ſed in medico collocare: quia, necdum tam perfecta vtitur ſanitate, vt ea quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere, aut in ſalubribus poſſit iam viribus ſuis temperare.] Et in abſolutione ſexta contra Gallos, Liberum arbitrium nihil eſſe vel non eſſe perperam dicitur: ſed ante inluminationem fidei in tenebris, id eſt in vmbra mortis, agere non rectè negatur, quoniam priuſquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod ſe ſua libertate dimerſit.] & paulò poſt, Vt quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, ſine quo nec proficere, nec permanere in bono quiſquam poteſt.] Et Caſſiodorus in Pſalmo CXVII. Eſt quidem in mala parte execrabilis libertas arbitrij, vt præuaricator creatorem deſerat, & ad vitia ſe nefanda conuertat. In bona verò parte arbitrium liberum Adam peccante perdidimus. ad quod niſi per Chriſti gratiam redire non poſſumus, dicente Apoſtolo, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Vnde aſſidua oratione precandum eſt, ne nos voluntas peruerſa rapiat, ſed inſpiratio diuina poſſideat, quoniam quicquid ex nobiſmetipſis ſapimus, mortifera contra nos audacia concitamus. Iure ergo vetuit in homine confidendum, qui per ſe nec alteri nec ſibi præualet dare remedium.] Ecce quomodo libertatem arbitrij in Adam perdidimus, & quomodo eam per Chriſtum recepimus: & quia habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia. Vnde addidit Proſper, Cùm in bonis voluntas ſit intelligenda de gratia. &, habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratia. Ex quo mox idem auctor ſubiungit, In malis autem voluntas intelligenda eſt ſine gratia. Et ſanctus Auguſtinus in libro de Correptione & Gratia, Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotente bono. Audiat & lector, quia ſicut in Capituli concluſione poſuimus, habemus liberum arbitrium, gratia ſiquidem

Reſp. vi. ad Gallos.

Poſt Epiſt. VIII.

liberatum. Vnde Prosper in Recapitulatione absolutionis decimæ, Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam reuocat ac reducit, vt quod sua libertate erat prauum, spiritu Dei agente sit rectum. Et sanctus Cælestinus, sicut supra diximus, auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur. Quod qualiter & per quem perdidimus, & à quo quod perdideramus recepimus, ex absolutione XIIII. Prosperi lector accipiat, Qui enim, inquiens, quod (videlicet liberum arbitrium) acceperat perdidit, non inde id recipit vnde perdidit, sed ab illo recipit quod habeat, à quo quod amisit acceperat. Et in absolutione quinta contra Vincentianos, Non igitur cuiusquam peccati auctor Deus, sed naturæ creator est: quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit. nec naturali sed captiuo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato & viuat Deo. quod sine gratia Dei facere non potest, quia libertatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit.]

Ecce habet lector, quia libertatem quam libertate perdidimus, nisi Christo liberante nequaquam recipimus: quámque Christi gratia liberatam ad bonum habemus, & sine Christi gratia captiuo motu versamur in vitio. Et sanctus Cælestinus, vt suprà scripsimus, Primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentiùs frænis eius vtitur, in præuaricationem præsumptionis incideret: nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus. Vnde videat qui Capitula illa composuit, quæ nobis dedistis vt de eis vobis respondeamus, si Capitulum, à nostra mediocritate ex his & aliorum etiam doctorum verbis excerptum, à catholica fide discordet. quoniam in sexto Capitulo, quasi nos ab ea discordaremus, scribere voluit dicens,
» Item de gratia per quam saluantur credentes, & sine qua rationa-
» lis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio, per pecca-
» tum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fi-
» delibus eius redintegrato & sanato, id ipsum constantissimè & fide
» plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scri-
» pturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, quod A-
» rausica Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ
» sedis catholica fide tenuerunt. Sed & de natura & gratia in aliam
» partem nullomodò declinare præsumentes. Verùm & nos, sicut suprà ostendimus, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum scripturarum nobis tenendum reliquerunt, & quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt, de gratia & libero arbitrio tenuimus & tenemus, scripsimus & stilo catholico scribimus. Sed & de natura & gratia in aliam partem nullomodò declinare præsumentes, quod compositor Capitulorum cum eclipsi po-

ſuit, nos ſupplentes adicimus, firmiſſimè credimus & tenemus, videlicet quod illi crediderunt & tenuerunt. Sicut etiam ſanctus Augustinus in libro de Natura & Gratia ſcripſit, & ſicut in libro de Bono perſeuerantiæ dicit, Numquid ergo hominum naturæ duæ ſunt? absit. Si duæ naturæ eſſent, gratia vlla non eſſet. nulli enim daretur gratuita liberatio, ſi naturæ debita redderentur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles perſeuerantiam vſque in finem accipere debuiſſe. Deus autem melius eſſe iudicauit miſceri quoſdam non perſeueraturos certo numero ſanctorum ſuorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à pernicioſa elatione reprimit quod ait Apoſtolus, *Quapropter qui videtur ſtare videat ne cadat.* Voluntate autem ſua cadit qui cadit, & voluntate Dei ſtat qui ſtat. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Non ergo ipſe ſeipſum, ſed Deus. Verùm tamen bonum eſt non altum ſapere ſed timere. In cogitatione ſua vel cadit quiſque, vel ſtat. Sicut autem Apoſtolus ait, quod in libro ſuperiore memoraui, *Non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quem ſecutus & beatus Ambroſius audet & dicit, Non enim in poteſtate noſtra cor noſtrum & cogitationes noſtræ. quod omnis qui humiliter & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.] Quapropter hæc quæ ſcripſimus Capitulorum compilator relegat, & videat ſi in eis, vti in præfato ſexto Capitulo ſcripſerat, poterit inuenire ineptas quæſtiunculas, & aniles penè fabellas, Scottorúmque pultes puritati fidei nauſiam inferentes, quę periculoſiſſimis & grauiſſimis temporibus, ad cumulum laborum noſtrorum, vſque ad ſciſſionem caritatis, miſerabiliter & lacrymabiliter ſuccreuerunt, ne mentes Chriſtianæ inde corrumpantur, & excidant à ſimplicitate & caſtitate fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu. Videat nihilominus, ſi de duobus præſcriptis Capitulis, & de aliis etiam duobus in proceſſu ſcribendis, quæ ex catholicorum verbis excerpſimus, Chriſtianæ mentes corrumpantur, & excidant à ſimplicitate & caſtitate fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu: an de illis, quæ ipſe cum modernis Prædeſtinatianis & priſcorum Prædeſtinatianorum anathematizatis excerpſit adinuentionibus, ad compreſſam & funditus extinctam hæreſin reſuſcitandam, quæ ad cumulum laborum noſtrorum, periculoſiſſimis & grauiſſimis temporibus, vſque ad vnanimis ſciſſionem fraternitatis miſerabiliter & lacrymabiliter remouetur.

2.Cor.3.5.

CAPVT XXII.

De eo qui ad reprehensionem istorum Capitulorum tacito suo nomine libellum composuit, & de sententiis Synodalibus, quas compilator Capitulorum nobis à regia sublimitate datorum collegit, volens ostendere ab illis nos discordasse.

DENIQVE subiunxit & compositor capitulorum, à vestra sublimitate nostræ humilitati datorum, sententias sanctorum Patrum capitulatim conscriptas, euidenti significatione proclamans, vt quia Capitula à nobis excerpta discordant à fide illa, fidelis quisque teneret fideliter, quæ quasi de abditis Patrum scriptis isdem pietatis studio releuarat, & quasi promulgando decreuerat. Quas etiam sententias quidam lingua rusticus, sensu insulsus, & secundùm scire suum intelligentia prauus, libello inseruit, quem tacito suo nomine incompositum satis composuit. In quo quatuor à nobis excerpta Capitula, quantum ex ipso fuit, discerpere & hæretica demonstrare curauit, vt de pusillo crescens maior fieret de minore, & de nostris blasphemiis, quia de suis non poterat laudibus, emeret modo quocumque fauores. sicut de quodam fertur adolescente rumores captante inutiles, cùm templum magnæ Dianæ apud Ephesum incendisset, comprehensus & interrogatus cur talia præsumpsisset, dicitur respondisse, quia bonis, inquit, non potui innotescere, saltem vel malis innotescerem. Nam & isdem, qui præfatum contra nos scripsit libellum, quantum datur intelligi, si artem sciret, qua votum suum ad effectum quod desiderauerat perducere valuisset, vt innotescere posset voluntariè hæreticus esset. Sed quia contractus scientia, & distractus iactantia, nec quantum voluit docere praua præualuit, & arrogantia inflatus, atque iactantia velut quibusdam calcaribus stimulatus, & quasi quodam pressorio oppressus, intra silentij metas sine aliquo sono se cohibere nō potuit. Cui in suprà memoratis libellis, quantū omnis gratiæ largitor dare dignatus est, cùm aliis recēs reexortis Prædestinatianis respondimus. Sed & quoniam istorū Capitulorum, quæ inter manus habemus, compositor Africanæ & Arausicæ Synodorum fecit memoriam, & conscriptas sententias suis subiunxit Capitulis, ne refugere videamur prætermissis responsionum illius obiectionibus, & à quocumque dicatur nos illi non voluisse, sed respondere non potuisse, nullíque subripiatur suspicio, quasi Capitulum à nobis excerptum ab his patrum sententiis discordet, conferamus sicut reuera ad lineam rectæ fidei, capitula à nobis excerpta istis Patrum sententiis, & videat lector si his poterit conuenire. Ponentes primùm de Synodis, quarum memoriam fecit, demùm de sententiis patrum, quas suo subiunxit Capitulo, sensus earum-

Philipp. 2. 13.

dem ſententiarum ex Capitulis à nobis excerptis comparare curemus. Sanctus Cæleſtinus ad Venerium & ad alios Gallicanos Epiſcopos ſcribens in Decretali ſua epiſtola ita dicit ad locum, Quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicarint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint, ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas facientes Apoſtolici Antiſtites comprobarunt. Vt ergo pleniùs qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtamus indiculo. quo, ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum breuitate pendere, nullámque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum catholicis credat & dicat. Cap. I. Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quenquam niſi Chriſti gratia poſſe ſaluari.] Et nos hæc eadem diximus in primo Capitulo ponentes, *Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis.* Proſecutus eſt ſanctus Cæleſtinus dicens. II. Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione eius qui ſolus eſt bonus.] Nos quoque illius doctrinam ſequentes diximus, *Deus bonus & iuſtus elegit ex eadem maſſa perditionis quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam, & vitam illis prædeſtinauit æternam.* Deinde addidit ſanctus Cæleſtinus. III. Quòd niſi gratia Dei continua iuuemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus, & quòd per Chriſtum libero bene vtamur arbitrio, & quòd omnia ſanctorum merita dona ſint Dei, & quòd omnis ſancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo ſit, & quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittit, ſed etiam adiuuat ne committantur.] Et nos illius ſequentes magiſterium ſcripſimus, quia *libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus.* Non autem ipſum liberum arbitrium funditus in homine primo perdidimus, ſed libertatem arbitrij ipſius, quam per Chriſtum recepimus. *& habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* ſcilicet vt eo bene vtamur ad omnia ſtudia, & ad omnia opera ac ſancta merita, & ad omnem ſanctam cogitationem & piæ voluntatis motum, vt velimus & poſſimus quod bonum eſt, & petamus, & mereamur, & impetremus non ſolùm præteritorum peccatorum indulgentiam, ſed etiam futurorum ne illa committamus cautelam. Subſequitur ſanctus Cæleſtinus. IV. Quòd præter ſtatuta ſedis Apoſtolicæ omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur: & quòd gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflationibus ſpiritus ab eis abigantur immundi.] Et illius nos magiſterio docti diximus, *Deus bonus & iuſtus elegit ex maſſa perditionis quos per gratiam prædeſtinauit, id eſt, gratia præ-*

Epiſt. VIII.

parauit ad vitam. & quicquid in sanctis orationibus, & mysteriis fit Ecclesiasticis, Dei est prædestinatio: quoniam Dei est gratiæ præparatio, per quæ sacramentorum munia prædestinati ad vitam illis perueniunt prædestinatam æternam. De illo etiam arbitrio sensum posuimus sancti Cælestini in secundo à nobis excerpto Capitulo dicentes, *Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.* Nam & ipse dicit, vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona.] Ecce quomodo à sensu Synodi Africanæ non dissentimus, neque Synodo illius sanctæ contraria scripsimus, nec etiam gloriosæ Romanæ Ecclesiæ contraimus.

Ibidem in fine.

Nunc si à sancta Arausica Synodo, cui sanctus Cæsarius ex delegatione sedis Apostolicæ præsedit, discrepemus in aliquo videamus. Primum Capitulum eiusdem Synodi est, Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, id est secundùm corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate inlæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium. II. Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non & eius propagini, asserit nocuisse, aut certè morte tantùm corporis quæ pœna peccati est, non autem & peccatum quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur. III. Si quis inuocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis. IV. Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur. V. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsúmque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iustificat impium, & ad regenerationem sacri baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem sancti Spiritus corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, & cetera quæ ibi prosequitur. VI. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, misericordiam dicit conferri diuinitùs, non autem vt credamus, velimus, & reliqua. VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque inluminatione & inspiratione Spiritus sancti. VIII. Si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit. IX. *De adiutorio Dei.* Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia continemus. X. *De ad-*

iutorio Dei. Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanatis ſemper eſt implorandum. Hæc omnia capitula, ſi quis benigno animo & deuoto ſtudio voluerit intendere, inueniet in his duobus noſtris Capitulis nos proſecutos eſſe, quibus diximus, Quia *homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iuſtus elegit ex eadem maſſa quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam.* & *habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* Vnde, ſi non arrogantia denotari, & lectori tædium ingerere timeremus, ne quilibet diceret quaſi ſingulariter nobis hoc datum arrogaremus, vt alij hæc legentes non poſſent percipere, niſi nos ſingula ſingulis ſententiis ſingillatim demonſtraremus, ſingulis capitulis horum duorum Capitulorum ſententias componentes, qualiter conuenirent oſtendere ſtuderemus. Nunc de XI. capitulo & ſequentibus aliis, quæ maximè de libro ſententiarum Proſperi, quas de dictis ſancti Auguſtini breuiter adnotauit, ſicut & aliquanta quæ præmiſimus, aſſumpta ſunt, preſſiùs rationem reddere ſtudeamus. Eſt enim XI. capitulum, *De obligatione votorum.* Quòd nemo quicquam Domino rectè vouerit, niſi ab ipſo acceperit. Et nos diximus, *Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* XII. *Quales nos diligit Deus.* Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito. Videlicet ſicut ſcripſimus, *quos per gratiam prædeſtinauit ad vitam.* XIII. Arbitrium voluntatis, inquit Synodus, in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Et nos diximus, *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus.* XIV. Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur. Et nos diximus, *Et habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* XV. Ab eo quod formauit Deus mutatus Adam, ſed in peius per iniquitatem ſuam, ab eo quod operata eſt iniquitas mutatur fidelis, ſed in melius per gratiam Dei. Et nos diximus, *Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus elegit quos per gratiam prædeſtinauit, id eſt gratia præparauit ad vitam.* XVI. Nemo ex eo quod videtur habere glorietur tanquam non acceperit, & reliqua. Et nos diximus, *Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* XVII. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei caritas facit, & reliqua. Et quia caritas gratia eſt, præuenit voluntatem noſtram, & facit ac cuſtodit fortitudinem noſtram, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, vt & Pſalmiſta demonſtrat dicens, *Diligam te Domine fortitudo mea, & fortitudinem meam à te cuſtodiam.* De qua non tacuimus, quando diximus, *Præuenit liberum arbitrium noſtrum gratia Domini noſtri* ſcribentes. *Habemus liberum arbitrium ad bonum præ-*

uentum & adiutum gratia. XVIII. Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant. Et istud absolutissimè nos dixisse potest intelligi, quia *habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* XIX. Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret, nullomodo se ipsa creatore suo non adiuuante seruaret. Vnde cùm sine gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? Et ideo posuimus quia *homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & libertatem arbitrij, quam in primo homine perdidimus, per Christum Dominum nostrum recepimus*, & *habemus liberum arbitrium præuentum & adiutum gratia.* XX. *Nihil boni hominem posse sine Deo.* Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non præstet Deus vt faciat homo. Et ideo diximus, *Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* quia sine illa nihil possumus facere, cum qua possumus agere quæ ipse dignatur largiri qui dixit *Sine me nihil potestis facere.* XXI. *De natura & gratia.* Sicut eis, qui volentes in lege iustificari & à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus, *Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Et si per naturam iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est.* Non ergo apud nos Christus gratis mortuus est, quia diximus quod credimus, sicut scriptum est, *Credidi propter quod locutus sum*, & nos credimus propter quod & loquimur. *Homo libero arbitrio malè vtens peccauit & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus elegit quos per gratiam prædestinauit ad vitam.* XXII. *De his quæ homini propria sunt.* Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Et ideo diximus, *Habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia.* XXIII. *De voluntate Dei & hominis.* Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quòd autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, à quo & præparatur & iubetur quod volunt: quia sicut diximus, *Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia. & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia.* XXIV. *De palmitibus vitis.* Ita sunt in palmite vites vt viti nihil conferant, sed inde accipiant vnde viuant, & reliqua. Quia sicut dicit Apostolus, *Gratia Dei sum id quod sum.* & ex massa perditionis, veluti scripsimus, *Deus elegit quos per gratiam ad vitam prædestinauit.* XXV. Dilectio qua diligimus Deum, prorsus donum Dei est, & reliqua. Et nos diximus, *Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* Et quod in eodem subsequitur Capitulo, hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint & debeant fideliter laborare, & si voluerint adimplere, quia sicut diximus,

Habe-

Habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia, & quod subsequitur, Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus: sed etiamsi sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Vnde & suprà in ratione reddita de primo Capitulo iam scripsimus. & nos etiam cum sancta Synodo, & Prædestinatianis, qui sicut electos ad vitam ita & reprobos à Deo ad interitum dicunt prædestinatos, cum illis qui ad malum aliquos diuina potestate prædestinatos fatentur, nisi se correxerint, & ad vnitatem catholicæ fidei, atque sanctæ matris Ecclesiæ sinum per debitam satisfactionem redierint, cum præfata Synodo dicere anathema debemus. Hinc quoque quilibet, columbino oculo intendens quæ proposuerunt sancti Patres nostri, & quæ subsecuti sumus, & non accipitrinis vnguibus carpere fraternam & innoxiam simplicitatem quærens, videat quæ licèt breuioribus verbis, propter minus capacium minúsque studiosorum inertiam, contexuimus à reuerenda & veneranda atque catholica prolixitate tantorum doctorum, nec in aliquo deuiauimus: cùm constet quia quicumque nos venenato dente rodere sine causa maluerit, se maliuolum & non nos non catholicos comprobabit.

NVNC DE SENTENTIIS memoratis, quas Capitulorum compositor adnotauerat, videamus. I. In præuaricatione Adæ omnes " homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit. Nec nos negauimus, in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse dicentes, *Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus*. Sic & sanctus Augustinus dixit in libro de Correptione & Gratia, Nunc verò, inquiens, posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas.] & item, Parum sit homini per illius reparare perditam libertatem.] Quid appellauerit perditam libertatem ipse nobis exponat. Ait enim in libro Hypomnesticon, Peccato ergo liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem.] & item, Quid etiam aliud ostendimus in oue illa perdita ex centum ouibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis bono vitio primi hominis perdito, à iustorum errasse consortio?] & item, Per velle ergo malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum.] & item, Sed eum velle & nolle prædocuit, cui ad vtrumque posse liberum donarat arbitrium, quo malè vtens incautiùs dum sponte serpenti præbet suadenti consensum Domini præterire præceptum, amisso possibilitatis bono, solum velle potitus est vulneratus.] Et sanctus Cælestinus dicit ex verbis S. Innocentij quæ ad Carthaginense Concilium scripserat, Liberum, in-

Cap. XII.

Libro III. non longè à princip. Post mediũ

quiens, arbitrium ille perpessus, id est primus homo, dum suis inconsultiùs vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda dimersus est, & nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit, suáque in æternum libertate deceptus. Et ideo scripsimus, *Libertatem*
» *arbitrij in primo homine perdidimus.* II. subiunxit, Quòd nemo ni-
» si per Christum libero bene vtatur arbitrio. Et nos ita diximus ponentes, *Quam libertatem per Christum Dominum nostrum recepimus. & habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.* Et sanctus Cælestinus de verbis Innocentij præmisit, Sua in æternum libertate homo primus deceptus huic ruinæ subiacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus.] Et sanctus Prosper in epistola ad Rufinum, Amissa quippe naturali innocentia, homo exul ac perditus ambulans sine via, profundiores intrabat errores. Sed quæsitus, & inuentus, & reportatus est, & in via quæ veritas & vita est introductus, ac dilectione in Deum, qui illum non diligentem prior dilexit, agnitus est.] & post aliquanta, Non adempto libero arbitrio, sed liberato: quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit iustitiæ, vixítque peccato. Vbi autem id inluminauit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei. In quo vt permanere possit, nè ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseuerantiam, vnde accepit industriam.] & item, Nisi Christi gratia reformauerit liberum eius arbitrium agendo, spirando, auxiliando, & vsque in finem præeundo seruauerit.] Et contra Gallos, Quoniam priusquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, quin arbitrium hominis, in quod se sua libertate dimersit.] Et sanctus Augustinus, Propter quod non restat liberandis nisi gratia liberantis.] Et hinc diximus, *Liberum autem habemus arbitrium, quia*
» *gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.* III. deinde supposuit,
» Quòd omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum ad Dei
» gloriam laudémque referenda sint: quia nemo aliunde ei placeat,
» nisi ex eo quod ipse donauerit. IV. Quod ita Deus in cordibus ho-
» minum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio,
» pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia
» per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Quæ nos
» etiam non negamus, immo etiam confitemur dicentes, *& habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia.* Ad bonum enim absolutè posuimus, vt ad omne bonum quicquid bonum est intelligamus. Si bonum est studium, si bonum est sanctum opus, si bonum est sanctum meritum, si bonum est quod sanctè cogitamus, si bonum est pium consilium, si bonum est moueri ad quodcumque bonum, & ad quamcumque bonam voluntatem, ad hæc omnia liberum nostrum arbitrium præuentum & adiutum gratia Dei,

& credimus, & dicimus, & scripto firmauimus. Et hæc omnia ex Deo esse credentes diximus, quando *ad bonum præuentum & adiutum Dei gratia liberum arbitrium nostrum* conscripsimus. Deum quoque in ipso libero nostro arbitrio operari sanctam cogitationem, pium consilium, omnésque motus bonæ voluntatis, professi sumus dicentes, *Habemus liberum arbitrium præuentum*, scilicet antequam bona cogitemus, *& adiutum gratia*, vt bene cogitemus, bene operemur, in bonis perseueremus. Nec in istis duobus Capitulis à catholico sensu & Catholicorum verbis in aliquo Deo gratias deuiauimus. V. supposuit. Omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur auctorem, & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtique auxilio & misericordia Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta est enim erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis vt quod vult, & velimus & agamus. Hîc aliquantulum, responsione non omissa, sed intermissa, liceat nobis alloqui Capitulorum istorum compositorem. Vide, corrigendo te, frater, velis nolis frater noster, quandiu dixeris vel verè vel fictè Domino Pater noster, quia scriptum est, *Dicite his qui se alienant, fratres nostri vos estis*, ne à te incorrecto audiat sanctus Cælestinus, in illo manens cui nuda & aperta sunt omnia, & cui cogitatio hominis confitetur, vnde & omnia nostra videt, & audit, te hoc suo testimonio fuisse abusum, & dicat tibi, Ex ore tuo te iudico serue nequam. Quando legisti & scripsisti, & credenda ac tenenda atque prædicanda hæc in manus regias peruenire fecisti, quod dixi, & Spiritu sancto repletus veraciter dixi, Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona. Quocirca constat esse certissimum, quia Deus, secundùm Apostolos Paulum & Petrum, *vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire.* quare dixisti illum in suprascripto Capitulo quosdam prædestinasse ad interitum? Ratissimum est enim, quia sicut ego dixi, & tu abusus scripsisti, tanta est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona. Vnde est pro certo falsissimum quod dixisti, Deum quosdam ad interitum prædestinasse, quoniam qui omnes homines vult saluos fieri & neminem perire, neminem credendus est ad perditionem prædestinasse. sicut suprà Apostolicam tenentes doctrinam commilitones ac comministri nostri docuisse noscuntur. Et si cum tali sententia ad illius iudicium veneris, scias pro certo, quia non claua Herculea, sed quæ amplius pensat Apostolica ferula, talem in capite ictum accipies, vt

Esa. 66. 5.

1. Tim. 2. 4.
2. Pet. 3. 9.

vix aut nunquam vlterius iam resurgas. De hoc Capitulo satis in supradictis respondimus. Et ne dicat nos complex quilibet compositoris Capituli pleniter non ad omnia respondisse, quia duo tantùm ex libero arbitrio de verbis sancti Cælestini in Capitulo à nobis excerpto posuimus, quando diximus, *Habemus liberum arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum*, de aliis quæ sanctus Cælestinus posuit, superaddamus. Dixit enim, De tenebroso lucidum. quando tenebrosum fuit, corruptum sine dubio fuit: quando lumen recepit, sanitatem accepit. De prauo rectum. quando prauum fuit, corruptum sine dubio fuit: quando recreatum gratia Dei fuit, proculdubio sanitatem recepit. De languido sanum. quando fuit languidum, fuit sine dubitatione corruptum: quando sanitatem recepit, sanatum ac per hoc sanum sine dubio fuit. Et quia aliud sit sanum aliud sit sanatum, sicut & aliud sanabile & aliud sanum, & aliud reparabile aliud reparatum, Prosper in libro secundo de Vocatione gentium demonstrat dicens, Non itaque omnis reparabilis reparatus, neque omnis sanabilis sanus est: quia reparabilis & sanabilis de natura est, reparatum autem & sanatum esse de gratia est. Quapropter colligendum atque sciendum est, sanum quidem fuisse arbitrium liberum in primo homine eidem primo homini datum, quo libertatem & possibilitatem bonum velle & posse habuit, & quo per malum velle perdidit bonum posse, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. Post hoc autem non fuit in homine arbitrium liberum sanum, sed sanabile: illi tamen cui nihil est impossibile. Est autem in eis sanum, ab eo & per eum sanatum cuius est gratia, de peccati seruo gratia liberatûm, & gratia libertate donatum, & libertati gratia redditum: sicque in electis suis gratia Dei de corrupto sanatum, atque incolumitatis sanitate muneratum, modò in spe, in futura vita re sanum, sine vllius corruptionis interpolatione & attaminatione datum atque donandum. Et ideo diximus, *Habemus liberum arbitrium gratia de corrupto sanatum.* Subsequitur sanctus Cælestinus, De imprudente sit prouidum. Nec hoc exinde exceptum est quod diximus *de corrupto sanatum*, sicut sancti Innocentij verbis, vt breuitatis studio quæ Augustinus & Prosper & sanctus Gregorius atque Ambrosius inde dicunt prætermittamus, S. Cælestinus dicit, In præuaricationis profunda dimersus huic ruinæ subiacuisset oppressus, nisi eum pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus. In præuaricationis quippe profunda libero arbitrio dimersus liberum corrupit arbitrium, & ruina iacens oppressus vtile sibi prouidere quid posset, nisi eum Christi gratia releuaret, sanaret, atque inluminaret, & de imprudente prouidum faceret? Nec hinc à catholico sensu & catholicorum verbis, gratias gratiæ sempiternæ, vel in aliquo deuiauimus. VI. subiunxit. » Fatemur gratiam Dei & adiutorium etiam ad singulos actus

dari, eámque non dari ſecundùm merita noſtra, vt vera ſit gratia, id « eſt gratis data per eius miſericordiam qui dixit, Miſerebor cui miſer- « tus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero. Hæc duo « Capitula, ſeptimum & octauum, in vnum copulans de Synodo Palæſtina contra Pelagium dicta aſſumpſit. Fortè lethargica paſſione oppreſſus, aut Silenico cantharo debriatus, memoria mortua ignorauit, quia in tertio & quarto Capitulo beati Cæleſtini illa iam ſcripſerit, à quibus nos non diſcordaſſe monſtrauimus. VII. Fatemur eſſe « liberum arbitrium, etiamſi diuino indigeat adiutorio. Et hoc capi- « tulum, in Synodo Palæſtina decimum, interponere procurauit. de quo nos faſſi ſumus, quia *habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia, & habemus liberum arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto ſanatum.* Ad hæc autem, & ad illa quæ ſubiungit, gratis reſpondemus, quia iam inde reſpondimus: ſed adhuc reſpondere non detrectamus, quia ſcriptum eſt, quod ſupererogaueris ego cùm rediero reddam tibi. Sanctus enim Cæleſtinus nobis ex his reſpondendi neceſſitatem abſtulit, ſed libertatem ſi vellemus nullatenus interdicit. Vt ergo inquiens pleniùs qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo monſtramus indiculo: quo ſi quis non nimium eſt contentioſus agnoſcat, omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum breuitate pendere, nullámque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum catholicis credat & dicat, videlicet quæ illius dictis ſuprà condiximus. Sed quoniam fortè iſtorum Capitulorum compoſitor nimis contentioſus eſt, & nec cum catholicis credit & dicit quod crediderunt & dixerunt catholici, & eſſe mauult Ariſtodemus Apoſtoli Ioannis contradictor contrarius, quàm Apoſtoli Ioannis & Apoſtolici Cæleſtini diſcipulus, accipiat tunicam noſtram, Patrum ſcilicet labore contextam, id eſt veſtem fidelem, qua ipſe gratia Dei poſſit reſuſcitari ad fidem, vt vel ſic indignationem animi eius contra nos, qui fideles ſumus, auferre poſſimus. Vnde adhuc illi de duobus ſequentibus Capitulis reſpondebimus. VIII. Arbi- « trium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam « baptiſmi, non poteſt reparari. Et hoc ex tertiodecimo Capitulo A- « rauſicæ Synodi adſumpſit. de quo nos diximus, quia *libertatem arbitrij*, id eſt poſſibilitatem liberæ voluntatis arbitrij, *per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus. & habemus liberum arbitrium quia gratia liberatum*, ſicut ſcriptum eſt, *Tunc verè liberi eritis, cùm vos filius liberauerit*, quódque tunc fit, cùm eodem ſpiritu ſumus renati, quo idem Chriſtus redemptor & ſaluator noſter ex immaculata Virginis carne pro nobis eſt natus. IX. Arbitrium voluntatis tunc eſt verè libe- « rum, cùm vitiis peccatíſque non ſeruit. Tale datum eſt à Deo vti- « que homini primo, quod amiſſum niſi à quo potuit dari non potuit reddi. Vnde veritas dicit, *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Ioan. 8. 36.

Sicut in præcedentibus duo Capitula ex Synodo Palæstina coniunctim posuit, & superfluè interseruit, quasi non sufficeret quod Apostolica sedes ad sufficientiam edidit: ita nunc Capitulum tertiumdecimum Arausicæ Synodi in duo diuisit, & aliter quàm ipsa protulerit isdem secando composuit. Hoc siquidem Capitulum Arausica Synodus de libro sententiarum Prosperi, capitulo CL. partim adsumpsit, & dixit, Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde veritas ipsa dicit, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Iste autem, sicut præmisimus, octauum Capitulum erexit de medietate istius Synodalis Capituli scribens, Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. & nonum de sententia Prosperi, qua ex verbis sancti Augustini dicit, Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum cùm vitiis non seruit. Tale datum est à Deo homini primo. quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde veritas dicit, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Ceterùm sancta Synodus & catholicè & sufficientissimè texens & ordinans tenendum Capitulum nobis suis posteris commendauit. A cuius consensu, verùm nec à sententia Prosperi, nostra conscriptio, sicut suprà ostendimus, in aliquo deuiauit. Sed & si quacumque necessitate Capitulorum istorum compositor sensum istius Capituli eliquasset, non ab re esset quod egerat. Nunc autem, manente verbis & sensu in sua incolumitate Capitulo, minùs necessariò illud diuisit ac compilauit. Bene siquidem sanctus nouerat Cæsarius, qui ex delegatione Apostolicæ sedis huic Synodo præsedit Arausicæ, quid sanctus Augustinus de libero arbitrio homini primo dato in libro de Correptione & Gratia dixerat, quémque in libris de Prædestinatione sanctorum, & de Bono perseuerantiæ, ad prædecessorem suum Hilarium scriptis commemorat, quem etiam librum compar & socius illius sanctus Prosper se habuisse non tacet in epistola ad Augustinum dicens, Librum de Correptione & Gratia plenum diuinæ auctoritatis emitteres. quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, & reliqua. Et credendum est, quia sanctus Prosper Hilario eundem librum, quem se habere dixit, coniuncto & familiari suo non negauerit. Vnde & beatus Cæsarius, quæ hinc sanctus Augustinus dixerat, succedens in ordine suo sancto Hilario non ignorauit. Ait enim sanctus Augustinus in præfato libro, Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque vt reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omninò non posset. Et

Ioan. 8. 36.

Cap. XI. sub finem.

acceperat posse si vellet, quod vt nollet de libero descendit arbitrio: quod tunc ita liberum erat, vt bene velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato? quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti. Nunc autem, per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.] & post pauca, Numquid dicturi sumus, non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? aut non potuit mori cui dictum est, si peccaueris morte morieris? aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit?] & item, Sed deseruit & desertus est. Tale quippe erat adiutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est, qua fit vt habeat homo iustitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.] Et item S. Augustinus in eodem libro de Correptione & Gratia, Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Immo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona, & ille suis meritis comparauerat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Dominum, *Libera nos à malo.* Ille in illis bonis Christi morte non eguit: istos à reatu & hereditario & proprio illius agni sanguis absoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio. quod implorant isti cùm dicunt, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Quoniam in eis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi vincendíque virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò, nulla tali rixa à seipso aduersus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore, nunc verò tamen potentiore gratia indigent isti. Et quæ potentior, quàm Dei vnigenitus filius, æqualis patri & coæternus, pro eis homo factus, & si sine suo vllo vel originali vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamuis tertia die resurrexit nunquam moriturus vlteriùs, pertulit tamen pro mortalibus mortem qui mortuis præstitit vitam, vt redempti eius sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Per hunc mediatorem Deus ostendit eos quos eius

Cap. xi. ante superiora.

Cap. xi. initio.

Matth. 6.

Rom. 7. 23.

Rom. 8. 31. 32.

Paulò inferiùs.

ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps in æternum bonos: quem ſic ſuſcepit, vt nunquam eſſet malus, nec ex malo factus ſemper eſſet bonus. Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet. Et item beatus Auguſtinus, Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: nouiſſima erit multò maior, non poſſe peccare: quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis, merces meriti.]

In fine capitis.

CAPVT XXIII.

Sequitur redargutio ipſius compilatoris, ex beati Auguſtini & ceterorum Doctorum verbis.

HIS ſancti Auguſtini verbis manifeſtiſſimè claret, rationabiliùs ſanctam Synodum compoſuiſſe Capitulum, quàm iſtum diuiſiſſe. quia quod Synodus dixit, Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari, quod amiſſum niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi, totum continet quicquid ad ſciendum atque credendum nobis exinde eſt neceſſarium. Manifeſtatur enim in eo, quòd arbitrium voluntatis ſanum primo homini fuerat datum, & in illo infirmatum, & quod amiſſum non poteſt reparari niſi per gratiam baptiſmi, quo renaſcuntur fideles eodem ſpiritu, quo & conditor & reparator noſter eſt natus, idémque voluntatis arbitrium ab ipſo fidelibus redditur, quo primo homini fuerat datum. Plena verò ſanitas, atque perfecta libertas, nunc fidelibus redditur in ſpe, in futuro, cùm nouiſſimè inimica deſtructa fuerit mors, in re, ſicut ſcriptum eſt, *ſpe ſalui facti ſumus.* Nam quandiu hîc mortaliter viuimus, cum morte confligimus, vbi corpus quod corrumpitur adgrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. vbi caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, vt non quæcumque volumus illa faciamus. vbi interdum habemus deſerentes, ideóque gratia iuſtè deſerti, liberum arbitrium iuſtitiæ liberum peccati ſeruum, ſicut demonſtrat Apoſtolus dicens, *Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis.* Nam finis illorum mors eſt. Interdum autem habemus, gratia præuenti & adiuti, liberum arbitrium, peccati liberum, iuſtitiæ ſeruum. ſicut iterum idem demonſtrat Apoſtolus dicens, *Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & venerit quod perfectum eſt, & euacuabitur quod ex parte eſt, habebimus tunc perfectè arbitrium liberæ voluntatis, ſcilicet

Rom. 6. 21.

Rom. 6. 22.

nolle

nolle peccare, non posse peccare, non posse mori, non posse bonum deserere. Et in his omnibus adhærente nobis misericordia Saluatoris nostri, vt beatus Augustinus dicit, in sæpe memorato libro de Correptione & Gratia, de prædestinatis. quia siue cùm conuertuntur, siue cùm præliantur, siue cùm coronantur. nam & tunc illis Dei misericordiam necessariam sancta scriptura testatur, vbi sanctus de Domino Deo dicit animæ suæ, *Qui coronat te in miseratione & misericordia.* Hoc liberum arbitrium homo primus habuisset, si in eo libero arbitrio quod habuit sicut potuerat vsus fuisset, sicut præmisimus de verbis sancti Augustini, Quid erat, inquit, liberius libero arbitrio, quando non potuerit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis, merces meriti?] Sed cuicumque placet, benigno animo conferat Capitulum sanctæ Arausicæ Synodi cum Capitulo à nobis ad sensum excerpto, quia librum præ manibus tunc non habuimus, quando hoc Capitulum de sensibus orthodoxorum dictare coacti sumus, & videat si in aliquo illud dictantes à catholica fide & expositione Synodi discordauimus. Synodus dicit, Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest reparari, quod amissum nisi à quo potuit dari non potest reddi. vnde veritas ipsa dicit, *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Et nos diximus, Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus. Et habemus liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia: & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum & gratia de corrupto sanatum.

Psal. 102. 4.

Cap. xi.

His ita redditis contra reprehensorem huius à nobis excerpti Capituli, quasi ex latere breuiter memorari delegimus, quia peruenit ad nos, quoniam isti nebulones, qui in totum adhuc sicut prauè sentiunt proferre in publicum non præsumunt, librum aduersum nos occultè conscribunt, quem ad nostram notitiam peruenire, & ad lectionem nostram aduersus quos scribunt detractant perducere. In quo, sicut nobis retulit qui eumdem nobis transcriptum perferre satagens, in turbine tumultuoso, qui nuper huic regno accidit, cum aliis suis perdidit, æmuli nostri dicunt nos dicere, scribere, & prædicare, quia liberum arbitrium funditus in homine primo peccante sit perditum. Vnde breuiter adnotare decreuimus, quid de libero arbitrio sentiamus: vt qui fortè fatuitatem illorum attigerit, quæ sale catholicæ sapientiæ condita mens nostra sentiat hîc sine difficultate reperiat. Primus namque homo cum libero arbitrio ita immortalis est conditus, vt posset non peccare si vellet, & posset peccare si vellet: non moreretur si non peccaret, moreretur autem si peccaret: non peccaret verò si non vellet. & si arbitrio libero ita persisteret, vt peccare non vellet, acciperet illam meriti magni perman-

ſionem, vt peccare non poſſet nec vellet, ſicut acceperunt in munere Angeli ſancti, quæ merces meriti erat futura & homini. Hæc eſt primi hominis arbitrij liberi magna & prima libertas, qua libertate voluntate peccauit, & mortem ſibi à Deo prædictam, ne illam peccando incurreret, voluntate peccando incurrit: & per malum velle perdidit bonum poſſe, qui per poſſe bonum potuit vincere velle malum. Et ſicut homo ita vt diximus immortalis conditus fuit, quia Deus eſſe voluit, perdidit quod immortalis, & remanſit quod homo fuit: ita poſt caſum habuit arbitrium liberum, iuſtitiæ liberum peccati ſeruum, per ſe ſufficiens ſibi ad malum, languidum autem atque inualidum ad omne bonum, antequàm per Chriſti aduentum ſpiritu Dei agente ſit rectum, & fidei gratia inluminatum, quod ſua libertate erat prauum ac tenebroſum. Quod non inde recepit vnde perdidit: ſed ab illo recepit quod habeat, à quo quod amiſit acceperat. Quoniam poſt caſum primi hominis noluit Deus niſi ad ſuam gratiam pertinere, vt homo accedat ad eum, & homo non recedat ab eo, ſicut ſcriptum eſt, *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te.* Iſte eſt ſecundus Adam, per quem accedimus ad Deum, & in quo non diſcedimus à Deo. In primo namque Adam diſceſſimus à Deo, in quo perdita eſt libertate arbitrij maxima illa libertas, & non remanſit niſi ſola infirmitas. Quapropter non reſtat liberandis niſi gratia liberantis, quam arbitrij libertatem recepimus, vt non ſolùm bene velimus & bene poſſimus: verùm vt à bono diſcedere non velimus, & in bono perſeuerare poſſimus, non abolente ſed adolente gratia arbitrium liberum gratia liberatum, gratia de corrupto ſanatum. Hæc eſt ſecunda gratia, & arbitrij liberi gratia Dei recuperata libertas. Cùm autem in electis penitùs nouiſſima inimica deſtructa fuerit mors, & mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptiuum hoc induerit incorruptionem. profuturam ſcilicet ad honorem vitæ, non ad diuturnitatem ſupplicij: quia & peccatores induent incorruptionem ad diuturnitatem ſupplicij, non ad honorem vitæ. quos ignis qui non extinguetur cùm ſuſceperit, non extinguet & perimet, ſed pœnæ ſuæ ſemper integros conſeruabit. tunc eiuſdem conditoris & reparatoris, atque coronatoris noſtri gratia, qui coronat nos in miſericordia & miſerationibus, ſi cum electis reſurgentes immutari meruerimus, omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, accipiemus perfectam & illam maximam libertatem, vt nec peccare, neque ab æternitate deſiſtere poſſimus, neque velimus: quam acceperunt in munere Angeli ſancti. quæ erat arbitrij liberi merces meriti, ſine interpoſitione mortis, ſi non peccaſſet, & homini. Hanc arbitrij libertatem primus homo non habuit, quia ne ad hanc vt poterat perueniret, libertate arbitrij quam acceperat inconſultiùs vtens, in iter læuum deflexit, de-

Pſal. 79. 18.

ſertus Dei gratia, quem prior ipſe deſeruit. Sed quia non in æternum proiiciet, aut obliuiſcetur miſereri Deus, dabitur hæc gratia homini in futuro, cùm fuerit ſicut Angeli ſancti in cælo, nunc in ſpe ſaluus factus in ſæculo, tunc in re ſaluandus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XXIV.

Reddenda ratio incipit de Capitulo tertio à nobis excerpto, quod compilator Capitulorum nobis à regia ſublimitate datorum acerrimè reprehendit, cum his quæ Prædeſtinatiani exinde ad ſuam dicunt confirmandam ſententiam, & qualiter catholici eorum prauè dictis ex ſcripturarum ſententiis contradicant.

EXPLICITIS prout Dominus dedit duobus Capitulis, & reddita ratione contra cribratores ſed non conſumptores eorum, nunc tertium adeamus Capitulum cum omni fiducia, non de nobis præſumentes, ſed de illo confidentes qui dixit, *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* credentes certiſſimè & nihil hæſitantes in fide, quia qui cœpit ipſe perficiet: ipſi gloria, virtus, & imperium in ſæcula ſempiterna. De hoc Capitulo, ſicut ſanctus Proſper demonſtrat, ex obiectione Gallorum & Vincentianorum, & ex reſponſionibus, quibus ex delegatione ſedis Apoſtolicæ eorum ipſorúmque ſimilium commenta diſſoluit, veteres Prædeſtinatiani dixerunt. Ait enim obiectio octaua Gallorum, Quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum. Et item obiectio ſecunda Vincentianorum, Quia Deus nolit omnes ſaluare, etiamſi omnes ſaluari velint. Et Gotheſcalcus modernus Prædeſtinatianus in libro ad Rabanum Archiepiſcopum Moguntinum, Omnes, inquit, quos « vult Deus ſaluos fieri, ſine dubitatione ſaluantur: nec poſſunt ſaluari « nisi quos Deus vult ſaluos fieri. Nec eſt quiſquam quem Deus « ſaluari velit & non ſaluetur. quia Deus noſter omnia quæcumque « voluit fecit. Ipſi omnes itaque ſalui fiunt quos omnes vult ſaluos fieri. «
Et domnus Prudentius in epiſtola ad Archiepiſcopum ſuum Wenilonem, de ordinando Ænea Pariſiorum Epiſcopo, quarto Capitulo ita dicit, Vt credat atque confiteatur, Deum omnipotentem omnes quoſ- « cumque vult ſaluare, & neminem poſſe ſaluari vllatenus, niſi quem « ipſe ſaluauerit. Omnes autem ſaluari quoſcumque ipſe ſaluare vo- « luerit: ac per hoc quicumque non ſaluantur, penitùs non eſſe vo- « luntatis illius vt ſaluentur, dicente Propheta, *Omnia quæcumque voluit* « *Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.*] Quos « mendacij redarguit, & prauè ſanctam tradere ſcripturam Leo in tomo ad Flauianum breuiter demonſtrat dicens, Opus fuit ſecreti,

Luc. 21. 15.

Pſal. 134. 6.

Epiſt. XII. aute medium

inquit, dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi infima filius Dei.] Hinc compositor istorum Capitulorum, quæ nobis vt eis respondeamus dedistis, expressiùs nihil dixit: vt putamus, quia percepit se posuisse de verbis sancti Cælestini, quæ in Capitulo quarto scripserat, vbi dicit, Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona. Nos autem, & contra priscos, & contra modernos Prædestinatianos, de verbis Prosperi, & ipsius aliorúmque catholicorum Doctorum sensibus, Capitulum istud excerpsimus dicentes, *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult saluos fieri, licèt non omnes saluentur. Quòd autem quidam saluantur, saluantis est donum, quòd autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

Primò satisfaciamus lectoribus, quoniam ideo Apostoli & Prosperi verbis *sine exceptione* interposuimus, quia Gothescalcus nouorum Prædestinatianorum primicerius in præfato suo libello ad Rabanum scripserat, Omnes & omnes debere intelligi, id est omnes qui saluantur, de quibus dicit Apostolus, *qui vult omnes homines saluos fieri*, & omnes qui non saluantur, quos non vult Deus saluari. sícque hac interpretatione peruersa & Apostolica verba & Prosperi apud auditores suos peruertebat sententias. Vnde necesse est nobis, ex orthodoxorum scriptis ostendere, si catholicæ fidei Capitulum istud à nobis excerptum valeat conuenire. Consulentes ante omnia, sicut & prima est in toto orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam: quoniam priuilegium quod Hierusalem, honorabilis secundùm sacros Nicænos canones, quæ olim dicta est ciuitas iustitiæ, & mater ciuitatum, propter infidelitatem & negationem filij Dei perdidit, dicens eum filium Ioseph & filium fabri, & ad eum, Tu homo cùm sis facis te ipsum Deum, & dæmonium habes, & de eo, Non habemus regem nisi Cæsarem, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit, hæc confessione beati Petri promeruit dicentis, *Tu es Christus filius Dei viui*, & contestatione Pauli obtinuit affirmantis, quia *Christus Iesus factus est obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Propterea sicut quondam de Hierusalem dictum est per Prophetam, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei mater. Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus:* ita à Prophetarum Domino ista glorificata est magni Petri principis Apostolorum præsentia, cui

1.Tim.2.4.
Matth.16.16.
Philipp.2.8.&c.
Psal.86.3.

à vero Dei filio & verè hominis filio, ex duabus & in duabus naturis atque ſubſtantiis ſeu operationibus, diuina ſcilicet & humana, in vnitate perſonæ, non in vnitate ſubſtantiæ, ſubſiſtente vno Ieſu Chriſto, toto in ſuis, quæ æqualiter & indiuiſè habet cum patre & Spiritu ſancto, cum quibus vna illi eſt coæterna & indiuiſa ſubſtantia, toto in noſtris, in quibus noſtri eſt generis, id eſt anima rationali, & ſine vllo peccati contagio carne humana, de Virginis matris carne immaculata Spiritu ſancto fœcundata, quæ ab initio in nobis creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit, tunc carne adhuc paſſibili & mortali, nunc autem deuicta morte clarificata paſſionis victoria, atque in Dei patris gloria permanente, & ſæculum iudicaturo, ac ſine fine regnante, dictum eſt, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſicut illa quondam Hieruſalem ciuitas ſancti munita eſt Angelorum cuſtodia, vſque dum propter incredulitatem & duritiam cordis ſui audiuit ab eis, Tranſeamus ab his ſedibus, & à Saluatore ſuo, ſi voluiſſet, Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta: ita & iſta inluſtrata permanet, & protecta orationibus gentium magiſtri dicentis, *Teſtis eſt enim mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtrî facio in orationibus meis.* Quæ non ab homine, neque per hominem, ſed per Dominum Ieſum Chriſtum, ſicut Petrus & Paulus Apoſtolatum, ita & hæc ſancta ſedes omnium ciuitatum meruit principatum. veluti ſanctus Anacletus, tertius à beato Petro Romanæ ſedis Epiſcopus, & ab ipſo Apoſtolorum principe preſbyter ordinatus, in epiſtola ſua dicit, Aliæ, inquit, primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus, à ſanctis Apoſtolis, & à beato Clemente, ſiue à nobis, primates prædicatores acceperunt: hæc verò ſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino ſaluatore noſtro primatum obtinuit, ſicut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Adhibita eſt etiam ſocietas in eadem Romana vrbe beatiſſimi Apoſtoli Pauli, vaſis electionis, qui vno die vnóque tempore glorioſa morte cum Petro ſub principe Nerone agonizans coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanam Eccleſiam conſecrauerunt, aliíſque vrbibus in vniuerſo mundo eam ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerunt.] Et ſanctus Innocentius ad Decentium Eugubinum ſcribit Epiſcopum dicens, Quis enim neſciat, aut non aduertat, id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præſertim cùm ſit manife-

Matth 16. 18.

Rom. 1. 9.

Epiſt. III. ſub initiũ.

Matth. 16. 18. 19.

Epiſt. XXIX. in princip.

ſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Petrus, aut eius ſucceſſores, conſtituerint ſacerdotes. Aut legant ſi in his prouinciis alius Apoſtolorum aut legitur aut inuenitur docuiſſe. Qui ſi non legunt, quia nuſquam inueniunt, oportet eos hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur amittere.] Cùm hæc ita ſe habeant, & ſanctus Cæleſtinus Papa, cuius tempore primùm hæc exorta eſt hæreſis, dicat in Decretali epiſtola ſua ad Venerium & ceteros Gallicanos Epiſcopos cap. XI. quid inde credere, tenere, & prædicare catholicè debeamus, Obſecrationum inquiens ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo atque in omni catholica Eccleſia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.] Quæ ſit autem lex ſupplicandi, & ipſe in eodem Capitulo explicat, & Eccleſia quaſi ſpecialiter in die crucifixionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, oſtendens pro quibus ſit crucifixus, quóſque vult ſaluos fieri, ſupplicando, & congemiſcendo demonſtrat, orans pro omnibus hominibus, & ſingillatim atque diſtinctè pro omnibus ordinibus, pro omnibus gradibus, pro omnibus dignitatibus, pro ſchiſmaticis & hæreticis, pro Iudæis atque Paganis, vt nemo credatur exceptus, agens apud diuinam clementiam totius humani generis cauſam. Vnde & ad locum dicit, Deus qui ſaluas omnes, & neminem vis perire, licèt quidam iniquitate & obduratione propria pereant. Veritas eſt enim quæ dixit, *Viuo ego dicit Dominus Deus, Nolo mortem impij, ſed vt reuertatur impius à via ſua & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael. Numquid volens cupio mortem iniqui? dicit Dominus Deus.* Dominus iurat, ne quis criminum mole deſperet, quia non vult mortem impij, ſed vt reuertatur à via ſua & viuat, & Prædeſtinatiani periurant, quia qui non ſaluantur penitùs non eſſe voluntatis Domini vt ſaluentur. Et item Dominus in Euangelio dicit, *Dico vobis, gaudium eſt coram Angelis Dei in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Et ſi ſuper vno pœnitente gaudent Angeli, non multo magis, ſi omnes pœnitentiam egerint & crediderint, Angeli ſancti gaudebunt, qui in illo vident vnde gaudeant? de illius ſcilicet gaudio, à quo ſempiternum gaudium acceperunt. Legem ergo credendi, vt ſanctus Cæleſtinus iubet, lex nobis ſtatuat ſupplicandi: vt quoniam ab omni Eccleſia catholica Deo ſupplicatur pro omnibus, credamus Deum omnes homines velle ſaluos fieri, licèt non omnes ſaluentur, & quòd quidam ſaluantur, ſaluantis ſit donum, quòd autem quidam pereunt, ſit pereuntium meritum.

Post epist. VIII. Cæleſtini.

Ezech. 33. 11

Luc. 15. 7.

Piis, deuotis, atque catholicis hoc poteſt & hoc debet ſufficere, quod omnium Eccleſiarum mater ſancta catholica atque Apoſtoli-

ca docet Romana Ecclesia. Ipsa enim vt mater nos Christo genuit, nos religione nutriuit, nos doctrina instruxit: nos sicut in sancto Petro à Christo firma petra accepit, doctores instituit, & catholico lacte nutritos, & ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informauit, per Paulum dicens, quia *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Dicant Prædestinatiani, quem non esse peccatorem possint excipere, illo excepto qui sine peccato & alieno & proprio venit quærere & saluare quod perierat. Dicant qui non periit, cùm idem dicat Apostolus, *ex vno omnes esse in condemnationem.* Si omnes periuimus, omnes quærere venit: si omnes quærere venit, omnes saluari voluit. Et item scriptum est, *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* & Ioannes Apostolus, *In hoc apparuit*, inquit, *filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* Vnde Beda, Omnes peccatores ex diabolo nati sunt in quantum peccatores. Ideo enim venit Christus homo vt solueret peccata hominum. Quocirca si ideo venit, peccatores saluos facere venit: & quia omnes secundùm Apostolum peccatores erant, sicut dixit *per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit in quo omnes peccauerunt*, qui venit quærere quod perierat, omnes quærere venit, omnes saluos fieri voluit, dicente iterum Paulo per quem ipse locutus est Christus, *Qui vult omnes homines saluos fieri.* & Petro, *Qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.*

1.Tim.1.15. Rom.5.16. Sap.2.24. 1.Ioan.3.8. Rom.5.12. 1.Tim.2.4. 2.Pet.3.9.

Cur ergo non omnes saluantur, ipsa veritas per Ioannem Euangelistam respondeat. *Hoc est autem*, inquit, *iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. erant enim eorum mala opera.* Vnde sanctus Augustinus dicit, Quomodo quidam bonum opus fecerunt, vt venirent ad lucem, id est ad Christum, & quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si omnes peccatores inuenit, & omnes à peccato sanat, & serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant, & propter morsus serpentis erectus est serpens, id est mors Domini propter mortales homines quos inuenit iniustos, quo modo intelligitur, *Hoc est iudicium, quoniam lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. erant enim mala opera eorum?* Quid est hoc? Quorum enim erant mala opera? Nonne venisti vt iustifices impios? Sed *dilexerunt*, inquit, *magis tenebras quàm lucem.* Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua. quia qui confitetur peccata sua, & accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, si & tu accusas, coniungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo & peccator: quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, vt Deus saluet quod fecit. Oportet vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium bonorum operum confessio est operum malorum. Facis ve-

Ioan 3.19. Tract XII. in Ioan.

ritatem, & venis ad lucem. Quid est facis veritatem? non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas, non dicis iustus sum cùm sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, vt manifestentur opera tua, quia in Deo facta sunt: quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & eius veritas tibi ostenderetur.]

At si quis de Prædestinatianis hæc legerit, fortè sub suo sensu dicet quod dixerunt quidam in illo tempore, Qui aperuit oculos cæci nati, numquid non poterat facere vt iste non moreretur? & Prædestinatianus, Sicut isti inluxit Deus, quem saluum fieri voluit, sic & isti inluxisset vt saluaretur, si illum saluum fieri voluisset. Omnipotens est enim Deus, vt & in symbolo catholica confitetur Ecclesia, qui omnia quæcumque voluit fecit. Respondeat Euangelista Marcus, *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit. Et mirabatur propter incredulitatem illorum.* Hinc Beda in Euangelio Lucæ, Amabat itaque ciues, sed ipsi se caritate patria suo liuore priuabant.] Et Dominus dicenti sibi, *Si quid potes, adiuua nos misertus nostrî*, respondit, *Si potes credere, omnia possibilia credenti.* Et sanctus Gregorius Homilia XXXI. Hanc videlicet incuruatam mulierem cùm vidisset Iesus vocauit ad se, & reliqua. Vocat, inquit sanctus Gregorius, sed non erigit: quandoquidem per eius gratiam inluminamur, sed exigentibus nostris meritis adiuuari non possumus.] Ab omnipotente videlicet, de quo & Paulus dicit, *Si negamus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet. negare se ipsum non potest.* Quæ impotentia, vt Augustinus demonstrat, maximè ad omnipotentiam pertinet. Fidelis enim permanet, negare seipsum non potest. Vnde idem doctor eximius in Sermone de symbolo ad Neophytos ita dicit, Omnipotens ex nihilo primitùs cuncta fecit, cum quibus fecit pariter vnde fecit. Materies itaque cæli & terræ, sicut hæc in principio sunt creata, simul cum ipsis est creata. Nec fuit vnde fierent quæ Deus in principio fecit, & tamen facta sunt quæ omnipotens fecit, quæ facta composuit, impleuit, ornauit. Si enim quæ in principio fecit ex nihilo vtique fecit, etiam ex his quæ fecit quicquid voluerit facere potens est, quia omnipotens est. Nec ideo credant iniqui, Deum non esse omnipotentem, quia multa contra eius faciunt voluntatem, quia & cùm faciunt quod non vult, hoc eis faciet quod ipse vult. Nullo modo igitur omnipotentis vel mutant vel superant voluntatem: siue homo iustè damnetur, siue misericorditer liberetur, voluntas omnipotentis impletur. Quod ergo non vult omnipotens hoc solum non potest. Vtitur ergo malis, non secundùm eorum prauam, sed secundùm suam rectam voluntatem. Nam sicut mali natura sua bona, hoc est bono eius opere, malè vtuntur: sic ipse bonus etiam eorum malis operibus bene vtitur, ne omnipotentis voluntas aliqua ex parte vincatur

Marc.6.5.
Cap. IV.
Marc.9.22.
2.Tim.2.12

catur. Si enim non haberet quod bonus de malis iustè ac bene faceret, nullo modo eos vel nasci vel viuere sineret. quos malos ipse non fecit, quia homines fecit: quia non peccata, quæ sunt contra naturam, sed naturas ipsas creauit. Malos tamen eos futuros præscius ignorare non potuit. Sed sicut nouerat quæ ipsi essent mala facturi, sic etiam nouerat quæ bona de illis esset facturus.] & post paululum, Sed quoniam dixi hoc solùm omnipotentem non posse quod non vult, ne quis me temerè dixisse arbitretur aliquid omnipotentem non posse, hoc & beatus Apostolus dixit, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Non enim potest iustitia velle facere quod iniustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Vnde admonemur, Deum omnipotentem non hoc solùm quod ait Apostolus, *negare seipsum non potest*, sed multa non posse. Ecce & ego dico, & eius veritate dicere audeo quod negare non audeo. Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Hæc atque huiusmodi absit vt possit omnipotens. Ac per hoc non solùm ostendit veritas omnipotentem esse quòd ista non possit, sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse qui hæc possit. Volens est enim Deus quicquid est. Æternus ergo, & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est. Est autem omnipotens, ergo quicquid vult potest. De quo & Psalmus dicit, *In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit.*] & item in libro de Natura & Gratia, Absit à nobis vt Deum posse peccare dicamus. Non enim vt stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, & negare seipsum non potest.] Similiter & iustus permanens, de quo Ioannes Apostolus dicit, *fidelis & iustus est*, iniustus esse non potest, vt saluet ad se conuerti vel reuerti nolentes: quoniam vt Gregorius dicit, Peccatores diu vt conuertantur expectat, quos non conuersos duriùs damnat. qui per Prophetam dicit, *Deus adpropians ego sum, & non Deus de longè.* & iterum per eundem Prophetam, *Peccata*, inquit, *separant inter me & vos.*

Psal.113.3. Cap.XLIX. 1.Ioan.1.9. Hier.23.23.

Vnde Ioannes Constantinopolitanus in libro de Reparatione lapsi, Si ergo peccata sunt quæ nos separant à Deo, auferamus è medio istud obstaculum, & nihil est quod nos prohibeat coniungi Deo.] & idem in eodem libro, Cùm impassibilem esse naturam diuinam diffinitio veritatis ostendit, intelligere debemus, quia etiamsi punit Deus, etiamsi pœnas infert, non hoc cum ira passibili, sed cum ineffabili clementia facit, medentis non perimentis affectu. Et ideo valdè libenter recipit pœnitentem. pœnitentiæ medicamentum si præueniens curet animam, non facit eum ad vindictam iracundiæ peruenire pro his quæ commisit in Deum. Non enim, vt diximus, propter semetipsum vindicat Deus in peccatorem, quasi vlciscens iniu-

riam suam. Nihil enim tale recipit in se natura diuina, sed ad vtilitatem nostram facit omnia: pro vtilitate nostra & correptiones inducit & pœnas, non vt se vindicet, sed vt nos emendet. Quòd si persistit quis in duritia, sicut & ille qui auertit à luce oculos suos, damnum quidem luci intulit nullum, semetipsum verò tenebris condemnauit. Ita & qui per cor impœnitens contemnere se putat virtutem Dei, semetipsum alienum efficit à salute.] Et in Euangelio Marci scriptum est, *Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Vnde & Beda, Qui ergo manifestè intelligens opera Dei, cùm de virtute negare non possit, eadem stimulatus inuidia calumniatur & Christum Deíque Verbum, & opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. non quòd negemus & ei, si pœnitentiam agere voluerit, posse dimitti ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed quod ipsi iudici & largitori veniæ credentes, qui & se pœnitentiam semper accepturum, & hanc blasphemiam nunquam dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum exigentibus meritis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignos pœnitentiæ fructus esse peruenturum. Iuxta hoc quod Ioannes Euangelista de quibusdam blasphemiæ suæ merito excæcatis veracissimè scripsit, *Propterea non poterant credere*, quia iterum dixit Esaias, *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos.*] Quod de hæreticis est valdè timendum, qui sanctæ scripturæ sententias, & apertissima catholicorum dicta detruncantes, ad suos sensus violenter inflectendo, ex eis contra conscientiam suam praua dogmata quæ disseminant conantur asserere. Vnde item Beda in Euangelio Lucæ, Sola, inquit, blasphemia in Spiritum sanctum, qua quisque in similitudinem diaboli & angelorum eius, contra conscientiam suam maiestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, sicut Euangelista Marcus euidenter exponit, qui posito hoc Domini testimonio, subiunxit atque ait, *quoniam dicebant, spiritum immundum habet.*] Hanc Prophetæ sententiam, qua dicitur, *Excæca cor populi huius*, & reliqua, exponit beatus Gelasius in tomo de anathemate Acacij, sicut qui legerit inuenire valebit. Et item Beda in Euangelio Lucæ, quia inexcusabiliter pereunt, quos vult Deus saluos fieri, Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? ostendens eos, vt pote rationalem creaturam, etsi litteras nesciant, naturali tamen ingenio posse dinoscere, vel eum qui opera in se quæ nemo alius fecisset, supra hominem intelligendum, & ideo Deum esse credendum: vel post tot sæculi huius iniustitias, iustum creatoris iudicium esse venturum. Nemo igitur, ex eo quod suprà dictum est, seruum nescientem Domini voluntatem vapulare

Marc.3.29. In Lucam cap. XII. Ioan.12.39. Esa.6.10. In Lucam cap.XII. Marc.3.30. Esa.6.10. In Lucam cap.XII.

paucis, inter peccandum de remedio nesciendi præsumat: quia vt alia taceam, ex eo ipso quod homo est, nec mala quæ caueat, nec bona potest ignorare quæ appetat.] Hinc & Paulus in epistola ad Romanos, *Quia*, inquit, *quod notum est Dei, manifestum est illis*. Vnde Ambrosius, Notitia Dei manifestata est ex mundi fabrica. Vt enim Deus, qui natura inuisibilis est, etiam à visibilibus possit sciri, opus factum ab eo est quod opificem visibilitate sua manifestaret, vt per certum incertum posset sciri, & ille esse Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit quod omnibus possibile est. Deus enim illis manifestauit. Manifestauit se Deus dum opus fecit per quod posset agnosci. *Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, & sequentia, quæ ibidem mirabilis Paulus, & expositor eius Ambrosius prosequuntur. Sicut & Leo in tomo ad Flauianum de Eutyche loquens demonstrat. Sed si de hoc, inquit, Christianæ fidei fonte purissimo syncerum intellectum audire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat, & reliqua.

Rom. 1. 19.

Rom. 1. 20.

Epist. x. cap. 2.

Hoc autem quod de specie est dictum in genere debet intelligi, veluti & sanctus Gregorius in libro XVI. Moralium dicit, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt*. Quia enim glorificare noluerunt quem cognouerunt, reprobo sensui traditi ad hoc relicti sunt, vt nescirent iam pensare mala quæ faciebant.] & item in libro VIII. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit & viuit, blasphemat & proficit: quia scilicet misericors creator, quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est, *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*.] & in libro XVI. Sic itaque anima eius quodcumque voluit hoc fecit, vt inde quoque voluntatẽ suam impleat, vnde voluntati illius repugnari videbatur.] Quia vt Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Vnde S. Gregorius in libro II. Moralium dicit, Quia Deus sine mutabilitate simul cuncta respicit, sine distentione comprehendit: videlicet & bona quæ adiuuat, & mala quæ iudicat, & quæ adiuta remunerat, & quæ iudicans damnat. In his quæ diuerso disponit ordine diuersus non est.] Et Hieronymus in epistola ad Philemonem, contra hoc quod dicunt Gothescalcus atque Prudentius, Qui non saluantur, non est penitùs voluntas Dei vt salui fiant, ita dicit, Si enim Deus voluntariè & non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens ad suam imaginem & similitudinem facere, hoc est, vt ipse voluntariè & non ex necessitate bonus est. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, vt malum recipere non posset, hoc dicunt, Talis debuit fieri, qui necessitate bonus esset & non voluntate. Quòd si talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est quia vult, non quia cogitur.] Et S. Pro-

Cap. 24. Rom. 1. 28.

Cap. 9.

Sap. 11. 24.

Cap. 18.

Cap. 1

ſper in libro Sententiarum cap. CLXVIII. Nemo inuitus bene facit, etiamſi bonum eſt quod facit: quia nihil prodeſt ſpiritus timoris, vbi non eſt ſpiritus caritatis.]

Et S. Ioannes Chryſoſtomus in libro ad Demetrium de cordis compunctione, Poſſumus, inquit, etiam ex his hæreticis occaſiones dare, ſi dicamus quia Apoſtoli & omnes ſancti, non ex propoſito ſuo & labore mirabiles facti ſunt, ſed ex Dei gratia ſola. Dicent enim, & quid prohibet omnes fieri tales? Gratia enim Dei ſi nihil requirit à nobis, ſed ipſa eſt quæ facit vnumquemque perfectum, cur non & omnibus ex æquo infunditur, & fiunt omnes repente perfecti? Non enim eſt perſonarum acceptor Deus. Sed quoniam non ſola gratia Dei hoc agit, ſequitur enim vt & nos quod in propoſito & viribus noſtris eſt expleamus, idcirco venit quidem in vnumquemque gratia Dei: ſed apud eos qui dignè explent ea quæ in ipſis ſunt permanet, ab his verò qui minùs dignè agent citò diſcedit, ad eos autem qui necdum initium faciunt conuerti ad Deum, omninò nec venit. rectas enim mentes diligit, & ſine fuco propoſitum. Quod etiam in Paulo perſpiciens, licèt alio adhuc itinere videretur incedere, tamen, quia propoſito recto & zelo Dei hæc agebat, dicit de eo Dominus, quia *vas electionis mihi eſt, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & omni populo Iſrael.*] Et in Homilia ſecunda de Pſalmo L. Miſericordia Dei inæſtimabilis eſt, ſine fine eſt, quæ comprehendi non poteſt, ſuperans omnem ſenſum, vincens omnem cogitationem. Sed quia talis eſt miſericordia Domini, tamen non vt homines miſericordiam conſecuti remiſſiores fierent, quærit quiddam à nobis Deus. Miſeretur quidem, ſed non paſſim miſeretur. Prouocat nos & dicit, Da tu & aliquid, vt puta, mille ſcelera perpetraſti, habes onera delictorum, volo adleuiare pondus tuum, da & tu manum tuam: non quia tuî ego egeo, ſed quia volo & te aliquid conferre ad tuam ſalutem. Quomodo ergo latro ſaluatus eſt, & tanta ſoluit peccata? Scito eum miſericordia prouocatum, & fide ſua tanquam adminiculo vſum in eo quod dicit, *Memento mei Domine in regnum tuum.* Quid contulit Deus ſaluti ipſius? remiſſionem videlicet peccatorum. Quid verò intulit latro? indicium ſalutis ſuæ, confeſſionis fidem. qualem? grandem & excelſam nimis, cælum tangentem. Quomodo? ego dicam. Iudæi viderunt mortuos ſuſcitatos. & poſt virtutes adnumeratas, Latro, inquit, nihil horum videns, ſed conſiderabat ſputis repletum, crucifixum, aceto potatum & felle. Et cùm hæc omnia videret, non eſt ſcandalizatus, ſed regem cælorum confeſſus eſt. Vides quoniam non ſine cauſa miſericordiam conſecutus eſt, quia & ipſe fidem intulit ad ſalutem ſuam? Necnon & Publicanus aliena iniuſtè auferens quomodo ſaluatus eſt? Tranſiens namque Chriſtus dicit ad eum, *Veni ſequere me. qui ſtatim exurgens ſecutus eſt eum.* Et ſicut latro confeſſionem intulit, ſic publi-

Act. 9. 15.

Luc. 23. 42.

Matth. 9. 9.

canus obedientiam ſuam, & meruit in Apoſtolatus ordine colloca-
ri. Sicut enim, cùm quidam graui ægritudine vexatur, & multis mo-
dis indiget medicaminibus, & attenuatus eſt ſumptibus, ſi intro-
ierit medicus, & dixerit ad eum qui ægrotat, plures ſpecies ad con-
fectionem medicaminis neceſſariæ erunt, reſpondeat verò ægrotans,
non habeo vnde tantas ſpecies emam, paupertate detineor, dicat ad
eum medicus, illam & illam da mihi ſpeciem tantùm, cætera de meo
præſtabo. Ideóque rogat Dauid, vt multum ab iniquitate ſua la-
uetur. Quid ergo pro hoc munus intulit? Dixit, miſerere mei, &, vſ-
quequaque laua me ab iniuſtitia mea, & à delicto meo munda me,
quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. Viciſſitudo eſt, Deus
dat, & qui ſalutificet reus. Dedit Dominus miſericordiam ſuam, de-
dit & qui peccauerat confeſſionem peccatorum ſuorum. Parum qui-
dem, ſed quod habuit. Quid dabis, ô Dauid, vt ſaluari poſſis, vti
miſceatur medicamentum? *Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego cognoſco.*] Pſal.50.4.

Et item ad Demetrium de cordis compunctione, Et ideo, inquit,
perditionis noſtræ cauſa nulla alia quàm negligentia noſtra eſt atque
deſidia. Et in Homilia de militia ſpiritali. Scito autem quia te non
vincet natura corporis, neque ſtrangulabit inuitum, neque te obno-
xium faciet ex libero niſi voluntaria declinatio.] & item in Homilia
de patre & duobus filiis, Deſcribitur autem in iſtis, & euidenter oſten-
ditur libertas quam animæ rationali inſeruit creator Deus. Vide
enim, pater iſte quomodo nec illum diſcedere volentem retineat,
nec liberi arbitrij auferat poteſtatem. Neque alium manere cupien-
tem cogat abſcedere, ne fortè ſequentium malorum, quæ poſtea his
ſuo vitio accedent, ipſe potiùs auctor eſſe videatur, ſi in illis liber-
tatem propriæ voluntatis abſciderit. Itaque & petenti dat, quia ex
nobis, non ex Deo, inopiæ & offenſionis noſtræ cauſa proficiſcitur.
Accipiens autem partem ſuam iunior peregrè, inquit, *abiit longè.* Quòd Luc.15.13.
autem ait longè, non locorum intercapedinem, ſed declinationem
mentis expreſſit. Qui enim obliuionem Dei ceperit, hic verè pere-
grinari à Deo dicitur: ſicut è contra, conuerſatio ſæcularis non ſo-
lum peregrinum, ſed alienum Deo hominem facit. Et vt breuiter
dicam, ſicut peregrinantes à ſæculo præſentamur ad Dominum, ſic
& permanentes in rebus terrenis à cæleſtibus exulamur. Denique &
Cain exiit à facie Domini, & longè efficitur: non quia & locus ali-
quis foris eſſet in conſpectu Dei, ſed quo ſua mente diuiſus exiiſſet
à Domini reſpectu, per homicidium ſeparatus à Deo.] & item in
libro de Eruditione diſciplinæ, Quoniam quidem minus eſt pecca-
tum ei qui peccat priuſquam agnoſcat diſciplinam Domini. Nulla
autem venia eſt peccanti poſt agnitionem Domini, niſi pœnitens
reuertatur: quia Deus mortem non fecit, & non vult mortem mo-
rientis, quantum vt reuertatur & viuat. ne ſit ſpiritus vadens & non

reuertens, quorum damnatio iusta est.] & in Homilia secunda Psalmi L. Peristi, sed poteris saluari: fornicatus es, sed poteris continere: mœchatus es, sed poteris liberari: ad spectacula proruebas, sed poteris reuocare pedem: cum malis hominibus versabaris, poteris recedere & cum bonis esse. In vtraque parte habes liberum arbitrium.

Et in Homilia de proditione Iudæ, Quid igitur qui meretricum mores valuit commutare, discipulum non potuit retinere? Valdè, inquam, & incunctanter valuit retinere: sed necessitate nolebat bonum efficere, nec vi trahere ad se curabat. Tunc abiit, inquit, non inuitatus à principibus sacerdotum, nulla necessitate constrictus, sponte processit, & propria malignitate consilium genuit sceleratæ mentis nullo participe conuocato. & post paululum, Ea enim quæ vel iniuriosa demonstrantur, ipsam Domini misericordiam clementiámque declarant, qui proditorem suum latronem sceleratum tantis beneficiis ampliauit, & vsque ad ipsum proditionis tempus solitis admonitionibus tolerauit. Nam admonebat, suadebat, & omni studio eum sanare curabat. Sed si ille sermonem respuit, si tanti magistri verba contempsit, Christus causatio est, & meretrix testis est, quæ de sua fuit liberatione sollicita. Non igitur videndo meretricem de tua liberatione desperes: sed & Iudam cogitando non debes esse securus. Vtrumque enim periculosum est, & confidentia, & desperatio. Nam confidentia stantem euertit, & iterum desperatio post lapsum non admittit exsurgere. Et ideo Paulus exhortatur dicens, *Qui se putat stare, videat ne cadat.* Habes exemplum vtriusque personæ. Discipulus cùm se stare putaret cecidit: meretrix cùm se cecidisse arbitraretur exsurrexit.] & iterum in eadem, Sed nec apertè eum omnibus publicabat, ne impudentiorem faceret: nec penitùs silentio præteribat, ne celare arbitratus audacter ad proditionem properaret. Et ideo frequenti admonitione clamat, *Vnus ex vobis tradet me.* nec tamen eum magister piissimus publicabat. & de gehenna fuit sæpissimè locutus, & de regno cælorum tractauit assiduè. Vtriusque meritum frequenter edocuit, & quid peccatoribus constitutum est, & quid non peccantibus præparatur ostendit. Sed hæc omnia crudelis ille contempsit, & Deus illum non traxit inuitum. Et quoniam bona atque mala in nostra Deus posuit potestate, electionis liberum donauit arbitrium, & inuitos non retinet, & volentes amplectitur. Nam non spontè bonus malitiam non amittit. Et ideo Iudas, nimiæ cupiditatis præcipitatus ardore, cæca quadam improuisione deceptus, suam vendidit animam, & suæ salutis mercator extitit, & ait, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum trado?* Et vt virtutem Christi etiam in hac parte cognoscas, cùm ad capiendum eum aduenissent, vocem eius minimè tolerare potuerunt, sed omnes territi ceciderunt. Et quoniam nihilominus in sua impudentia

1.Cor.10. 11.

Matth.26. 21.

Matth.26. 15.

perdurabant, ipſe ſe vltro commiſit, ipſe ſe tradidit. Et hæc diximus, vt Chriſtum nullus accuſet, cur Iudæ cogitationem non mutauit aduerſam. Sed ſi quis hoc dixerit, audiet, Iudas quemadmodum corrigi potuit? ſpontè, an inuitus? Si inuitus, nulla correctio eſt, nam mentis malitia neceſſitate non tollitur. ſi ſpontè, omnia quæ meliorare animam poterant audiſſe cognoſcitur. & ſi remedium reſpuit, non medici vitium eſt, ſed languentis. Et vt ſcias eius crimen eſſe quod prodidit, non magiſtri, ſæpiùs Deus de proditione prædixit, & totius eum philoſophiæ præcepto & ſermone docuit, & rebus oſtendit. Dederat ei dæmonum poteſtatem, gehennæ tormenta monſtrauit, cælorum regna promiſit, ſecreta mentis eius & prædicebat & non publicabat, pedes eius cum aliis lauit, menſæ fecit participem, nihil penitùs prætermiſit, ſed in malitia ſpontè durauit, & omnibus admonitionibus ſpretis proditor malignus emerſit. Et vt eum poſſe mutare, ſed corrigi noluiſſe cognoſcas, poſtquam eum tradidit, iactauit triginta denarios, & ait, peccaui tradens ſanguinem innocentis. Quid eſt? quando ab eo mirabilia gerebantur, non dixiſti peccaui tradens ſanguinem iuſtum, ſed quid vultis mihi dare & ego vobis tradam eum? & poſt factum ſcelus, poſt commiſſum delictum, poſt completam proditionem, poſt perfectum peccatum cognouiſti peccatum. Ex hoc dilectiſſimi fratres edocemur, quòd negligentibus & deſidioſis facilè admonitio prodeſſe non poterit: ſtudioſis autem, etiam admonitione ceſſante, multùm commoditatis accedit. Nam & iſte quando magiſter admonebat non flectebatur, & quando nullus admonuit, excitata conſcientia ſcelus cognouit admiſſum, & proiecit triginta denarios.] & item in libro Quòd nemo læditur niſi à ſemetipſo, poſt enumeratos Pauli labores, Nonne permanſit, inquit, ſemper idem Paulus, & idem vocatus Apoſtolus? E contra autem, Iudas vnus fuit & ipſe de duodecim, & vocatus Apoſtolus fuit. Sed neque quòd vnus ex duodecim fuit, neque quòd vocatus Apoſtolus dictus eſt, prodeſſe ei quicquam potuit non habenti animum virtutibus deditum. Sed Paulus quidem cum penuria & plagis cucurrit curſum qui ducit ad cælum: ille verò, cùm & prior vocatus eſſet in Apoſtolatum, & ſimili cum ceteris gratia donatus, cæleſtémque edoctus eſſet philoſophiam, & ſacræ Chriſti menſæ venerandíque ſacramenti particeps extitiſſet, habuiſſet etiam donum Spiritus ſancti, ita vt mortuos ſuſcitaret, & leproſos curaret, ac dæmonia effugaret, cúmque de contemptu rerum ſæcularium fuiſſet edoctus, adhærens lateribus Chriſti, atque indigentium ſibi eſſet commiſſa diſpenſatio, quo ſcilicet auaritiæ per hoc latens in eo vitium ſanaretur, erat enim fur: tamen nec ſic quidem proficere in melius potuit, cùm erga eum tot tantíſque prouiſionibus vteretur. Sciebat enim Chriſtus quòd auarus eſſet Iudas, & pro amore pecuniæ periturus: & non ſolùm non arguit eum pro hoc vitio, ſed &

latentibus medicamentis curare voluit, ipsi committens dispensationem pecuniæ, vt habens in manibus quod desiderabat, perniciosa passio expleta cupiditate cessaret, ne decideret in illam mortis foueam, sed minoribus malis maiora reprimeret. Sic in omnibus qui semetipsum non læserit, ab aliis non potest lædi: & rursus qui semetipsum corrigere & emendare noluerit, & quod in ipso est atque in potestate eius explere, nullus ei extrinsecùs proderit.] Vnde & sanctus Augustinus in libro Hypomnesticon ad locum dicit, Quod vt probare valeamus, solum reor ad exemplum sufficere Iudam. Hunc enim Deus cùm præscisset in vitiis propriæ voluntatis pessimum fore, id est electione discipulatus sui bene à Christo conferenda malè vsurum, & auaritia ardentem pretio Iudæis Dominum traditurum, pœnam ei prædestinauit ex merito, dicente per Dauid Spiritu sancto, *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est*, id est Iudæ, vel Iudæorum, in Christum. Iudæ, cùm dicit, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* & post pecuniæ sponsionem dans signum traditionis, Quemcumque, inquit, osculatus fuero ipse est, tenete eum. Ideo super me, ait, apertum est. Cùm enim signum dedit, ore doloso aperuit quem tenerent. Iudæi quoque, cùm eum volentes dolo perdere, vt Euangelium pandit, clamauerunt dicentes, *Crucifige, crucifige.*

Lib. VI. non longè à principio.

Psal. 108. 1.

Matth. 26. 15.

Hinc & præfatus Ioannes in memorato libro dicit, Sicut & Iudas, inquit, ille non solùm nullo intrinsecùs impellente dilapsus est, sed è contrario pluribus adiutus remediis stare non potuit. Vis vt hæc non solùm per singula gesta, sed etiam per populos doceam? Quanta erga Iudæorum populum cura extitit diuinæ prouidentiæ? Nonne omnes, vt ita dicam, creaturæ emendationis eorum ministerium præparatæ sunt? Nonne præ ceteris omnibus hominibus noua quædam & magnifica eis vitæ instituta sunt tradita? & post omnia eis diuina munera attributa dicit, Et tamen post omnia hæc tam euidentia diuinæ virtutis insignia, & post vniuersam gloriam quæ eis supra cunctos mortales data est, infideles extiterunt & ingrati. Caput namque vituli adorauerunt, & deos quæsierunt sibi alios fieri, cùm tantæ talésque Dei virtutes aliæ adhuc in oculis haberentur, aliæ verò recentem & nuper gestam seruarent in corde memoriam. At verò Niniuitarum populus, alienigena & barbarus, nullis priùs diuinæ prouidentiæ beneficiis adsuetus, non legibus, non mirabilibus, non præceptis vllis aut operibus inluminatus, hominem vidit habitu naufragum, vultu peregrinum, nec vnquam sibi priùs cognitum, primo statim ingressu dicentem, Adhuc triduo & Niniue subuertetur. Ex istis solis sermonibus conuersi sunt ad timorem Dei, abiectísque continuò prioris vitæ malis, ad virtutem se & iustitiam per pœnitentiam contulerunt. Vides quoniam qui intus est & vigilat, suíque meminit, non solùm ab hominibus non potest lædi, sed

immi-

imminentem cælitùs iram repellit? qui verò ſemetipſum prodit & lædit, etiamſi mille intrinſecùs diuinis beneficiis fulciatur, non ei ſufficiet ad ſalutem: quia neque Iudæis tanta mirabilia, quæ in eos collata ſunt profuerunt, neque alienigenis quòd nihil horum adepti fuerant obfuit: ſed quoniam animo propoſitóque recto, cùm & ſeipſos dederunt Deo, parua occaſione ſumpta plurimum profecerunt. Quapropter, vt ſanctus Gregorius in Homilia Euangelij XIII. dicit, Deus deſpicitur & expectat, contemni ſe videt & reuocat, iniuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit. Qui etiam, vt Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione ſanctorum dicit, & ipſi quia voluerunt crediderunt. Et item Gregorius, Nemo hanc eius longanimitatem negligat: quia tanto diſtrictiorem iuſtitiam in iudicio exerit, quanto longiorem patientiam ante iudicium prærogauit. Hinc etenim Paulus dicit, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. ſecundùm duritiam autem tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Et illi, vt Auguſtinus in præfato libro dicit, quia noluerunt non crediderunt. & ſi fortè crediderunt, de illorum numero extiterunt, de quibus item dicit Apoſtolus, *Qui ſe confitentur noſſe Deum, factis autem negant.* Denique ponamus orthodoxorum atque in Eccleſia probatiſſimorum virorum teſtimonia, & videat lector deuotus, ſi reddant nobis atque Capitulo teſtimonium hinc ex illorum ſenſibus & dictis excerpto, quòd ſimus catholicæ Eccleſiæ filij, & gratia Dei fideles verbi ipſius diſpenſatores.

Rom. 2. 4.

Tit. 1. 6.

CAPVT XXV.

Sequuntur orthodoxorum verba, quibus cognoſci valeat qualiter exinde ſanctæ Eccleſiæ catholici ſenſere Doctores.

DIONYSIVS quoque vt beatus Gregorius dicit Areopagita, antiquus & venerabilis pater, ſicut legitur per Paulum Apoſtolum gratia Dei fide inluminatus & baptizatus, qui cum beato Petro & Iacobo fratre Domini, aliíſque quamplurimis ſanctiſſimis Chriſti diſcipulis, Hieroſolymis apud ſepulcrum vitæ principis, velut ipſe in libro de Diuinis nominibus narrat, in Synodo agens fuit, & diſputationes eorum de incarnatione Dei filij & audiuit, & coram eis regulariter protulit, in epiſtola ad Demophilum, quia omnes homines vult Deus ſaluos fieri ita dicit, Vtique eſt enim, quin Chriſtus Ieſus Dei filius, in parentis, & ſuper ſcientiam benignitatis, qua exiſtentia eſſe facit, & qua ipſa omnia ad eſſe perduxit, & omnes homines vult ſemper fieri ſimiles ſibi ipſi, & communiales ſuorum, ſecundùm ſingulorum quorumcumque conuenientiam. Quid autem quia & refugientibus cupidè iungitur, & contendit, & non

dedignatur dedignari à concupitis, & se reicientibus, & sine causa accusantes tolerat, & ipse excusat: quin magis promittit mederi, & in his ipsi abstinent. tamen adpropinquantibus præoccurrit & obuiat, & totus totos complectens osculatur, & non accusat de prioribus, sed diligit præsentia, & diem festum agit, & prouocat amicos, videlicet benignos Angelos, vt sit omnium delectantium habitatio.] & paulò pòst, Non oportebat, inquam, benignum in salute perditorum, & in vita mortificatorum delectari, & sine dilatione in humeris tolli vix ab errore conuertentem, & benignos Angelos ad epulationem excitare, qui benignus est super ingratos, & oriri facit Solem suum super malos & bonos, & ipsam animam suam ponit pro refugientibus.] & item ad locum, Expauit cælum in istud, & horrui ego, quia Demophilus opinatur benignum in omnes homines Deum non esse & humanum, neque se indigere miserentis aut saluantis, cùm sacerdotes ordinatione digni benignitati offerunt ignorantias populi, bene intelligentes quia & ipsi subiacent infirmitati.] & paulò pòst, Increpat autem & discipulos, quia impietatis immisericorditer dignum putant iudicare persequentes eum Samaritas. Istud autem decies millies lectum est non temeraria epistola nostra dictum, *Non habemus namque Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Sed & innocens est & misericors, & non erumpet neque clamabit, & ipse mitis & propitiatio est peccatorum nostrorum. Quapropter non recipiemus tuos zelantes impetus, etiamsi decies millies reaccipies Fineem & Heliam, ipsa audientes quæ non placebant Iesu, à discipulis qui tunc erant mansueti & benigni spiritus participes, Christus in montibus benignus fit, errantem inquirat, & refugientem aduocet, & vix inuentum in humeris tollat. Non deprecor, non malè istud de nobis ipsis consiliemur, neque in nos ipsos impellamus gladium. Quicumque enim iniquè agere, aut quicumque è contrario bene agere inchoant, illos Angelos, quorum voluntatem faciunt, sibi aut malitia aut benignitate consociant. Et illi quidem benignorum Angelorum discipuli & comites, & hìc & illic cum omni sacra datione & libertate omnium malorum ad semper existens sæculum beatissimas delegantes terminationes, cum Deo semper quod est bonorum omnium maximum: isti autem decident à diuina simul & perpetua pace, & hìc & post mortem simul cum domesticis suis erunt dæmonibus. Non ergo oportet nos multa festinatione cum Deo benigno fieri, & esse cum Domino semper, & segregare de malis in iustificantibus, nos secundùm dignitatem ex nobis ipsis sustinentes?] Et in libro de Ecclesiastico principatu cap. secundo, Hierarchas quidem vnus quisque, Dei adsimilatione omnes homines volens saluare, & ad agnitionem veritatis venire, prædicat omnibus vera Euangelia. *Quanti*, inquit enim, *acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius.* Si quis

Luc.9.55.

Hebr.4.15.

Ioan.1.12.

ergo diſcedit à vero lumine, aut de intellectualibus ſpontaneo arbitrio malitiæ cupiditate concludens naturaliter inſperſas ſibi adinluminari virtutes per ſeipſum ſe deſtruet.

CYPRIANVS quoque, Doctor mirificus & Martyr magnificus, in libro de Oratione Dominica, Nam cùm diſcipuli ab eo non iam terreni appellentur, ſed ſal terræ, & Apoſtolus primum hominem vocet de terræ limo, ſecundum verò de cælo. & nos, qui eſſe debemus patri Deo ſimiles, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, ſic Chriſto monente oramus & petimus, vt precem pro omnium ſalute faciamus: vt quomodo in cælo, id eſt in nobis, per fidem noſtram voluntas Dei facta eſt, vt eſſemus è cælo: ita & in terra, hoc eſt in illis credentibus, fiat voluntas Dei, vt qui adhuc ſunt prima natiuitate terreni, incipiant eſſe cæleſtes, ex aqua & ſpiritu nati.] & item, Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce Dei monente inſtructus eſt, vt omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cùm de mundandis gentilibus antè dubitaret.] Et in epiſtola ad Antonianum, Vtique, inquit, ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Nam cùm ſcriptum ſit, *Dominus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire.] Item in epiſtola aduerſus Iudæos ita dicit, Surrexit inquiens Dominus tertio die, aperuit teſtamentum nouum, atque ita dixit, Venite exteræ gentes heredes mei, Iſrael enim non obaudiuit. Quapropter ite diſcipuli in vltimam vſque terram, & prædicate per orbem his verbis, Venite vndique patriæ gentium, ite in æternam hereditatem, Iſrael enim noluit. Nec dubitet quis. nulla hîc exceptio eſt, nec ingenuitas, nec dignitas, nec conditionis, nec poſitionis, nec formæ, nec ætatis. Licèt dignitate magnifici, licèt nobiles, licèt ſenes, licèt iuuenes, pauperes, diuites, boni, malíque, domini atque ſerui, indifferenter æqualiter introite in hereditatem. Et ſi debilis captus es, & corpore deformis, etſi macula turpis, & capite defectus, etſi oculis viduatus, vniuerſis liberè licet diſcumbere in conuiuio, & epulari nuptias ſponſi. Neminem pudeat, nec ætatis, nec humilitatis, nec valetudinis, nec conditionis. Conſueuit enim Dominus huiuſmodi homines ſuſtinere: nam & cæcis oculos reſtituit, & claudos ambulare fecit, & mutis ſermonem reddidit, & maculoſos mundauit, & mortuos ſuſcitauit. Nec timete qui peccatis, priores ad vitam venite: nec qui homicidium fecerit paueat quia fecerat, nec furatus aliena deſperet quia inuolauerat, nec publicanus timeat quia concuſſerat. omnibus enim remiſſio peccatorum ſtatuta eſt.] & poſt pauca, Dominus eos placidè alloquebatur his verbis, *Venite ad me omnes qui ſub onere laboratis, & ego vos reficiam. Eſt enim iugum meum placidum, & onus leuiſſi-*

Matt.15.13. 1.Cor.15.47. Act.9.10. Sap.1.13. Matt.11.28

mum. Et responderunt, non audiemus. sed gentes exaudierunt & crediderunt verbo salutari.] & post pauca, Viuit quem interfecisti, impia Hierusalem, & tamen non totam spem denegauit Dominus. Dedit enim veniam pœnitentiæ, si quoquo modo possis pœnitere. Quis tam bonus? quis tam pius? quis tam misericors? Accipe, inquit, salutem, licèt me occideris: heres esto cum virgine. licèt non merearis, ignosco si pœnites.

BEATVS HILARIVS doctor catholicus, qui propter excellentem doctrinam Romanorum lucifer appellatur, exponens versum Psalmi CXVIII. quo dicitur, *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* ita dicit. Competere bonitati Dei non videtur, vt à mandatis suis quemquam repellat: sed sermonum adiectio & virtus verborum, quæ ex perfectæ cælestísque doctrinæ ratione disposita est, nihil dubium, nihil contrarium in se habet. Qui ergo secundùm Prophetam mauult peccatorum pœnitentiam quàm mortem, numquid existimandus est à mandatis suis quemquam repellere? Procul sit istud existimare. Sed neque hoc nunc propheta sensit, maximè qui in toto corde Deum perquisierit. Sed absolutio difficultatum in his ipsis requirenda est, ex quibus videtur existere. Propheta enim quid senserit in promptu est noscere. Legimus scriptum in Hieremia, *Maledictus qui facit opera Dei negligenter.* Legimus & in Euangeliis scriptum, *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Ergo habens abundabit. Propheta non est obnoxius maledictionis conditioni, quia non negligenter opera Dei egit, eum toto corde perquirens. Deinde confidenter petit ne à mandatis Dei repellatur, quia eum toto corde perquirat. Secundùm Euangelia enim habenti dabitur, & ei qui non habet etiam id quod habet aufertur. Deus igitur non aufert nisi non habenti, secundùm quod neque repellit nisi negligentem. Adeo autem bonitate plenus est, vt habentem abundantia muneretur: adeo verò non vult quemquam non habere, vt non habenti ipsum quod habet adimat. Neminem igitur nisi obnitentem repellit, neminem nisi negligentem reicit. Hanc enim Propheta protulit causam, cur se non repelli à mandatis Dei precaretur, quia non ex parte, neque per desidiam Dominum, sed toto corde quæsisset. per quod intelligimus eum à mandatis repelli, qui per multam incuriam fuerit indignus admitti: & extra inhibentis inuidiam est quod de culpa proficiscitur non merentis.] Et item idem in eodem Psalmo. *Misericordia tua Domine plena est terra.* Terra, inquit, misericordia Dei plena est, quæ contaminata, quæ corrupta, quæ inreligiosa, quæ infida, quæ perdita est. Et si quis fortè audebit impio ore Prophetam mendacij arguere, tanquam non in omnem terrã Dei misericordiam putet esse diffusam, Deum in Euangeliis recolat dixisse, *Estote boni sicut pater vester, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.*

In Beth. Psal. 118. 10.

Hier. 48. 10

Matth. 25. 29.

In Heth. Psal. 118. 64

Matth. 5. 45

Patiens enim & misericors Deus, dum mauult pœnitentiam peccatorum quàm mortem, dona sua tam iustis quàm iniustis largitur, vnicuique per patientiam longæ æquanimitatis pœnitendi tempus impertiens.] & item idem. *In æternum Domine permanet verbum tuum in cælo.* In his enim tanquam in cælo verbũ Dei permanet, in quibus hoc verbum non offenditur ira, ebrietate, odio, infidelitate, lasciuiis. Nam & si aliquando manet in nobis, tamen has cohabitationis suæ cõtumelias non fert, vt semper inesse permaneat. Si verò hæc commemorata vitia semper in nobis erunt, nec introire quidem polluta corporum domicilia dignabitur. Adest autem vnicuique proximum, vt dictum est. Stat enim ad ostium verbum Dei, & pulsat ostium animæ nostræ, & dicit, *Ecce stans ad ostium pulso. Si quis aperiet mihi ostium, ingrediar ad eum.* Vult ergo semper introire, sed à nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per hæc corporis vitia animæ nostræ aditum. Quæ si cœperit emundatis omnibus patêre, introibit modo Solis, qui clausis fenestræ valuis introire prohibetur, patentibus verò totus immittitur. Ipse quidem semper vt inluminet promptus est, sed lumen sibi domus ipsa obseratis aditibus excludit. Est enim verbum Dei Sol iustitiæ, adsistens vnicuique vt introeat, nec moratur lucem suam repertis aditibus.] Et item ipse in eodem Psalmo, *Declinate à me maligni.* Nostrum est, inquit, & malos amare & bonos, & bonos ad bonitatem docere, secundùm eum qui vniuersos ad se potiùs inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam.*] & item, *Spreuisti omnes discedentes à iustificationibus tuis.* Et hîc, inquit, seruata ea ratio est, vt non dictum sit, spreuisti omnes peccatores, sed spreuisti omnes discedentes. Si enim peccatores Deus sperneret, omnes vtique sperneret, quia sine peccato nemo sit: sed spernit discedentes à se, quos apostatas vocant. Neque interest an in iustificationibus Dei quis aliquando fuerit. Spernendus enim à Deo est quisquis discesserit, quia manentis meritum conseruat consummatio permanendi. Differt verò à peccatore discessio, quia peccatori venia per pœnitentiam reseruatur: discessio verò cum ipsa pœnitentia discessione se damnat, quæ hinc oritur, cùm voluntas eorum qui discessuri sunt est iniqua.] Et item in eodem Psalmo, *Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.* Totum se iste in aduentum Iesu id est saluatoris extendit, vt per saluatorem suum æternúmque pastorem in cælo Angelis in æterna gaudia perhibeat se receptum. Filius enim hominis venit saluare quod perierat, missus ad oues perditas domus Israel dominus Iesus Christus, qui est benedictus in sæcula Amen.] Item idem in tractatu LI. Psalmi, dicit de populo Israel, Moysem maledixit, Deum abominatus est, filios suos dæmonum hostiis vouit, Prophetas occidit, ipsum quoque Deum ac Dominum suum suî causa natum hominem, proditum Prætori in crucem sustulit, ac sic toto vitæ suæ die iniqui-

In Lamed. Psal.118.89

Apoc.3.20.

In Samech. Psal.118.115

Matth.11.28.

Psal.118.118.

In Tau. Psal.118.174.

tate glorians cùm potens esset, potens tamen in malitia permansit.] Item in eodem. Hunc propensæ malitiæ affectum Dominus in Euangelio condemnat dicens, *Hoc est autem iudicium quia lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Populus itaque, cui ad redemptionem peccatorum Verbum caro factum est, & Deus homo natus est, vt per fidei iustificationem maledicto legis liber esset, dum in transgressione legis mauult seruire maledicto, ipsum illum Deum suum tradidit pœnæ, sanguinem eius, vt Prætor esset innocens, in se ipse suscipiens, & hæc agens demutat naturæ consuetudinem. Malitiam enim diligit super benignitatem, & ex bonis amorem conuertit in pessima. Diligere quoque iniustitiam superquàm loqui iustitiam maluit.] Item in eodem, *Eleuabo Dauid tabernaculum quod cecidit.* Sanctum illud scilicet, & venerabile nati ex Virgine Dei corpus & templum, in quo qui crediderit, tanquam consors dominicæ carnis habitabit. Omnis autem infidelis à cognatione hac non crediti corporis, id est Dei tabernaculo, reuelletur & emigrabitur, spiritalis huius tabernaculi indignus habitaculo. quod significare Dominus intelligitur cùm dicit, *Ego sum vitis vera, vos estis propagines. Pater meus agricola est. omnis propago in me non manens, neque ferens fructum, eradicabitur. & omnem propaginem in me manentem emundabit pater meus, vt fructum ampliorem ferat.* Si qui igitur per fidem corporati Dei manere in natura assumpti à Deo corporis merebuntur, hi emundantur in fructus æternos ex se afferendos, quia necesse est vt naturam veræ vitis propago intra vitem manens teneat. At verò qui incredulus natus in corpore Dei fuerit, vel si & credens maneat, fructibus tamen fidei suæ careat, eradicabitur, aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum. Natus enim ex Virgine Dei filius, non tum primum Dei filius cùm filius hominis, sed in filio Dei etiam filius hominis, vt & filius hominis esset filius Dei, naturam in se vniuersæ carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis genus in se vniuersæ propaginis tenet. Si qua ergo propago infidelis aut infructuosa est, eradicandam ipsa se præbet, per naturam quidem manens, sed per infidelitatem aut inutilitatem reuellitur. Ex hoc ergo tabernaculo, tanquam ex vera vite, hic impius Doech & euellitur & emigratur, manens per naturam & in tabernaculo & in vite, sed per infidelitatem dignus auelli. auulsus autem de tabernaculo eradicabitur & de viuentium terra. Qui enim non manebit in Christo, regni Christi incola non erit. Non erit autem, non quòd sibi non patuerit incolatus. vniuersis enim patet vt consortes sint corporis Dei atque regni, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. naturam scilicet in se totius humani generis assumens. Sed vnusquisque pro merito, & euellendum se de tabernaculo, & eradicandum de terra viuentium præbet, non prohibitus vnquam inesse, quia per naturæ assumptionem incola sit receptus, sed eradicabitur ob

Ioan. 3. 19.

Amos 9. 11.

Ioan. 15. 1.

infidelitatis crimen naturæ consortio indignus existens. Eradicatur ergo de viuentium terra, quæ in beata regione sanctis Domino congregantibus præparatur. cuius ipse in Euangelio meminit dicens, *Beati mansueti, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Et hic idem Propheta, *Placebo Domino in terra viuentium.*] & item, Non enim confessio peccatorum nisi huius sæculi tempore est, dum voluntati suæ vnusquisque permissus est, & per vitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita, simul & de iure decedimus voluntatis. Tunc enim ex merito præteritæ voluntatis lex iam constituta, aut quietis aut pœnæ excedentium ex corpore suscipit voluntatem. Cuius temporis non iam liberam sed necessariam voluntatem ostendit Propheta, cùm dicit, *Non enim mihi in diebus illis voluntas,* Cessant enim voluntates liberæ, etiam voluntatis si qua erit cessabit effectus. Transire namque ad Abraham volens diues chao medio non sinitur: cùm tamen per libertatem voluntatis in Abrahæ finibus esse potuisset. Interclusa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla sit mortui, secundùm id quod scriptum est, *In inferno autem quis confitebitur tibi?*] Item in Psalmo LII. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me,* quia nolunt credere quod negare non possunt.] Item in Psalmo LVII. *Alienati sunt peccatores ab vtero.* Sic Esau alienatus ab vtero est, cùm maior minori seruiturus etiam antequàm existeret nuntiatur, Deo futuræ non nescio voluntatis, cùm & sermonis falsitas & vitæ error à ventre est, ipso potiùs hoc sciente, quàm aliquo ad necessitatem genito naturámque peccati. Ac ne vitium referri posset ad originem, præduratæ in his ad obediendum voluntatis crimen exprobrat dicens, *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium,* medicamentis medicata à sapiente. Non excusatur quædam necessitas naturalis in crimine. Nam serpens innocens esse potuisset, cui aures per se vt surdæ sint obstruuntur, vocémque incantantis non audit, cùm medicata medicamina à sapiente non percipit. Neque hîc Marsorum cantus & consopita viperarum sibila memorat, quia hæc eadem maiore cum energia per fidem nominis Dei virtutémque torpescunt. Sed illam contumacem atque insolentem antiqui serpentis inobedientiam docet aduersum Sanctorum cantus & medicata à sapiente medicamina obsurdescentis. cùm ei quotidie, ne fallat, ne subrepat, ne mordeat, etiam sub diuini nominis denuntiatione mandetur, & tamen obstructo desæuit auditu, ex quo non obedientes Euangelio nati viperarum sunt,] In Psalmo LXVIII. Hæc itaque doctrinæ mensa, vel hic vitalis cibi sermo, & laqueus, & captio, & retributio, & scandalum est, cùm à nobis Deus Iacob esse qui ab his sit crucifixus ostenditur. Hæc est enim retributio tantæ impietatis, vt quod nobis est Dei virtus, his scandalum sit. Nam cùm inlaqueati captíque sint scriptis, intelligentiæ tamen carent sensu. & ideo

Matth. 5. 4.
Psal. 114. 9.
Psal. 6. 6.
Esa. 29. 13.
Psal. 57. 4.

obſcurati ſunt oculis ne videant, id eſt ne lumen intelligentiæ contuerentur, quia ſecundùm Euangelium, *omni habenti dabitur, qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Indigni videlicet qui intelligentiæ ſenſum ac lumen acciperent, & ideo Euangelicæ libertatis ſcientiam non adepti, perpetuo adhuc legis onere deprimuntur, vt ferant quod ſuſtinere non poſſunt.] Item in Pſalmo CXXI. Ille Iſrael, à domino Pharaone vindicatus, in mari ablatus, in deſerto Angelorum cibo paſtus, in lege eruditus, in prophetis obiurgatus, in natiuitate à Domino per conſortium corporis ſuſceptus, in cruce ſi crederet ſaluatus, in reſurrectione ſi confiteretur glorificatus, nihil horum ſuum credidit, nihil horum manere ſuum voluit.] Item in Pſalmo CXXVIII. Secundùm principem aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filiis inobedientiæ. Operantur ergo hæ ſpiritales nequitiæ in his qui inobedientes Dei legi ſunt, quos voluntatis ſuæ tanquam operarios eligunt, in res ſuas alienæ interceſſionis miniſterio vſuri.] & poſt pauca. Iudas quoque in paſſione Domini miniſterium Diaboli fuit, & per eum effectum voluntatis propriæ eſt executus, Euangeliſta teſtante.] Item in eodem, Iuſtus Dominus, patiens ſcilicet in vltionem, diſſimulator ad pœnitentiæ tempus. non inter exordium humanæ iniquitatis promptus ad pœnam, ſed deſinendi à criminibus ſeram licèt voluntatem peccatorum expectans: tunc ceruices concidet, cùm ſine aliquo deſinendi modo fabricantur, cùm in longum peccata tenduntur, cùm iam omne patientis miſericordiæ tempus excluſum eſt.] Item in Pſalmo CXXXII. Ergo quia munera & benedictiones Dei, quibus primùm omnia cùm creata & facta ſunt benedixit, poſtea verò ex peccato Adæ in anathemate conſtiterunt, gratum Deo eſt ea rurſum in ſanctificationis ſedem redire atque deſcendere. Benedictus enim homo fuit, ſed poſt benedictionem peccauit, & ſtatim impius fuit: ſed qui mauult peccatoris pœnitentiam quàm mortem, vult benedictionis ſuæ rorem ab Hermon in Sion deſcendere, id eſt ex impietatis ſede in ſanctificationis locum tranſire. Rore enim omnia vireſcunt, aluntur, augentur: ita principali illa Dei benedictione homo gignitur, ſpirat, & creſcit. Eſt ergo bonum atque iocundum, vt à gentili errore, id eſt à profana Hermon veneratione deſcendens, ad Sion, id eſt, ad æternæ beatitudinis domum tranſeat, & eum qui ſalute omnium lætatur oblectet.] In Pſalmo CXXXIV. Voluiſſet enim populum ſuum, quem in patribus eorum Abraham, Iſaac, & Iacob elegerat, non iudicari, ob quem poſt diuerſas plagas Ægyptum adflixerat, ob quem in columna ignis & nubis adſtiterat, ob quem mare diuiſerat, aquam è petra eiecerat, manna è cælo miſerat, legem poſuerat, veniam tantis ſacrilegis indulſerat, tot inreligioſorum regna deiecerat, prophetas miſerat, vnigenitum ſuum naſci hominem voluerat. Sed tot tantiſque beneficiis populus ingratus, & colonus vineæ primus electus, in ipſum

Matth. 25. 29.

ſum dominum vineæ parricidales manus intulit, Deum quantum in ſe eſt crucifixum in homine mortificans. Sed electi ſunt ſerui, quibus vinea fructum eius reddentibus traderetur. quibus Dominus iudicato populo ſuo pietatis ſuæ damnum conſolaretur.] In Pſalmo CXXXVII. *Quoniam magnificaſti ſuper omnia nomen ſanctum tuum.* Non tantùm vnigeniti Dei nomen eſt cognitum, ſuper omnia magnificatũ eſt, & in omnes ſe manſuetudo ſanctitatis extendit. non barbarus, non Scytha, non ſeruus, non liber, non mulier, non vir, non ætas vlla ſecernitur. Super omnia enim magnificatum Dei nomen eſt.] Et item idem in libro primo de Fide, Eſſe autem filios Dei non neceſſitatem eſſe ſed poteſtatem, quia propoſito vniuerſis Dei munere, non natura gignentium adferatur, ſed voluntas præmium conſequatur. Ac ne id ipſum, quòd vnicuique eſſe Dei filium à Deo filio ſit poteſtas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret, quia per ſuî difficultatem ægerrimè ſperetur quod & magis optatur & minùs creditur, Verbum Deus caro factum eſt, vt per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Ac ne Verbum caro factum, aut aliquid aliud eſſet quàm Deus Verbum, aut non noſtri corporis caro eſſet, habitauit in nobis. vt dum habitat non aliud quàm Deus maneret: dum autem habitat in nobis, non aliud quàm noſtræ carnis Deus caro factus eſſet, per dignationem aſſumptæ carnis non inops ſuorum, quia tanquam vnigenitus à patre plenus gratiæ & veritatis, & in ſuis perfectus ſit, & verus in noſtris.] Item in ſecundo libro, Humani enim generis cauſa Dei filius natus ex Virgine eſt & Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua Dei videlicet inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſeuit, & exordia carnis inſtituit, vt homo factus ex Virgine naturam in ſe carnis acciperet, pérque huius admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo vniuerſi generis humani corpus exiſteret: vt quemadmodum omnes in ſe per id quod corporeum ſe eſſe voluit conderentur, ita rurſum in omnes ipſe per id quod eius eſt inuiſibile referretur.] & poſt pauca, Non ille eguit homo effici, per quem homo factus eſt, ſed nos eguimus vt Deus caro fieret, & habitaret in nobis, id eſt, aſſumptione carnis vnius membra vniuerſæ carnis incoleret.] & item, Angelus paſtoribus nuntiat natum Chriſtum Dominum ſalutem vniuerſorum.] & item, Cum Samaritana Domino erat ſermo: venerat enim redemptio vniuerſorum.] & item, Munus autem quod in Chriſto eſt omne omnibus patet vnum, & quod vbique non deeſt, in tantum datur in quantum quis volet ſumere, in tantum reſidet, in quantum quis volet promereri.] Item in tertio libro, Curam ergo humani generis habens Dei filius, primùm vt ſibi crederetur homo factus eſt, vt teſtis diuinarum rerum nobis eſſet ex noſtris, pérque infirmitatem carnis Deum patrem nobis infirmis & carnalibus prædicaret. voluntatem in eo Dei patris efficiens vt dicit, *Non veni*

Pſal. 137. 2.

Lib. I. de Trin. in princip.

Lib. II. de Trin. poſt medium.

Libro III. in princip.

Ioan. 6. 38.

voluntatem meam facere, ſed voluntatem eius qui miſit me.]

SANCTVS quoque ATHANASIVS Alexandrinus in epiſtola ad Epictetum Epiſcopum ſic dicit, Verè homine facto Saluatore, totius hominis facta eſt ſalus. nec corporis ſolùm, ſed totius humani animæ & corporis verè ſalus facta eſt in ipſo Verbo. Humanum verè naturaliter ex Maria, ſecundùm diuinas ſcripturas, & verum erat corpus Saluatoris. Verum autem erat, quia ſimile erat noſtro. ſoror etenim fuit noſtra Maria, quoniam omnes ex Adam ſumus.]

SANCTVS AMBROSIVS, cuius ſententiæ fidei & Eccleſiæ atque omnium virtutum firmiſſimæ ſunt columnæ, qui S. Auguſtinum per Dei gratiam fide inluminauit, baptiſmate conſecrauit, atque doctrina pietatis inſtruxit, ita in libro de Paradiſo dicit, Diſcant igitur non ſuperfluum, non iniuſtum, etiam præuaricatori præſcriptum eſſe mandatum. Nam & ipſe Dominus Ieſus elegit Iudam, quem proditorẽ ſciebat. quem ſi per imprudentiam electum putant, diuinæ derogant poteſtati. Sed hoc æſtimare non poſſunt, cùm ſcriptura dicat, quia *ſciebat Ieſus quis eum proditurus erat.* Accipiant etiam ipſi, qua ratione Dei filius, vel præuaricaturo mandauerat, vel elegerit proditorem. Venerat Dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores, etiam circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem. Et ideo nec proditorem debuit præterire, vt aduerterent omnes, quòd in electione etiam proditoris ſui ſeruandorum omnium inſigne prætendit. nec in eo læſus eſt, vel Adam quia mandatum accepit, vel Iudas quia electus eſt. Non enim neceſſitatem Deus, vel illi præuaricationis, vel huic proditionis impoſuit: quia vterque, ſi quod acceperat cuſtodiſſet, à peccato potuiſſet abſtinere. Denique nec Iudæos omnes credituros ſciebat, & tamen ait, *Non veni niſi ad oues perditas domus Iſrael.* Ergo non in mãdante culpa, ſed in præuaricante peccatum. Et quod in Deo fuit, oſtendit omnibus quòd omnes voluit liberare. Nec tamen dico, quia præuaricationem neſciebat futuram, immò quia ſciebat aſſero: ſed non ideo pereuntis proditoris inuidiam in ſe debuit deriuare, vt adſcriberetur de eo quòd vterque ſit lapſus. nunc autẽ vterque redarguitur atque conuincitur, quia & ille mandatum ne laberetur accepit, & hic etiam in Apoſtolatus munus adſcitus eſt, vt vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu, ſimul vnde mali reuincũtur prodeſſet omnibus.] Et in Pſalmo CXVIII. exponens verſum, *Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum,* ita dicit, Quàm bonus Iſrael Deus rectis corde! Ergo bonus omnibus, quia omnes recto vult eſſe corde. Qui autem cor declinauerit, ipſe à ſe gratiam diuinæ bonitatis auertit. Semper Deus bonus eſt, ideóque Paulus ait, *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei.* Bonitas enim in omnes eſt, ſeueritas in paucos. Denique ſubdidit idem Apoſtolus, *In eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem.* Si enim non cecidiſſent, vtique vterentur & ipſi Dei bonitate. Nam & tibi ideo bonus eſt, quia permanes. Quòd ſi

Ioan.13.11.
Matt.15.24
Pſal.118.69.
Rom.11.22

non permanseris in bonitate, & tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus esse desistet, quia tu lapsus es, & indiges seueritate, si quidem vt seueritas Dei in bonitatem recurrat, vnusquisque castigatus pedem referat à peccatis, & ad virtutũ tramitem bonámque conuersationem recurrat. Denique docet de illis qui ceciderunt Apostolus, quia si non permanserint in incredulitate inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos, vt quemadmodum deserta virgulta, ita & homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti, bonorum fructus possint referre meritorum.] Item vbi exponit, *Adpropinquauerunt persequentes me iniquitati*, Penetrat ergo, inquit, animam, & quasi candor æternæ lucis inlustrat. Sed quamuis diffusè per omnes, & in omnes, & supra omnes potestate sit, quia omnibus ortus ex Virgine est, & bonis & malis, sicut & Solem suum oriri iubet super bonos & malos, illum tamen fouet qui adpropinquat sibi. Sicut enim à se fulgorem Solis excludit qui fenestras domus suæ clauserit, locúmque tenebrosum in quo diuersetur elegerit: ita qui se auerterit à Sole iustitiæ, non potest splendorem eius aspicere, quia in tenebris ambulat, & in omnium luce ipse sibi causa est cæcitatis. Aperi igitur fenestras tuas, vt tota domus tua veri fulgore Solis inluceat. Aperi oculos tuos, vt videas orientem tibi Solem iustitiæ. Pulsat ianuam tuam Dei Verbum, *Si quis mihi aperuerit*, inquit, *intrabo*. Si quis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis & non magis non aperientis est culpa? Nihil quidem Deo est obseratum, nihil clausum æterno lumini. Sed portas malitiæ dedignatur aperire, conclauia non vult penetrare nequitiæ. An verò, cùm animæ nostræ vigor putrem corporis refugiat portionem, quòd eius gratiam corrupti artus sentire non possint, Deus corruptæ animæ membra quædam dedignatur habitare? Animæ tamen vigor per corpus omne diffunditur: siue manus, siue pes, siue digitus, particeps sensus est. Dei potest alicubi deesse sapientia? alicubi deesse maiestas? Sanè fugientes non retinet, non cogit inuitos, sed neque fastidit adpropinquantes. Et illius quidem virtus, illius Verbum Deus omnibus propè est. In ipso enim constant omnia, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, in quo omnis inhabitat plenitudo. Sed plerosque ab eo peccata secernunt, de quibus dictum est, *Ecce qui elongant se à te peribunt*. Vnde Psalmista ait, *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. & Apostolus ait, *Non longè esse Deum ab vnoquoque nostrûm. In ipso*, inquit, *viuimus, mouemur, & sumus*. Vitalem etenim gratiam omnibus subministrans, omnibus præsto est bonitatis suæ munere: sed propior est illis qui contrito sunt corde.] Item vbi exponit *Misericordiæ tuæ multæ Domine*. Etsi longè, inquit, à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini. Qui suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. *Miserebor*, inquit, *cui misertus ero*. Palàm apparuit non quærentibus, vocauit fugientes, congregauit

Psal.118. 150.

Apoc.3.20.

Psal.72.27.

Act.17.27.

Psal.118. 156.

Exod.33.19

Psal.118. 155. ignores.] Et item vbi exponit, *longè est à peccatoribus salus.* Quorum serum, inquit, est iudicium, eorum salus longè est. Sed ipsi sunt sui auctores periculi, qui Domino non adpropinquarunt. Ideo facti sunt longè, quia voluntate sua à salutis se gratia separauerunt. Non refugit eos salus, sed ipsi salutem, qui se elongauerunt. Venit ad Iudæos, sed ipsi salutem non receperunt. Quomodo non receperunt? audi. Iesus salus est, Iesus filius hominis nuncupatus est. Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sed Iudæi dimitti sibi latronem postularunt, Iesum repudiauerunt.] Et item, *Ne repellas me à mandatis tuis.* Si Deus repellit vnumquemque quem repellendum putat, videamus ne excusationem ei tribuat, qui cùm sequi Deum velit repulsus sit. & primùm quemadmodum bonum Deus repellit sequentem, nisi ipse mereatur repelli, sicut ipse Dominus ait, *Vulpes foueas habent*, & ideo quasi vulpem repellit?] Item vbi exponit, *Reuela oculos meos.* Bene, inquit, admonuit lectio Euangelij quæ decursa est, in qua sanatus est leprosus ille qui dixit, *Si vis, potes me mundare*, in voluntate Domini constituens potestatis effectum. Cui respondit similiter, *Volo, mundare.* Præmissa pietas voluntatis, secuta potestatis auctoritas est. Omnibus dicit Iesus, volo, qui non vult esse peccatum. Velle Christi commune in omnes est: mundari fidei est credentis in Christum. *Et tetigit eum.* Tangit eos, quorum fide tangitur. Denique dicit, Tetigit me aliquis, sentio virtutem exisse de me.] & item, *Aufer à me opprobrium & contemptum.* Aduersum me, inquit, detractabant. Ego eorum redemptor aduéneram, ego veneram, vt omnium peccata mundarem, vt recuperarem amissos, restituerem paradiso sancti Iacob hereditatem, & illi aduersum me detractabant.] Item, *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Dilata, inquit, cor tuum, occurre Soli lucis æternæ, qui inluminat omnem hominem. Et illud quidem verum lumen omnibus lucet: sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudauit. Excluditur ergo & Christus, si tu mentis tuæ ianuam claudas. Etsi possit intrare, non vult tamen importunus inruere, non vult inuitos cogere. Ortus ex Virgine processit ex aluo, vniuersa totius orbis inradians, vt luceret omnibus hominibus. Capiunt qui desiderant fulgoris perpetui claritatem, quam nox nulla interpolat.] Et item cùm exponeret, *Anima mea in manibus tuis semper*, ait, Et ideo filius hominis non habebat vbi caput suum reclinaret, quia cùm diues esset pauper factus est: nec gloriam istius sæculi requirebat, quia venerat non vt in portione, sed vt in vniuersum humano generi subueniret, dicens *Mihi irascimini, qui totum hominem saluum feci in Sabbato?* Hoc est totum, non vt facultatum conlatione ditaret, non vt honorum insignibus, non vt gloriæ sæcularis cumularet augmento, hæc enim non habent beatitudinis & gratiæ plenitudinem, sed totum, hoc est longitudinem vitæ complecteretur æternæ.] Item in

Marginal notes: Psal.113.10. — Matth.8.20. — Psal.118.18 — Matth.8.2. — Psal.118.22. — Psal.118.89 — Psal.118.109. — Ioan.7.23.

eodem Pſalmo, *Ponit thronum ſuum*, quin diabolus, *ſuper ſidera*, quando electum decipit, quando iuſtum circumuenit, cuius opera lucent ſicut ſtellæ in cælo. Nonne & Iudas proditor inter ceteros audiebat, *Vos eſtis lux mundi?* nonne Diabolus lumen eius extinxit? quando etiam quos non potuerit circumuenire calumniatur, inuidens regni cæleſtis gloriam: vt quos inlecebris ſuis à Chriſto non potuit ſeparare, eos calumniis ſuis debiti honoris fructu fraudare conetur. Ecce manus Domini parata eſt, quæ te fugientem ab aduerſariis tueatur ac protegat. Pharao te in patribus tenebat. ſuperbus, immitis: fugiſti ab eo, ſuſcepit te manus Domini, & de periculis liberauit. Non dimiſiſſet Pharao, niſi tu ad Dominum refugiſſes. Dicebat Pharao, *Dominum neſcio*, *Iſrael non dimitto*. Vides quàm ſuperbus. Meritò ergo ſuſceptus in bono eſt qui malum fugit. Non patitur ergo Deus in malo nos eſſe, ſuſcipit in bono. Nec patitur ſuos calumniis ſubiacere. Quare ergo non omnes ſaluentur, ita in eodem Pſalmo exponit. Dicit Sapientia, *Quærunt me mali & non inuenient.* non quia Dominus nolebat inueniri ab hominibus, qui ſe etiam non quærentibus offerebat, ſed quia his operibus quærebatur, vt indigni eſſent qui quærerent inuenire, Ceterùm Simon qui eum neſciebat inuenit, inuenit Andreas, Philippus ad Nathanael eum inueniſſe ſe dixit.] Et item in libro de Ioſeph, Ceterùm quòd ad moralem pertinet locum, quia omnes vult ſaluos fieri Dominus Deus noſter, dedit etiam per Ioſeph his qui ſunt in ſeruitute ſolatium.] Item in libro primo de Pœnitentia. *Non in æternum proiciet Deus, aut obliuiſcetur miſereri Deus.* clamat Propheta, & ſunt qui diuinæ miſerationis quædam inducant obliuia. Sed aiunt ideo ſe iſta aſſerere, ne mutabilem Deum facere videantur, ſi his quibus fuerit iratus ignoſcat. Quid ergo? repudiabimus diuina oracula, & iſtorum opiniones ſequemur? Sed non Deus alienis aſſertionibus, ſed ſuis æſtimandus eſt vocibus.] & poſt aliquanta. Et tu quidem Domine omnes cupis ſanare, ſed non omnes curari volunt.] & item poſt aliquanta, Ipſe te doceat, qui etiam non cuſtodientibus mandata ſua veniam non negauit, ſicut habes in Pſalmi corpore, *Si iuſtitias meas profanauerint*, & reliqua. Omnibus igitur promittit miſericordiam.] Item in ſecundo libro, Et ideo reuertimini ad Eccleſiam, ſi qui vos ſeparaſtis impiè. Omnibus enim conuerſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt, *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*] Et item, Sed ſi iſti non conuertuntur, vel vos reuertimini, qui lapſu vario de innocētiæ fideíque præcelſo faſtigio decidiſtis. Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus.] & poſt aliquanta, Ipſe Dominus Hieruſalem fleuit, vt quia ipſa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret. Ipſe nos flere vult, vt euadere poſſimus, ſicut habes ſcriptum in Euangelio, *Filiæ Hieruſalem nolite me flere, ſed vos ipſas flete.*] Et item idem in Sermone ex ſententia Apoſtoli, *Credidit*

Matt.5.14. Exod.5.2. Cap.3. Pſal.76.8. 10. Cap.4. Cap.12. Pſal.88.32. Cap.4. Rom 10.13 Cap.5. Cap.6. Luc.23.28. Gal.2.6.

Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Denique ait Apostolus, *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* non quia non possit, sed quia indignos beneficiis suis iudicet qui vias eius deserant.] Et item in Sermone Euangelij, quòd *præteriens Iesus vidit à generatione cæcum.* Oblata erat, inquit, à Scribis & Pharisæis Domino Iesu adulterij rea, & hac oblata fraude, vt si eam absolueret, legem soluere videretur: sin verò damnaret, propositum sui mutaret aduentus, quia peccata omnium remissurus aduenit.] & item in eodem, Vide lector diuina mysteria & clementiam Christi. cùm accusatur mulier, caput Christus inclinat: eleuat autem, vbi defecit accusator. ita nullum damnari vult, absoluit omnes.]

Gal. 5.2.
Ioan. 9.1.

NVNC quia tempus & ordo ponendi est sanctum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, qui propter dulcedinem salubris ac saporiuæ elocutionis à Græcis Chrysostomos, id est os aureum, dignissimè est appellatus, verbis sancti Augustini, quibus eum in testimonium suum contra Iulianum inuitauit, vti dignum censuimus. Ingredere, inquit, sancte Ioannes, ingredere & conside cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio nulla tentatio te separauit, opus est & tua sententia. Qui ait in Commento epistolæ ad Hebræos, Ad propitiandum enim, inquit, peccatis nostris. quare non dixit mundi, sed dixit populi? Nam omnium peccata sustinuit: sed quia interim de ipsis vertebatur sermo. Nam & Angelus dicebat Ioseph, *Vocabis nomen eius Iesum. ipse enim saluabit populum suum.* Hoc quippe primùm oportuit fieri, & propter hoc venit, vt istos saluaret, & tunc per istos illos, tametsi è contrà contigit. Hæc etiam Apostoli ab ipso initio dicebant, *Vobis suscitans filium suum misit benedicentem vos.* & iterum, *Vobis sermo salutis missus est: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Generositatem hîc ostendit Iudaicam, dicens ad propitiandum peccatis populi. Iterum sic dixit, Quî enim? ipse est qui peccata omnium dimittit. manifestauit in paralytico dicens, *Dimittuntur tibi peccata.* & in baptismate. Dixit enim ad discipulos suos, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.*] & item, Nam & beatitudines quæ à Christo dicuntur, non monachis tantùm dictæ sunt, alioquin vniuersus mundus peribit, & accusabimus crudelitatem Dei. Si verò beatitudines solis monachis datæ sunt, sæcularem autem hominem impossibile est eas implere, ipse nuptias iussit, ipse ergo omnes perdidit. Si enim non possunt cum nuptiis ea quæ monachorum sunt implere, perierunt & corrupti sunt, & in angustum conclusa quæ virtutis sunt, & quomodo honorabiles sunt quæ nobis tantùm impediũt? Quid ergo impossibile est? & valde possibile, etiam habentes vxores virtutem aggredi si voluerimus. Quomodo? si habentes tanquam non habentes simus. qui non gaudemus in his quæ possidemus. si mundo vtamur tanquam non vtentes. Si autem aliqui impediti sunt ex nuptiis,

Matth. 1.12
Act. 3.26.
Act. 13.46.
Marc 5.
Matth. 28. 19.

ſciant quoniam non nuptiæ illis impedimentum fuerunt, ſed voluntas quæ malè vtitur nuptiis, Nam neque vinum facit ebrietatem, ſed voluntas & exceſſus moderationis. Vtere cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno, & omnibus frueris bonis.] & item, *Reproba*, inquit, *& maledictioni proxima.* O quantam habet conſolationem hic ſermo! Maledictioni, inquit, proxima, non maledictio. qui autem necdum in maledictionem incidit, ſed proximus eſt, & longè fieri poterit. Et non hoc ſolo conſolatus eſt, ſed etiam in eo quod ſequitur. Non enim dixit, reproba & maledictioni proxima, quæ comburetur. Sed quid? cuius conſummatio in aduſtionem. Si vſque ad finem permaneat, inquit. Proinde ſi abſcidamus & aduramus ſpinas, poterimus mille bonis perfrui, & fieri probabiles, & benedictionis participes.] & item, Quid autem difficilius, dic mihi, quàm contum in fronte portare, & impoſitum puerum multa millia ſchemata facientem ibidem baiulare, & delectare ſpectantes? Quid autem difficilius, quàm cum gladiis pilarum more ludere? quid difficilius, quàm ſuper funem extenſum ambulare veluti ſuper æquale ſolum. & rurſum ambulantem veſtiri, ſpoliari, tanquam in lecto ſedeat? Nónne mirabilis nobis iſta res eſſe videtur, & terribilis, vt etiam videre nolimus, ſed timeamus & tremamus ad ipſum aſpectum? Quid autem grauius, dic mihi, quàm profundum pelagi ſcrutari, & decem millia alias artes quis dicere poſſit? Si omnium iſtarum facilior eſt virtus, ſi voluerimus & in cælum aſcendere. Velle enim opus eſt hîc tantùm, & omnia ſequuntur. Non potes enim dicere non poſſum, neque accuſare potes conditorem. Si enim impoſſibiles nos fecit, deinde imperat, accuſatio eius eſt. Quomodo ergo, inquit, multi non poſſunt? Quomodo ergo multi nolunt, dic. Si enim voluerint, omnes poterunt. Propter hoc & Paulus dicit, *Volo omnes homines eſſe ſicut & meipſum.* quoniam ſciebat quia omnes poterant eſſe ſicut ipſe. Nequaquam enim hoc diceret, ſi impoſſibile eſſet. Vis fieri? principium tantùm adprehende. Dic autem mihi, in artibus cunctis, cùm voluerimus in eis perfecti fieri, non ſufficit nobis velle, an etiam adgredimur ipſas res? Veluti quod dico, Vult aliquis fieri gubernator. non dicit volo, & hoc ei ſufficit, ſed etiam rem ipſam adgreditur. Vult fieri negotiator. non dicit volò tantùm, ſed etiam rem adgreditur. & ſic omnibus non ſufficit velle tantùm, ſed etiam opus oportet addere. In cælum autem volens aſcendere dicit tantùm volo. Quomodo ergo dicebas, inquit, quia velle ſufficit? Sed velle cum opera adprehendens, etiam rem cum labore. habemus quippe cooperatorem & adiutorem Deum. tantùm rem adſumamus, tantùm veluti ad opus accedamus ad rem, tantùm curam geramus, tantùm in mente ponamus, & cuncta ſequentur. Si verò dormierimus, & ſtertentes ſperemus intrare in cælum, quando poterimus hereditatem cælorum adprehendere? Deſi-

Heb. 6. 8.

1. Cor. 7. 7.

deremus ergo hæc, obsecro, desideremus. Quid omnia ad præsentem vitam negotiamur, quæ crastina derelinquemus? Adsumamus igitur virtutem quæ nobis in perpetuum sufficiet, in quo erimus semper & æternis bonis fruemur.] & item, Postquam enim dixit superiùs illa magna valdéque miseranda, dicit nunc & decora ex eius sollicitudine quam de hominibus gerit. Et quamuis illud vniuersale sit quod omnia continet, verumtamen hoc multo amplius est vniuersale, vt quantum in ipso est omnes credant. Nam etiam Ioannes dicit *vita erat.* Sed & prouidentiam eius manifestans iterum dicit, quoniam lumen est. *Per ipsum*, inquit, *mundationem faciens peccatorum nostrorum*, sedet in dextera maiestatis in excelsis. Duo quædam in hoc loco significat maiora, quòd de nobis curam gerit, vel quòd peccata nostra mundauerit, & quoniam per seipsum hoc opus impleuerit. Et in multis locis inuenies eum in hoc maximè gloriari, non solùm quoniam conuersi sumus ad Deum, sed etiam in eo quòd per filium fuerit istud effectum.] & item, Nullam autem imbecillitatem aliquid arbitror eo quòd dixit patrem indignaturum pro his quæ fuerit indigna perpessus. Hoc magis multæ patris circa filium dilectionis & honoris ostenditur. qui enim indignatur pro eo, quomodo extraneus ab illo esse conicitur? Quod etiam in alio dicitur Psalmo, *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.*] Et iterum ipse dixit, Eos autem qui me sibi regnare noluerunt, adducite in conspectu meo & interimite. Quia verè eius sunt hæc verba, audi quid dicat & in alio loco, *Quotiens volui congregare filios tuos & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* & iterum, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*] Et item, In hoc cernimur similes Deo, si cunctos amabimus, diligamus etiam inimicos nostros: non autem si signa vel miracula fecerimus. Nam & Deum ipsum admiramur quidem miracula facientem, sed ampliùs admiramur miserantem & longanimiter sustinentem. Si igitur & in ipso Deo illud ampliùs admirandum, quanto magis in homine?] Et item, Si enim patres vestri, inquit, quia non sperauerunt sicut oportebat sperare, hæc passi sunt, multo ampliùs vos. Ad illos enim iste sermo factus est. Hodie namque, inquit, semper est donec constet mundus. propterea consolamini vos ipsos per singulos dies vsquequo vocatur hodie. hoc est, ædificate inuicem, corrigite vos ipsos, ne contingant vobis similia, ne obduretur quisquam ex vobis decipiente peccato. Attendis quia infidelitas peccatum facit? Sicut enim infidelitas malignam vitam procreat, sic etiam anima quando in profundum malorum venerit contemnit, contemnens autem neque credere patitur vt se timore liberet. Dixit namque, inquit, *Non videbit Dominus, neque intelliget.*] Et item, Quidam enim audientes amaricauerunt, sed non omnes qui

Psal. 2. 4.

Luc. 13. 34.

Psal 93. 7.

exie-

exierunt ex Ægypto per Moyſem. Quibus autem iratus eſt quadraginta annis? nonne peccatoribus, quorum membra ceciderunt in eremo? Quibus autem iurauit quia non intrent in requiem eius, niſi infidelibus? & videmus quia non poterant intrare per infidelitatem.] & paulò pòſt, Quorum obduratorum mentionem facit, nonne Iudæorum? Quod autem dicit, tale eſt, Audierunt & illi, inquit, ſicut & nos audiuimus: ſed nihil profuit illis. Non ergo putetis quia ex auditu tantùm prædicationis iuuamini, quia & illi audierunt, ſed nihil vtilitatis habuere, quoniam non crediderunt. Caleph autem & Ieſus, quia non conſenſerunt infidelibus, effugerunt pœnam quæ illis inlata eſt. Et inſpice quàm mirabiliter. Non dixit non conſenſerunt, ſed non contemperati ſunt, hoc eſt ſine ſeditione diſſenſerunt, illis omnibus vnam atque eandem ſententiam habentibus.] Et item, *In die qua adprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti, & ipſi non manſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos dicit Dominus.* Intuere à nobis primùm incipere mala. Ipſi, inquit, primi non manſerunt. Ex nobis eſt negligentia.] & item, Prudentia autem carnis inimica eſt in Deum, legi autem Dei non ſubicitur, neque poteſt. Quid ergo, inquit, non hoc eſt crimen? Et valdè quidem crimen eſt. malus enim vſquequo eſt malus non ſubicitur quidem, mutari autem & fieri bonus poteſt. Abiciamus igitur intelligentias carnales. Quæ ſunt autem carnalia? quæcumque corpus florere faciunt, & luxuriari, vitiant autem animam.] Ponunt autem quidam exemplum Apoſtoli dicentis de Eſau, *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamuis eam cum lacrymis inquiſiſſet,* volentes oſtendere quia non Deus omnes ſaluos vult fieri, etiamſi velint ſaluari. Vnde iſte doctor in hoc eodem libro dicit, Quid hîc dicimus? num pœnitentiam Paulus excludit? nequaquam. Quomodo ergo dicit, quòd non inuenerit pœnitentiæ locum? Si enim culpauit ſemetipſum, ſi gemitibus magnis ingemuit, cur pœnitentiæ locum inuenire non meruit? Quoniam non erat pœnitentia illa. Sicut & triſtitia Caïn non ex patientia deſcendebat, quod occiſio fratris aperuit: ſic etiam hîc non erant illa verba pœnitentiæ. Nam & hîc fratris occiſione depalatur, quandoquidem, quantum ad eum attinuit, etiam ipſe fratri ſuo Iacob intulit mortem. Nam ſic dixit, *Appropinquant*, inquit, *dies paſſionis patris mei, & interficiam fratrem meum.* Non ergo valuerunt ſolæ lacrymæ pœnitentiam illi tribuere: & non dixit ſimpliciter quia per pœnitentiam quæſiuit, ſed cum lacrymis inquiſiuit pœnitentiæ locum & non inuenit. Quid ergo dicimus, niſi quia non pœnituit vt conuenit? Hoc eſt enim pœnitentia, vt congruenter geratur. Alioquin ſi pœnitentiam damnat Apoſtolus, quomodo iterum velut ſegnes admonet & hortatur? quomodo claudos effectos & remiſſos atque ſolutos, quod eſt ruinæ principium, vt erigantur inuitat? Mihi quidem videtur, quia ſignificat aliquos inter illos adulte-

Hier. 31. 32.

Hebr. 12. 17.

Gen. 27. 41.

ros, quos tamen publicè nolebat arguere, ſed fingit ignorantiam. poſtea verò ſi perſtiterint, tunc iam conuenit increpare, ne ſi antè volueris arguere, impudendos & proteruos efficias: ſicut etiam Moyſes fecit circa Zambrium & Caſbitidem. *Pœnitentiæ*, inquit, *locum non inuenit*. Poteſt & aliter intelligi, quia peccatum pœnitentia maius admiſit. Sunt enim peccata pœnitentiam ſuperantia: veluti ſi diceret, Non cadamus in inſanabilem ruinam. Dum enim claudicat quiſquis, facilè poteſt rectus vel ſanus effici: ſi verò penitùs ſubuertatur, quid vlterius? Proinde necdum lapſis hæc loquitur, vt eos timore deprimeret. veluti ſi diceret, quia qui cecidit nullam conſolationem mereri iam poterit. Et hîc quidem iſtos ne caderent aliter admonebat: in alio verò loco vbi iam eis qui ceciderant loquitur, ne in deſperationem deciderent, contraria dicit, *Filioli mei*, inquit, *quos iterum parturio donec reformetur Chriſtus in vobis*. quibus alibi dicebat, *Qui in lege iuſtificamini à gratia excidiſtis*. Ecce ipſe teſtatur quia ceciderant. Qui ergo ſtat & audit, quoniam qui ceciderit veniam non valet impetrare, validiùs ſtabit & cautiùs. Si verò & circa eum qui cecidit ſimili volueris vehementia, ad id redigitur vt nunquam poſſit adſurgere. Quali enim ſpe conuerſionem vel quales fructus ſuſcipit? Non ſolùm, inquit, lacrymas fudit, ſed etiam exquiſiuit. Et videtur quidem excludere pœnitentiam: ſed cautiores eos & muneratiores reddit, ne ferantur pro omnibus ad ruinam. Quanticumque igitur non credunt eſſe gehennam, hæc in mentem reuocent: & quotquot exiſtimant impunita remanere peccata, hæc conſiderantes adtendant, cur Eſau veniam non potuit adipiſci, quia videlicet non pœnituit vt debuit. Vis videre integram pœnitentiam? Aduerte Petrum, qualiter pœnituerit poſtquam negauerat Chriſtum. Narrans namque nobis Euangeliſta eius hiſtoriam, *Et exiens*, inquit, *plorauit amarè*. Idcirco illi remiſſum eſt tam grande peccatum, quia ſicut debuit pœnitentiam geſſit. Etiam Iudas pœnituit, ſed malè. laqueo namque ſe ſuſpendit. Pœnituit etiam, ſicut iam dixi, & Eſau. magis autem iſte neque pœnituit. Lacrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ, ſed animi violenti & indignationis infernæ. quod ex eius operibus aperitur. Pœnituit & beatus Dauid, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & in lacrymis ſtratum meum rigabo*. & peccatum, quod ante multum tempus admiſerat, poſt tantos annos, tantáſque generationes lugebat, veluti de recenti tempore perpetratum. Pœnitentem quippe non conuenit indignari, nec exaſperare: quin potiùs continere, ſicuti condemnatum & fiduciam non gerentem, & veluti quippe qui miſericordia ſaluari deſiderat.] Et item, Hæc quippe eſt cauſa omnium bonorum, ſi in nobis ſpiritalis gratia perſeuerat. Hæc quippe nos ad omnia recto itinere reducit, ſicut etiam quando ab ea excedimus perimus, & deſerti efficimur omni bono. Non itaque eam repellamus. In nobis quippe eſt etiam vt permaneat

Gal. 4. 19.
Gal 5. 4.
Matth. 26. 75.
Pſal. 6. 6. 7.

in nobis, vel vt diſcedat à nobis. Illud enim fit quando cæleſtia meditamur, hoc autem quando ad ſæcularia declinamus.] Item in Homilia prima Pſalmi L. Propterea ſcribo, vt & vulnus & medicamenta vniuerſi cognoſcant. non timeo confuſionem, quia meam ſalutem deſidero. Sic & Paulus facit. conceſſa ſibi peccata publicat dicens, *Gratias ago qui me confortauit Chriſto, quia fidelem me exiſtimauit, qui priùs fui blaſphemus & perſecutor & contumelioſus, & nunc fidelem me fecit.* Propterea, inquit, memetipſum publico, vt ſi quis eſt blaſphemus & iniurioſus, & multis obnoxius malis, non deſperet ſalutem. Tantum eſt vt recedat à malis & faciat bona, & habeat ſpem ſalutis, quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, tantùm vt conuertatur & viuat.] Item in Homilia de Cananæa, *Tranſiens*, inquit, *Ieſus vidit Matthæum ſedentem in teloneo, & dixit ei ſequere me.* O virtus ſermonis! quaſi quidam introiit hamus, & captiuum militem fecit, & ex luto aurum eſt operatus. Venit vncinus, & ſtatim exſurgens ſecutus eſt eum. In profundo malignitatis erat, & vſque ad verticem virtutis conſcendit, vt nobis neminem deſperare debere ſalutem doceret, quia naturalis malignitas non eſt. Liberi quippe arbitrij nos creauit Deus, vt voluntate noſtra cum adiutorio Dei quod volumus faciamus. Si publicanus es, potes fieri Euangeliſta. Si blaſphemus es, potes fieri Apoſtolus. Si latro es, potes paradiſi colonus effici. Si magus es, poteris adorare. Non eſt vlla malitia, quæ pœnitentia non ſoluatur. Et ideo tanquam principia malignitatum elegit Chriſtus, vt nemo vſque in finem ſemetipſum deſpiciat. Noli mihi dicere periui, quia iam medicum habes ſatis fortiorem te, & potentiorem quàm infirmitas tua eſt. Medicum habes voluntatem tuam, ſi volueris emendantem, & potentem, & cupientem.] Item in Homilia de Turture, Oritur Sol & occidit Sol, & ad locum ſuũ reuertitur. Ortus eſt enim nobis Sol iuſtitiæ Chriſtus, de ſancta Maria ſecundùm carnem genitus. oriens quippe nomen illi. Occidit verò, quando poſt crucem ad inferna deſcendit. Oritur Sol, & occidit Sol, & ad locum ſuum reuertitur, ipſo dicente, *Cùm exaltatus fuero, vniuerſos traham ad me.* De hoc Sole iuſtitiæ & Eſaias pronuntiat dicens, *In diebus illis orietur Sol iuſtitiæ, & ſanitas erit in pennis eius.* Veniente enim Sole iuſtitiæ Chriſto, ad tactum fimbriæ veſtimenti eius fons profluuij ſanguinis exſiccatus eſt. Nigra ſum & ſpecioſa filia Hieruſalem. Si qua hîc peccatis anima denigrata, ne timeat, tantummodò pœnitentiam agat & dicat, Nigra ſum ego, & decora. Et ſi in nouiſſimo ſpiritu eſt, &, vt ita dicam, ſi in extremo halitu poſitus, ne formidet, tantùm cum fletu pœniteat, & compuncto confiteatur corde. Ad veſperum enim demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Imitare namque Ezechiam regem, & ſequentia.] Et in libro de Reparatione lapſi, Intuere denique vel in principiis Hieremiæ quæ referuntur de Deo, vel apud reliquos Prophetas. quomodo etiam cùm deſpicere-

1.Tim.1.12.

Matth.9.9.

Ioan.12.32.

Malac.4.2.

tur & contemneretur à populo, tamen rurſus reuertebatur ad eos, & amore eorum conſtrictus, ſectabatur eos etiam auerſos à ſe. Et hoc eſt, quod ipſe Dominus in Euangeliis indicat cùm dicit, *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas miſſos ad te. quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti?* Sed & Paulus dicit ad Corinthios ſcribens, quoniam *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, non reputans eis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto enim legatione fungimur, ſicut Deo deprecante per nos, rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo. Hæc etiam ad nos dici putemus. Non ſolùm enim infidelitas, ſed & vitæ contaminatio, execrabiles iſtas inimicitias facit inter Deum & hominem. Sic enim Apoſtolus dicit, quia *ſapientia carnis inimica eſt Deo*. Age ergo, deſtruamus hunc inimicitiarum parietem, & viam nobis reconciliationis faciamus ad Deum, vt iterum efficiamur ei amabiles & concupiſcibiles.] & poſt aliquanta, Nos autem, qui certi ſumus de fine, & manifeſtè nouimus, quia ſi nolumus, neque naufragia animæ, neque damna poterimus incurrere, quomodo non arripimus denuo priora exercitia, & negotia quæ negligenter amiſimus reparamus, ſed iacemus reſupini & deſides, & manus otioſas plicamus ad pectus, & vtinam otioſas, & non operantes in perniciem noſtrî, quod eſt vtique euidentis inſaniæ?] & item, Nam ſi propterea nos feciſſet Deus vt puniret, bene deſperares & dubitares de ſalute tua. Si verò propter bonitatem ſuam tantummodò nos fecit, vt æternis eius bonis & muneribus fruamur, atque quæ agit ab initio ſæculi vſque ad præſens tempus, propterea agit, & propterea monet, vt nos miſericordia ſua ſaluet, quæ vltra nobis deſperandi, quæ ambigendi cauſa ſupererit?] Et poſt paululum, oſtendens quàm amabiliter conuerſionem ſuſcipiat peccatoris dicit, Quis dabit cor eorum ita eſſe in eis, vt timeant me & cuſtodiant mandata mea omnibus diebus vitæ ſuæ, vt bene eis fiat & filiis eorum vſque in ſæculum? Sed & Moyſes, docere populum volens quid Deus requirat ab omnibus, ita dicit, *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus poſcit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & incedas in omnibus viis eius, vt diligas eum ex toto corde tuo & ex tota anima tua?* Deus verò, qui cupit diligi à nobis, & omnia facit pro hoc, & nec vnigenito ſuo parcit pro ſalute noſtra & caritate, & qui optat, vt ita dicam, vt quocumque pacto & quandocumque reconciliemur ei, quomodo pœnitentes nos & conuerſos ad ſe non libenter ſuſcipiet & amabit vt filios?] & cetera, quæ pleniùs & latiùs in præfatis ſuis dictis lector quilibet poterit inuenire. Sed & in Commento Euangelij Matthæi dicit, *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur.* Omnia futura antè proſpiciens Dominus præuidit etiam ruinam ciuitatis illius, & plagam quæ à Romanis ventura fuerat ſuper populum illum. Ideo extollens lamentum lugebat eum di-

Matth. 23. 37.
2. Cor. 5. 19.
Rom. 8. 7.
Deut. 10. 12.
Matth. 23. 37.

cens, *Hierusalem, Hierusalem.* Recordabatur quidem sanguinem sanctorum suorum qui effusus erat ab illis, & qui adhuc postmodum fuerat effundendus. Sed non tantùm dolebat de iniuria sanctorum suorum, sciens qualem illis gloriam præparauerat pro morte carnali: sed de illorum interitu flebat, & in illo peiora. Sicut enim benefacientes non Deo præstamus, sed nobis, Deus autem gaudet non de suo lucro, sed de nostra salute: sic peccantes non Deo nocemus sed nobis, Deus autem tristatur non de sua iniuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus, audiens criminosas personas, lege quidem ipse mortis sententiam dictat aduersus eos: tamen misericordia instigante lacrymas fundit super ipsos, & vult eos adiuuare, & non potest, contradicente sibi iustitia. Quoniam misericordia tunc est vera misericordia, si sic facta fuerit vt iustitia per eam non condemnetur. Si autem contempta iustitia misericordia obseruetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Nam & iustitia non est vera iustitia, nisi habuerit in se misericordiam. Iustitia sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas: sic & misericordia sine iustitia non est misericordia, sed fatuitas. Sic & Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Iudæos dicens, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ex ipsis occidetis, vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, & ipse eos miserabili lamentatione plangebat dicens, *Hierusalem, Hierusalem.* Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores condemnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in vobis contra naturam est benefacere? Sed dicet aliquis, Cùm in potestate habeat Deus perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Nam sicut qui desideranti misericordiam denegat crudelis est, sic qui non desideranti misericordiam præstat iniustus est. Sed dicis, Quis est homo qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccatis. Desiderare est autem misericordiam Dei, conuerti ad Deum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram eius. Non desiderat misericordiam Dei sed contemnit, qui non conuertitur ad Deum qui fecit eum. *Hierusalem, Hierusalem.* Quæ vsque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem iam superasti. Volo enim in te misereri; sed vires misericordiæ faciendæ non habeo, nec possum te ampliùs sufferre. Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi iam lassata proposito suo defecit. *Quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur.* Misi ad te Esaiam & serrasti eum: misi ad te Hieremiam, & lapidasti eum: misi Ezechiel, & tractum per lapidem excerebrasti eum. Quomodo saneris qui nullum ad te medicum venire permittis? quomodo cures infirmitatem tuam qui omnem medicinam conculcas? Sanctis meis

Matth. 23. 34.

non peperci, vt tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi nē tuam mortem viderem. Omnes medici ſpiritales in te defecerunt, & tu curata non es. inſanabilis paſſio tua vicit artem diuinam. Si de morte tua gauiſus fuiſſem, nunquam ad te miſiſſem prophetas. Si te perdere voluiſſem, nunquam ad te ipſe veniſſem. Ego tibi quid faciam, ſi tu ipſa viuere non vis? Quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? Cùm te in Ægypto quaſi ſanguinarius accipiter ſequebatur Pharao, miſi ſuper te Moyſem & Aaron, quaſi duas molliſſimas pennas miſericordiæ. Liberatos vos de vnguibus eius rapui in deſertum, & noluiſtis, facientes vobis vitulum in Choreb, vt ſeruiretis potiùs idolo mortuo, quàm Deo viuenti. Quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti? Percurrere ſi vis in iudicium, quotiens peccauerunt, & tradidit illos Deus, & iterum liberauit.]

ET SANCTVS THEOPHILVS Alexandrinus Epiſcopus, Cuius rei teſtis eſt ille qui loquitur, *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.* & Prophetæ Chriſti auxilium deprecantes, *Domine, inclina cælos & deſcende.* non vt mutaret loca, ſed propter ſalutem noſtram carnem humanæ fragilitatis adſumeret.

Pſal. 13. 3.
Pſal. 143. 5.

ET SANCTVS HIERONYMVS, Hebraïcæ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus, qui vt dicitur nucem iuxta nucleum frangens, medullas & ipſa viſcera ſcripturæ ſanctæ inueſtigando, Domino inſpirante penetrare promeruit, in expoſitione Ezechielis prophetæ ita dicit, *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis & viuat?* Ergo Domini voluntatis eſt omnes ſaluos fieri, & ad notitiam veritatis venire. Vbicumque autem Dei videtur ſeuera & truculenta ſententia, non homines ſed peccata condemnat.] Et item ſuprà, Ad eos ſermo fit qui volunt agere pœnitentiam, & iuſtitia peccata delere, vt cum fiducia conuertantur, & pleno animo agant pœnitentiam. Hîc autem ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, immo impietatum ſuarum, deſperant ſalutem.] & poſt pauca, Quibus reſpondet Deus, non velle ſe mortem impij, ſed vt reuertatur & viuat. Atque vt ſciamus qui ſint impij ad quos loquitur, ſequens ſermo demonſtrat, *Quare moriemini domus Iſrael?* Vita autem & mors in hoc loco non hæc ſignificatur, qua omnes communi cum beſtiis lege naturæ vel viuimus, vel morte diſſoluimur: ſed illa de qua ſcriptum eſt, *Placebo Domino in regione viuentium.* & *anima quæ peccauerit ipſa morietur.* & à ſpeciali commonitione, qua Iſrael domui loquebatur, ad generalem tranſit diſputationem, quòd & iuſtum præteritæ non ſaluent iuſtitiæ, ſi nouis ſceleribus fuerit occupatus, & peccatorem vel impium antiqua peccata non perdant, ſi operibus iuſtitiæ veteres emendarit errores, Deúmque non præterita in vtroque iudicare, ſed præſentia. Si dixero, inquit, iuſto vita viues, & ei præmia iuſti-

Ezech. 18. 23.
Ezech. 21. 31.
Pſal. 114. 9.
Ezech. 18. 10.

tiæ pollicitus fuero, confisúsque ille peccauerit, omnes iustitiæ eius pristinæ obliuioni tradentur, in præsenti iniquitate morietur. Nec mea est mutata sententia, cùm non possim in eodem homine peccatori reddere quod iusto promiseram. Econtrariò, si peccatori & impio fuero comminatus, & dixero adhuc tres dies & Niniue subuertetur, & ille egerit pœnitentiam, bonísque operibus emendarit errorem, in mandatis vitæ ambulet, nec faciat quicquam iniustum, nonne habebit vitam, cui est Christus viuere, & nequaquam mori? Comminatio peccatoris iustum punire non debeat.] Et in Osee Propheta, *Cùm sanare vellem Israel.* Ego qui malo pœnitentiam peccatoris quàm mortem, & postea loquor in Euangelio *non indigent sani medico, sed hi qui malè habent*, vulnera populi mei sanare conatus sum. Et cùm hæc omni arte tractarem, vt miserabilis populus curaretur, subitò extitit Hieroboam de tribu Ephraim, qui vitulos aureos faceret, & malitia Samariæ reuelata est. Et est sensus, Cùm vellem vetera populi mei peccata delere propter antiquam idololatriam, Ephraim & Samaria noua idola repererunt. Sed & hoc dici potest, quòd Domino Saluatore, post effusionem sanguinis sui, & Ecclesiam tam de Iudæis quàm de Gentibus congregatam, volente populi peccata sanare, & eos ad pœnitentiam reducere, subitò Ephraim, qui vbertatem falsorum dogmatum repromittunt, & populus Samariæ, qui se dicit Dei præcepta seruare, surrexerunt & operati sunt idolum falsorum dogmatum, & per illos ingressus est fur & latro diabolus in Ecclesiam, siue ipsa doctrina hæreticorum ingressa est quasi fur & latrunculus. De quibus & Saluator dicit in Euangelio, *Omnes qui venerunt fures fuerunt & latrones.*] Item, *Non sunt reuersi ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt in omnibus his.* Quòd si reuersi fuissent ad Dominum, audissent vtique per Hieremiam loquentem Dominum, *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos.* Et cùm tanta fecerint, non quæsierunt eum quem suo vitio perdiderunt. Item, *Circumdedit me in mendacio Ephraim.* Quòd & Ephraim & domus Israel & Iuda circumdederint Deum in mendacio & impietate, & tantæ clementiæ sit Deus, vt non eis abscindat spem salutis, sed ignoscat illis, & paratus sit vocare populum sanctum & populum Dei, qui nunc impietate peruersus est. Iuxta tropologiam quoque, velle Dominum & hæreticos saluari, & Ecclesiasticos peccatores, & omnes suo vocabulo nuncupari.] Et item, *Sanabo contritiones eorum.* Hoc tam ad hæreticos & Iudæos, quàm ad Gentes & ad omne dogma peruersum referri potest, vt cùm egerint pœnitentiam veniam consequantur.] Item in prophetia Amos, *Super tribus sceleribus Gazæ.* Hoc est ergo quod dicit, Expectaui multo tempore vt agerent pœnitentiam, & ideo nolui punire peccantes, vt aliquando conuersi reciperent sanitatem.] & item, *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit.* Et nota quòd clemens & benignus Deus semper futura præ-

Osee 7.1.
Luc.5.31.
Ioan.14.8.
Osee 7.10.
Osee 11.12.
Osee 14.5.
Amos 1. 6.
Amos 3.7.

nuntiat, ne cogatur inferre ſupplicia. Qui autem prædicit, non vult punire peccantes.] & item, *Iurauit Dominus in ſuperbiam Iacob*, Vt qui egerit pœnitentiam, *aſcendat cum fluuio aſcendente:* qui autem perſeuerauerit in delictis, *deſcendat ſicut fluuius Ægypti*, & ingreſſus mare abſorbeatur. Ac per hoc oſtendit ſuperbiam Iacob, contra quam iurat Deus, æternis ſuppliciis deuorandam.] Et item, *Si conuerſa fuerit gens illa à malis ſuis, & ego agam pœnitentiam de his quæ cogitaueram facere ei.* Non ergo Deus mutatur, qui ſemper eſt immutabilis: ſed nos cùm noſtram conuerſationem mutamus, ſæuit, iraſcitur, comminatur, & dicit ſe inlaturum eſſe ſupplicia. Si agamus pœnitentiam, ipſum quoque ſuæ pœnitebit ſententiæ.] Et item in prophetia Ionæ, *Miſericors enim & miſerator Dominus, patiens & multæ miſerationis.* tamen eos qui cuſtodiunt vanitates non relinquit, non deteſtatur, ſed expectat vt redeant. Illi verò tantam miſericordiam, & vltrò ſe offerentem, ſponte propria derelinquunt.] Et item, *Afflictus eſt Ionas.* Pulchrè autem dolens, quod interpretatur Ionas, affligitur dolore, & triſtis eſt anima eius ad mortem: quia ne periret populus Iudæorum, quantum in ſe fuit, multa Chriſtus perpeſſus eſt.] Et item, Confidenter reſpondit & dixit, *Bene iraſcor ego*, vel contriſtor *vſque ad mortem.* Non enim ſic volui ſaluare alios vt perirent alij, non ſic alienos lucrifacere, vt meos perderem. Et reuera vſque ad præſentem diem Chriſtus plangit Hieruſalem, & plangit vſque ad mortem, non ſuam ſed Iudæorum, vt moriantur negantes, & reſurgant Dei filium confitentes.] Et in Michæa propheta, *Ante faciem eorum diuiſerunt.* Quia Angeli, ſiue pater, & filius, & Spiritus ſanctus, diuiſerunt quod videbatur obſtare, & fecerunt viam volentibus ingredi.] Et item, *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum.* Quia dubitas, ô popule Iſrael, immo vniuerſum hominum genus, (neque enim loquor ad populum Iudæorum, ſed generaliter ad omnem hominem,) quomodo pro peccatis tuis poſſis placare Deum, ſi nec habes victimas, quibus tua compenſetur impietas, ego reſpondebo tibi, quid quærat Deus.] Et item idem in Commento Epiſtolæ ad Epheſios, Nos homines pleraque volumus facere conſilio, ſed nequaquam ſequitur effectus. illi autem, ſcilicet Deo, nullus reſiſtere poteſt, quin omnia quæ voluerit faciat. Vult autem ea quæ ſunt plena rationis atque conſilij. vult ſaluari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur, liberi enim arbitrij ſumus, vult nos bonum velle, vt cùm voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſilium.] Et item, *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.* Mœror ſancti Spiritus ſic intelligendus, quomodo ira Dei, & ſomnus, & ceteræ in humanam ſimilitudinem paſſiones. Non quo contriſtetur Spiritus, & vllam perturbationem diuinitas ſentiat: ſed quo ex verbis noſtris Dei diſcamus affectus, quòd mœreat quotienſcumque peccamus, & defleat peccatores.

Amos 8.7.
Hier.18.8.
Ionæ 4.2.
Ionæ 4.1.
Mich.2.13.
Mich.6.8.
Epheſ.4.30

catores. Nam & Saluator in corpore constitutus fleuit Hierusalem, & omne hominum genus in Propheta deplorat dicens, *Heu mihi anima quia periit reuerens à terra, & qui corrigat inter homines non est. omnes in sanguine iudicantur.* Et item in Homilia vndecima Euangelij secundùm Lucam, *Hæc fuit descriptio prima à Præside Syriæ Cyrino.* O Euangelista, videris significare, quia in totius orbis professione describi oportuerit & Christum, vt cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, & cum orbe relatus in censum, communionem suî præberet orbi, vt post hanc descriptionem, describeret quoque ex orbe secum in libro viuentium, & quicumque credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in cælis.] Et in duodecima, Quamobrem Angelus descendit de cælo, & ait, *Adnuntio vobis gaudium magnum*, & reliqua. Puto & de vniuersis hominibus generaliter debere credi. Vnicuique duo adsistunt Angeli, alter iustitiæ, alter iniquitatis. Si bona fuerint in corde nostro, quin nobis loquatur Angelus Domini. sin verò mala fuerint in corde nostro versata, loquitur nobis Angelus diaboli. Sic & in singulis prouinciis.] Item in tertia decima, Cùm fecissent omnia, quin Angeli, quæ in suis viribus erant, vt sanarentur homines, & noluissent illi recipere sanitatem, cernunt eum qui sanare potuit glorificantes. Item in decima quinta, Videns Simeon paruulum à se gestari, qui ad vinctos venerat resoluendos, séque ipsum nodis corporis liberandum, sciens neminem posse de claustro corporis quempiam emittere cum spe futuræ vitæ, nisi eum quem brachiis continebat. Vnde & ad eum loquitur, *Nunc dimittis seruum tuum in pace.* Hoc autem non solùm de Simeone, sed de omni humano genere sentiendum est. Si quis è carcere vinctorum domo dimittitur, vt ad Christum vadat, sumat Iesum in manibus, & circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu suo, & tunc exultans poterit ire quò desiderat.] Et item in vigesima prima, Dicendum est baptismo Iesu cælum fuisse reseratum, & ad dispensationem remissionis peccatorum, non illius qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, sed ad totius mundi, apertos esse cælos, & Spiritum sanctum descendisse. Et postquam Dominus ascendit, & in excelsum captiuam duxit captiuitatem, tribuit ita nobis spiritum qui à se venerat. quem quidem & dedit resurrectionis tempore dicens, *Accipite Spiritum sanctum.*] Hæc de sancto Hieronymo testimonia data sufficiant. quia si omnia quæ colligi possunt, & de omnibus illius libris quos habemus testimonia posuerimus, non solùm sufficientiam, sed sufficientiæ modum excedent.

Mich. 7. 2.
Luc. 2. 2.
Luc. 2. 10.
Luc. 2. 25.

Et sanctvs Cyrillvs ad Nestorium. Itaque is qui ante sæcula omnia est natus ex patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus. non quia diuina ipsius natura de Virgine sumpsit exordium, nec quòd propter seipsam opus habuit secundò nasci post illam natiui-

Epist. 11.

tatem quam habebat ex patre. Eſt enim ineptum & ſtultum hoc dicere, quòd is qui ante omnia ſæcula eſt conſempiternus patri, ſecundæ regenerationis eguerit vt eſſe inciperet. Sed quia propter nos, & propter noſtram ſalutem naturam ſibi copulauit humanam, & proceſſit ex muliere, idcirco dicitur natus eſſe carnaliter.

SANCTVS AVGVSTINVS, vir ſagaciſſimus atque eruditiſſimus, qui contra hæreticos hæc verba Apoſtoli, quibus dicit omnes homines Deum velle ſaluari, multoties & multipliciter expoſuit, & in libro Enchiridion hinc plura locutus eſt. Sed & in libris contra Iulianum, & de Correptione & Gratia, & de Prædeſtinatione ſanctorum, ac Bono perſeuerantiæ, hanc ſententiam ſæpe reuoluit. Vnde & expreſſiùs atque calcatiùs in libro de Spiritu & littera ita dicit, Rurſus metuendum eſt, ne infideles atque impij non immeritò ſe veluti iuſtè excuſare videantur, ideo non credidiſſe, quòd dare illis Deus iſtam noluit voluntatem. Nam illud quod dictum eſt, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*, gratia iam eſt, quam fides impetrat vt poſſint eſſe hominis opera bona, quæ operatur fides per dilectionem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Sed credimus vt impetremus hanc gratiam, & vtique voluntate credimus. De hac quæretur vnde ſit nobis. Si natura, quare non omnibus, cùm ſit idem Deus omnium creator: ſi dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, cùm omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Priùs igitur illud dicamus, & videamus vtrum huic ſatisfaciat quæſtioni, quòd liberum arbitrium, naturaliter attributum à creatore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad finem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. Et ideo nec iſtam voluntatem, qua credit Deo, dici poteſt homo habere quam non acceperit: quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur accepit. Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt cùm eius Euangelio non credunt. nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, malíſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt. Vinceretur autem, ſi non inueniret quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo poſſent euadere quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit, verbi gratia, volo vt hi omnes ſerui mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur, ita vt quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei

Cap.33.

Philip.2.13.

poteſtate. Vnde ſcriptum eſt, *Semel locutus eſt Deus*, hoc eſt incommutabiliter. quanquam & de vnico verbo poſſit intelligi. Deinde ſubiungens quid incommutabiliter ſit locutus, *Duo hæc*, inquit, *audiui, quoniam poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, qui reddis vnicuique ſecundùm opera ſua*. Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit ad credendum miſericordiam eius. Quiſquis autem crediderit ei, qui ſe à peccatis omnibus abſoluendum, & ab omnibus vitiis ſanandum, & calore ac lumine eius accendendum inluminandúmque non contempſerit, habebit ex eius gratia opera bona, ex quibus etiam ſecundùm corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, boníſque ſatietur, non temporalibus, ſed æternis, ſupra quàm petimus & intelligimus. Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſoluendæ ſufficit, ſufficiat. Si autem reſpondetur, cauendum eſſe ne quiſquam Deo tribuendum putet peccatum quod admittitur per liberum arbitrium, ſi in eo quod dicitur, *Quid habes quod non accepiſti*, propterea etiam voluntas qua credimus dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus: attendat & videat non ideo tantùm iſtam voluntatē diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quòd viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecùs per euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecùs, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali vt ei credat, neque enim credere poteſt quod libet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut diximus, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt, *Quid enim habes quod non accepiſti*, verùm etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat & quid accipiat Dei eſt: accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis eſt. Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coartet, cur illi ita ſuadeatur vt perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat, *O altitudo diuitiarum!* & *Numquid iniquitas apud Deum?* Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.] Et in libro v. contra Iulianum, An oblitus es quod idem ipſe doctor ait, *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis?* Sed iudicia eius ſicut multa abyſſus. Nos certè, ſi eos in quos nobis poteſtas eſt ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittamus, rei

Pſal.61.12.

Cap.34.

Cap.3.

2.Tim.2.25

cum ipsis erimus. Quam verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique si noluisset, nulla ratione permitteret? & tamē iustus & bonus est, & quòd præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire.] Et in libro de Catechizandis rudibus, in quo qualitercumque hanc sententiam contra hæreticos exposuerit, quomodo imbuendis ad fidem tradenda sit, & imbutis tenenda sit, euidenter ostendit dicens, Verè, frater, illa magna & vera beatitudo est, quæ in futuro sæculo sanctis promittitur. Omnia verò visibilia transeunt, & omnis huius sæculi pompa, & deliciæ, & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos. A quo interitu, hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit vnigenitum filium suum, hoc est, Verbum suum æquale sibi, per quod condidit omnia, & manens quidem in diuinitate sua, & non recedens à patre, nec in aliquo mutatus, assumendo tamen hominem, & in carne mortali hominibus apparendo, venit ad homines, vt quemadmodum per vnum hominem, qui primus factus est, id est Adam, mors intrauit in genus humanum, quia consensit mulieri suæ seductæ à diabolo, vt præceptum Dei transgrederentur: sic per vnum hominem, qui etiam Deus est Dei filius, Iesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.] & in libro de Bono perseuerantiæ. Atque vtinam tardi corde & infirmi, qui non possunt scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re, quam nunc aduersus nouos hæreticos, non commemorare tantùm, sed planè tueri & defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exerendam, nullo vrgente aduersario, non putauit. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus, atque inimicis eius vt crederent? quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Christiana fide? Quis autem sibi vnquam non orauit, vt in Domino permaneret? aut quis sacerdotem super infideles Dominum inuocantem, si quando dixit, Da illis, Domine, in te sperare vsque in finem, non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs super eius talem benedictionem, & ore credente, & corde confitente, respondit Amen?] Ecce quomodo sanctus Augustinus consentit & confirmat quod sanctus dixerat Cælestinus, Legem credendi lex statuat supplicandi. Cur autem non omnes saluentur cùm omnes Deus saluos fieri velit, ipse in libro de Prædestinatione sanctorum dicit, Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt

Cap.26. Cap.23. Cap.24. Cap.6.

autem illi. quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm in aliis præparetur, in aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. Quod quærebat Israel, ait Apostolus, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis. oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem.* Et Dauid dicit, *Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributionem, & in scandalum illis. obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Ecce misericordia & iudiciũ, misericordia in electione quæ consecuta est iustitiam Dei, iudicium verò in ceteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt crediderunt, illi quia noluerunt non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta est.] & item, Est ergo in malorum potestate peccare. vt autem peccando hoc vel hoc illa mala faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam quòd faciunt contra Dei voluntatem, non impleatur nisi voluntas Dei.] Et in libro de Bono perseuerantiæ, Petimus ne inferamur in tentationem. & si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit vt fiat. nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.] Et in libro de Prædestinatione gratiæ, Quæstionis eius, quantum donante Domino possumus, occulta rimemur, quam B. Apostolus Paulus diuersis locis, non parum etiam discrepantibus verbis, studiosis proponit scrutatoribus, eísque per ipsam loquitur veritatem. Sententiam siquidem, in Dei gratiæ præcedentis latissima & robustissima disputatione confectam, ita concludens ait, *Ergo cui vult miseretur, & quem vult obdurat:* cùm in alia epistola de diuina beneuolentia ipse sic dicat, *Qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Occurrit enim, cur pereant ex his aliqui, cùm omnipotens omnes saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire: deinde quare rursum indurat alios, misertus aliorum, aut quo modo velit omnes saluos fieri homines, cùm ipse nonnullos ne saluentur induret. Hoc quantum ad humanam iustitiam videtur iniustum. Sed quis ita desipiat, vel potiùs quis ita blasphemet, vt dicat de iustitia Dei lege humanæ iustitiæ disputandum? Quæ profectò si iustitiæ Dei aduersatur, iniusta est. Ab illo enim qui summè iustus est, omne quod qualitercumque iustum est, manare manifestum est. Quis ergo erit, qui incommutabiliter manentem, & omnia quæ sunt condentem, regentem, atque seruantem, Dei sapientiam humanæ sapientiæ pendat arbitrio, de qua idem Apostolus dicit, quia *sapientia carnis inimica est Deo,* & alibi, *sapientia huius mundi stultitia est apud Deum?* Non est ergo de illa maiestate diuinæ sapientiæ humanæ vanitatis arbitrio disputandum.] & paulò pòst, Quem ergo mouet hæc in diuinæ gloriæ dispensatione diuersitas, & iniustum putat negari alteri quod alter acceperit, intelligat quemadmo-

Esa. 6. Rom. 11. 8. Psal. 68. 23. Cap. 6. Cap. 2. 1. Tim. 2. 4. Rom. 8. 7. 1. Cor. 3. 19. Cap. 3.

Psal.24. dum diuinitus dixerit Psalmista, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, atque cognoscat tali Deum res humanas agitare iudicio, vt debitas pœnas aut iustè reddat, aut misericorditer donet.] & paulo infrà. *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Mors intrare non potuit nisi intrante peccato: & quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum.] & post pauca, Quoniam in ipso omnes, quin primo homine, sicut ait Apostolus, peccauerunt, & ipsa iam in principio vnde descendimus massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quod verò Deus aliis gratuita vocatione conuersis misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam largitatem veritatis ratione referendum est.] & item post pauca, Itaque ex superiore huius parte sententiæ, qua dicit *cui vult miseretur*, puto quòd nullus nisi indignus misericordia audeat disputare. Quod verò sequitur, *quem vult indurat*, ibi paululum humanæ mentis intentio verbi nouitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset duritiam cordis operetur. Quid est enim aliud duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Vnde illud beatus Stephanus dicebat ad populum, *Dura ceruice, & non circumciso corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Quam qui à Deo fieri putat, propterea quòd dictum est *quem vult indurat*, ipsum præuaricationis intueatur exordium, & Deo donante mandatum, per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus adtendat. quamuis ne ab ipso quidem, si negaret adsensum, potuit tentatore compelli. Ergo quicquid post illam præuaricationem natus supplicij homo patitur, iustè reddi, meritóque fateatur. Indurare enim dicitur Deus eum, quem mollire noluerit, sic etiam excæcare dicendus est eum, quem inluminare noluerit, sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.] & post aliquanta, Qui autem piè quærens aliquid desiderat inuenire, illum locum eiusdem scripturæ relegat, vbi primò Moysi in rubo ignis apparuit, atque ita cor eius ardore diuinæ caritatis igniuit, vt in conspectu regũm, sicut Dauid dicit, testimonia eius sine confusione loqueretur: & ibi inueniet, totum hoc quod indurasse Deus Pharaonis cor præmittit, non ad operationem Dei, sed ad præscientiam pertinere. Loquens enim Dominus de rubo, sic dicit, *Ego autem scio quòd non dimittet vos Pharao rex Ægypti, nisi per manum magnam.* Sed extendens manum meam, percutiam Ægyptios in omnibus mirabilibus quæ faciã, & postea dimittet vos. Hæc prima vox Dei est, qua futuram voluntatẽ Pharaonis sicut præuiderat indicabat. Postea iam inter ipsos miraculorum imbres dixisse legitur, *Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum.* Vbi

Marginal notes: Rom.5.12. — Cap.4. — Rom.9.18. — Act.7.51. — Cap 6. — Exod.3. — Exod.4.21.

iam apertè intelligitur primam iterasse sententiam. Quid est enim indurabo, nisi non molliam? Apparet enim in alios manante iustitia, in alios gratia profluente, scripturæ illius sententiam fuisse completam, qua dixit Deus Pharaoni, *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt adnuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Vtente enim Deo bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, & tot ac tantis in illa gente miraculis pariter aceruatímque perfectis, quid aliud gestum est, quàm vt Dei virtus apud se magna, in se plena, ad humani generis notitiam perueniret, non Deo sed ipsis relegentibus & credentibus profutura? Pharaonem non esse mutandum, & illam omnem gentem, quæ post tot verbera vix sibi erutum Dei populum armis etiam insectari conabatur & bello, alta illa Deus prouidentiæ suæ luce præsciuit. Sed periturorum interitum prædestinatis à se vasis misericordiæ salutis esse voluit argumentum, & aliorum perditione ad salutem vsus est aliorum.] Et post plurima, Dominus noster Iesus Christus filius Dei, Verbum patris, æquale & coæternum patri, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & cùm peccatum ipse non esset, factus assumpta carne peccatum, vt peccato carnis homine sanato, peccatum damnaret in carne: venit quærere quod perierat, sanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat, potestatem habens dimittere peccata, quod non debebat donare, quod ei debebatur ignoscere, deletisque omnibus veteris culpæ maculis, quam fecerat reparare naturam. De his quibus pœnam seueritas iusta decreuerat, secundùm ineffabilem dispositionis occultæ misericordiam, elegit vasa quæ faceret in honorem: & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absoluit, alios derelinquens ad æqualitatis iudicium reseruauit, nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem. & ita plenitudo diuinæ præscientiæ, in alios manante iustitia, in alios gratia profluente completa est, vt pereuntibus quos præscierat Deus esse perituros, & seruatis quos in illa secreta sua electione præscierat esse saluandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.] Item ipse in Psalmo XXXII. Dominus dicit in Euangelio, *Non ego iudico quemquam: sermo quem locutus sum eis, ipse iudicabit eos in nouissimo die.* Nec se excuset qui audire non vult, quasi non sit quod ab illo exigatur. Idipsum enim exigitur, quia noluit accipere cùm daretur. Aliud est enim non posse accipere, aliud nolle. Illic excusatio necessitatis, hic reatus est voluntatis.] Et in Psalmo XXXV. *Dixit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.* Non vnum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi aduersantur, non intelligendo vt bene viuant, non quia non possunt, sed quia nolunt.]

Exod. 9. 16.

Cap. 13.

Conc. 11. in principio. Ioan. 8. 15.

In principio. Psal. 35. 2.

PROSPER quoque, vir eruditissimus atque religiosissimus, hinc in libro primo de Vocatione gentium ita dicit, Credimus & piissimè confitemur, quòd nunquam vniuersitati hominum diuinæ pro-

Cap. 2.

uidentiæ cura defuerit: quæ licèt exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, vt propheticas voces & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Vnde & inexcusabiles facti sunt, quia Deos sibi Dei dona fecerunt, & quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendum. In quam impietatem etiam illa gens, quam sibi ab omnibus gentibus Dominus segregauit, tota transisset, nisi misericordiæ suæ propositum sustentandis electorum lapsibus prætendisset. Nam plenæ sunt paginæ veteris testamenti de Israeliticæ defectionis relatu: vt apertè appareat diuinæ semper fuisse gratiæ, quòd non omnis ille populus discessit à Domino. Ita humana natura in primi hominis præuaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, semper in exteriorem est procliuior voluntatem, cui committi non est aliud quàm dimitti.] & post aliquanta, Quid enim mirum, si quidam ad vitæ sacramenta non veniunt, cùm plerique qui videbantur venisse discedant? de quibus dicitur, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.*] & post pauca, Tales non inuocant nomen Domini, quia non habent spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Nemo autem potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto: & quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, qui ad Deum per Deum perueniunt, & saluari volentes omninò saluantur: quia ipsum desiderium salutis ex Dei inspiratione concipiunt, & per inluminationem vocantis, in agnitionem veniunt veritatis.] Et item post aliquanta, Cùm hæc legerint vel audierint qui amant calumniosa certamina, dicent nos per huiusmodi disputationes Apostolo contradicere, definienti quòd Deus omnipotens omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apostoli ita nos integrè plenéque suscipimus, vt nihil ei de præcedentibus siue subiectis quæ ad ipsam pertinent subtrahamus: quia vt cetera diuinorum eloquiorum testimonia sequestremus, hic locus sufficit ad euacuandum quod calumniosè obiiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum magister Gentium Paulus Apostolus ait, *Obsecro igitur primò omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, qua Ecclesia vniuersalis imbuitur, ne in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio, quid ipsa vniuersalis Ecclesia sentiat requiramus:

Cap.3. Cap.4. 1.Tim.2.1.

ramus: quia nihil esse dubium poterit in præcepto, si obedientia concordat in studio. Præcepit itaque Apostolus, immo per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, & pro regibus, ac pro his qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo vbique Ecclesia Deo, non solùm pro sanctis, & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris suis persequuntur, pro Iudæis quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget, pro hæreticis & schismaticis, qui ab vnitate fidei & caritatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi vt relictis erroribus suis conuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant veritatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas euincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, vt quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem, misericors Dominus & iustus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari: vt cùm videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse quod vt præstaret oratus est, & gratias agentes pro his qui salui facti sunt, speremus etiam eos, qui necdum sunt inluminati, eodem diuinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, & in regnum Dei priusquam de hac exeant vita transferendos. Quòd si aliquos, sicut videmus accidere, saluantis gratia præterierit, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referendum est, & agnoscendum secreti huius profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus, & videmus nunc per speculum in ænigmate: nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui cùm de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, his quæ impossibilia erant enarrare succubuit.] & post pauca, Præmissa enim docentis assertio locum dabat multimodæ quæstioni, vt variata per tot populos ac tempora gratiæ causa quæreretur. cur scilicet anterioribus sæculis dimissæ essent omnes gentes ingredi vias suas, vno tantùm Israele, qui diuinis eloquiis erudiretur, excepto & ad cognitionem veritatis electo. Cuius infidelitas locum tandem saluandis gentibus fecerit, tanquam, si vnus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei ceteris nationibus se præstare non posset. Cur denique ipsi, quorum diminutio salus gentium est, ab obcæcatiône sua non liberentur priusquam ingrediatur gentium plenitudo, quasi inluminari cum omnibus nequeant, qui omnes fa- Cap. 5.

cta omnium gentium adeptione saluandi sunt. Aut quomodo omnis Israel sublata obcæcatione saluandus sit, cuius innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens ad tempora saluantis promissa non peruenit. Vel quomodo ipsarum gentium, quarum priùs non est facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cùm tanta promiscuæ ætatis & cõditionis hominum millia, in omnibus nationibus quæ sunt sub cælo, sine Christi iustificatione moriantur. Sed horum mysteriorum iudiciorúmque causas pius & doctus magister maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quàm iustissimæ veritatis & misericordissimæ bonitatis subtractum ab humana conditione secretum temeraria inquisitione discutere. nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his quæ non licet sciri. Multa enim sunt in dispensatione operum diuinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, vt cùm pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione subducta, vt in eadem re & de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur.] & post plurima, Si verò quæritur, cur saluator omnium hominum non omnibus dederit hunc sensum, vt cognoscerent verum Deum, & essent, id est permanerent, in vero filio eius: quamuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam, de quo pleniùs in consequentibus differemus: tamen ita fortè hoc velatum sit, sicut illud absconditum est, cur omnibus gentibus prætermissis, vnum sibi populum quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit. De quo iudicio Dei si non est conquerendum, multo minus de hoc quod cum electione omnium gentium geritur murmurandum est. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neglegenda.] & in Libro II. Quamuis enim ad omnium hominum vocationem Euangelium dirigeretur, omnésque Dominus vellet saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, vt aliter quàm occulto iustóque iudicio statuerat consilij sui ordo decurreret. Vnde locum non habent contumacium murmura querelarum, quia quod Deus fieri voluit, constat non aliter fieri debuisse quàm voluit.] & post pauca, Sed ne in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri Iesu Christi resurrectionem vbique diffusa est, & de qua scriptum est, *Inluxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*, defuit mundo.] & paulo pòst, Non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret.] & paulo pòst, Igitur sicut dicit Propheta, *Misericordia Domini plena est terra.* quæ nullis vnquam sæculis, nullis generationibus defuit, eámque prouidentiam, qua vniuersitatem rerum administrat & continet, regendis alendísque naturis semper

Cap.7. Cap.1. Psal.76.19. Psal.32.5.

impendit, diſpoſitum habens ex incommutabilis æternitate conſilij, quibus quidque temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles inueſtigabiléſque menſuras per quæ dona ac ſacramenta variaret.] & item poſt aliquanta. Manifeſtauerunt enim diuinorum eloquiorum multæ auctoritates, & continua omnium ſæculorum experimenta docuerunt, iuſtam Dei miſericordiam, miſericordémque iuſtitiam, nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandíſque eorum mentibus defuiſſe. Semper etenim pluit ſuper bonos & malos, ſemper ſolem ſuum oriri fecit ſuper iuſtos & iniuſtos.] & plurima diuinæ miſericordiæ dona commemorans prolixè proſequitur. Et poſt aliquanta, Cùm tamen illud, quod de bonitate Dei piiſſimè creditur, qua omnes homines velit ſaluos fieri & in agnitionem veritatis venire, non oporteat niſi perpetuum æternúmque ſentiri, ſecundùm eas menſuras quibus Deus dona generalia ſpecialibus nouit cumulare muneribus, vt & qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur, & qui in eius lumine enituerint, non in ſuo merito ſed in Domino glorientur.] & poſt aliquanta, Siue igitur nouiſſima contemplemur ſecula, ſeu media, rationabiliter & piè creditur omnes homines ſaluos fieri Deum velle ſempérque voluiſſe. Et hoc non aliunde monſtratur, quàm de his beneficiis, quæ prouidentia Dei vniuerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac ſunt eiuſmodi dona iſta generalia, vt ipſorum teſtimonio ad quærendum verum Deum poſſent homines adiuuari. quibus donis auctorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licet copioſiùs nunc quàm antè præſtetur, cauſas tamen diſtributionum ſuarum Dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentiſſimæ voluntatis occuluit. Quæ ſi omnibus vniformiter affluerent, non laterent, & quàm nulla eſt ambiguitas de benignitate generali, tam de ſpeciali miſericordia nihil quod ſtupendum eſſet exiſteret, ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet. Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, & illam à nemine ſubmouere, vt ex vtraque appareat, non negatum vniuerſitati quod conlatum eſt portioni: ſed in aliis præualuiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam. Hanc quippe abundantiorem gratiam ita credimus atque expetimus potentem, vt nullomodo arbitremur eſſe violentam, quo quicquid in ſaluãdis hominibus agitur, ex ſola Dei voluntate peragatur, cùm etiam ipſis paruulis per alienæ voluntatis ſubueniatur obſequium.] & item, Igitur ſicut qui crediderunt iuuantur vt in fide maneant, ſic qui nondum crediderunt iuuantur vt credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate vt exeant: ita & iſti habent in ſua poteſtate ne veniant. fitque manifeſtum, quòd diuerſis atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed qui veniunt Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt ſua

Cap. 3. Cap. 7. Cap. 8. Cap. 9.

Sententia VIII. pertinacia reluctantur.] Et contra Gallos, Item qui dicit quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, duriùs loquitur quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, & voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinauit, prædestinatos vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos glorificauit.] & post pauca, Quod autem promisit Deus, potens est & facere: vt & qui saluantur ideo salui sint, quia illos voluit Deus saluos fieri, & qui pereunt ideo pereant, quia Cap. 10. perire meruerunt.] Vnde & in libro II. de vocatione gentium. Nullatenus murmurandum est, quoniam iustus & bonus arbiter, nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ, vt sub immensa misericordia eius atque iustitia putemus quòd quisquam pereat qui perire non debeat.] & de Vincentianorum obiectione, quia Deus nolit Obiect. II. Matth. 7. II omnes saluare, etiamsi omnes saluari velint, Cùm veritas dicat, *Si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit bona petentibus se?* quomodo fieri potest, vt Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici non potest quòd saluari velint, nolit aliquos saluare etiam qui saluari velint, nisi aliquæ causæ existant, de quibus, quamuis sunt nobis incognoscibiles, ille tamen bene iudicat, de quo aliter dici non potest eum quicquam facere debuisse quàm fecerit? Remota ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissimè credendum atque profitendum, Deum velle vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, solicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi saluantur, saluantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis Dei iustitia est: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.]

Et sanctvs Cælestinvs sententiam promulgatam vt legem credendi lex nobis statuat supplicandi, videlicet quia pro omnibus à catholica supplicatur Ecclesia, Deum saluos fieri omnes homines Post Epistolam 8. velle credamus, sic in conclusione confirmat dicens, Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est æterna præmia sit donaturus.]

Sanctvs quoque Leo, vir religiosissimus atque doctissimus & facundia honestissimæ eloquentiæ valde profusus, quia recens ante ordinationis eius tempora hæresis ista emersit, quanta & qualia contra eam intentet, est solertissimè attendendum. Ait enim in epistola ad Leonem Augustum, Sicut enim negari non potest, Euangelista dicente, quòd *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: ita negari non potest, beato Paulo Apostolo prædicante, quòd *Deus erat*

Ioan. 1. 14. 2. Cor. 5. 19.

in Christo mundum reconcilians sibi. Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causa mediator Dei & hominum carnem susciperet?] & item. Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo vacuauit: vt sicut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in omnes manante iustitia, vbi est humana suscepta natura.] Et in epistola ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, Isdem verò sempiterni genitoris vnigenitus sempiternus, natus est de Spiritu sancto & Maria Virgine. Quæ natiuitas temporalis illius natiuitati diuinæ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit: sed totum se reparando homini qui erat deceptus impendit, vt & mortem vinceret, & diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare nos possemus peccati & mortis auctorem, nisi naturam nostram ille suscepisset & suam faceret, quam nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere.] Et item in eadem, Salua igitur proprietate vtriusque naturæ atque substantiæ, & in vnam coeunte personam, suscepta est à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas: & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remediis congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero.] & item in eodem, Nam quia gloriabatur Diabolus, hominem sua fraude deceptum diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subisse sententiam, seque in malis suis quoddam de præuaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoque, iustitiæ exigente ratione, erga hominem, quem tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam, opus fuit secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispositionem in sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.] Item idem Homilia de Epiphania, Ad omnium hominum spectat salutem, quòd infantia mediatoris Dei & hominum iam vniuerso declarabatur mundo, cùm adhuc exiguo detineretur oppidulo.] Item in Sermone de eadem, Prouidentia misericordiæ Dei, dispositum habens pereunti mundo in nouissimis temporibus subuenire, saluationem omnium gentium præfiniuit in Christo. vt quia & cunctas nationes à veri Dei cultu impiorum error dudum auerterat, & ipse peculiaris Dei populus Israel ab institutis legalibus pene totus exciderat, conclusis omnibus sub peccato, omnium misereretur.] & item, Adorent in tribus Magis omnes populi vniuersitatis auctorem, & non in Iudæa tantùm Deus, sed in toto orbe sit

Epist.x. cap.2.

Cap.3.

Cap. eod.

Homil.1. cap.1.

Serm.III. cap.1.

Eod. cap.3.

notus, vt vbique ſicut in Iſrael ſit magnum nomen eius: quoniam hanc electi generis dignitatem, ſicut infidelitas in ſuis poſteris conuincit eſſe degenerem, ita fides omnibus facit eſſe communem.]

Serm.v.c.2. Item, Quod illi tres viri, vniuerſarum gentium perſonam gerentes, adorato Domino ſunt adepti, hoc in populis ſuis per fidem, quæ iuſtificat impios, totus mundus aſſequitur.]

SANCTVS FELIX Papa in Epiſtola Decretali per diuerſas Prouincias, ad locum. Sed quia idem inquiens Dominus atque ſaluator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, ſi reſipiſcant, iacere conueniat.

Cap.vi. ET SANCTVS GREGORIVS in libro VIII. Moralium, Ad hoc namque homo conditus fuerat, vt ſtanti mente in arcem ſe contemplationis erigeret, & nulla hunc corruptio à conditoris ſui amore declinaret.] & item, Nunc enim peccator quiſque Deum non metuit & viuit, blaſphemat & proficit: quia ſcilicet miſericors Creator, quem expectando vult corrigere, aſpiciendo non vult punire, ſicut ſcriptum eſt, *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*] & item, Ad contemplandum quippe Creatorem homo conditus fuerat, vt eius ſemper ſpeciem quæreret, atque in ſolemnitate illius amoris habitaret. Sed extra ſe per inobedientiam miſſus, mentis ſuæ locum perdidit, quia tenebroſis itineribus ſparſus, ab inhabitatione veri luminis elongauit.] & item, Cur quaſi contrarium tibi hominem deſpicis, qui certus ſcio quia perire vel ipſum quem deſpicere crederis non vis?] Et in libro decimo ſeptimo, *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia.* Quiſquis delinquit & viuit, idcirco hunc diuina diſpenſatio in iniquitate tolerat, vt ab iniquitate compeſcat. Sed qui diutiùs toleratur, nec tamen ab iniquitate compeſcitur, munus quidem ſupernæ patientiæ percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſo ſe munere artiùs adſtringit.] Et in Regula Paſtorali cap. XXXVII. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam. Omnes iſti æs, & ſtagnum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis.* Ac ſi apertè dicat, Purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum illos vel aurum fieri quæſiui: ſed in fornace mihi in æs, ſtagnum, ferrum, & plumbum verſi ſunt, quia non ad virtutem, ſed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt.] Item in libro decimo ſeptimo, Quòd qui pereunt, ſicut & primus homo, non Dei voluntate, ſed ſua iniquitate pereunt. Ad vitam, inquiens, conditus homo in libertate propriæ voluntatis, ſponte ſua factus eſt debitor mortis.]

Cap.ix. / Sap.11.14. / Cap.x. / Cap.xx. / Cap.iv. / Ezech.22.18.

Cap.xx. Et item in octauo, Tunc ſibi contrarium Deus hominem poſuit, cùm homo peccando Deum dereliquit. Iuſtus verò conditor hunc ſibi contrarium poſuit, quia inimicum eum ex elatione deputauit.] & item, Sunt plerique, qui etiam poſt perceptum redemptionis auxilium, ad deſperationis tenebras deuoluuntur, & tanto nequiùs pereunt, quanto & oblata remedia miſericordiæ contemnunt.] &

item, Nimirum Deus mirabiliter cuncta diſpenſat, & iuſtè facit quod malignus ſpiritus iniuſtè facere appetit, & hoc fieri non niſi iuſtè permittit.] Et in libro decimo octauo, Qua in re quærendum eſt [cur dicatur quòd hanc partem atque hæreditatem ſuam praui ab omnipotente percipiunt. Sed ſi rectè conſideratur, liquet quia etſi à ſeipſis habuerunt iniuſtè agere, ſupernæ tamen æquitati ſuppetit iniuſtè acta iuſtè iudicare, vt diuina ſententia ordinet in pœna, quos inordinata ſua actio traxit ad culpam.] & item, Nam bona faciens & ordinans Deus, mala verò non faciens, ſed ab iniquis facta, ne inordinatè eueniant, ipſe diſponens, conſiderat vniuerſorum finem, & patienter tolerat omnia, atque intuetur electorum terminum quo ex malo mutentur ad bonum. Intuetur etiam reproborum finem, quo de malo opere dignum ſe trahantur ad ſupplicium.] Et item in libro decimo ſexto, *Anima eius quodcumque voluit hoc fecit.* Sic itaque eius anima quodcumque voluit hoc fecit, vt inde quoque voluntatem ſuam impleat, vnde voluntati illius repugnari videbatur.] Item idem in libro vigeſimo quinto, Aliquando facere Dei eſt, id quod fieri prohibet iraſcendo permittere.] Item in eodem, Nemo diſcutiat, cur ſtante Iudaico populo dudum in infidelitate gentilitas iacuit, & cur ad fidem gentilitate ſurgente Iudaicum populum in infidelitatis culpa proſtrauit. Nemo diſcutiat, cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex merito. Si enim gentilitatem miraris aſſumptam, ipſo concedente pacem quis eſt qui condemnet? Si Iudæam obſtupeſcis perditam, ex quo abſconderit vultum ſuum, quis eſt qui contempletur eum? Itaque conſilium ſummæ & occultæ virtutis ſatisfactio ſit apertæ rationis.] Item in libro XXVI. *Si audierint & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria: ſi autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur ſtultitia.* Per bonum recta actio, per gloriam verò ſuperna retributio deſignatur. Qui verò obedire præceptis cæleſtibus ſtudent, dies ſuos in bono complent, annos in gloria: quia & curſum præſentis temporis in recto opere, & conſummationem ſuam perficiunt felici retributione. Si verò non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur ſtultitia: quia & vindicta eos in tribulatione perculit, & finis in fatuitate concludit. Sunt enim nonnulli, quos à perditis moribus nec tormenta compeſcunt. de quibus per Prophetam dicitur, *Percuſſiſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* & de quibus ſub Babylonis ſpecie dicitur, *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* & de quibus rurſum dicitur, *Interfeci & perdidi populum meum, & tamen à viis ſuis non ſunt reuerſi.* Hi nonnunquam deteriores exiſtunt ex verbere, quia pulſati doloribus, aut contumaci pertinacia duriores exiſtunt, aut quod peius eſt in blaſphemiæ etiam exaſperatione proſiliunt.] Item in libro vigeſimo ſeptimo, *Sicut ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua*

Cap. ii. — Cap. xviii. — Cap. xiii. — Cap. xxii. — Iob 36.11. — Hier. 5.3. — Hier. 51.9. — Hier 15.7. — Eccle. 11.5.

Cap. II. *ratione compinguntur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei qui fabricator eſt omnium.* Vt enim vnum è multis loquar, duo ad hanc lucem paruuli veniunt, ſed vni datur vt ad redemptionem per baptiſma redeat, alter antè ſubtrahitur quàm hunc regenerans vnda perfundat. & ſæpe fidelium filius ſine fide rapitur, & ſæpe infidelium conceſſo fidei ſacramento renouatur. Sed fortaſſe aliquis dicat, quòd hunc Deus acturum prauè etiam poſt baptiſma nouerat, & idcirco eum ad baptiſmatis gratiam non perducat. Quod ſi ita eſt, peccata quorumdam proculdubiò, priuſquam ſint perpetrata, puniuntur. Et quis ita recta ſciens dixerit, quia omnipotens Deus, qui alios à perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis etiam non perpetrata condemnat? Occulta itaque ſunt eius iudicia, & quanta obſcuritate nequeunt conſpici, tanta debent humilitate venerari.] In libro

Cap. II. XXVIIII. Cùm diuini operis myſterium ſic miſericordia peragat, vt tamen & ira comitetur, quatenus occultus arbiter alios reſpi-

Iob 38. 25. Cap. III. ciens redimat, alios deſerens perdat.] Item in eodem, *Auferetur ab impiis lux ſua.* quia dum veritati credere renuunt, cognitionem legis in perpetuum amittunt: & dum de accepta lege ſuperbiunt, nimirum de ſcientiæ ſuæ gloria cæcantur. Scriptum quippe eſt, *Obſcurentur oculi eorum ne videant.* rurſúmque ſcriptum eſt, *Excæca cor populi huius*

Pſal. 68. 24 *& aures eius adgraua.* & rurſum ſcriptum eſt, *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant,* & quia ſemetipſos de legis operibus contra conditorem legis extulerunt, aptè

Ioan. 9. 39. ſubditur, *& brachium excelſum conteretur.*] In libro XXXI. Iuſti viri ſecuritas rectè leoni comparatur, qui contra ſe cùm quoſlibet inſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit, & ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat, quia illum ſolum diligit, quem inuitus nul-

Cap. 7. lo modo amittit.] In libro XXXII. Superbos enim atque impios iuſto iudicio Dominus in puluere abſcondit, quia eorum corda ipſis, quæ deſpecto amore creatoris eligunt, terrenis opprimi negotiis

Cap. 10. permiſit.] Item in libro XXXIII. Vbique nobis occurrit ſuperna medicina, quia & dedit homini præcepta ne peccet. & tamen peccanti dedit remedia ne deſperet. Vnde cauendum ſummopere eſt, ne quis delectatione peccati Leuiathan iſtius ore rapiatur, & tamen ſi raptus fuerit non deſperet, quia ſi peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla eius inuenit per quod euadat. Iam dentibus teritur: ſed adhuc, ſi euadendi via quæritur, in maxilla eius foramen inuenitur. Habet etiam captus quò exeat, qui præuidere noluerit ne caperetur.]

Cap. eodẽ. & poſt paululum, *Miſericordia enim & ira ab illo.* Diuina itaque clementia maxillam Vehemoth iſtius perforans, vbique humano generi & miſericorditer & potenter occurrit: quia nec libero admonitionem præcauendi tacuit, nec capto remedium fugiendi ſubtraxit.]

Cap. 20. Item in libro XXXIII. Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex ſua actione non teneor. Idcirco enim tunc

nequa-

nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant ex libero arbitrio contempserunt.] & item, Leuiathan iste beatitudinem quidem meam perdidit, sed dominium non euasit. quia & ipsæ mihi potestates inseruiunt, quæ mihi prauis actionibus aduersantur.] Item in eodem, Dum ergo eis Dominus vicem malorum operum redderet, dedit illis scutum cordis laborem suum: quia recto iudicio inde illos contra se superbè obstinatos exhibuit, vnde ipse pro nobis in infirmitate laborauit. Repulerunt quippe à se verba prædicantium, quia dedignati sunt in Domino infirma passionum.] Item in libro XXXIV. *Non fugauit eum vir sagittarius.* Vnde bene peccatis præcedentibus irascens Dominus, de his quos in manu antiqui hostis deserit, per Prophetam dicit, *Immittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* ac si diceret, iusto iudicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui à vobis excuti exhortatione prædicantium, quasi incantantium sermone, non valeant.] & post paululum, Sed quid mirum si humanas vires despicit, qui ipsa etiam superni in se iudicij æterna tormenta contemnit?] Item in eodem libro, Omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur, scilicet vt & iusti omnes, & in Domino videant gaudia quæ percipiunt, & iniusti respiciant supplicia quæ euaserunt. vt tanto in æternum magis diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala punire conspiciunt, quæ eius adiutorio vitare potuerunt.] Et in Homilia Euangelij prima, Dominus & Redemptor noster, paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum quæ mala sequantur denuntiat.] Et item in eadem, In potestate & maiestate visuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt, vt virtutem eius tanto tunc districtiùs sentiant, quanto nunc ceruicem cordis ad eius patientiam inclinant.]

Cap. codē. Cap. 24. Cap. 10. Hier. 8. 17. Cap. codē. Cap. 15.

ET VENERABILIS presbyter BEDA in tractatu Actuum Apostolorum, Ipse Petrus sic intellexit omnes homines æqualiter ad Christi Euangelium prouocari, nullúmque secundùm naturam esse pollutum.] Et item, *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt.* Ne putemus crassitudinem cordis, & grauitatem aurium, naturæ esse non voluntatis, subiungit culpam arbitrij, & dicit, *Et oculos suos compresserunt, ne fortè videant oculis.* id est, ipsi meritis præcedentibus causa fuerunt, vt Deus eis oculos clauderet. Vel ad superiora iungendum est, dicente Domino ad Prophetam, Vade ad populum istum, & peccata quibus cæcitatem meruerunt illis impropera, si fortè vel sic audire & ad me conuerti dignentur.] Et item idem in expositione Euangelij Euangelistæ Marci, Qui ergo manifestè intelligens opera Dei, cùm de virtute negare non possit, ca-

Act. 28. 27. Lib. 1. c. 3.

dem ſtimulatus inuidia calumniatur & Chriſtum, Deíque Verbum, & opera Spiritus ſancti dicit eſſe Beelzebub, iſti non dimittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Non quòd negemus & ei, ſi pœnitentiam agere voluerit, poſſe dimitti ab eo qui vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ſed quòd ipſi iudici & largitori veniæ credentes, qui & ſe pœnitentiam ſemper accepturum, & hanc blaſphemiam nunquam dicit eſſe remittendam, credamus hunc blaſphemum, exigentibus meritis, ſicut nunquam ad remiſſionem, ita nec ad ipſos dignos pœnitentiæ fructus eſſe peruenturum. Iuxta hoc quod Ioannes Euangeliſta de quibuſdam blaſphemiæ ſuæ merito excæcatis veraciſſimè ſcripſit, *propterea non potuerunt credere*, quia iterum dixit Eſaias, *excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos.*] & item, Hi autem ſunt, qui circa viam vbi ſeminatur verbum, & cùm audierint confeſtim venit Satanas, & aufert verbum quod ſeminatum eſt in corda eorum, & cetera. In hac Domini oppoſitione omnis eorum, qui audire quidem verba ſalutis potuerunt, ſed ad ſalutem peruenire nequeunt, diſtantia comprehenditur. Sunt namque, qui verbum quod audiunt, nulla fide, nullo intellectu, nulla ſaltem tentandæ vtilitatis occaſione percipere dignantur. quorum indiſciplinatis ac duris cordibus mandatum verbum confeſtim immundi ſpiritus, quaſi viæ tritæ volucres ſemen eripiunt.] & item, *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit. & mirabatur propter incredulitatem illorum.* Non quo etiam illis incredulis non potuerit virtutes multas facere, ſed quo ne multas faciens ciues incredulos condemnaret.] & item, *Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* Sic intelligendum eſt, regnum cælorum non eſt dantis, ſed accipientis. Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum: ſed quicumque talem ſe præbuerit, vt regno cælorum dignus ſit, hic accipiet quod non perſonæ ſed vitæ paratum eſt. Si itaque tales eſtis qui conſequamini regnum cælorum, quod pater meus triumphantibus & victoribus præparauit, vos quoque accipietis illud.] & item, Et tu ſi non vis audire in iudicio à Chriſto, Diſcede à me maledicte in ignem æternum, quia eſuriui & non dediſti mihi manducare, arbor eſſe ſterilis in hac vita caueto: quin potiùs pauperi Chriſto & eſurienti fructum pietatis quo indiget offer.] & item, *Scriptum eſt quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Omnibus, inquit, gentibus, non vni genti Iudææ, nec in vno Hieroſolymæ vrbis loco, ſed in toto orbe terrarum.] Item in Commento Euangelij Lucæ, Nam ſicut in quibus venandi ars eſt, vbi feras, piſces, & volucres plus abundare didicerint, ibi ſua maximè retia tendunt: ita & Dominus ſemper docuit in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniebant, volens omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis

Ioan. 12. 39. 40.
In Marcum lib. 1. c. 4.
Ibid lib. 2. cap. 6.
Ibid. lib. 3. cap. 10. Marc. 10. 40.
Marc. 11. 17.
Ibid. c. 11.

venire.] Et item, *Tulistis clauem scientiæ.* hoc est, humilitatem fidei Christi, qua ad diuinitatis eius agnitionem peruenire poteratis, spernentes abicere maluistis.] & item, Nam si petenti datur, & quærens inuenit, & pulsanti aperietur, ergo cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur, apparet quòd non bene petierit, quæsierit, pulsauerit.] & item, Verùm ille qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nunc ad eos, nunc eis audientibus ad discipulos suos verba faciendo, consuetæ pietatis dona benignus impendere non cessat.] & item, *Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat.* Hoc est quod alibi dicit, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Pius sanè magister, qui murmurantibus turbis sua mysteria non dedignatur exponere, adeo scilicet peccatorum pœnitentiam non esse respuendam, vt ipse Dei filius ob hanc maximè quærendam sit destinatus ad terras. Qui vt pietatis suæ nobis dispensationem inculcet, sæpissimè se filium hominis appellat, commendans sollicitè nobis quod factus est benignè pro nobis.] & item, Impietatem Iudæorum, vel omnium reproborum ad Christum conuerti nolentium, significat in die iudicij puniendam.] & item, Quia visitationis suæ tempus minimè cognouit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis suæ societate conligatur.] & item, Semper ambigere dicitur Deus, vt libera voluntas homini reseruetur.]

Ibid. lib. cap. 11.

Lib. v. c. 19.

ET CASSIODORVS in Psalmo LV. Ipsum est enim *quacumque die*, quia Dominus clementi patientia quodlibet tempus nostræ conuersionis expectat. Et ideo culpabiles sustinet, expectat errantes dicens, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Solum est enim, vt in hac vita peccatum omne fateamur, vbi & humana fragilitate delinquimus.] Et in Psalmo LXVIII. Additum est *in retributionem*, quia subtracta illa mensa & gentibus tradita, malorum retributio fuit. quippe quando in ea epulari nolentes ab ea meritò videntur excludi.] Et in Psalmo LXXIII. In præsenti psalmo ciuitatis subuersio deploratur, vt durissimus animus Iudæorum, vel ipsius ciuitatis suæ calamitatibus terreretur. Totum fecit medicus bonus, si sanitatem recipere voluisset ægrotus.] Et in Psalmo LXXV. Amiserunt ergo & istud, qui maiestati eius nequaquam credere voluerunt.] Et in Psalmo LXXVI. Et benedixit sicut oues, non tamen oues, quia non credendo facti sunt hœdi.] Et in Psalmo LXXVII. Genus prauum, quia veritatem recipere noluerunt.] & item in eodem, Malitiam hominis in sua indignatione, & ira, & tribulatione dereliquit, vt propriis peruersitatibus affligantur, qui diuinis iussionibus obedire contemnunt.] Et in Psalmo XCIV. Nam cùm quadraginta diebus ad mysticum numerum Dominus ieiunauerit, cùm alios quadraginta dies cum Apostolis post resurrectionem fecerit vt totus mundus crederet, Iudæi obstinati reperti sunt. Qui quadraginta annorum

beneficiis adquiescere noluerunt. Quibus ideo paratur maior ruina, quia in eis grandescit diuturna superbia.] & item, Qui ergo ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Significat enim beatitudinis illius tempus, quando iusti post agonem sæculi istius æterna requie perfruuntur: quod impiis utique non dabitur, qui sua indignitate duruerunt.] Et in Psalmo XCV. Hîc verò dictum est *patriæ gentium*, vt nullus indigena, nullus hospes, nullus peregrinus redderetur exceptus.] Et in Psalmo CXIII. Nullum genus hominum ei credens probatur exceptum, quod sit ab eius muneribus alienum.] & in Commento Epistolæ ad Romanos plura his concinentia dicit, quæ studio breuitatis omittimus.

CAPVT XXVI.

Recapitulatio redditæ rationis post sanctorum nomina designata de Capitulo tertio.

ECCE quid ex hoc Capitulo senserunt diuino repleti Spiritu sancti Dei homines. Ceterùm capitula à nobis ex sanctorum Patrum dictis excerpta, quæ reprehendit, domnus Prudentius venerabilis Episcopus nobiscum constituit atque firmauit. Quæ postea in hac epistola, de qua loquimur, ita confudit atque præposterauit, vt verbis aliis, & sensu contrario, & ordine immutato, illa quantum ex ipso fuit disperderet. Nec plus inuenit quo illa discerperet. verba mutauit, sensum contrarium intulit, ordinem adeo perturbauit, vt de secundo primum, & de tertio quartum redderet. Si adhuc quartum modum inuenire potuisset, quo illa dissiparet, manifestum est quia voluntariè faceret. Tamen quicquid ille gesserit, ordo ponendi legitimus iste manebit, vt primò ponatur ab eo qui capitulatim illa cupit describere, De præscientia & prædestinatione electorum, ac pręscientia & relictione reproborum, quæ ante omnia tempora extitit. Deinde de arbitrio libero, quod homo in tempore accepit, & diaboli suasione suo vitio infirmauit: atque de Dei gratia, sine qua in primo homine perditi non reparantur electi, & qua non liberantur in generali perditionis massa relicti. Et tunc, quoniam hominis arbitrium liberum, licet merito primæ culpæ libertatem, id est boni possibilitatẽ perdiderit, non tamen nomen & rationem amisit, Deus, qui hominem ad imaginem & similitudinem suam condidit, quemque ad æternitatem consistere voluit, à latronibus vulneratum ac semiuiuum relictum, verus scilicet medicus, gratia sanare venit plagis mortalibus saucium, & pastor bonus gratis quærere & saluare perditam venit ouem. Sicque ponendum est quod dicit Ioannes Apostolus, *Quod nos vidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi.* qui secundùm Paulum, *vult omnes homines saluos fieri, & in agnitio-*

1.Ioan.1.14
1.Tim.2.4.

nem veritatis venire, & iuxta Petrum, *neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* & tunc demum, quod iterum Ioannes dicit, *Et in hoc cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*, qui vt Petrus dicit, *semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis.* Fidelis enim sermo, quoniam vt Paulus dicit, *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, vt omnis qui credit in ipsum non pereat*, Euangelio conclamante, *sed habeat vitam æternam.* Vnde & idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, discipulis suis iussit, *Prædicate*, inquiens, *Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Credentes autem baptizati, & per Dei gratiam salui facti, crediderunt quia voluerunt: non credentes, non baptizati, neque salui facti sunt, quia credere noluerunt, & ideo perierunt. *Qui non credit*, inquit, *iam iudicatus est*, id est Dei præscientia iam damnatus est. quare? *quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem.* Quæ sint tenebræ ipse consequenter exponit dicens, *Erant enim eorum mala opera.* vt & fides, quæ per dilectionem operatur, lux est, sicut item scriptum est, *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* quæ sine fide non possunt esse bona, quia nec Deo sunt placita. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Bona nempe agens venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quæ in Deo sunt facta, qui lux venit in mundum dicens, *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulabit in tenebris.* quas odit qui nihil odit eorum quæ fecit, & perseueranter eas dilexerunt qui perierunt, & quod diligit iustus Dominus qui iustitias dilexit, diligentes iniquitatem & odientes animam suam oderunt, & ideo perierunt. Iuxta quod item miserator misericors miseriam perituræ ciuitatis deflens dicit Hierusalem, *Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti?* Ac si apertè diceret, quod volui noluisti, & idcirco peristi, sicut qui omnibus *vigilate* dicit, & ad omnes per Salomonem dicit, *Vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis quod timebatis aduenerit. Cùm inruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam. manè consurgent, & non inuenient me.* quoniam ibi iam à Deo mereri non potest quod petit, qui hîc noluit audire quod iussit.

2.Pet.3.9. 1.Ioan.3.16 1.Pet.3.18. 1.Tim.1.15. Ioan.3.15. Marc.16.14 Ioan.3.18. Matth.5.16 Ioan.8.12. Luc.13.34. Prou.1.24.

Nam si, vt dicunt isti moderni Prædestinatiani, non est quisquam quem Deus saluari velit & non saluetur, & quicumque non saluantur, penitus non esse voluntatis illius vt saluentur, & his qui saluantur imposita est necessitas salutis, & his qui pereunt imposita est necessitas perditionis, atque ideo nec illi iustè damnantur qui saluari non potue-

runt, nec isti iustè remunerantur, quia aliud quàm saluandi esse nequiuerunt. vt in vtraque parte & perditio & salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio diuinæ præordinationis, quoniam vtrisque aufertur penitùs arbitrium voluntatis, cùm scriptum de Deo sit, *quia tu reddes vnicuique secundùm opera sua.* & iterum, *Numquid iniquus Deus qui infert iram? absit.* Et venerabilis Beda presbyter in Homilia Euangelij exponens sententiam ipsius ait, *Et cùm venerit*, quin Spiritus sanctus, ille *arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Claret namque, quòd ipse filius Dei Dominus noster Iesus Christus, cùm esset in mundo, arguebat mundum, id est sectatores mundi, de peccato suæ incredulitatis, arguebat de iustitia, quia videlicet iustitiam fidelium nollent imitari, arguebat de iudicio, videlicet quare diabolum, qui iam iudicatus & damnatus erat, sequerentur. Sed non sine causa Spiritum, cùm venerit, hoc idem dicit acturum: quia profectò per huius inspirationem corroborandus erat animus discipulorum, ne mundum, qui contra se fremebat, arguere timerent. Exponens sententiam suam Dominus adiunxit, *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum est vitiorum in incredulitate persistere, Domino terribiliter adtestante qui dicit, *Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* At contrà, iustus ex fide viuit.] & paulo pòst, Iustitia ceterorum fidelium, qui Dominum in carne non viderunt, hæc est, quòd eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum & hominem verum corde credunt ac diligunt. De qua profectò iustitia fidei arguuntur infideles, cur ipsi videlicet, cùm similiter verbum vitæ audirent, noluerint credere ad iustitiam. Neque enim nequitia malorum ex sua solùm fortitudine, verùm etiam ex comparatione rectorum, quàm sit damnanda monstratur.] Sed & sanctus Augustinus in libro de Agone Christiano de hac Euangelij sententia dicit, *Qui non credit iam iudicatus est.* Præscientia vtique Dei, qui nouit quid immineat non credentibus.] Hinc etiam apparet mentiri Prædestinatianorum scholam dyscolam, quæ ex hac Euangelij sententia adfirmare luctatur à Deo prædestinatos ad interitum. Et item venerabilis Beda presbyter in Commento Euangelij Lucæ, beati Augustini & aliorum Patrum orthodoxorum sequens sententias ait, *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Hæc ad superiora sententia respicit, docens & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est non vtitur, & in eo augeri qui habens habet, hoc est bene vtitur. Et paulo superiùs, Rectè amittit conlatam gratiam, quam prædicando aliis communicare neglexit, vt ei augeatur qui inde laborauit, iuxta quod Angelo Ephesi Ecclesiæ dicitur, *Et mouebo candelabrum suum de loco suo, nisi pœnitentiam egerit*, & cùm regium

Psal. 61. 13.
Rom. 3. 5.
Ioan. 16. 8.
Cap. 27.
Cap. 8.
Matth. 13. 11.
Apoc. 2. 5.

chriſma, quod ſuperbiendo Saul amiſit, Dauid obediendo promeruit, *Spiritus*, inquit, *Domini diſceſſit à Saul, & directus eſt in Dauid à die illa & deinceps.*

Proferunt quoque Prædeſtinatiani ad ſuam confirmandam ſententiam, quoniam qui non ſaluantur non eſt penitus voluntas Domini vt ſaluentur, Pſalmorum teſtimonia, *Deus noſter in cælo, omnia quæcumque voluit fecit*, & *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Sed longè ſenſu alio illa exponunt doctores catholici. Nos autem, antequam ſanctorum hinc expoſitiones ponamus, illos interrogare volumus, vtrum voluntate Dei Angeli de cælo, & homines in paradiſo ceciderint. Si dixerint quia voluntate Domini ceciderunt, plebs vniuerſa lapidabit eos: conſequens enim eſt vt dicant Deum caſus illorum auctorem. & omnes ſciunt ſanctum Gregorium veraciter in Homilia XXXIV. dicere, Angelorum quippe & hominum naturam ad cognoſcendum ſe Dominus condidit, quam dum conſiſtere ad æternitatem voluit, eam proculdubio ad ſuam ſimilitudinem creauit.] Si autem veritate conuicti verum dixerint, non Dei voluntate, ſed proprio illos vitio cecidiſſe, manifeſtum eſt quia non cum eis, ſed contra eos prolata ab ipſis faciunt teſtimonia. Quoniam ſicut duo primi homines, non Dei voluntate, ſed ſuo vitio ceciderunt, qui, vt credimus beato Auguſtino & ceteris ſanctis dicentibus, Dei gratia per pœnitentiam ad ſalutem in Chriſti ſanguine redierunt: ita de omnibus in primi hominis peccato perditis, & in eiuſdem perditione generatis, quicumque ſaluantur, gratia Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, ſaluantur, quicumque pereunt, non Dei voluntate, ſed debitæ perditionis merito pereunt. Nam ſicut conditor naturam hominum, id eſt primum hominem, quia & Eua Adam eſt, ad æternitatem conſiſtere voluit quia æternaliter bonus eſt. quem ab æternitate contra ſuam voluntatem cadentem iuſtè damnauit, quoniam iuſtus eſt. quémque ad ſalutem gratia reparauit, quia miſericors eſt. Ita redemptor iuſtus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, omnes ex generali maſſa perditionis genitos vult ſaluos fieri quia bonus eſt: ſed quoſdam in eadem maſſa perditionis iudicio deſerit quoniam iuſtus eſt, quoſdam à perditione cunctis debita dono gratiæ liberat quia miſericors eſt. Et ne velint nobis inludere, dicentes æmuli rectæ fidei, quoniam quoſdam in maſſa perditionis deſerit, ideo Deus iuſtus eſt, aliter enim iuſtus eſſe non poſſet, legant Pſalmum, vbi inter cetera decantatur, *Qui percuſſit reges magnos, & occidit reges fortes, & dedit terram eorum hereditatem populo ſuo. quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri, & redemit nos ab inimicis noſtris.* per ſingula, *quoniam in æternum miſericordia eius.* Iuſtus in omnibus, bonus in omnibus, & cùm punit impios, & cùm liberat peccatores, & cùm coronat gratia iuſtos.

Pſal. 113. 11.
Pſal. 134. 8.
Non longè à princip.
Pſal. 135. 17.

In Enarrat. sub finem. Psal. 113. 11.

Ceterùm de primo quod ponunt testimonio ait sanctus Augustinus in Psalmo CXII. *Deus autem noster in cælo sursum.* In cælo, inquit, sursum, quod transgreditur omnia corpora cælestia & terrestria, in cælis & in terra *omnia quæcumque voluit fecit.* Nec indiget operibus suis tanquam in eis collocetur vt maneat, sed in sua æternitate persistit, in qua manens omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra. Ergo in quibus est ipse tanquam indigentia continet, non ab eis tanquam indigens continetur. Siue sic intelligitur, In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, vel in superioribus, vel in inferioribus populi sui voluntariam gratiam suam constituit, ne quis de operum meritis glorietur.] Et sanctus Hieronymus, *Deus autem noster in cælo, omnia quæcumque voluit fecit.* Deus in cælo sursum, dicunt sancti ad illos infideles qui idola adorant, Vos vestros Deos de manu tangitis, & oculis carnalibus cernitis: sed noster Deus in cælo est sursum, in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. In his qui cælestem vitam agunt, & adhuc terrena carne cluduntur, implebit voluntates suas.] De altero verò testimonio ex Psalmo CXL. item sanctus Hieronymus dicit, *Omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Pro voluntate bonitatis placuit Deo in excelsas animas, in aridas mentes, in sæculi fluctibus, in profunditate malitiæ facere mirabilia.] Et S. Augustinus ita per loca exponens dicit, *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyßis.* Quis autem comprehendat hæc? Si comprehendere omnia non possumus, tamen credere omnia inconcussè & tenere debemus, quia quicquid creaturæ in cælis & in terra & in omnibus abyssis est, à Domino factum est. Non omnia quæ fecit coactus est facere, sed causa omnium quæ fecit voluntas eius est, necessitas coegit te facere domum, vestem, & cetera.] Et paulo pòst, Inuenimus aliquid quod libera voluntate facimus, cùm ipsum Deum amando laudamus. Non enim ex necessitate, sed quia placet. Vnde iustis & sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos.] & item, Deus autem in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. Ipse tibi det gratiam, vt in te ipso facias quod vis. Nisi enim ipso adiuuante nec in te facies quod vis, quia caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non quæcumque vultis illa faciatis.] & post pauca, Quia non solùm in domo sua, nec solùm in agro suo, sed in carne sua & in spiritu suo, non impleuit quod volebat, clamauit ad Deum qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, & dixit, *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et ille bonus, ille suauis, tanquam responderet ei continuò subiecit, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hanc ergo suauitatem amate, hanc suauitatem laudate. Intelligite Deum, qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra, ipse & in vobis faciet quod vultis, ipso adiuuante voluntatem

Psal. 134. 6.

Rom. 7. 24.

vestram

vestram implebitis, sed nondum potestis, confitemini cùm potueritis, gratias agite, iacentes clamate, erecti superbire nolite.

Ad quod si veterem pestem euomuerint moderni Prædestinatiani, dicentes quos non vult Deus saluos fieri, quoniam quæcumque voluit fecit in cælo & in terrra, non facit eos volentes, non facit confitentes, & non erigit iacentes, quia ad mortem eos prædestinauit æternam : & ideo postquam ceciderint sic à Deo dispensantur, vt nec possint nec velint per pœnitentiam liberari. respondeat eis Prosper quod ex delegatione sedis Apostolicæ respondit actione xv. Vincentianis, Non veraciter inquiens nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non resurgunt, & dominatum concupiscentiarum quibus succubuerunt sponte patiuntur. Si qui autem captiuitatem suam gemunt, & iudicantes semetipsos ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu diuinæ visitationis hoc faciunt. Hæc enim est immutatio dexteræ excelsi, qui innumeris lapsis dat pœnitentiàm vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiuati tenentur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat, quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obiiciunt, vt Deus quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit, & quos non leuauerit alliserit, cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo, aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.]

Præsumunt nihilominus Prædestinatiani sibi beati Iob libri sententiam, vt verisimile suum possint ostentare mendacium, qua dicitur, *Anima eius quodcumque voluit hoc fecit.* Quam exponens in Moralibus beatus Gregorius dicit, Sic itaque eius anima quodcumque voluit hoc fecit, vt inde quoque voluntatem suam impleat, vnde voluntati illius repugnari videbatur.] & item, Aliquando facere Dei est, id quod fieri prohibet irascendo permittere.] Et S. Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Nihil fit, nisi quod aut Deus facit, aut fieri ipse permittit.] Legant adhuc contentiosi cum istis, si non sufficiunt, testimonium, quod posuimus ex libro de Spiritu & littera sancti Augustini. Ob quorum etiam controuersiam simplicibus exponenda est Euangelij Lucæ sententia qua dicitur, *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt.*] Hinc Beda, Quærunt, inquit, intrare salutis amore prouocati, & non poterunt itineris asperitate deterriti. Quærunt hoc ambitione præmiorum, à quo mox laborum timore refugiunt, Non quia iugum Domini asperum & onus est graue, sed quia nolunt discere ab eo quoniam mitis est & humilis corde, vt inueniant requiem animabus suis, eóque fit angusta porta qua in-

Iob.23.13. | Lib xvi. cap.18. | Cap.6. | Luc.13.24. | In Lucam cap.13.

tratur ad vitam.] & post paululum, Nam foris stantes ostium pulsare est, à Beatorum sorte secretos misericordiam quam neglexerant à Deo frustra flagitare. Et respondens dicet vobis, Nescio vos vnde sitis: quia tunc velut incognitos Deus deserit, quos modò suos per vitæ meritum non agnoscit.] Et Gregorius, Hinc etenim Paulus dicit, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm duritiam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Hinc Psalmista ait, *Deus iudex iustus, fortis & longanimis* Dicturus quippe longanimem, præmisit iustum, vt quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districtè iudicare. Hinc per quendam sapientem dicitur, *Altissimus enim est patiens redditor.* Patiens enim redditor dicitur, quia peccata hominum patitur & reddit. Nam quos diu vt conuertantur tolerat, non conuersos duriùs damnat.] Vult enim placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus. cùm adhuc moram facit venire, legationem pacis sustinet. Venisset iam namque si vellet, & cunctos suos aduersarios trucidasset. Sed & quam terribilis veniet indicat, & tamen ad veniendum tardat: quia non vult inuenire quos puniat, qui venit quærere & saluum facere quod perierat, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire, qui omnes ad salutem dignatus est inuitare, *Venite*, inquiens, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*] Hinc Beda in Euangelio Lucæ, Moralis Dominus omnes inuitat, nec volentes repudiat, nec inuitos alligat, nec adeuntes reicit, nec rogantibus deest, qui prope est omnibus inuocantibus se in veritate, scrutans corda & renes Deus, cui cum patre, in vnitate Spiritus sancti debetur omnis honor & adoratio per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hom XIII. in Euang.
Rom. 2. 4.
Psal. 7. 12.
Eccl. 5. 4.
Matth. 11. 28.

CAPVT XXVII.

Ratio reddenda quarti Capituli incipit, quod nos contra Prædestinatianos excerpsimus, quódque Capitulorum quæ nobis dedistis Compositor errore nimio denotauit, deuocans in medium, ad exaggerandam reprehensionis nostræ notam, Antichristum & impios in sua impietate defunctos, & ante aduentum Christi igne damnatos æterno.

RATIONEM reddendam quarti Capituli adeuntes, gratiam Christi Domini nostri deposcimus, vt sano fidei intellectu, sanctarúmque scripturarum auctoritatibus, & orthodoxorum testimoniis, ab obtrectatorum nostrorum venundationibus, qui de nostra infamatione sibi quærunt emere laudis famam, redimat nos qui redemit Israel ex omnibus iniquitatibus suis, & sit nobis semper in om-

nibus & vbique in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluos faciat nos ab hæreticæ prauitatis muscipulis captiosis. De huius Capituli sensu veteres Prædestinatiani dixerunt, sicut Yginus scribit, & sanctus Prosper demonstrat obiectione IX. Gallorum, quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus. Et item prima Vincentianorum obiectione, Quia Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus. Et Gotescalcus nouorum Prædestinatianorum signifer, in libello ad Rabanum Archiepiscopum Moguntinum, ita dicit ad locum, Illos omnes impios & peccatores, quos proprio fuso sanguine filius Dei redimere venit, hos omnipotentis Dei bonitas ad vitam prædestinatos inretractabiliter saluari tantummodò velit: & rursum, illos omnes impios & peccatores, pro quibus idem filius Dei nec corpus adsumpsit, nec orationem ne dico sanguinem fudit, neque pro eis vllo modo crucifixus fuit, quippe quos pessimos futuros esse præsciuit, quósque iustissimè in æterna præcipitandos tormenta præfiniuit, ipsos omnino perpetim saluari penitùs nolit.] Scripsit & alia sub hoc sensu multipliciter replicando, quæ hîc superfluum duximus ponere, cùm hinc quisque sensum illius sufficienter possit cognoscere. Scripsit & domnus Prudentius in sæpe memorata epistola ad Wenilonem Archiepiscopum suum, pro ordinando Ænea Parisiorum Episcopo, Capitulo III. dicens, Vt credat & confiteatur cum omnibus catholicis, sanguinem Domini nostri Iesu Christi pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum: non autem pro illis qui nunquam in eum crediderunt, nec hodiéque credunt, nunquam nec credituri sunt, dicente ipso Domino, *Venit enim filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et compositor istorum Capitulorum, quibus nos respondere iussistis, quarto Capitulo dicit, Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita vt quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio vsque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum diffiniant, contra illud Propheticum, *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne.*]

Matth. 20.28.

Osee 13. 14

Miramur cur istorum compositor Capitulorum omisit quod quidam, ad confutandos nos, quia non rectè dixerimus Christum pro omnibus passum, licèt non omnes passionis eius mysterio sint redempti, impiis & peccatoribus, ab initio mundi pro suis sceleribus in infernum demersis & æternaliter cruciandis, diabolum cum suis refugis Angelis & Antichristum solent apponere. Quos cum aliis stultitia perditis in libro de Consolatione Philosophiæ Boëtius complangit dicens, *Eheu quàm miseros tramite deuios abducit ignorantia!* Et sanctus Gregorius in Regula Pastorali de talibus dicit, quia quod al-

Parte 1. cap. 11.

bugo in oculo, hoc arrogantia agit in mente: quæ cùm candorem sibi iustitiæ seu sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit, & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat, sicut de quibusdam dicitur, *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Scripsit enim quidam delirus, quem suprà memorauimus, contra nos dicens, De secunda, inquiens, diffinitione, qua in illis capitulis diffinitum est, quòd nullus homo est fuit vel erit, pro quo Christus passus non fuerit, quid aliud respondere possumus, nisi vt primùm ipsos qui hoc diffinierunt sedulò interrogemus, & admoneamus, vt vigilanter & fideliter pensare studeant, ne fortè minus considerando quod dicendun erat, contra fidem & conscientiam suam talia dixerint & scripserint. Nam vt taceamus de his qui nunc sunt, vel adhuc vsque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus vtique Antichristus erit, certè de illa innumerabili multitudine impiorum, qui fuerunt ab initio mundi vsque ad aduentum Domini, & in sua impietate mortui & æternis pœnis sunt condemnati, nec ipsos qui hoc dixerunt credere putamus, quòd pro his in sua impietate mortuis, & æterno iam iudicio condemnatis, Dominus passus esse credendus sit. Si enim pro his passus esse creditur, cur etiam pro Diabolo & Angelis eius similiter passus esse non creditur? Cui conuenienter ex Euangelio verbis Dominicis respondere valemus, Erras nesciens scripturas, neque virtutem Dei. Paulus Apostolus dicit, *Nusquam enim Angelos adprehendit*, quin Deus, *sed semen Abrahæ adprehendit.* Vnde Ioannes Chrysostomus. Quia non quemquam Angelorum adprehendit, id est non cuiuslibet Angeli naturam suscepit, sed semen Abrahæ adprehendit. Non enim Angelis tanta dignitas donata est, vt in vna persona Dei filius eorum naturæ coniungeretur: sed hunc honorem & hanc dignitatem humanæ naturæ Deus Dei filius concessit, vt Deus & homo vna esset persona. Quare dixit adprehendit? quia nos quasi recedentes ab eo & longè fugientes insecutus adprehendit, & in vnam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperauit. Hoc ergo redimere debuit quod adsumpsit. vt beatus Gregorius in libro IX. Moralium dicit, Angelorum, inquiens, spiritus idcirco inremissibiliter peccauerunt, quia tanto robustiùs stare poterant, quanto eos carnis admixtio non tenebat. Homo verò idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid quo semetipso minor esset accepit. Vnde & apud respectum iudicis argumentum pietatis est hæc eadem infirmitas carnis.]

Rom. 1. 22. | Hebr. 2. 16. | Cap. 28.

Est & alia causa qua perierunt inreparabiliter refugi spiritus, & homo gratia meruit reparari. scilicet, quia Diabolus propria periit iniquitate, homo verò etiam diabolica persuasione, sicut Alcuinus in libro responsionum Geneseos ad Sigulfum demonstrat. Vnde & sanctus Ambrosius in psalmo CXVIII. dicit, Fortasse dicas, qua ratio-

ne non dictum sit, misericordia Domini plenum est cælum, quia sunt etiam spiritales nequitiæ in cælestibus. Sed non illæ ad commune eius indulgentiæ donum remissionémque pertinent peccatorum, quibus ignis seruatur æternus.] Et sanctus Theophilus Alexandrinus Episcopus in secunda Synodali epistola dicit, Verùm quid ista memoramus, cùm in tantam eruperit Origenes vecordiam, immo dementiam, vt aliud Saluatori crimen impingat, dicens eum & pro dæmonibus ac spiritalibus nequitiis apud superos adfigendum cruci, nec intelligit in quàm profundum impietatis corruat baratrum? Si enim Christus pro hominibus passus homo factus est, vt scripturarum testantur eloquia, consequens erit, vt dicat Origenes, & pro dæmonibus passurus dæmon futurus est. Hoc enim necessitate cogetur vt inferat, ne ab eo quod cœpit discrepare videatur imitator. Et illi enim Christo similiter loquebantur, *Dæmonium habes*, & *in Beelzebub principe dæmoniorum eiicis dæmonia.* Sed absit, vt pro dæmonibus Christus passus sit, ne & ipse dæmon fiat. & qui hoc credunt, rursum crucifigunt & ostentui habent filium Dei, qui nequaquam vt semen Abrahæ adprehendit, ita adsumet & dæmonum, vt pro illis quoque crucifigatur. Nec dæmones pro se, Deum in passione cernentes, cum Propheta clamabunt, *Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet.* neque cum Esaia dicent, *Liuore eius sanati sumus.* nec pro dæmonibus, sicut pro hominum genere, *quasi ouis Christus ducetur ad victimam.* nec pro eorum salute dicetur, *proprio filio non pepercit.* quia nec dæmones clamabunt, *Traditus est pro peccatis nostris, & resurrexit pro iustificatione nostra.* Paulus quidem perspicuè scribit, *Tradidi enim vobis in primis quod accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.* illas in testimonium vocans, & volens earum auctoritate firmare quod dubium est. Origenes autem, absque vllo diuinæ vocis testimonio, vim facere nititur veritati, & extincta lucerna inuenire eam. Fautor dæmonum, & non hominum, crebris calumniis lacessit filium Dei, & denuò crucifigit, non intelligens in quàm profundam & horribilem impietatis voraginem detrahatur. Consequens enim est, vt qui priora susceperit, suscipiat & quæ sequentur, vt qui pro dæmonibus Christum dixerit crucifigi, ad ipsos quoque dicendum esse suscipiat, *Accipite & edite, hoc est corpus meum,* & *accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Si enim & pro dæmonibus crucifigetur, vt nouorum dogmatum adsertor affirmat, quod erit priuilegium, aut quæ ratio, vt soli homines corpori eius sanguiníque communicent, & non dæmones quoque, pro quibus in passione sanguinem fuderit? Sed nec dæmones audient, *Accipite & edite*, & *accipite & bibite*, nec Dominus sua præcepta dissoluet, qui discipulis ait, *Nolite dare sanctum canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Nam & Apostolus scribens, *Nolo vos participes dæmonum fieri. non potestis*

Matth. 11. 18.

Matth. 12. 24.

Esa. 53. 5.

1. Cor. 15.

Marc. 26. 26.

Matth. 7. 6.

1. Cor. 10.

calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participari & menſæ dæmoniorum, impoſſibile eſſe demonſtrat, dæmones de calice Domini bibere, & de menſa eius participari. Cibus diaboli negatores Dei ſunt, Abacuc loquente, *Eſca eius electa.* cibus autem impiorum omnium execrabilis ipſe diabolus, Prophetæ vaticinio concrepante, *Dediſti eum eſcam populis Æthiopibus.* Ex quibus omnibus adprobatur, Chriſtum pro dæmonibus non poſſe crucifigi, ne dæmones corporis & ſanguinis eius participes fiant. Cùm ergo & Apoſtolus de Saluatore ſignificet, *Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerens*, & Origenes tam audaciter illius ſententiæ contradicat, tempus eſt illud inferre, *Terra, terra, terra, audi verbum Domini, ſcribe virum iſtum abdicatum.* Quis enim infernus hæc mala ſuſcipere poteſt? qui Tartarus de rebus iſtiuſmodi cogitare? quæ gigantum inſania tam rebellis extitit, & turrem impietatis exſtruxit? quæ libido laſciuiens, & dæmonum amore deperiens, ſic vniuerſo dogmati tranſeunti diuaricauerit crura mentis ſuæ? Quis in tantum de Sodomitica vinea bibit, vt inebriatus vino furoris eius toto corde conciderit? Quis Babyloniorum ita fluminum gurgitibus inrigatus viuos Iſrael fontes reliquit? quis egrediens de Hieruſalem, & Hieroboam filij Nabath imitator exiſtens, tot errorum fabricatus altaria eſt, & ararum profana tura ſuccendit? Cur Datan & Abiron, qui minora peccarunt, non venient ante tribunal Chriſti, vt ſui cum comparatione condemnent, qui extra Eccleſiam Saluatoris variarum doctrinarum turibula diabolico igne compleuit? Neque enim Dominus, qui loquitur per Prophetam, *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum adſimilatus ſum*, adulterinas eum docuit proferre doctrinas, nec qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt verbi Dei. Nec prophetarum chorus, qui olim vocabantur Videntes, hæc eum inſtituit: ſed ipſe ſuæ mentis arbitrio furori dæmonum ſeruiens, & blando cogitationum errore deceptus, gregem, & vt ita dicam, examen dogmatum peruerſorum per totum orbem immiſit mentibus indoctorum. Iſte eſt, qui Aſſyriis Babyloniíſque fluminibus aperuit os ſuum. qui nauem Eccleſiæ, bonarum mercium plenam ſalutis doctrinæ, fluctibus operire conatus eſt, dum imperitorum laude ſuſtollitur, & ſcripturarum ſenſum aliter quàm ſe habet veritas ediſſerens, gloriatur in confuſione. Quis enim tam innumerabiles & garrulos & verboſitatis atque imperitiæ plenos conſcripſit libros, & infatigabili ſtudio dies noctéſque coniunxit, vt errorum monimenta dimittens mereretur audire, *Multis itineribus tuis deceptus es.* Vſus eſt enim duce peſſimo aura populari, & plurimis falſæ ſcientiæ voluminibus exaratis, ac rebelli contra Deum mente pugnans, vnguento cæleſtium doctrinarum ſaniem quandam & putorem ſui fœtoris immiſcuit, vt rurſum ad ſuam animam diceretur, Immunda & famoſa & nimia iniquitatibus. Neque enim prophetam audire

Abac. 1. 16.
Pſal. 71. 14.
Heb. 7. 27.
Hier. 22.
Oſee 11. 10.

voluit commonentem, *Quare diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Qui pro dæmonibus Christum adfigit cruci, vt non solùm Dei & hominum, sed dæmonum quoque mediator fiat. Verùm absit tam immane nefas de Saluatore credere, vt templum corporis sui, quod pro nobis suscitare dignatus est, amissurus, aliud sibi templum dæmonicæ conditionis adfigat, vt illorum quoque recepta similitudine pro ipsis patibulum subeat. Obsecro, fratres dilectissimi, vt ignoscatis dolori meo doctrinis impiis resistenti. Dum enim impudentiam sectatorum eius repercutere nitimur, compagem loricæ ipsius, & venenati pectoris fraudulentias in medium protulimus, vt illud quoque compleretur in eo, *Reuelabo ignominiam tuam, & ostendam eam amatoribus tuis.*

Psal. 4. 3.

Ezech. 16. 37.

De Antichristo autem sanctus Gregorius in libro Moralium XXXI. dicit, Quia ergo per vndenarium numerum transgressio exprimitur, huius bestiæ cornu vndecimo ipse auctor trangressionis iudicatur, quod videlicet paruulum oritur, quia purus homo generatur, sed immaniter crescit, qui vsque ad coniunctam sibi vim Angelicæ fortitudinis proficit.] & item, Principium viarum Dei Vehemoth dicitur: quia nimirum cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.] & item, Quid autem cauda Vehemoth istius, nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur, cùm vas proprium illum perditũ hominem ingreditur, qui specialiter Antichristus nuncupatur?] & item, Tunc Antichristus mundi gloriã temporaliter obtinens, mensuras hominum & honoris culmine & signorũ potestate transcendit. Spiritus quippe in illo est, qui in sublimibus conditus, potentiã naturæ suæ non perdidit vel deiectus.] & item in Edicto ciuibus Romanis proposito, Peruenit, inquit, ad me quosdam presbyteros peruersi spiritus homines, praua inter vos aliqua, & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita vt die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim, qui veniens diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri? Quia enim mori se & resurgere simulabit, haberi in veneratione vult diem Dominicum: & quia Iudaïzare populum compellet, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum.] Et Beda in Chronica sua, Et vidi, inquit, de mari bestiam ascendentem, & dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam. id est, vidi hominem sæuissimi ingenij, de tumultuosa impiorum stirpe progenitum. Cui mox nato, & per magicas artes à pessimis imbuto magistris, adiungens se diabolus, totam virtutis suæ potentiam, per quam magica ceteris omnibus maiora patraret, indiuiduus comes attulit. Et data est potestas, inquit, illi facere menses XLII. id est, tres annos & dimidium. Percusso autem illo perditionis filio, siue ab ipso Domino, siue à Michaele Archangelo, vt quidam docent, & æterna vltione damnato, non continuò

Cap. 11.

Cap. 18.

Cap. 12.

Cap. eodẽ.

Libro XI. epist. 3.

dies iudicij secuturus esse credendus est. Alioqui scire possent homines illius æui tempus iudicij, si post tres semis annos inchoatæ persecutionis Antichristi confestim sequeretur.] Et sanctus Hieronymus, exponens sententiam Danielis, Beati, inquit, qui interfecto Antichristo supra M. CC. XX. dies, id est tres semis annos dies XLV. præstolantur, quibus est Dominus atque saluator in sua maiestate venturus.] Et item Gregorius in XXXII. Moralium libro. Quod per Danielem subiungitur, *sine manu conteretur*, hoc per Paulum exprimitur, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione aduentus sui.* Sine manu scilicet conteretur, quia non Angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per aduentum iudicis solo oris spiritu æterna morte ferietur.] & item, Sed quia quale sit iniquorum caput audiuimus, nunc huic capiti quæ membra adhæreant agnoscamus. Quisquis namque in superbia extollitur, quisquis auaritiæ desideriis cruciatur, quisquis luxuriæ voluptatibus soluitur, quisquis iniustæ ac immoderatæ iræ flagris ignitur, quid aliud quàm Antichristi testis est? Et in epistola Ioannis Apostoli scriptum est, *Et sicut audistis quia Antichristus veniet, & nunc Antichristi multi sunt.*]

Cap.12. Dan. 8.15. 2. Thess.1. 8. Ibid. in fin. & cap.13. 1. Ioan.12, 18.

Hinc venerabilis presbyter Beda dicit, Antichristos dicit hæreticos. Sed & illos, qui fidem catholicam quam confitentur peruersis actibus destruunt. Vnde constat quia Antichristus contrarius Christo vocatur. Omnes illi maximo Antichristo in fine sæculi venturo quasi suo capiti testimonium reddunt. sicut & Paulus dicit, quia *mysterium iam operatur iniquitatis.* de cuius præconibus iterum scriptum est, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Non enim exeunt foras nisi Antichristi. Vnde & de Iuda, præcipuo Antichristo totius temporis vsquequo ille maximus veniat Antichristus, scriptum est, quia *misit Diabolus in cor Iudæ vt traderet eum*, & post buccellam, *introiuit in eum Satanas, & exiuit continuò.* qui appellatus est filius perditionis, sicut & maximus Antichristus.] & item, Iudas Antichristus tradidit eum qui veraciter dicitur Christus, & colitur Deus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Ille autem in tempore suo aduersabitur & extolletur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostentans seipsum quasi ipse sit Deus.] De isto autem, id est Iuda, post multa in libro Hypomnesticon S. Augustinus dicit, Talis est periturorum omnium causa, licèt culpa sit à culpa dissimilis.] Et de illo eiúsque corpore S. Gregorius in libro XXXIII. Moralium dicit, *Et videntibus cunctis præcipitabitur.* Cunctis enim videntibus præcipitabitur, quia æterno tunc iudice terribiliter apparente, adstantibus legionibus Angelorum, adsistente tunc ministerio cælestium potestatum, atque electis omnibus ad hoc spectaculum deductis, ista belua crudelis & fortis in medium captiua deducetur, & cum suo corpore, id est cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cùm dicetur, *Discedite à me maledicti in ignem æter-*

2.Thess.2. 7. 1.Ioan.2.19. Luc.22.3. Cap.19. Matth.25. 41.

æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.] Vnde quia homo erit reprobus & caput reproborum, eorum scilicet & aliorum omnium, qui ab initio mundi vsque ad aduentum Domini, quos istorum compositor Capitulorum, in suggillationem nostram, æternis pœnis traditos in testimonium deduxit, sed & eorum qui post aduentum Domini vsque ad finem mundi in infidelitate & perseueranti iniquitate ad eius pertinebunt consortium, cùm in proximo de eisdem reprobis quid catholici doctores sentiant scribemus, quiscumque calumniator noster se ante se ponat, & vtrum nos per Antichristum falsa scripsisse possit reuincere videat, & si defensores atque adiutores catholicos magistros contra illum inuenire non potuerimus, cum tripudio de nobis triumphet. Hominem quippe, vt præmisimus, & sanctus Paulus & sanctus Gregorius & ceteri quique doctores illum futurum dicunt & nos credimus, & quilibet reprehensor noster denegare non volet. Et si homo erit, licèt diabolo comite plenus, in quantum homo quanquam reprobus morietur. quem Dominus Iesus, sicut scriptum est, interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione aduentus sui: quando sicut fulgur, quod exit ab oriente & paret in occidente, erit aduentus ipsius Dei & hominis filij. & quia morietur resurget, sicut item scriptum est, *Ad te omnis caro veniet*, & *videbit omnis caro*, quod non sine anima in resurrectione fiet, *salutare Dei*. Ad cuius aduentum, secundùm fidem catholicam, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Si omnes, & ille homo de quo agitur, qui vt scriptum est in suo nomine veniet Antichristus. & si aliquid aliis reprobis, ipsius scilicet membris, passio Christi contulit, nec capiti denegauit, sicut catholicorum sententiis ostendemus. Primò tamen contra compositorem Capitulorum, de quibus agitur, de parte istius Capituli quod Deus dederit respondebimus, & tunc ex ordine ad respondendum his quæ sequuntur ipso fauente progrediemur.

Psal 64.3. Luc.3.6.

Non ita scripsimus, sicut compilator iste composuit, & quare Capitula à nobis excerpta ponere sicut sunt scripta noluerit, ipse viderit. Credimus tamen quia iam vidit à pictoribus nigrum colorem albo substratum, vt quod erat lucidum ex tenebrosi comparatione clariùs videretur: & ideo noluit veritatem, à nobis de veridicis auctoribus sumptam, tenebris mendacij sui componere, ne minùs incautos fallere præualeret, & faciliùs mendax fidelibus innotesceret. Scripsimus namque de Prosperi verbis, & ipsius ac aliorum orthodoxorum sensibus, cap. IV. CHRISTVS IESVS *Dominus noster sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem, quia*

poculum humanæ salutis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur. Paret quia sicut dixit non scripsimus contra illud propheticum, *Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne*, dicentes, quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem. Neque enim sanctum Gregorium in Homilia XXII. quando hæc scripsimus, dixisse nesciuimus, Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis sinu, tamen apud inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. Quod ante passionem dixit, in resurrectione sua Christus impleuit, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, vtique electa. Neque etenim infideles quosque, & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos, ad veniam Dominus resurgendo reparauit: sed illos ex inferni claustro rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit.] Et hinc diximus, *quia qui non redimuntur, non ad pretij copiositatem, sed ad infidelium respicit partem*] Subsequitur sanctus Gregorius, Vnde rectè etiam per Osee dicit, *Ero mors tua, ô mors.*] Ac si apertè dicat, quia in electis meis te funditùs perimo, *ero morsus tuus inferne*, quia sublatis eis te ex parte transfigo. & hinc diximus, *Nullus homo est pro quo Christus passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* Sed & quando hæc scripsimus, non ignorauimus sanctum Augustinum, in Catalogo hæreseon ad Quodvultdeum diaconum scripto, LXXX. loco hæresim descripsisse de qua dicit, Est hæresis, quæ dicit descendente ad inferos Christo credidisse incredulos, & omnes exinde liberatos.] Et venerabilem presbyterum Bedam in expositione primæ epistolæ Petri scripsisse legimus, Quidam hunc locum ita interpretatus est, quòd consolationem illam, de qua dicit Apostolis Dominus, *Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt*, de qua & Psalmista, *Defecerunt*, inquit, *oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me?* Sancti quiescentes in inferno desiderauerint, quòd hæc, descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noë, consolatio vel exhortatio prædicata fuerit. Hæc ille dixerit. Sed catholica fides habet, quia descendens ad inferna Dominus, non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens, ad cælestia regna secum perduxerit: neque exutis corpore animabus, & inferorum carcere scelerum inclusis, sed in hac vita vel per seipsum, vel per suorum exempla siue verba fidelium, quotidie vias vitæ demonstret.] Quapropter diximus, *Pro omnibus Christus passus fuit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur, & quia non omnes redimuntur, non ad pretij magnitudinem, sed ad non credentium respicit partem.* Et quoniam in

Osee 13.14.
Non longè à principio.
Ioan. 12.32.
Hær. 79.
Cap. III.
Matth 13.17.
Psal. 118.82

processu reddendæ rationis de isto Capitulo ex catholicorum dictis ostendere procurabimus, quod catholicè scripsimus, *quia Christus pro omnibus passus fuit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* scilicet & pro his, qui ante aduentum illius extiterunt, sed & pro his quos passio illius in carne inuenit.

CAPVT XXVIII.

Qualiter de impiis in sua impietate defunctis senserunt Catholici, pro his etiam passum fuisse Dominum, licèt non eius paßionis mysterio ad salutem perpetuam sint redempti.

VERVM & pro his, qui post passionem & resurrectionem ipsius, & exorti, & exorturi sunt vsque in finem sæculi, vt demonstremus non timere nos calumnias istius obtrectatoris nostri, quid de reprobis, quos in suo quarto Capitulo ad reuincendos nos in medium deuocauit, senserunt & scripserunt catholici, vtrum quiddam eis passio & resurrectio Christi contulerit, etsi nihil illis, eorum exigentibus culpis, ad salutem profuerit, ostendamus. quoniam certum est, si aliquid eis passio Domini contulit, pro eis etiam Dominus passus fuit, cuius passio quoniam ad salutem illis non profuit, ad infidelium, sicut sanctus Prosper dicit, & nos ex verbis illius scripsimus, respicit partem, non ad sacramenti virtutem. Dicat autem Paulus, & exponat Ambrosius, quid passio Christi cunctis generaliter fidelibus & infidelibus contulit, quæ solis ad salutem fidelibus profuit. *Sicut* enim, inquit Paulus, *In Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hinc sanctus Ambrosius in Commento ipsius epistolæ, Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem inuenit, & tenuit, vt omnes ex eius origine dissoluantur, ita & Christus non peccans, & per hoc vincens mortem, (quia qui non peccat vincit mortem, quia mors ex peccato,) omnibus qui sunt ex eius corpore adquisiuit vitam, id est resurrectionem. Quamuis ergo generalem omnibus tribuerit resurrectionem, vt sicut in Adam omnes siue iusti siue iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes tam credentes quàm diffidentes resurgant, licèt quidam ad pœnam: increduli tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient, iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quòd credere noluerunt. Et beatus Ioannes Chrysostomus in libro de Reparatione lapsi, Scriptura, inquit, dicit quia & peccatores induent incorruptionem, scilicet non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicij profuturam.] Et sanctus Hilarius in expositione Psalmi CXVIII. Exprobrat enim superbis atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis vtilitatis suæ esse existimauerint, cùm ille nostrî causa & natus, & passus, & mortuus

1.Cor.15. 22.

Vers.21.

ſit.] Et item idem ſanctus Hilarius concordans ſancto Ambroſio in Pſalmo LV. dicit, *Sicut expectauerunt*, inquit, *animam meam, pro nihilo ſaluos facies illos, in ira populos deduces.* Nouus hic Prophetæ ſermo eſt, vt eos qui expectant animam ſuam ad nihilum Deus ſaluet. Et cùm aliud ſit ad nihilum, aliud ſaluari, nunc ſalus quæ in eos fiet in nihilum ſit. Eſt ergo quod ſaluetur in nihilum, eſt planè, quicquid reſurrectione conceſſa demutatione non dignum eſt. Nam cùm omnis caro redempta in Chriſto ſit vt reſurgat, & omnem adſiſtere ante tribunal eius neceſſe ſit, non tamen omnibus gloria & honor eſt promiſcuus reſurgendi. Quibus ergo tantùm reſurrectio, non etiam demutatio eſt tributa, hi ſaluantur in nihilum. In ira enim deducentur hi populi, quibus ad pœnæ ſenſum ſalus reſurrectionis eſt conſtituta. A qua ira eripiendos nos Apoſtolus pollicetur dicens, *Quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis iuſtificati in ſanguine eius ſaluabimur per eum ab ira.* Pro peccatoribus igitur ad ſalutem reſurrectionis eſt mortuus, ſed ſanctificatos in ſanguine ſuo ſaluabit ab ira.] Et item ſanctus Ambroſius in epiſtola ad Corinthios, Quid eſt autem reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? Occiſus eſt enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Et item ſanctus Hilarius in libro III. de Fide, Dei filius crucifigitur, ſed in cruce hominis mortem Deus vincit. Chriſtus Dei filius moritur, ſed omnis caro viuificatur.] Et ſanctus Auguſtinus in libro XX. de Ciuitate Dei capitulo VI. ad locum, Nec fecit hìc vllam differentiam bonorum & malorum. Omnibus enim bonum eſt audire vocem eius, & viuere, ad vitam pietatis ex impietatis morte tranſeundo. De qua morte ait Apoſtolus Paulus, *Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſiue originalibus, ſiue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo nec faciendo quod iuſtum eſt. & pro omnibus mortuis viuus mortuus eſt vnus, id eſt, nullum habens omninò peccatum: vt qui per remiſſionem peccatorum viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. vt credentes in eum qui iuſtificat impium, ex impietate iuſtificati, tanquam ex morte viuificati, ad primam reſurrectionem quæ nunc eſt pertinere poſſimus. Ad hanc enim primam pertinent qui beati erunt in æternum: ad ſecundam verò, de qua mox locutus eſt, & beatos pertinere docebit & miſeros. Iſta eſt miſericordia, illa iudicij. Propter quod in Pſalmo ſcriptum eſt, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*]

Verſ. 8. | Rom. 5. 8. | Lib. III. de Trinitate ſub mediũ. | 2. Cor 5. 14 | Pſal. 100. 1.

De iſtis omnibus, qui aut ad miſericordiam, aut ad iudicium pertinebunt, quicumque calumniatorum noſtrorum voluerit, excipiat ſi potuerit, de quo ſuprà ſcripſimus, Antichriſtum. Propterea & nos

ex verbis Prosperi scripsimus, quia *Christus pro omnibus passus est, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur: quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non ad pretij magnitudinem, sed ad non credentium respicit partem.* Vnde & sanctus Gregorius in Homilia VIIII. Ezechielis dicit, Notandum quia postquam mala parentum defunctorum dixerat, mittens Prophetam ad filios dicit, *si fortè vel ipsi audiant, & fortè quiescant.* Quid est dicere *vel ipsi*, nisi quia eorum patres qui in culpa defuncti sunt, audire noluerunt?] Et Prosper contra Gallos actione IX. dicit, Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt, & tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*] Et hoc est, quod compilator iste in Capitulo, licèt non recto sensu, subiungens continuauit. Illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet iuxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quòd pro illis datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit, *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quod licèt expositione non indigeat, quoniam Dominus omnia quæ voluit ab omnibus obseruari tam manifestissimè dixit, vt ab omnibus possint intelligi, & nemo sit sanum sapiens, qui apertissimè non intelligat, quia pro omnibus filius hominis in cruce exaltatus, & vnigenitus Dei filius pro mundo sit datus, vt in eo omnibus parata sit salus, sed omnis qui credit in eum non pereat. tamen & sanctus Papa Leo, in epistola ad Leonem Augustum, breuiter & luculenter horum sensum testimoniorum ex sancto Euangelio exponit dicens, Effusio, inquit, iusti pro iniustis sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent.] Quæ sit autem vniuersitas captiuorum, Apostolus demonstrat dicens, *ex vno ipse omnes in condemnationem, in quo omnes peccauerunt.* Quæ enim maior potest esse captiuitas, quàm de Dei filiis diaboli filios, & de Paradisi incolis fieri æternæ perditioni obnoxios?

[Margin: Non longè à princip. Ezech. 3. 11. — Ephes. 5. 8. — Ioan 3. 14. — Epist. 97. cap 2. — Rom. 5. 16.]

Testimonium autem Apostolicum, quod subiunxit Capitulorum compositor ad suam confirmandam sententiam, quòd Christus non sit pro omnibus passus, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur, nihil eum iuuat, nisi vt scriptum est, *sicut spina in manu temulenti, sic in ore stulti parabola.* primum enim ipsum adsolet vulnerare. Si veraciter veram intelligentiam proponere lectoribus voluisset, conuenientiùs has duas sententias de Epistola Pauli ad Hebræos, secundùm suum ordinem poneret, sicut testimonia Euangelica eo ordine, quo ab Euangelista sunt posita, ponere studuit. Ait enim A-

[Margin: Prou. 26. 9.]

Heb. 2. 9. postolus ad Hebræos, *Gratia Dei pro omnibus gustauit mortem.* & post Hebr. 9. 28. plura, *Semel*, inquit, *oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Vnde videamus qualiter sanctus Ioannes Chrysostomus, cuius testimoniis Apostolica Sedes, & etiam sanctus Augustinus, in libris suis multoties vtuntur, ad reuincendos hæreticos has duas sententias exposuerit. Ait enim de prima, Et ille quidem propter Dei gratiam, quæ nobis data est, hæc passus est. *qui proprio*, inquit, *filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Cuius rei gratia? non enim debebantur hæc nobis, sed gratia hoc fecit.] & post aliquanta, Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. quid autem si non omnes credunt? ille quod suum erat impleuit.] Et item de alio testimonio, *Semel*, inquit, *oblatus est ad multorum auferenda peccata.* Quare multorum, & non omnium? quia non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus, hoc est, quantum in ipso est, eius momenti est illa mors, cuius momenti est omnium perditio. Non autem omnium peccata abstulit, propter quòd noluerunt.] Et sanctus Augustinus in Psalmo XLIII. Nam & crux ipsa & pro ipsis persequentibus facta est. Inde sunt postea sancti, qui in eum crediderunt quem ipsi occiderunt.]

Cap. 2. Et item idem in libro VI. contra Iulianum, Vnus, inquit, pro omnibus mortuus est. ergo omnes mortui sunt. ostendens fieri non potuisse, vt moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat vt in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.] Et sanctus Dionysius in libro de Ecclesiastico principatu, cap. III. Pro omnibus enim thearchica beatitudo, etsi benignitate diuina procedit ad participantium eius diuinorum communionem: sed non foris secundùm substantiam immobilis stationis & stabilitatis fit. Et sanctus Cyprianus in libro de Oratione Dominica, Quid docuit, inquit, vnitatem? sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.] Et sanctus Hieronymus in Libro XIV. Esaiæ prophetæ, Christus cum iniquis reputatus sit, vt iniquos redimeret à peccato, & omnibus omnia fieret, vt omnes saluos faceret.]

Cap. XVI. in fine. Et item Augustinus in libro de Correptione & Gratia, Quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsa est infirmitate crucifixus?] Et item Ambrosius in Psalmo CXVIII. Et hic quidem Sol quotidie super omnes oritur. mysticus autem Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit: omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christo,

generali beneficio ipſe ſe fraudauit. Sed quod Solis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.] Et ſanctus Baſilius Cappadocus, in Sermone de Pſalmo quinquageſimo nono, Moyſes quidem ſanguine agni Iſraeliticos poſtes obſignauerat: tu verò dediſti nobis ſignum, ipſum ſanguinem veri agni immaculati, qui oblatus eſt victima pro totius mundi ſalute.] Et item ſanctus Leo, in epiſtola ad Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum, Veram igitur Chriſti generationem crux vera confirmat.] & poſt pauca, Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium cauſam, & vim veteris chirographi, quod ſolus inter omnes non debuit, pro omnibus ſoluendo vacuauit: vt ſicut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam omnes fierent innocentes. inde in omnes manante iuſtitia, vbi eſt humana ſuſcepta natura.] Et ſanctus Gregorius in libro Moralium decimo quarto, *Stulti quoque deſpiciebant me.* Ac ſi apertè diceretur, Ipſi me etiam deſpexerunt, pro quibus ſanandis ſtultitiam prædicationis adſumpſi, id eſt, vt per carnem Verbi ſanarentur: & ab ipſis deſpectus ſum, pro quibus ſtultus æſtimari veritus non ſum.] & in libro triceſimo quinto, Conſolantem quippe in paſſione Dominus minimè inuenit, qui ex deſpectu mortis etiam ipſos hoſtes pertulit, pro quibus ad mortem venit.] Et ſanctus Cyrillus ad Neſtorium, Nam vt mortem, inquit, ineffabili potentia proculcaret, & ſua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium viam faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum, gratia Dei, ſicut ſuprà dictum eſt, pro omnibus guſtauit mortem, & tertia die reſurgens expoliauit infernum.] Et venerabilis preſbyter Beda, in expoſito Euangelij Marci, Solus orat pro omnibus, ſicut & ſolus patitur pro vniuerſis: & quomodo pro nobis maledictum crucis factus eſt, & flagellatus, & crucifixus, ſic pro omnium ſalute quaſi noxius crucifigitur.] & in Epiſtola prima Petri, Sicut ergo incorruptibile eſt pretium Dominicæ paſſionis, qua redempti ſumus, ita etiam incorruptibile eſt ſacramentum fontis ſacri, quo renaſcimur: quæ ita ſibi inuicem connectuntur, vt vnum nobis ſine altero ſalutem conferre nequeat. quia nimirum Dominus ita nos tempore incarnationis ſuæ, ſacro ſanguine ſimul omnes redemit, vt nos quoque noſtro tempore viritim per regenerationem baptiſmi ad conſortium eiuſdem regenerationis peruenire debeamus.] Et ſanctus Proſper contra Gallos, recapitulatione nona, Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemptione Saluator ſit crucifixus, non ad ſacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem, cùm ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti pretium totius ſit mundi: à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſeruitutem reuerſi.] & contra Vincentianos, actione prima, Cùm itaque propter

Epiſt. 72.

Cap. 22.

Cap 9.

Epiſt. 111. poſt mediũ

Cap. 1. ſub finem.

vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non erant pertinerent: sed ita, vt quod per vnicum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur.] Ex his verbis sancti Prosperi, & supradictorum catholicorum sensibus, hoc vnde ratio agitur Capitulum quartum excerpsimus: sicut quilibet lector, cui hæc conferre placuerit, facilè inuenire valebit. Quæ numero pauca, virtute præualida, ad demonstrandam vnius Euangelici & duorum ex Apostolo testimoniorum explanationem interim posuisse sufficiat, donec plura nec minus fortia orthodoxorum huic Capitulo testimonia subiungamus.

CAPVT XXIX.

Ratio redditur de duobus, quæ necessitate compulsi in hoc quarto Capitulo verbis beati Prosperi inseruimus.

DVO autem sunt, quæ coacti necessitate expressiùs diximus, de quibus reddere rationem volemus. Quorum vnum est, *Sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus Christus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* cùm sufficientissimè dici potuerit, quod Prosper dixit contra Gallos in actione IX. Nullus, inquiens, omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.] & item ad locum, Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem.] Et contra Vincentianos, Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam, à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti.] Et quæ necessitas fuerit demonstramus. Gotescalcus, vt præmisimus, in libello ad Rabanum Archiepiscopum scripsit, Rursus illos omnes impios & peccatores, pro quibus idem filius Dei nec corpus assumpsit, nec orationem, ne dico sanguinem, fudit, neque pro eis vllo modo crucifixus fuit. Et post hoc scriptum Capitulum, quidam rusticus de illius schola libellum contra hæc Capitula scripsit,

Resp. I.

psit, cui ista inseruit. Nam si diligenter consideretur, nescimus si etiam de quolibet homine dici possit, vt omnium hominum naturam nascendo adsumpserit. quæ à quibusdam de Gothescalci schola dyscola dici audiuimus. Ideo licèt non discordantes à verbis Prosperi, & sensu catholico orthodoxorum, expressiùs ista conscripsimus. Vnde & de quorum doctrina illud adsumpsimus, rationem deuotis quibusque humiliter reddimus. Sanctus siquidem Athanasius in epistola ad Epictetum, dicere non dubitauit, In ipso Verbo humanum verè naturaliter ex Maria, secundùm diuinas scripturas, & verè erat corpus Saluatoris. Verum autem erat, quia simile erat nostro. Soror etenim fuit nostra Maria, quoniam omnes ex Adam sumus, & hoc nunquam aliquis dubitauit.] Et sanctus Augustinus, exponens Psalmum vigesimum nonum, *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* Omnis, inquit, homo in Christo vnus homo est, & vnitas Christianorum vnus homo.] & in psalmo XXXIIII. Maria ex Adam: Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria, mortua est propter delenda peccata.] & in Psalmo XXXV. Nascimur de Adam vt moriamur, surgimus per Christum, vt semper viuamus. Quando portamus imaginem terreni hominis, homines sumus, quando portamus imaginem cælestis hominis, filij hominis sumus, quia Christus filius hominis dictus est. Etenim Adam homo erat, sed filius hominis non erat. Ideo illi pertinent ad Adam, qui desiderant carnalia bona. hortamur illos, vt filij sint hominum, & misericordiam desiderent quæ in cælo est.] & in Psalmo XXXVII. Suscepit carnem nostram, vel potiùs à nobis, id est, à genere humano.] Et sanctus Leo in Epistola ad Leonem Augustum, Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causa mediator Dei & hominum carnem susciperet?] & item, Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam. Et sanctus Hilarius in libro secundo de Fide, Humani generis causa Dei filius natus ex Virgine est & Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua Dei videlicet inumbrante virtute, corporis sibi initia conseuit, & exordia carnis instituit, vt homo factus ex Virgine naturam carnis in se acciperet, pérque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret.] Et sanctus Ambrosius in libro de Paradiso, *Salua tamen*, inquit, *erit per filiorum generationem*, inter quos generauit & Christum. Nec illud otiosè, quòd non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier: vt sciremus vnam in viro & muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani.] Et in hymno Ecclesiastica consuetudine frequentato dicit ad Christum, *Tu patris sempiternus es filius. Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum. Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cælorum.*] Et quomodo intelligi debeat

Paulo post medium.

Præfat. in Enarrat. 2.

Conc. 11.

In Enarratione.

Epist. 97. cap. 2.

Post medium libri.

Cap. 10.

1. Tim. 2.

quod sanctus dixit Ambrosius, Tu ad liberandum suscepturus hominem: quia vt à maioribus nostris audiuimus, tempore baptismatis sancti Augustini hunc hymnum beatus Ambrosius fecit, & idem Augustinus cum eo confecit, in capite libri de Bono coniugij exponit dicens, Quoniam, inquit, vnusquisque homo humani generis pars est, & sociale quoddam est humana natura, magnúmque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ, ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur.] Exponitur etiam in hoc hymno, quia omnium naturam pro omnibus liberandis Christus adsumpsit, sed credentibus regna cælorum aperuit. Et sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum, Cur diuersa est gratia, vbi natura communis est.] & plura alia, quæ in libellis commemoratis contra eosdem collegimus.

Hæc de prima quasi non necessaria, sed non inrationabili expressione sint dicta. Alterum autem est quod expressiùs superaddidimus, vbi in quarto Capitulo scripsimus, *quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem.* Superaddidimus autem verbis Prosperi ad non credentium, ea fide quæ per dilectionem operatur. quod ideo superaddidimus, quia Gotescalcus in sæpefato suo libello ad Rabanum
» Archiepiscopum scripsit, Proinde quod fidelissimè credo, fidentis-
» simè loquor, & certissimè pariter ac fructuosissimè confiteor, at-
» que veracissimè profiteor, quòd Deus noster omnipotens, omnium
» creaturarum conditor & factor, electorum tantummodò cunctorum
» gratuitus esse reparator dignatus est & refector: nullius autem re-
» proborum perpetualiter esse voluit Saluator, nullius redemptor, &
» nullius coronator. *Item ad quendam complicem suum*, Absit procul
» à me, vt vel illud solummodò velim somniare, nedum semel su-
» surrare, vt nullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus
» rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo pa-
» tri Domini Dei nostri filij sui fusus est sanguis. Amen. Hæc legentes intelleximus diabolici viri sensum, volentis euacuare copiositatem Christi sanguinis, pretium scilicet nostræ redemptionis. Vnde
» & ad eundem complicem suum scripsit, Baptismi enim sacramento
» eos emit, non autem pro eis crucem subiit, nec mortem pertulit,
» neque sanguinem fudit. Vnde quod ipse mendosè atque perniciosè ad copiosam redemptionem Christi sanguinis voluit retorquere, veraciter & fideliter ad modicitatem ac dubietatem, immo & infidelitatem infidelium & non credentium, sacrarum scripturarum & Catholicorum auctoritate suffulti, reiecimus culpam. Et ideo interposuimus, *ad infidelium & non credentium, eâ fide quæ per dilectionem operatur, respicit partem.* Scilicet quia hæc sola fides est, qua saluantur cre-

dentes. Ceterùm & dæmones credunt, & contremiſcunt, & nec infidelis eſt ſine fide, ſicut ſanctus Gregorius in libro quarto Dialogorum dicit, Audenter inquiens dico, quia ſine fide neque infidelis viuit.] & poſt pauca, Habent etiam infideles fidem, ſed vtinam in Deum, quam ſi vtique haberent, infideles non eſſent. Cap.2.

Et venerabilis presbyter Beda in Epiſtola Iacobi, Ita & fides, ſi non habuerit opera, mortua eſt in ſemetipſa, ſi non operibus caritatis quibus reuiuiſcat animetur. Neque huic ſententiæ contrarium eſt quod Dominus ait, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Subintelligendum namque ibi eſt, quòd tantummodò verè credat, qui exercet operando quod credit.] Hinc & ſanctus Gregorius in Homilia Euangelij vigeſima nona dicit, *Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Fortaſsè, inquit, vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat, Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus teneat.] & reliqua, quæ ibi notiſſima multis proſequitur. Par quoque eſt & teſtimonium, quod iſte contradictor noſter in ſuggillationem noſtram compoſuit dicens, *Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Vera etenim fides eſt, vt Gregorius in Homilia præfata dicit, quæ in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit.] Hinc eſt enim, quòd de quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit, *Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et de propoſito Euangelico teſtimonio à contradictore noſtro, *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Venerabilis presbyter Beda in Homilia XXXVI. dicit, Quia ſicut illi, qui exaltatum pro ſigno ſerpentem æneum aſpiciebant, ſanabantur ad tempus à temporaria morte, & plaga quam ſerpentium morſus intulerant, ita & qui myſterium Dominicæ paſſionis credendo, confitendo, ſinceriter imitando aſpiciunt, ſaluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in anima pariter & carne contraxerant. Vnde rectè ſubiungitur, *vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Cuius quidem verbi patet ſenſus, quia qui credit in Chriſtum, non ſolùm perditionem euadit pœnarum, ſed & vitam percipit æternam, ſicut Gregorius in præfata Homilia dicit, Tunc etenim veraciter fideles ſumus, ſi quod verbis promittimus, operibus implemus. Hinc Ioannes ait, *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.*] Et Proſper in libro Sententiarum cap. CCCXXIV. Qui ergo gaudes baptiſmi perceptione, viue in noui hominis ſanctitate: & tenens fidem quæ per dilectionem operatur, habe bonum quod nondum habes, vt proſit tibi quod habes.] Et item Beda in Epiſtola Iacobi, *Tu credis quoniam vnus eſt Deus. bene facis, & dæmones credunt & contremiſcunt.* Ne putes quia magnum aliquid fa-

Cap.2. Matth.16. 16. Non longè à princip. Ioan.3.16. Tit.1.16. Ioan.3.14 1.Ioan.2.4. Cap.2.

cis credendo vnum Deum esse, hoc enim & dæmones faciunt. non solùm Deum patrem, sed & filium Dei credunt. Vnde dicit Lucas, *Exiebant etiam dæmonia à multis, clamantia & dicentia quia tu es filius Dei. & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*] & post aliquanta, Credere verò in Deum soli nouerunt qui diligunt Deum, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed & factis & vita: quia sine dilectione fides inanis est, cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis.] & sequentia quæ ibi prosequitur.

Homilia 1. de Sanctis.

Et qualiter fideles atque infideles de baptismate sentiant, idem venerabilis presbyter Beda in homilia Euangelij, *Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine*, latiùs & catholicè prosequitur, & sic ad locum dicit, Sola hæc Ecclesia mater quæ generat nouit. Ceterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte qualis intrauit, totúmque ludus esse quod agitur.] Beatus quoque Petrus Apostolus dicit, *Et vos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Ex qua sententia idem Beda dicit, Vbi est enim conscientia bona, nisi vbi est & fides non ficta? Docet namque Apostolus Paulus, quia *finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*] Et item in epistola Ioannis, *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est.* Confessionem hoc loco non solùm catholicæ fidei, sed & operationis bonæ, quæ fit per caritatem requirit. Alioqui nonnulli hæretici confitentur, multi schismatici, multi falsi catholici, Iesum Christum in carne venisse, sed confessionem suam factis negant, non habendo caritatem. Caritas quippe Dei filium adduxit in carnem, & ideo quisquis non habet caritatem, negat illum in carne venisse. Talísque spiritum ex Deo non habere conuincitur.] & item, *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Illa nimirum fides, quæ per dilectionem operatur.] Et item Beda, Hoc quoque tempore, si qui nuper ad fidem veniens baptismum acceperit, & proponens toto corde Dei seruare præcepta, mox de hac luce migrauerit, iustificatus vtique per fidem sine operibus migrauit, quia tempus operandi, vnde fidem probaret, ipso in quem credidit Deo disponente non habuit. At qui perceptis sacramentis longo superuiuunt tempore, nec bonis insistere curant operibus, his inculcandum est quod beatus Iacobus, proposito exemplo fidei simul & operum Abrahæ, mox subdidit dicens, *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm?* Quod ait ex operibus, significat ex operibus fidei. quia perfecta opera sine fide nullus habere potest: fidem verò sine operibus multi, si illis operum tempus non adsit. de qualibus dictum est, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam illius.*] Sed & in talibus ipsa fides opus est, sicut scriptum est in Euangelio, *Hoc est autem opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* quod opus operatur qui in eum credit, quia

1.Pet.3.21. In Epist. 1 Petri cap.3. 1.Tim.1.5. Beda in Epist.1.Ioan. cap.4. 1.Ioan.4.2. 1.Ioan.5.4. In Epistolā Iacobi c.2 Iac.2.24. Sap.4.11. Ioan.6.29.

etiam ipſa credulitas vera fides eſt, quæ per dilectionem operatur, credendo in illum qui iuſtificat impium, & cuius omnia opera ſunt in fide, ſine qua quiſque ad baptiſmatis ſacramentum accedit, baptiſmatis ſacramento renouari non valet, quia Spiritus ſanctus, quo in filios adoptamur diſciplinæ, effugit fictum, & aufert ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu. Vnde ſanctus Ambroſius in epiſtola ad Galatas dicit, Quia ſine ſpiritu non erat plenum nomen filiorum.] & item idem in libro de Sacramentis, In baptiſmate ſpiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, ſanguis ſpectat ad pretium. ſacri fontis vnda nos abluit, ſanguis Domini nos redimit, Spiritus nos per adoptionem filios Dei facit.] De qua in Homilia Euangelij xxx. ſic ſanctus dicit Gregorius, Ipſe namque Spiritus ſanctus amor eſt. Vnde & Ioannes dicit, *Deus caritas eſt.* Qui ergo mente integra Deum deſiderat, profectò iam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum quem diligit non haberet.

In princip. 1.Ioan.4.8.

Ecce quomodo etiam in baptiſmate tam in paruis quàm in magnis agit fides quæ per dilectionem operatur, ſicut ſanctus Auguſtinus in libro quarto contra Iulianum dicit, Sed fortè dicis, ergo infantes qui non credunt, vel ſicut tu poſuiſti qui non habent eam fidem quæ per dilectionem operatur, non renaſcuntur in Chriſto, neque per fidem ſanguinis Chriſti in baptiſmate renouantur in Chriſto, atque incorporantur Chriſto. Reſponde nobis ſi placet, fide an infidelitate à parentibus ad Eccleſiam deportantur? dilectione ſalutis, an odio perditionis patronis à parentibus offeruntur, à patronis ſacerdotibus itidem offeruntur, à ſacerdotibus exſufflantur & exorcizantur, vt à poteſtate diaboli eruantur? in morte Chriſti baptizantur, vt mortis eius ſimilitudini complantati peccato vtique moriantur? Velis nolis hæc omnia geri fide quæ per dilectionem operatur, artatus artiſſimè reſpondebis, niſi impudenti fronte mentiri præſumendo decreueris.] & item idem in ſexto libro, Nam quomodo reportat bonum vt intret in regnum Dei, ſi hoc reportat quiſque quod geſſit, niſi quia pertinet ad paruulum, etiam quod per alterum geſſit, id eſt credidit? Sicut itaque quod credit pertinet ad eum vt reportet bonum, hoc eſt percipiat Dei regnum, ſic ad eum pertinet, etiamſi non credidit, vt reportet condemnationis iudicium, quia Euangelica eſt & ipſa ſententia dicendo, *Qui non crediderit condemnabitur.*] & poſt pauca, Alienum quippe opus eſt cùm credit per alterum, ſicut alienum opus fuit cùm peccauit in altero. Nec nos dubitamus, quia baptiſmate delictum omne mundetur, ſed renaſcendo quiſque mundatur. Quod ergo non adimit niſi regeneratio, non ceſſat trahere generatio.] Venerabilis quoque presbyter Beda in expoſitione Euangelij Marci, Intuendum ſanè quantum propria cuiuſque fides apud Deum valebit, vbi tantùm valuit aliena, vt totus homo re-

Cap 4. Marc.16. 16.

pentè, hoc est interiùs exteriúsque iam saluatus exsurgeret, aliorúmque merito alij laxarentur errata. Vnde & plura in sæpe commemoratis libellis contra obtrectatores nostros exempla posuimus, quæ hîc congerere nunc superfluum ducimus. Præsertim cùm illa quicumque dignatus fuerit legere, collecta quasi in fasciculis sub celeritate & sine aliqua difficultate valebit cognoscere.

CAPVT XXX.

Quòd exceptis his duabus quasi syllabicis sententiis, nihil in hoc Capitulo posuimus, nisi quod ex beati Prosperi verbis excepimus.

MODO autem his duabus exceptis superadditionibus, de quibus rationem reddidimus, videamus si transuerso vngue, vt dicitur, à sensibus beati Prosperi in descriptione quarti Capituli deuiauimus. Prosper actione VIII. contra Gallos dicit, Nullus omninò est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.] & item Prosper contra Gallos, Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem.] Et contra Vincentianos, Et tamen non omnes homines à captiuitate sunt eruti.] Et nos scripsimus, *Ita nullus est homo pro quo passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.* Et Prosper in recapitulatione IX. contra Gallos, Qui dicit quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius sit mundi.] Et nos scripsimus, *Quia verò omnes passionis eius mysterio non redimuntur, non respicit ad magnitudinem & pretij copiositatem, sed ad infidelium respicit partem.* Prosper actione prima contra Vincentianos dicit, Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur.] & nos scripsimus, *Quia poculum humanæ salutis quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur.* In quibus verbis si aliquam syllabam non autem sensum immutauimus, non per studium, neque per arrogantiam accidit, sed quia librum eiusdem beati Prosperi præ manibus non habuimus, & spatium vt adferri valuisset, instantia Christianæ deuotionis vestræ cogente, sicut ipsi meliùs scitis, venerabilis princeps noster Karole rex gloriose, obtinere nequiuimus, compellentes nos coartatione dignissima, dantes exemplum ex libro Hieronymi de optimo genere interpretandi, quia non tantùm quærebatis alienæ compositionis verba, quàm sinceræ & episcopalis conscientiæ catholica documenta.

Responsione IX.

Ibidem.

Resp. I.

Sententia IX.

Resp. I.

Post præmissa de quibus rationem reddidimus, subnexuit ex ordine Capitulorum compositor, Porrò, inquit, Capitula numero decem & nouem, syllogismis ineptissimè & mendacissimè à quodam Scotto conclusa, vbi non argumentum fidei, sed potiùs commentum perfidiæ paret, nulla omninò philosophica arte, vt arroganter à quibusdam iactatur, constructum, sed inani fallacia & deceptione imperitissimè confusum, à pio auditu fidelium penitùs explodimus. & vt talia & similia caueantur, per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus. De hoc Capitulo quædam dempta inuenimus ex eo quod nobis ante triennium, sicut suprà memorauimus, in Nielfa villa Rotomagensis Episcopij commisistis. Ibidem enim scriptum habetur, Porrò Capitula quatuor, quæ Concilio fratrum nostrorum minùs prospectè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati, sed & alia Capitula numero decem & nouem, syllogismis ineptissimè & mendacissimè conclusa, & reliqua sicut & hîc compositor iste modò disposuit. Vnde miramur, si iste in compilandis illis fuit Capitulis, hoc quod tunc in eis tam studiosè inseruit, quare de isto eradere maluit. & si in illis Capitulis compositor iste non fuit, quomodo tam consonanter, vt in nullo alio, excepto isto loco, & de sequenti Capitulo, de quo vnum elinxit Apostolicum, sicut suo loco monstrabimus, deuiauerit vel immutauerit, neque transuerso capillo à concordi sententia exorbitauerit. Si enim nos iustè & rationabiliter reprehendere se posse & debere confidit, memor quia Paulus Petro in faciem restitit, adportans scriptorum suorum plenitudinem, his quæ perperè dixeramus auctoritatiuè resisteret. Si autem & de errore, conscientia se remordente, corrigere voluit, & ideo de medio ista abrasit, & præcedentes suos errores, & subsequentes nostras indebitas reprehensiones, penitùs absumere debuit.

Gal. 2. 11.

CAPVT XXXI.

De decem & nouem Capitulis, quæ compilator Capitulorum nobis à regia dominatione datorum, in suggillatione nostra commemorat, & de aliis, siue quæ nos passim scripta inuenimus, siue quæ à quibusdam leuibus quærendo adinuenta audiuimus.

DE decem siquidem & nouem Capitulis, quæ commemorat, nunc ad alia occupationibus deuocati scribere supersedimus. Et quia audiuimus, quoniam ipsi qui illa reprehenderant contra ea scribunt, expectamus donec videamus, si aliquis fuerit qui ipsa nitatur defendere, vel quid contra illa scribens nitatur adserere. Alia nihilominus Capitula LXXVII. quodam offerente suscepimus, quorum superscriptio talis est, Recapitulatio totius operis, & Capitulum

primum habetur huiusmodi. Dicis quadruuio regularum quatuor
» totius Philosophiæ omnem quæstionem solui. Respondemus nec
» illud quadruuium, nec vllas mundanæ sapientiæ sententias, ad om-
» nem quæstionem soluendam sufficere absque gratia Dei & fide, quæ
» per dilectionem operatur, ac veraci studio & sanctarum scientia
» scripturarum. Nouissimum verò. Dicis anathematizare te eos qui
» geminam prædestinationem dicunt, aut prædestinationes pluraliter
» efferunt. Respondemus tibi potiùs conuenire, qui veritatem iudicio-
» rum Dei tantisper impugnas, fidem dictorum veracium negas, sensa
» patrum per omnia reuerendorum fidelissima deprauas, & ea insuper
» nouus falsitatum inuentor enuntias, quæ nullus antehac dixisse vel
» scripsisse vllatenus reperitur.] Quorum auctores, vel potiùs sibi com-
pugnatores, & in quibusdam veritatis impugnatores, iactitantur à
† multis Prudentius Episcopus, & Ioannes Scottigena. Sed nos nec
credere nec confirmare volumus, quod documentis certioribus de-
monstrare non possumus. Interim tamen illorum contentionibus
nos immiscere noluimus, vsque dum liquidiùs cognoscamus ad quem
finem contentionem suam quicumque sint illi perduxerint, recor-
dantes Sapientis prouerbij, *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic &*
qui immiscetur rixæ alterius. Sunt & alia, quæ vocum nouitatibus de-
lectantes, vnde sibi inanes comparent rumusculos, contra fidei ca-
tholicæ veritatem dicunt. Videlicet quòd trina sit Deitas, quòd Sa-
cramenta altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini,
sed tantùm memoria veri corporis & sanguinis eius, quòd Angeli
natura sint corporales, quòd anima hominis non sit in corpore,
quòd non aliæ pœnæ sint infernales, nisi tormentalis memoria con-
scientiæ peccatorum. Et fortè qui non satagunt vt post finitum v-
niuersale iudicium Dominum videant, qualiter videri debeat mor-
daci contentione disquirunt. Et plura alia, contra quæ orthodoxos
Ecclesiæ catholicæ rectores necesse erit sollerti studio vigilare.

Prou. 26. 17.

Sed & in præfata Synodo, Capitulis quæ nobis dedistis, in quater-
nunculis vnius consacerdotis nostri septem subiunctas inuenimus,
non veritate, sed nomine regulas: quia non fidei, sicut ibidem scri-
ptum reperimus, regulæ, sed ad infidelitatem simplicibus protensa
sunt retiacula. quæ verborum & sensuum consonantia eiusdem au-
ctoris, cuius & Capitula nostræ humilitati à vestra data sublimitate,
» fore creduntur. Quarum initium est, Primo loco ponendum, & ve-
» hementiùs, prout nunc pusillitatis nostræ memoriæ occurrit, credi-
» mus commendandum septem quasdam esse regulas fidei, ex diuinarum
» scripturarum auctoritate venientes, & à sanctis atque orthodoxis
» patribus diligentissimè commendatas. de præscientia scilicet & præ-
» destinatione diuina. quas & catholicus fidelissimè tenere debeat, &
» quicumque his contraria sapit, non catholicè sentire comprobetur.]
Et sic per septem illas, non veras regulas, sed fictas reculas, sicut so-
lent

lent sortiariæ facere, ad ora vasculi mella, & in inferioribus partibus venena supponere, orthodoxorum verba detruncata præponens, ad hanc summam intellectus sui deducit sententiam, vt sicut electi ad vitam, ita & reprobi à Deo prædestinentur ad mortem: & secundùm præscientiam suam Deus damnauerit, quos in iniquitate & impietate perseueraturos præsciuerit, eosdémque perituros prædestinauerit. Quæ imitari volens Isidorum, de Ticonio & aliis sapientibus septem in sacris scripturis regulas excerpentem, satis insulsè & non verisimilè nausiauit, quærendo quid diceret qui loqui nesciens tacere non potuit. De quibus superfluum duximus scribere, quia primam, & secundam, ac tertiam, siue quartam, aranearum telas, quasi specialiùs sanctus Augustinus in libro de Correptione & Gratia, & in libro de Bono perseuerantiæ, & sanctus Prosper contra Ianuenses, nullius momenti esse demonstrant. quintam verò næniarum & septimam regulam beatus Augustinus, contra veteres Prædestinatianos, in libro de Prædestinatione sanctorum, & sanctus Gregorius in libro vigesimo quinto Moralium Iob, in totum & per totum adnihilant. Sextam, vt dicitur, sicut fumum pultium, beatus Augustinus inter cetera, in libris de Gratia & Libero arbitrio, & de Bono perseuerantiæ, de Prædestinatione gratiæ, & ad Sixtum presbyterum, exsufflat & facit penitùs non parere. Et nostra mediocritas in tribus istum præcedentibus libellis, & in isto, commemoratis ex sanctorum Patrum auctoritatibus, hæc figmenta falsissima esse monstrauit. Et quæ vera sunt de præscientia & prædestinatione Dei, & illic & istic ex patrum catholicorum sensibus sufficienter collegimus. adeo vt qui veritatem desiderat, ei collectio tanta sufficiat: quibus verò non ista congesta sufficiunt, certum est quia nec plura proderunt, & plus falsis quàm veris se committere gestiunt.

CAPVT XXXII.

De clausula Capituli compilatoris, & de tribus quæ huic Capitulo subnectere procurauimus. quorum vnum est quia turbæ quæ Dominicum aduentum præcesserunt, & quæ subsequuntur, vna eadémque fide conclamant Osanna, quoniam per gratiam Dei saluari credimus quemadmodum & illi.

TANDEM in hac clausula adinuentor istorum capitulorum præsens conclusit Capitulum dicens, " Nouarum etiam rerum introductores, ne districtiùs feriantur, castigandos esse censemus. " Et nos ita etiam concensemus. Veteres Prædestinatianos, nouarum scilicet rerum introductores, sanctus Augustinus in libris de Correptione & Gratia, de Prædestinatione sanctorum, ac Bono perseueran-

tiæ, Hypomnesticon nihilominus libro, & libro de Prædestinatione gratiæ, sufficientissimè & fidelissimè atque paternè castigare curauit. Deinde sanctus Cælestinus auctoritate Apostolica, instantia sancti Prosperi, & sententia Synodali, redarguit atque compressit. Et nunc itidem harum nouarum vocum reintroductores, eadem auctoritate sanctarum scripturarum, & catholicorum atque antiquorum Patrum prolatis sententiis, necesse est castigare, redarguere atque comprimere. Vnde tria huic Capitulo subnectemus. Quorum vnum est, quia turbæ, quæ Dominicum aduentum præcesserunt, & quæ subsequuntur, vna eademque fide conclamant dicentes, *Osanna*, id est, vt in tractatu Ezechielis sanctus exponit Gregorius, *salua nos in excelsis.* quoniam vt Petrus dicit, *per gratiam Dei saluari credimus, quemadmodum & illi.* Deinde qualiter docent sanctarũ scripturarum auctoritate catholici viri, generaliter Christum fuisse passum pro omnibus. Indéque quomodo orthodoxi & antiqui magistri ex scripturis authenticis demonstrant, discretè nos debere intelligere, quia licèt Christus fuerit passus pro omnibus, non tamen omnes ad æternam salutem mundi pretio, id est passionis eius mysterio, sint redempti. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi. Sicut & hic reprehensor noster, non integro intellectu, de his qui redimi noluerunt in Capitulo isto posuit, *Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quia profectò, vt venerabilis presbyter Beda exponit, idem Dominus & redemptor noster, filius Dei ante sæcula existens, filius hominis factus est in fine sæculorum: vt qui per diuinitatis suæ potentiam nos creauerat ad perfruendam vitæ beatitudinem, perennis ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauret ad recipiendam quam perdidimus vitam.]

Hom.xvii. Act.15.11. Ioan.3.16.

Beatus quoque Augustinus in Psalmo tricesimo sexto dicit, Dominus enim ipse in corpore suo, quod est Ecclesia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam senuit. Nostis, & agnoscitis, & intelligitis, quia in hoc positi estis, & ita credidistis, quia caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos, omnes qui ab initio sæculi fuerunt iusti, caput Christum habent? Illum enim venturum esse crediderunt, quem venisse iam credimus, & in eius fide & ipsi sanati sunt, in cuius & nos. vt esset ipse totius caput ciuitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vsque ad finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna ciuitas sub vno rege, & vna quædam prouincia sub vno Imperatore, felix & in perpetua pace ac salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine.] Et venerabilis presbyter Beda in Exposito Euangelij secundùm Lucam, Vides non solùm noui, sed & veteris testamenti iustos,

Concione III. sub initium. Cap.2.

ſpe futuræ vitæ deſiderium habuiſſe abſolui à corpore.] & paulo pòſt, Quibus abſque dubio verbis aperit, quàm maximum ſe præſentium calamitatum acturum ſperet in fine ſolatium. quem tantiſper aduenire deſiderat. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum.* Illum ipſum, inquit, quod omnibus poſtmodùm gentibus, populis & linguis, mente ac fide conſpiciendum parare, ſpe ac dilectione quærendum præuidiſti, ipſe diu deſideratum nunc & carnis & cordis oculis tuum ſalutare contemplor. Lumen quidem vtrique populo ſalutare Dei, id eſt Chriſtus, à Deo patre paratur: qui tamen gloria magis Iſrael, cui diu ſperatus & ex quo pronunciatus aduenit. Gentium verò dicitur eſſe reuelatio, quarum mentis oculos, profunda iam cæcitate demerſos, neque vlla ſpe aduentu Dominico erectos, ipſe viſitare, pariter reuelare atque inluſtrare dignatus eſt.] & item, *Dico vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Abraham exultauit vt videret diem Chriſti, & vidit & gauiſus eſt. Eſaias quoque & Micha, & multi alij prophetæ viderunt gloriam Domini, quapropter Videntes ſunt appellati.] Et in Homilia eiuſdem Euangeliſtæ, Cunctis, inquit, credentibus, ſiue illis qui incarnationis eius tempora naſcendo præceſſerunt, ſiue his qui eum in carne viderunt, ſiue nobis qui poſt eius aſcenſionem credimus, communis eſt hilariſſima eius promiſſio, qua dicit, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*]

Luc. 2. 31. Luc. 10. 24. Matth. 5. 8.

Et ſanctus Gregorius in Homilia XVIIII. Ad erudiendam ergo Dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam ſuam, nullo tempore deſtitit operarios mittere: quia & priùs per Patres, & poſtmodum per legis doctores & prophetas, ad extremũ verò per Apoſtolos, dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per operarios in vineæ cultura laborauit. Operator ergo manè hora tertia, ſexta, & nona, antiquus ille & Hebraicus populus deſignatur, qui in electis ſuis ab ipſo mundi exordio, dum recta fide Deum ſtuduit colere, quaſi non deſtitit in vineæ cultura laborare: quamuis in quolibet modulo vel menſura, quiſquis cum fide recta bonæ actionis extitit, huius vineæ operarius fuit.] & item, Quanti Patres ante legem, quanti ſub lege fuerunt? & tamen hi qui in Domini aduentu vocati ſunt, ad cælorum regnum ſine aliqua tarditate peruenerunt. Eundem ergo denarium acceperunt qui laborauerunt ad vndecimam, quem expectauerunt toto deſiderio & qui laborauerunt ad primam: quia æqualem vitæ æternæ retributionem ſortiti ſunt, cum his qui à mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi fine ad Dominum venerunt.] & item, Sed quia antiqui Patres vſque ad aduentum Domini, quamlibet iuſtè vixerint, ducti ad regnum non ſunt, niſi ille deſcenderet, qui paradiſi clauſtra hominibus interpoſitione ſuæ mortis aperiret, eorum hoc ipſum murmuraſſe eſt, quòd & rectè pro percipiendo re-

In princip. Aliquanto poſt ſuperiora. Paulo pòſt.

gno vixerunt, & tamen diu à percipiendo regno dilati sunt. Quos enim post peractam iustitiam inferni loca quamuis tranquilla susceperunt, eis profectò, & laborasse fuit in vinea, & murmurasse. Quasi ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem qui ad vndecimam venimus, post laborem non murmuramus, & denarium accipimus: quia post mediatoris aduentum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox cùm de corpore eximus, & illud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt.]

Act. 15. 11. Et sanctus Petrus in actis Apostolorum, *Sed per gratiam Domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi.* Hinc Beda, Si ergo & illi, id est patres, portare iugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini saluos se fieri crediderunt, manifestum est quòd hæc gratia est, quæ antiquos iustos viuere fecit, quia iustus ex fide viuit, & ideo sacramenta esse potuerunt pro temporum diuersitate diuersa, ad vnitatem tamen eiusdem fidei concordissimè recurrentia.] & in epistola Petri prima, *Per eos qui euangelizauerunt in vos Spiritu sancto misso de cælo.* Suprà dixerat prophetas spiritu Christi prænuntiasse passiones eius, & posteriores glorias, & nunc dicit eadem Apostolos eis nuntiare Spiritu sancto misso de cælo. Vnde patet quia isdem Spiritus Christi erat in prophetis priùs, qui postmodùm in Apostolis. Ideóque eandem fidem passionis Christi & posterioris gloriæ vtrique populis prædicabant, illi adhuc venturam, isti iam venisse. Ac per hoc vnam esse Ecclesiam, cuius pars carnalem Domini aduentum præcesserit, pars sit altera secuta.] Et item, *Vobis honor credentibus, non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt ædificantes.* Vt sicut reprobauerunt cùm ædificarent actus suos, nolentes eum in fundamento cordis sui ponere, ita & isti reprobentur ab eo in aduentu eius, nolente illo tunc eos, qui se reprobauerunt in ædificationem accipere domus suæ, quæ est in cælis. Et hæc distinctio honoris credentium, non credentium autem reprobatio, huc vsque pertingit.] & item, *In quo eis qui in carne conclusi erant spiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando.* Qui nostris temporibus in carne veniens iter vitæ mundo prædicauit, ipse etiam ante diluuium eis qui tunc increduli erãt, & carnaliter vixerant, spiritu veniens prædicauit. Ipse enim per Spiritum sanctum erat in Noë, ceterísque qui tunc fuêre sanctis, & per eorum bonam conuersationem prauis illius æui hominibus, vt ad meliora conuerterent, prædicauit. Conclusos namque in carcere dicit carnalibus desideriis vehementer adgrauatos. Vnde de illis Scriptura ait, *quia omnis caro corruperat viam suam.* Quod autem dicit, *In quo*, significat in eo quod præmiserat, *vt nos offerret Deo*, quia & tunc, si qui ad prædicationem Domini, quam per vitam fidelium prætendebat, credere voluissent, & ipsos

Cap. I. 1. Petr. 1. 12.

Cap. 2. 1. Petr. 2. 7.

Cap. V. 1. Petr. 3. 19.

offerre Deo patri gaudebat.] Ecce de populis qui incarnationem Domini præcesserunt, inexcusabiles sunt qui non crediderunt, quia sine prædicatione salutis non fuerunt, sine sacramentis salutis quibus saluarentur non extiterunt, quibus saluati sunt Abel Christum in agno offerens, Enoch sola fidei inuocatione credens. Noë & in fabricatione arcæ prædicauit, & hostias obtulit. arca Ecclesiæ typum gessit, aqua diluuij figura baptismatis fuit. Vnde & in eadem epistola scriptum est, *Qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabat Dei patientia in diebus Noë, cùm fabricaretur arca.* Nam & ipsa Dei patientia prædicatio eius erat, cùm Noë centum annos arcæ operibus insistens, quid mundo futurum esset cotidiana operis executione monstrabat. Vnde Paulus ait, *An ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? In qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ per aquam. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Formam baptismi adsimilatam dicit arcæ & aquis diluuij, quòd pereunte orbe toto, pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam: quia ad comparationem pereuntium multo breuior est numerus electorum.] Quòd ergo aqua diluuij non saluauit extra arcam positos sed occidit, sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licèt habentem baptismatis sacramentum, non aliis sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca subleuatur ad cælum. Abraham in filio Christum immolauit. Melchisedech in figura panis vitæ æternæ, & calicis salutis perpetuæ, panem & vinum obtulit. Moyses agnum paschalem sacrificauit. etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Aaron cum vituli sanguine semel in Sancta in anno intrauit. Vnde Paulus, *Christus*, inquit, *adsistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, per proprium sanguinem intrauit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.*

1. Petr. 3. 20. Beda ibid. cap. 3. Rom. 2. 4. Hebr. 9. 11.

Vnde & Ambrosius in libro de Spiritu sancto, exponens sententiam libri Iudicum de Gedeon, quia Christus vitulo sit præsignatus dicit, Et ipse septennem alium vitulum immolauit Deo. Quo facto manifestissimè reuelauit, post aduentum Domini omnia gentilitatis abolenda esse sacrificia, solúmque sacrificium Deo Dominicæ passionis pro religione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christi, in quo septem spiritalium plenitudo virtutum, sicut Esaias dicit, habitabat. Hunc vitulum & Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, & gauisus est. Hic est qui nunc in hœdi typo, nunc in ouis, nunc in vituli offerebatur. Hœdi, quòd sacrificium pro delictis sit: ouis, quòd voluntaria hostia: vituli, quòd immaculata sit victima] Et patres nostri omnes baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem spiritalem escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Vnde Augustinus in expositione Euangelij secundùm Ioannem, *Patres* inquit, *vestri manducauerunt manna & mortui sunt.* Manducauerunt Moyses & Aaron, & ceteri san-

Libro 1. in proœmio. Tractatu XXVI. Ioan. 6. 49.

cti qui fuerunt in populo manna, & non sunt mortui, quia spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esurierunt. Alij verò manducauerunt & permanserunt in infidelitate. sicut Iudæi audierunt loquentem Christum, sed non spiritaliter verba eius intellexerunt. Ideo dixit eis, *Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt.* Qua morte, nisi infidelitatis? Nam communi morte mortui sunt & sancti qui fuerunt inter eos. Ideo signauit Dominus in his verbis mortem spiritalem, non carnalem, *Patres vestri manducauerunt manna & mortui sunt.* non quia malum erat manna, sed quia malè manducauerunt. *Hic est panis qui de cælo descendit.* Hunc panem significauit manna, hunc panem signant altaris Dei sacramenta.] Et ecce de populo, qui Domini præcessit aduentum. Dicamus de illo qui sequitur illius aduentum. Item in epistola Petri prima, *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.* Vnde Beda, Quanto maius est pretium quo redempti estis à corruptione vitæ carnalis, tanto ampliùs timere debetis, ne fortè ad corruptelam vitiorum reuertendo, animos vestri redemptoris offendatis, *renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei viui & permanentis in æternum.* Tale est in Euangelio Ioannis, *his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sicut ergo incorruptibile est pretium Dominicæ passionis, quo redempti sumus, ita etiam incorruptibile est sacramentum fontis sacri, quo renascimur. Quæ ita sibi inuicem connectuntur, vt vnum nobis sine altero salutem conferre nequeat: quia nimirum Dominus ita nos tempore incarnationis suæ sacro sanguine simul omnes redemit, vt nos quoque nostro tempore viritim per regenerationem baptismi ad consortium eiusdem regenerationis peruenire debeamus. Vt hinc colligatur, quia sicut ex semine corruptibili caro quæ corrumpatur nascitur, sic per aquam verbo Dei consecratam vita nobis quæ finem nesciat tribuitur.] & item, Vt bene discẽdo perueniatis ad refectionem panis viui qui de cælo descendit. hoc est per sacramenta Dominicæ incarnationis, quibus renati estis & quibus nutriti, perueniatis ad cõtemplationem diuinæ maiestatis.] Sed quoniam quidam sunt, & post aduentum Domini ante nos fuerunt, atque futuri sunt, qui quod audiunt non recipiunt, item ibi scriptum est, *His qui offendunt verbo, nec credunt in quod & positi sunt.* Offendunt verbo, qui eo ipso quòd verbum Dei audire eos contigit, offendunt animo, dum nolunt credere quod audiunt. Quorum stultitiam exaggerando subiecit, *nec credunt in quod & positi sunt.* quia in hoc positi, id est, in hoc per naturam facti sunt homines, vt credant Deo, & eius voluntati obtemperent, Salomone attestante cùm ait, *Deum time, & mandata eius obserua. hoc est enim omnis homo.* id est, in hoc naturaliter factus est omnis homo,

Ioan.6.50.
1.Pet.1.18.
Cap.1.in Petri ep.1.
Ioan.1.13.
Cap.2.
Ibidem.
Eccl.12.13.

vt Deum timens eius mandatis obſecundet.] Quidam autem donum quod accipiunt non conſeruant. Vnde in eadem Epiſtola admonet eos Apoſtolus dicens, *Cariſſimi, obſecro tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam.* Hucuſque beatus Petrus generaliter Eccleſiam inſtituit, explicans vel beneficia quibus nos diuina pietas ad ſalutem vocare, vel dona quibus aliquando Iudæos, nunc autem nos honorare dignata eſt. Hinc diuerſas fidelium perſonas ſollerter hortatur, ne ſe tanta Spiritus gratia carnaliter viuendo reddant indignos. ne qui regali ac ſacerdotali vocabulo ſunt inſigniti, vitiorum malis ſubacti, à condonatæ vel promiſſæ ſibi nobilitatis gloria degenerent.] & item, *Vos in libertatem vocati eſtis, fratres: tantùm ne libertatem in occaſionem carnis detis.* Liberi enim rectè vocamur, qui per baptiſma à peccatorum ſumus nexibus abſoluti, qui à dæmonica ſeruitute redempti, qui filij Dei effecti: non tamen dono libertatis potiorem peccandi facultatem, vel licentiam accepimus: quin immo ſi peccauerimus, mox libertate perdita, ſerui efficimur peccati. Et quiſque ſe ad hoc libertatem accepiſſe à Domino putat, vt licentiùs peccet, talis ſuam libertatem in velamen malitiæ mutat.]

1. Petr. 2. 11.
Beda ibid.
Gal. 5. 13.
Beda ibid.

Et item in eadem epiſtola ſcriptum eſt, *Quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hereditate poſſideatis.* Et tamen de ad benedictionem vocatis, de redemptis, de iuſtificatis cotidie pereunt. Vnde & Paulus ad Corinthios dicit, *Et peribit qui infirmus eſt in tua conſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Hinc ſanctus Ambroſius, Peribit infirmus, ſi edat contra vnius Dei fidem de ſacrificatis, *in tua conſcientia.* id eſt, tua peritia illum occidis, quando à te fieri videt quod ille aliter intelligit: & tu eris occaſio mortis fratris, quem Chriſtus vt redimeret crucifigi ſe permiſit.] Sed & ſicut Patres quidam manducauerunt manna, & à ſpiritali morte ſalui facti ſunt, quidam autem manducauerunt & mortui ſunt: ita & ſicut Paulus dicit ad Corinthios, poſt paſſionem Domini factum eſt, & fit quotidie, futurúmque eſt. quoniam quidam accedunt ad menſam Domini indignè, quidam autem deuotè: & quidam ſibi iudicium manducant & bibunt, quidam autem ſuam in ſalutem percipiunt. Et de priore populo venerabilis preſbyter Beda in Homilia octaua dicit, Quia idem ſalutiferæ curationis auxilium circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quod regni cæleſtis ianuam necdum intrare poterant, donec adueniens benedictionem daret qui legem dedit, vt videri poſſet Deus deorum in Sion. Tantùm in ſinu Abrahæ poſt mortem beata requie conſolati ſupernæ pacis ingreſſum ſpe felices expectabant.] Vtraque ergo purificatio, & circumciſionis videlicet in lege, & in Euangelio baptiſmatis, tollendæ præuaricationis primæ gratia poſita eſt. & ne cui ſæculi labentis ætati ſuper-

1. Petr. 3. 9.
1. Cor. 8. 11.
Non longè à principio
Poſt alia.

ni respectus munera deessent, illi quoque, qui à mundi exordio vsque ad tempora datæ circumcisionis, vel post datam circumcisionem, de aliis nationibus Deo placuerunt, vel hostiarum oblationibus, vel certè sola fidei virtute, suos suorúmque animos Creatori commendantes, à primi reatus vinculis absoluere curabant. *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* & sicut aliàs scriptum est, *Iustus autem ex fide viuit.*] Et item in Homilia decima tertia de sequenti populo post passionem Domini vsque ad finem sæculi, *Qui dilexit nos,* inquit, *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Non solùm autem lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisquam nostrûm in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est: verùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. sícque corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Cuius rectè figuram agnus in lege paschalis ostendit. Qui semel populum de Ægyptia seruitute liberans, in memoria eiusdem liberationis, per omnes annos immolatione sua populum eundem sanctificare solebat, donec veniret ipse cui talis hostia testimonium dabat, oblatúsque Patri pro nobis in hostiam odorémque suauitatis, mysterium suæ passionis, ablato agno, in creaturam panis viníque transferret, sacerdos factus in æternum secundùm ordinem Melchisedech, cuius sanguis veteribus electis regni ianuas patefecit.]

Hebr.11.6. Rom.1.17. In princip.

Sub initiũ. Et Leo in Homilia tertia de Natale Domini, Adicienda erat veritas redemptionis mortalibus institutis, & corruptam ab initio originem nouis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quæ & nostri generis socia, & nostræ contaminationis esset aliena: vt hoc propositum Dei, quo peccatum mundi Iesu Christi placuit natiuitate & passione delere, ad omnium generationum sæcula pertineret: nec turbarent nos, sed potiùs confirmarent mysteria, quæ temporum ratione variata, cùm fides qua viuimus nulla fuerit ætate diuersa. Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ natiuitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi enim incarnatio hoc contulit facienda quod facta, & sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt Apostoli, hoc adnuntiauerant & prophetæ: nec serò est impletum, quod semper est creditum. Sapientia verò & benignitas Dei, ac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit, vt quod multis signis, multis vocibus, multísque mysteriis per tot

fuerat ſæcula nuntiatum, in diebus Euangelij non eſſet ambiguum. Et natiuitas Saluatoris, quæ omnia miracula omnémque humanæ intelligentiæ erat exceſſura menſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius & antiquior præceſſiſſet & crebrior. Non itaque nouo conſilio Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit: ſed à conſtitutione mundi vnam eandémque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia enim, qua ſemper vniuerſitas iuſtificata ſanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis ſacramentum, quo totus iam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, vt non minùs eo adepti ſint qui illud credidere promiſſum, quàm hi qui ſuſcepere donatum.] Et ſanctus Auguſtinus in libro de Natura & Gratia, Ea quippe fides iuſtos ſanauit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Ieſu, fides ſanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & reſurrectionis eius. *Habentes ergo eundem ſpiritum fidei, & nos credimus propter quod & loquimur.*] Et venerabilis presbyter Beda in expoſitione Euangelij Lucæ, *Vt conuertat corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.* Corda patrum in filios conuertere, eſt ſpiritalem ſanctorum antiquorum ſcientiam populis prædicando infundere. Prudentia verò iuſtorum eſt, non de legis operibus iuſtitiam præſumere, ſed ex fide ſalutem quærere: vt quamuis in lege poſiti legis iuſſa perficiant, gratia ſe tamen Dei per Chriſtum ſaluandos intelligant. *Iuſtus enim ex fide viuit.* Et Petrus de iugo legis ait, *Quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi.*] Et in Tractatu Actuum Apoſtolorum, ex verbis ſancti Leonis Papæ, *Et non eſt in alio aliquo ſalus.* Si in nullo alio, ſed in Chriſto tantùm mundi ſalus eſt, ergo & Patres teſtamenti veteris eiuſdem Redemptoris incarnatione & paſſione ſaluati ſunt, qua nos ſaluari credimus & ſperamus. Et ſi enim ſacramenta pro temporum ratione diſcrepent, fides tamen vna eadémque concordat: quia quam nos per Apoſtolos factam, eandem illi diſpenſationem Chriſti per prophetas didicerant eſſe venturam. Neque enim eſt redemptio captiuitatis humanæ, niſi in ſanguine eius, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.] Et item venerabilis presbyter Beda in Epiſtola prima Petri, Suprà dixerat Prophetas ſpiritu Chriſti prænuntiaſſe paſſiones eius & poſteriores glorias: & nunc dicit eadem Apoſtolos eis nuntiare Spiritu ſancto miſſo de cælo. Vnde patet quia idem ſpiritus Chriſti erat in Prophetis priùs, qui poſtmodum in Apoſtolis. Ideóque eandem fidem paſſionis Chriſti & poſterioris gloriæ vtrique populis prædicabant: illi adhuc venturam, iſti iam veniſſe. ac per hoc vnam eſſe Eccleſiam, cuius pars carnalem Domini aduentum præceſſerit, pars ſit altera ſecuta.] Sicut & S. Gregorius in Homilia Ezechielis decima quin-

Cap. XLIII. | In caput I. | Act. 15. 10. | Cap. IV. in Acta. | In cap. I. | Post medium

ta dicit, Et quidem ab Abel sanguine passio iam cœpit Ecclesiæ, & vna est Ecclesia electorum præcedenrium atque sequentium.] Et in Homilia decima septima, *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant Osanna.* Præcessit quippe Iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi, siue qui in Iudæa esse potuerunt, siue qui nunc in Ecclesia existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt, qui præeunt & qui sequuntur Osanna clamant. Osanna autem Latina lingua salua nos dicitur. Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur: quoniam vna spes, vna fides est præcedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illi expectata passione ac resurrectione sanati sunt, ita nos præterita passione illius ac permanenti in sæcula resurrectione saluamur.

Non longè à principio

De his autem qui non saluantur, idem auctor dicit in Homilia IX. Notandum verò, quòd postquam mala parentum defunctorum dixerat, mittens Prophetam ad filios dicit, *Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant.* Quid est dicere vel ipsi, nisi quia eorum patres, qui in culpa defuncti sunt, audire noluerunt?] & paulo pòst, Et nos adhuc parentes nostros ad iniquitatem sequimur, ab eorum elatione quam vidimus non mutamur. & illi quidem inter gaudia, nos verò, quod est grauius, inter flagella peccamus. Sed ecce omnipotens Deus iniquitates iudicans iam priores nostros abstulit, iam ad iudicium vocauit: nos adhuc ad pœnitentiam expectat, nos ad reuertendum sustinet. & qui in illis iam iudicium exercuit, nobis suæ patientiæ longanimitatem prærogat, ne cum nostris nos prioribus perdat, dicens *Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quia domus exasperans est.*] Ergo & præcedentes & subsequentes quotquot saluantur, per redemptionem illius saluantur, & qui non credentes vt redimantur de subsequenti populo infidelitate pereunt, vel qui prauis moribus & iniquis operibus post redemptionem pereunt, sua infidelitate & iniquitate pereunt. Sic & de populo veteri infidelitate & iniquitate quicumque sunt perditi perierunt, sicut sacræ Testamenti veteris paginæ, à Cain reprobo vsque ad Annam & Caipham, euidenter demonstrant: & quicumque saluati sunt credentes in venturum, sicut & nos in eum qui iam venit credimus, per redemptionem quæ est in sanguine ipsius saluati sunt, sicut & nos eadem redemptione saluamur, & omnes saluãdi sine dubio saluabuntur. Vnde & venerabilis presbyter Beda in Homilia XXIV. Euangelij dicit, *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabãt dicentes Osanna filio Dauid.* Vna eadémque confessionis & laudationis voce Dominum qui præcedunt & qui sequuntur exaltant: quia vna nimirum fides est eorum, qui ante incarnationem Dominicam & qui postea fuere probati, quamuis sacramenta habuerint pro temporum ratione disparia, Petro attestante qui ait, *Sed per gratiam Do-*

Ezech. 2. 5.

In Dominica Palmarum. Matth. 21. 9.

Act. 15. 11.

mini Iesu credimus saluari quemadmodum & illi.] Et sanctus Hieronymus in Commento Epistolæ Pauli ad Galatas, Hæres iste paruulus, qui nihil differt à seruo cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, totum humanum genus vsque ad aduentum Christi, & vt ampliùs dicam, vsque ad mundi consummationem significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur, ita omnes, etiam qui ante aduentum Christi nati sunt, in secundo Adam viuificantur. Atque ita fit, vt nos legi seruierimus in patribus, & illi gratia saluentur in filiis. Iste intellectus Ecclesiæ catholicæ conuenit, quæ & veteris & noui testamenti vnam adserit prouidentiam, nec distinguit in tempore quos conditio sociauit.

Sic & sanctus Augustinus ad Marcellinum in libro secundo de Baptismo, de redemptione primorum hominum, quæ est in sanguine Christi, ita dicit, Mirandum non est, & mortem corporis non fuisse venturam homini, nisi præcessisset peccatum, cuius etiam talis pœna consequeretur, & post remissionem peccatorum eam fidelibus euenire, vt in eius timore vincendo exerceatur fortitudo iustitiæ. Caro enim quæ primò facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradisi seruare iustitiam. Vnde statuit Deus, vt post eius peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam iustitiam laboribus & molestiis niteretur. Propter hoc etiam de paradiso dimissus Adam, contra Eden habitauit, id est, contra sedem deliciarum: vt significaret quòd in laboribus, qui sunt deliciis contrarij, erudienda esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non seruauit antequàm esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines postea iustè viuendo, vnde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari: sic & caro peccati, etiamsi remissis peccatis homo in ea iustè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha Dauid in libro Regnorum. Ad quem Propheta cùm missus esset, eíque propter peccatum quod admiserat euentura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta quòd ei flagitium facinúsque remissum sit, & tamen consecuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, vt sic humiliaretur à filio. Quare & hîc non dicitur, si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato quod erat comminatus impleuit, nisi quia rectissimè sic dictum fuerit? Respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna. Subsecutum verò illius comminationis effectum, vt pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis, & propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit.]

Cap. xxxiv.

Lib.vi. epist.31.

Et hinc sanctus Gregorius in epistola ad Eulogium Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum Episcopos, Adæ, inquit, animam mortuam in peccato dicimus, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi. Quia enim aliud est substantia atque aliud qualitas, non est anima ita mortua vt non esset, sed ita mortua vt beata non esset. qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit.] Et sanctus Ambrosius in libro de Paradiso, Verùm si consideres, quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id in quo esset causa vniuersitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Et ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiauit Dominus non esse bonum solum hominem. Maluit enim Deus plures esse, quos saluos facere posset, & quibus donaret peccatum, quàm vnum solum Adam qui liber esset culpa. Denique quia idem vtriusque auctor est operis, venit in hunc mundum vt saluos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidij reum, priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo propter generationem successionis humanæ debuit mulier adiici viro. Denique hoc ipsa verba declarant dicentis Dei, non esse bonum solum hominem esse. Nam & si mulier prior peccator erat, tamen redemptionem sibi paritura non debuit ab vsu diuinæ operationis excludi. Quamuis enim Adam non est seductus, mulier autem seducta & in præuaricatione fuerit, salua tamen, inquit, erit per filiorum generationem, inter quos generauit & Christum.] Et sanctus Augustinus in præfato libro ad Marcellinum, Talis populus, vt prædixi, eruditus in regno cælorum per duo testamenta, vetus & nouum, non declinans in dexteram superba præsumptione iustitiæ, neque in sinistram secura dilectione peccati, in terram repromissionis intrat: vbi iam peccata vlteriùs nec nobis donanda optemus, nec in nobis punienda timeamus, ab illo Redemptore liberati, qui non venundatus sub peccato redemit Israel ab omnibus iniquitatibus eius, siue propria cuiusquam vita commissis, siue originaliter tractis.] Vnde constat, sicut sanctus Ambrosius tractans sententiam Apostoli *Et peribit qui infirmus est in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est* exponit, id est, tua peritia illum occidit, & tu eris occasio mortis fratris, quem Christus vt redimeret crucifigi se permisit.] Potest perire qui iam donum redemptionis suscepit, videlicet quia dono abusus periit: cur non dicatur etiam Christus pro eis passus qui redimi noluerunt, qui si credidissent, vtique redimerentur, sicut & illi redempti sunt qui crediderunt? Quod & Prosper contra Vincentianos obiectione prima demonstrat dicens, Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei domini Iesu Christi, qui liber à mor-

Cap.x.

Libro II. cap.35.

I.Cor.8.II.

tis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortis est mortuus. Quòd ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quòd ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, à redemptione alieni sunt.]

Et quia vna eadémque fide saluatæ sunt turbæ quæ præcesserunt & quæ subsequuntur, constat licèt sint sacramenta disparia, quia simili infidelitate & iniquitate pereuntium turbæ quæ præcesserunt & quæ subsequuntur intereunt. Sed & Apostolus demonstrat, quia vno eodémque bono odore alij saluantur, alij pereunt, dicens, Christi bonus odor sumus Deo, in his qui saluantur, & in his qui pereunt. Et Ambrosius, exponēs sermonem Apostoli de cœna Dominica, in Epist. ad Corinthios prima, ita dicit de his qui ex ea salutem accipiunt. Medicina enim spiritalis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum. Memoria enim redemptionis nostræ est, vt Redemptoris memores maiora ab eo cōsequi mereamur.] Item de his qui ex ea vitio suo iudicium sibi accipiunt. Futurum est, inquit, vt quemadmodum accedit vnusquisque reddat causas in die Domini Iesu Christi: quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim etiam pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Ecce pro his passus dicitur, qui non eius passione saluantur. Quod in Euangelio secundùm Lucam apertissimè demonstratur, cùm dicitur, *Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter calicem postquam cœnauit dicens, Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Et ibi erat Iudas inter Apostolos, licèt quidam de præcipuis doctoribus catholicis aliter dicat. Sed Ioannes Chrysostomus in Homilia de proditione Iudæ, & sanctus Augustinus in expositione Psalmi decimi, & Leo in Homilia tertia de Passione Domini, eundem proditorem ibi fuisse demonstrant. Et post præmissa Euangelij verba mox ibidem subsequitur, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* De quo scriptum est, *Et nemo periit, nisi filius perditionis.* quem & præsciebat se traditurum, sicut scriptum est, *Ipse enim sciebat quis esset eum traditurus. propterea dixit non estis mundi omnes.* Et hîc veraciter scriptum est, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* &, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hinc quisque contradictor respondeat, vtrum pro illis solis, qui de manu illius illa sacra acceperant, vel qui ibi aderant, an & pro aliis, nobis scilicet, qui in eum credituri eramus. Scimus quia facilè respondebit, & pro omnibus in eum credentibus, quia ibi scriptum est, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo quia turbæ, quæ præcedebant &

Luc. 22. 19.

Ioan. 13. 21.

Luc. 22. 19.

quæ ſequebantur, clamabant dicentes Oſanna filio Dauid, ſicut pro ſubſequentibus, ita & pro præcedentibus, vt Petrus dicit, *per gratiam Dei credimus ſaluari, quemadmodum & illi.*

Ad alterum modò eum reſpondere non pigeat, quando dixit, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, & *Hic eſt calix qui pro vobis fundetur*, quia Iudam non excepit, vtrum illum excipere audebit? Scimus quia Dominum mentitum fuiſſe, licèt multa præſumat, dicere non audebit. Et ſi Dominus à redemptione illum non excepit, ſed ipſe licèt illam indignus ſuſceperit, ſe alienum effecit, quid peccant Doctores catholici dicentes, Pro omnibus Chriſtus paſſus eſt, licèt non omnes paſſionis eius myſterio redimantur, qui omnium ſuſcepit naturam, *& omnes vult ſaluos fieri, & neminem vult perire*, vt Paulus & Petrus dicunt, licèt non omnes ſaluentur? Et nos quid contrarium fidei catholicæ diximus, quando illorum & ſenſum & verba ponentes ſcripſimus, *Pro omnibus Chriſtus paſſus eſt, licèt non omnes paſſionis eius myſterio redimantur: quia verò omnes paſſionis eius myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem pretij, ſed ad infidelium partem. quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur?* Quod ſpiritaliter biberunt & ſancti in veteri Teſtamento ac ſaluati ſunt, teſtante Apoſtolo, *Bibebant de ſpiritali*: ſicut & nunc bibunt deuoti in Teſtamento nouo & ſalui fiunt. Biberunt increduli in Teſtamento veteri, licèt impari fidei deuotione cum ſanctis, & damnati ſunt, ſicut & manducauerunt manna & mortui ſunt. Quomodo manducauit & bibit Iudas, & non ſolùm temporaliter, ſed & æternaliter mortuus eſt. & ſicut Apoſtolus de quibuſdam inreuerenter manducantibus & bibentibus dicit, *Ideo multi in vobis inualidi, & ægroti, & dormiunt multi.* Quia verò de manna ex verbis ſancti Auguſtini ſuprà oſtendimus, de potu ſpiritali, vnde Apoſtolus dixit, *Et omnes eundem potum ſpiritalem biberunt*, verbis ſancti Ambroſij ex libro v. de Sacramentis dicamus, Cùm ſitiret populus Iudæorum, & murmuraret quòd aquam inuenire non poſſet, iuſſit Deus Moyſi vt tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, ſicut Apoſtolus ait, *Bibebant autem de conſequenti petra, petra autem erat Chriſtus.* Non immobilis petra, quæ populum ſequebatur: & tu bibe, vt te Chriſtus ſequatur.] Et ſanctus Auguſtinus in expoſito Euangelij Ioannis, Paulo antè dixit, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & modò dicit, *Caro non prodeſt quicquam*, id eſt, ſi carnaliter vultis intelligere. Quocirca in veteri Teſtamento ſpiritales ſpiritaliter intelligentes ſpiritalem potum biberunt, & à peccatis ac pœnis ſaluati ſunt, donec venit ille verus agnus qui tollit peccata mundi, in cuius figura, per immolationem agni Paſchæ veteris, de Ægyptia ſeruitute redempti ſunt. Cuius ſanguine, ſicut verbis ſanctorum Au-

Act. 15. 10.
1. Cor. 10. 4
1. Cor. 11. 30.
1. Cor. 10. 4.
Cap. 1.
Ioan. 6. 54.
Ibid. 63.

guſtini atque Ambroſij ſuprà oſtendimus, & primi homines redempti ſunt, & omnibus incarnationis ac paſſionis eius myſterium credentibus cæleſtis regni ianuam patefecit. Credere autem nolentibus, & carnaliter intelligentibus atque viuentibus, & in infidelitate atque iniquitate perſeuerantibus, & ſpiritalis ille cibus ac potus, & veri agni ſanguis, in iudicium damnationis eſt: ſicut & poſt paſſionem illius, non credentibus, vel in iudicium, vt Apoſtolus dicit, ad hoc ſacrum myſterium ſuſcipiendum conuenientibus, exiſtere noſcitur. Et ſicut ſanctus Gregorius de Sanctorum perſecutoribus, quod & æquè in reproba vita finientibus debet intelligi, in Homilia XXXVIII. dicit, Quia nec ad memoriam noſtram vel in mortuorum numero veniunt.] Ita & illi ſpiritales viri in Teſtamento veteri de reprobis illius temporis ſenſiſſe creduntur. quanto magis nos hoc ſentire iſte contradictor noſter credere debuerat, qui Domini Apoſtolorúmque eius, ac catholicorum magiſtrorum doctrina manifeſtiſſimè reuelata, cognoſcimus quæ illis in figura velato myſterio, vt dicit Apoſtolus, contigerunt.

Non longè à principio

CAPVT XXXIII.

Ab hinc ſequitur qualiter docent ſanctarum ſcripturarum auctoritate catholici viri generaliter Chriſtum fuiſſe paſſum pro omnibus.

CLARET ex his ſuprà poſitis teſtimoniis, quia redemptio captiuitatis humanæ, Chriſtus Ieſus, omnibus ante incarnationem & paſſionem illius ventura erat, & quicumque credere voluerunt, ac fidei congruis operibus viuere ſtuduerunt, per paſſionis eius myſterium redempti atque ſaluati ſunt: qui autem credere noluerunt, neque fide dignis operibus viuere ſtuduerunt, ipſi ſe, ſicut in paſſione ſua & poſt paſſionem ſuam fecerunt, faciunt, & facturi ſunt, à redemptione propoſita alienos fecerunt. Et ſicut nunc ipſius paſſio illis non prodeſt, ſed in iudicium erit, qui in infidelitate vel prauis operibus de iſto ſæculo exeunt: ſic & nec illis profuit, immo in iudicium illius paſſio extitit, extat, atque extabit, qui per illam redimi poterant ſi voluiſſent, ſicut redempti ſunt qui in illum venturum crediderunt, & eius paſſione ſaluari meruerunt. Sic & ſanctus Auguſtinus, vt præmiſimus, de his qui manna comederant dicit, Manducauerunt Moyſes & Aaron, & ceteri ſancti qui fuerunt in populo, manna & non ſunt mortui, quia ſpiritaliter viſibilem cibum intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt. alij manducauerunt & permanſerunt in infidelitate, ac mortui ſunt, non ſolùm morte corporali, verùm etiam morte ſpiritali. Sic & de baptiſmo quo baptizati ſunt conſtat debere intelligi, & ex teſtimonio beati Petri ex

arca & diluuio ſuprà oſtendimus. Nunc quia manifeſtum eſt, nobis mendaciter fuiſſe calumniatos, quia dixerimus quod non diximus, pro illis impiis Dominum paſſum fuiſſe, qui à mundi exordio vſque ad paſſionem Domini in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt, quaſi illi redempti ſint ſanguinis ipſius effuſione. Sed ſic diximus omnibus paratam eſſe ſalutem, qui ante incarnationem illius fuerunt, ſicut & his qui poſt paſſionem illius nati ſunt, & naſcituri ſunt. tantùm vt credant ea fide quæ per dilectionem operatur, ſicut crediderunt illi qui ſalui facti ſunt, & qui nunc ſaluantur, quíque ſaluandi ſunt. Et ſicut ſaluati ſunt ab originali peccato à mundi exordio vſque ad tempora datæ circumciſionis, vel poſt datam circumciſionem, de aliis nationibus qui Deo placuerunt, vel hoſtiarum oblationibus, vel certè ſola fidei virtute, ſuas ſuorúmque animas Creatori commendantes. Sicut etiam ab originalis peccati vulnere, poſt tempora datæ circumciſionis, hi qui circumcidendi erant ſecundùm legem, circumciſione purificati, & per fidem mediatoris tunc venturi, nunc iam à fidelibus ſuſcepti, ſaluati ſunt. Et quia iſtorum Capitulorum coniector teſtimonium Apoſtolicum poſuit, quo ſicut nobis videtur demonſtrare voluit, quia non pro omnibus Chriſtus paſſus ſit, licèt non omnes, ſicut nos ſcripſimus, paſſionis eius myſterio redimantur, redempti ac redimendi ſint, ſcribens *Chriſtus*, inquit, *ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* & domnus Prudentius ex Euangelio, & aliis ſcripturis ſanctis, ad hanc confirmandam adſertionem plura ponit exempla, dicítque » in ſupra memorata epiſtola capite tertio, Vt credat & confiteatur, » ſcilicet ordinandus, cum omnibus catholicis, ſanguinem Domini no- » ſtri Ieſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum » credentibus fuſum: non autem pro illis qui nunquam in eum cre- » diderunt, nec hodiéque credunt, nunquam nec credituri ſunt, di- » cente ipſo Domino, *Venit enim filius hominis non miniſtrari, ſed mini-* » *ſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Sed & Goteſcalcus in hanc venit ſententiam. relinquentes interim has nænias, potiúſque blaſphemias, quid Patres catholici ſenſerint de myſterio Dominicæ paſſionis, vtrum pro omnibus paſſus ſit, licèt paſſionis eius myſterio omnes non redimantur, an tantummodò pro his ſolis, qui effuſione ipſius ſanguinis redimuntur atque ſaluantur, deſignatis ſingulorum nominibus, ac poſitis ſingillatim ſingulorum ſententiis, demonſtrare curemus.

Matth. 20.28.

SANCTVS DIONYSIVS Areopagites in libro de cæleſti Hierarchia capite decimo quinto, De ſenſuali enim igne eſt dicere, in omnes & per omnes immixtè venit, & præcellit omnibus, & omnibus lucens cùm ſit, ſimul eſt & ſicut occultus. ignotus ipſe à ſe non in porrò iacenti materie oſtendens propriam operationem. innumerabilis & inuiſibilis neque tenibilis. & omnes in quibus ſit ad ſuam

ſuam operationem mutans, tradalis ſuî ipſius omnibus ſibi adproximantibus.] Item in libro de Eccleſiaſtico principatu cap. III. Pro omnibus enim thearchica beatitudo, & ſi benignitate diuina procedit ad participantium eius diuinorum communionem, ſed non foris ſecundùm ſubſtantiam immobilis ſtationis & ſtabilitatis fit.

SANCTVS CYPRIANVS in libro de Oratione Dominica ita dicit: Hoc iam per Eſaiam prophetam fuerat antè prædictum, cùm plenus Spiritu ſancto de Dei dignatione ac pietate loqueretur, *Verbum conſummans & breuians in iuſtitia, quoniam ſermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ*, Nam cùm Dei ſermo Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit, præceptorum ſuorum fecit grande compendium, vt in diſciplina cæleſti diſcentium memoria non laboraret, ſed quod eſſet ſimplicis fidei neceſſarium velociter diſceret.] & item in eodem libro, Qui docuit vnitatem, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit.]

versus finē. Eſa.10.18. Rom.9.28. Non longè à principio.

SANCTVS HILARIVS in libro II. de Fide dicit, Humani generis cauſa Dei filius natus ex Virgine eſt & Spiritu ſancto, ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua videlicet Dei obumbrante virtute, corporis ſibi initia conſeuit, & exordia carnis inſtituit, vt homo factus ex Virgine naturam in ſe carnis acciperet, pérque huius admixtionis ſocietatē ſanctificatum in eo vniuerſi generis humani corpus exiſteret: vt quemadmodum omnes in ſe per id quod corporeum ſe eſſe voluit conderentur, ita rurſum in omnes ipſe per id quod eius eſt inuiſibile referretur.] Et in Pſalmo CXVIII. *Aufer*, inquit, *à me opprobrium & contemptum.* Peccata opprobrio ſunt digna, & idcirco peccatores exurgēt in opprobrium æternum. Quòd autem peccata omnia opprobrio ſint digna, in Euangeliis diſcamus, tum cùm Dominus exprobrare illis ciuitatibus cœpit, in quibus plures virtutes eius effectæ eſſent, nec pœnituiſſent Corrozain & Bethſaïda. Quod ab illis cœptū, neceſſe eſt vt in omnes eiuſdem criminis pares fiat, & tunc humano generi exprobret non pœnitenti, neque in viam Euangelicam pergenti, id quod Pſalmo continetur, *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Exprobrat enim ſuperbis atque maledictis, cur nihil in ſacramento ſanguinis ſui atque mortis vtilitatis eſſe exiſtimarint, cùm ille noſtrî cauſa & natus, & paſſus, & mortuus ſit.] Item idem in Pſalmo LIX. Idcirco tituli inſcriptio pro his qui immutabuntur adſcribitur gloriæ mortis eius qui pro omnibus mortuus eſt.] Et poſt aliquanta, Ita iram miſericordia conſecuta eſt, dum damno terrenorum præſentium ingens æternorum retributio repenſatur. Et hæc quidem non magis ad Iſrael, quàm ad vniuerſitatem humani generis aptata ſunt, quia ex vno in omnes ſententia mortis & vitæ labor exiit, cùm dictum eſt, *Maledicta terra in operibus tuis.* Nunc autem per vnum in

Poſt mediū versus finē. Sect.4. Pſal.118.22 Pſal.29.10. In Expoſit. Tituli. Enarrat. in principio. Gen.3.17.

omnes vitæ iustificationis gratia abundauit, vt quorum terra maledicta est, horum nunc cõformia Deo corpora sint, & quæ commota metu, & ignoratione turbata, & labore cõtristata est, & ipso illo lætificantis vini compuncta potu, nunc susceptæ significationis secura virtute, futuræ iræ defugiat potestatem.] Item in Psal. LXI. Posteaquam Dei spiritum, Dei virtutẽ, Dei sapiẽtiam, Dei filium, & vnigenitum Deum, ad remissionem peccati, condemnationémque peccati legis hominem natum esse cognouerit, qui humanarum passionũ sorte perfunctus, ad condemnanda in se cælestium nequitiarum impia tentamenta sit mortuus, vt æternitatẽ omnibus, qui per habitantẽ in carne nostra peccati legẽ moriebamur, inueheret, tum hoc sacramẽto pietatis accepto, post ignorationis noctem in sciẽtiæ lumine collocatus, ita dicit, *Nonne Deo subdita erit anima mea?*] Item in Psal. LXIV. Habemus etiam & cibum paratũ. & quis hic cibus est? Ille scilicet, in quo ad Dei consortium præparamur, per communionem sancti corporis, in cõmunionem deinceps sancti corporis collocandi. Id enim præsens Psalmus significat dicens, *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua.* quia cibo illo quamuis in præsens saluemur, tamen in posterum præparamur.] Item in LXVII. Et primùm quidem non alienum à Dei misericordia & bonitate videri potest, vt vitam omnibus in se ipso restitueret ex mortuis.] Item in Psal. LXVIII. Hæc sanctorum expectatio fuit, vt omnis caro redimeretur in Christo, vt in eo æternæ resurrectionis primitiæ existerent.] & item in eodem, Hoc enim in multitudine misericordiæ beneplacitum est tempus, cùm in se vniuersorum hominum vitam Deus miserans, vt miserator Deus vitam esset largiturus ex mortuis.] Item in eodem, *Cùm ergo accepisset Iesus acetum dixit, Consummatum est.* Venerat ad oues perditas domus Israel, & expectans consolantem commœrentémque non habuit. non quòd consolatione eguit volens pati atque mori, sed qui secum super totius populi impietate mœreret, & qui seipsum ipsa mœrentis secum salute consolaretur, vt omnibus tanto scelere perfunctis, solatium in his saltem qui salui fierent acciperet, secundùm illud, *& in seruis suis consolabitur.*] Item in Psalmo CXXIX. *Quia apud te propitiatio est.* Est enim vnigenitus Dei filius Deus Verbum redemptio nostra, pax nostra, in cuius sanguine reconciliati Deo sumus. Hic est qui venit tollere peccata mundi, qui cruci chirographum legis affigens, edictum damnationis veteris deleuit.] & post aliquanta, Quia misericors est, quia copiosa apud eum redemptio est, quia redimet ab iniquitatibus suis vniuersos.] Item in Psalmo CXXXV. Redemit nos per sanguinem suum, per passionem suam, per resurrectionem suam. hæc magna vitæ nostræ pretia sunt. *Magno*, enim ait Apostolus, *redempti estis*, & redempti ab inimicis, à diabolo, ab Angelis eius, à filio perditionis, à principibus aëris, à mundi potestatibus, ab inimica morte. & redemit escam dando omni carni. Qui dat escam omni carni, id est quæ redem-

Sub initiũ. | Psal. 61. 2. | Sub finem. | Psal. 64. 10. | Post mediũ versus finẽ. | Non longè à principio | Sub mediũ. | Post aliquanta. | Ioan. 19. 30 | Psal. 129. 4. | Sub finem. | In fine. | 1. Cor. 6. 20

pta eſt, dat eſcam incorruptam & æternam panis viui, panis cæleſtis. Et in his ſingulis, quòd redempti ſumus, quòd omnis redemptorum caro eſcam accipit, ea cauſa eſt, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Quòd cælum, quòd terra, quòd cætera ſunt, & ipſum illud quod ſumus qui non fuimus, quòd erimus quod non ſumus, cauſam aliam non habet, niſi miſericordiæ Dei, qui ad conſortium bonorum ſuorum naſci nos voluit ille qui bonus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.]

ET SANCTVS ATHANASIVS ad Epictetum, Propterea quia natura Deus manens Verbum eſt impaſſibile, & ipſe quidem incorporalis erat in corpore paſſibili, corpus autem habebat in ſe Verbum impaſſibile, deſtruens infirmitates ipſius corporis. Faciebat autem hoc & fiebat, ita vt noſtra ipſe ſuſcipiens & offerens in ſacrificium deſtrueret, & ſuis nos iam operiens, faceret Apoſtolum dicere, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Abſit autem, vt figuratè iſta facta ſint, ſicut quidam iterum arbitrantur: ſed verè homine facto Saluatore, totius hominis facta eſt ſalus.] Et item, Si propter quod eſt & dicitur in ſcripturis ex Maria eſſe & humanum corpus Saluatoris, putant pro Trinitate quaternitatem dici, quòd facta adiectione propter corpus, multum errant facturam coæquantes factori, & ſuſpicantur poſſe deitatem aliquid adiectionis accipere, & ignorarunt, quia non propter adiectionem Deitatis Verbum caro factum eſt, ſed vt caro reſurgat: neque vt melioraretur Verbum proceſſit ex Maria, ſed vt humanum genus liberaret.]

1. Cor. 15. 53

GREGORIVS NAZIANZENVS in libro Apologiæ dicit, Propterea namque Deus corpori anima mediante commixtus eſt, vt coniungeret ſeparata, atque in concordiam & pacem diſcordantia reuocaret, in vnum ſe & per ſe reuocans omnia. Ab vno patre generis noſtri priùs proditam animam ſuſcepit, propter inobedientem animæ carnem, propter malam obedientiam, pro qua & ſimul condemnata eſt, vt ſicut in carne & anima fuerat condemnatio, ita & in carne & anima fieret ſalus. Chriſtus ergo pro Adam, pro eo qui factus eſt ſub peccato, ille qui erat ſine peccato introducitur, pro vetere nouus, vt huius paſſione voluntaria ille qui inuitus paſſus fuerat curaretur. quo ſcilicet & pro ſingulis nobis hoc quod ſupra nos eſt redderetur.] Item in Sermone de Natale Domini, Hæc eſt iſta ſollennitas, hæc eſt diei huius magna & glorioſa feſtiuitas. Aduentum Domini factum ad homines celebramus, vt nos ad Deum proficiſcamur, immo vt reuertamur ad Deum. Sic enim rectiùs dicitur, vt vetere homine depoſito, nouo induamur, & ſicut in Adam omnes mortui ſumus, ita in Chriſto cruci adfigamur, & conſepeliamur ei in morte, vt cum ipſo etiam reſurgamus ad vitam. Neceſſe eſt enim nos perpeti vtilem hanc & neceſſariam viciſſitudinem, vt ſicut ex bo-

nis ad tristia deuoluti sumus, ita ex tristibus ad meliora reparemur. Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit gratia, vt quos gustus ligni vetitus condemnauit, Christi crux gratia largiore iustificet. Et item in eodẽ, Sed quid aiunt nobis in hoc loco calumniosi isti, qui nobis velut seuerissimi quidam discussores diuinitatis procedũt, accusantes ea quæ omni veneratione digna sunt & honore? tenebrosi etiam in luce, imperiti erga sapientiam, pro quibus Christus gratis mortuus est, creaturæ ingratæ aduersus creatorem suum, figmenta diaboli, exprobrantes Deo beneficia sua. Propterea minor est, quia propter te humilis est?] Item in Sermone de Epiphania, Nam quoniam inimicus noster artem suam sophisticam vinci non posse præsumpserat, sicut ipse nos spe deceperat Deitatis promissæ dicens, *Eritis sicut Dij*, ita nunc ipse carnis obiectione decipitur, & velut hamo esca adoperto, natura Adam carneum cupit vorare, Deum intrinsecùs inuenit adopertum: & ita nouus hic Adam veterem reparat, & condemnatio prioris absoluitur, dum caro pro carne restituitur, & pro morte mors redditur, immo dum per mortem ipse auctor mortis punitur.] Et item in eodem, Nec confundit te Iesu misericordia, qui infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portauit, qui non venit vocare iustos sed peccatores in pœnitentiam, qui magis misericordiam vult quàm sacrificium, qui septuagies septies pœnitenti vult peccata laxari.] Item in Sermone intercessionis pro quodam ad Imperatorem, Ipsum tibi adhibeo Christum, qui semetipsum exinaniuit, vt nobis hominibus loqueretur: ipsius impassibilis tibi adhibeo passiones, offero tibi ad intercessionem crucem eius & clauos, quibus sacrosanctæ confixæ sunt manus, sanguinem quem pro totius mundi salute profudit, sepulturam, resurrectionem, atque ascensionem eius ad cælos. Adhibeo tibi istud altare, ad quod communiter omnes accedimus, in quo typum salutis nostræ hoc ipsomet ore, quo nunc te deprecor, celebramus. Mecum adhibeo ad mitigandum te etiam sacrosancta illa mysteria, per quæ virtutibus cælestibus sociamur.

ET SANCTVS BASILIVS Cappadocus in Sermone de Psalmo LIX. Finis autem dicitur, quod in fine sæculi in consummatione eius aptatur. propter quod & pro his qui immutabuntur scribi dicitur Psalmus, quod est, vt omnia simul dicam, de vniuerso genere humano intelligendum. In omnes etenim debet Psalmi intelligentia peruenire.] & post aliquanta, Deus ergo, inquit, abiecisti nos. quos? qui longè nos fecimus ab eo. Interuentu ergo peccatorum, & mediis inter nos & Deum intercedentibus iniquitatibus, abiecisse nos dicitur Deus. Ait enim & alius Propheta, *Quia inter vos & Deum peccata separant.* & post pauca, Moyses quidem Israëliticos postes sanguine agni obsignauerat: tu verò dedisti nobis signum, ipsum sanguinem veri agni immaculati, qui oblatus est victima pro totius mundi salute.

Psal. 107. 12

Esa. 59. 2.

Beatvs quoque Ambrosivs in Psalmo cxviii. vbi dicit, *Misericordia Domini plena est terra.* Quomodo inquiens plena est terra misericordia Domini, nisi per passionem Domini nostri Iesu Christi, quam futuram præuidens, quasi promissam Propheta concelebrat? Plena est ergo terra misericordia Domini, quia omnibus data est remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur. & hic quidem Sol quotidie super omnes oritur: mysticus autem Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Ideo autem passus est, vt tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudauit. Sed quod Solis est, prærogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit. Super omnes pluuia est.] Item vbi dicit, *Principium verborum tuorum veritas.* Credo vnum Deum esse, non plures Deos. Cùm autem cœperis legere, Dominum Iesum Dei filium in carne venisse propter totius mundi redemptionem, distingue sapienter vnum Deum patrem esse, ex quo omnia & nos in illo, & vnum Dominum Iesum, per quem omnia & nos per ipsum.] Item vbi exponit *Iniquitatem odio habui.* Qui quotidie aduocatus pro nobis est apud patrem, vt pro quibus in diebus carnis suæ misericordi est compassus affectu, pro his operetur remissionem quotidie peccatorum. Quæ est enim spes alia generi humano, nisi vt omnium viuentium delicta donentur?] Item vbi exponit *Misericordiæ tuæ multæ Domine.* Et si longè est, inquit, à peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multæ sunt misericordiæ Domini, quia qui suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. *Miserebor*, inquit, *cuius misertus ero.* Palàm apparuit non quærentibus, vocauit refugientes, congregauit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni. Non ergo multùm misericors? Misericordia enim hominis in proximum suum, misericordia Domini in omnem carnem, vt omnis caro ad Deum ascenderet illa Domini miseratione donata. Denique qui Susannam absoluit tacentem, se obtulit morti: in illa causa vt nemo desperaret, in hac vt redimendæ vniuersitatis sacrificium non negaret.] Et item, Quis est autem qui se longè facit à Domino, nisi qui non requirit iustitias eius? Qui verò iustitias exquirit, prope est, adhæret Deo. Et ideo iustitias Dei quærentibus dicit Apostolus, *Vos qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.* Sanguis Christi iustitia est. Denique ipse ait ad Ioannem, *Sine nos implere omnem iustitiam.*] Item vbi exponit *Retribue seruo tuo*, Responde, inquit & Christus, Ecce bona est proxima mea. Quoniam cognouerat Ecclesia mysterium, & pro totius mundi redemptione crucifixum Dominum Iesum prædicabat, meretur audire, Ecce bona es, quia Dominus Iesus mundum venit saluare, non perdere. Ideóque immemor est iniuriæ, memor gratiæ.] Item vbi exponit *Aufer à me opprobrium & contemptum.* Aduersum me, in-

Psal. 118. 74 · Psal. 118. 163. · Psal. 118. 16 · Exod. 33. 19 · Ephes. 2. 13. · Matt. 3. 15. · Psal. 118. 17. · Psal. 118. 2

quit, detractabant. Ego eorum redemptor aduenerarn, ego veneram vt omnium peccata mundarem. vt recuperarem amissos, restituerem Paradiso sancti Iacob hereditatem, & illi aduersum me detractabant.] Item vbi exponit, *Miserere mei secundùm eloquium tuum*, Iustitia, inquit, quæ est crucis, nisi quòd ascendens illud patibulum Dominus noster Iesus Christus peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit?] & item, Mala Euæ successio totum hominem deuorauit, præclara Christi hereditas totum hominem liberauit. Non ad vnum quidem, non ad paucos, sed ad omnes testamentum suum scripsit Iesus. Omnes scripti heredes sumus, non pro portione, sed pro vniuersitate. Communis est enim omnium hereditas vniuersorum, & soliditas singulorum. Nouum Testamentum singuli adeunt, & omnes possident, nec minuitur heredi quicquid à coheredibus vindicatur. Manet emolumentum integrum, & eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit adquisitum. Hereditas Christi est resurrectio. Hanc quisquam damnum suum duxerit, quæ in vno communis gratiæ nomen inuenit? Christus enim resurgens omnibus resurrexit, quoniam per hominem resurrectio mortuorum. Omnium igitur potest singulorum esse dispendium, quod est totius corporis & humani generis reformatio?] Item cùm tractaret de littera Hebræa XV. ait, Verùm quia passio Saluatoris omnes redemit, non absurdum est intelligere ita hos mouisse capita sua, sicut prophetabat princeps ille Synagogæ, expedit vnum hominem mori pro populo. Item cùm tractaret, *Adolescentulus sum ego & contemptus*, ait, Rex ille durus indignatur, & irascitur diabolus, eo quòd canerent iuuenculæ, quia duritiæ filius paucos decepit, Christus totum mundum redemit.] Item cùm tractaret, *Tribulatio & angustiæ inuenerunt me.* Noli iterum peccare, ait post baptismum. Omnibus in commune simul mortuus est Christus, & singulis semel moritur, non frequenter.] Item, Calix Domini remissio peccatorum est, quo sanguis effundetur qui totius redemit peccata mundi.] Item in tractatu Epistolæ ad Romanos, In hoc enim Christus & vixit, & mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum dominetur, & mortuorum. Per Christum Dominum facta est creatura, quæ pro peccato alienata est, ab auctore facta captiua. Quam Deus pater, ne opus eius periret, misso filio de cælis ad terras, docuit quid faciendo manus piratarum effugeret. Propter quod & occidi se passus est ab inimicis, vt descendens ad inferos, quia innocens erat occisus, reum faceret peccatum, vt quos tenebat apud inferos amitteret. Quoniam ergo viuis ostendit viam salutis, ac se obtulit pro eis, mortuos verò liberauit de inferno, tam viuorum quàm mortuorum dominatur. Ex perditis enim iterum reformauit sibi illos in seruos.] & item, Qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, quoniam Christus nos redemit. Ideo, ait, qui in hoc seruit Christo, qua-

Psal. 118. 58.

Psal. 118. 114.

Psal. 118. 134.

Cap. XIV.

Cap. codē.

re? quia ipſe miſit Chriſtum vt redimeret genus humanum.] Item in Epiſtola ad Corinthios. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt.* Manifeſtum eſt, quia quibus crux Chriſti ſtultitia eſt, in perditione ſunt. infernæ enim morti non ſunt erepti. *His autem qui ſalui fiunt virtus Dei eſt.* Non eſt obſcurum, quia his qui credunt Dei virtus eſt. Credunt enim, non infirmitatem eſſe crucem Chriſti, ſed virtutem: intelligentes mortem victam in cruce, cuius ſignum qui habent ſalui ſunt, quia ab illa teneri non poſſunt.] *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio.* Manifeſtum eſt, quia qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrij, ſed eius à quo emptus eſt, vt non ſuam, ſed illius faciat voluntatem. & quia carò empti ſumus, propenſiùs Deo ſeruire debemus, ne offenſus à qua nos redemit morti nos reddat. Quàm enim cariſſimo pretio nos emit, vt ſanguinem ſuum daret pro nobis?] Et item, *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* ab his omnibus, quæ vitanda eadem tradit diſciplina, cùm ſciant vnum coronandum. quanto magis obſeruandum nobis eſt, quia omnibus promiſſa eſt?] & item, *Non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ dæmoniorum.* Idcirco enim Chriſtus crucifixus eſt, quia diſſoluit opera diaboli? Qui ergo facit opera diaboli, Chriſto repugnat.] & item, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quid eſt autem reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? Occiſus eſt enim etiam pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Et iterum, *Caritas enim Chriſti vrget nos, hoc iudicantes, quòd ſi vnus pro omnibus mortuus eſt.* quoniam Chriſtus diligens genus humanum, vt eos redimeret morti ſe dedit.] & item, *Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt.* Quia omnes neceſſe eſt mori cauſa Adæ, pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt eos à ſecunda morte liberaret. Ideóque qui viuunt in corpore, ſcientes Chriſtum mortuum eſſe pro ſe, ſint ei ſubditi profitentes hunc Dominum. Quibus enim prodeſt mors eius, teſtimonium perhibet reſurrectionis.] Et item in Epiſtola ad Epheſios, *Veritatem autem facientes, in caritate augeamus in ipſum omnia qui eſt caput Chriſtus.* Hanc dicit eſſe veritatem, vt amorem Chriſti reſpicientes, quo dilexit nos, & tradidit ſe pro nobis, omnes ſubiiciamur ei, ſcientes quia omnium auctor eſt vitæ, vt quaſi capiti membra ſubdantur. vt ſi alij, errore vel maliuolentia, non fatentur omnium caput haberi Chriſtum, quia ab ipſo facta ſunt voluntate patris: nos tamen qui catholicæ fidei adhæremus, hoc omni deuotione & cura agere debemus, vt huic fidei nos damnum, ſed lucrum adferamus, perſiſtentes in hac adſeueratione, vt comprimantur prauæ mentis conloquia aduerſus veritatem armata.] Item in Epiſtola ad Timotheum, *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Quoniam homo iam reconciliatus Deo obnoxius erat morti infernæ, ne ad eum cui reconciliatus fuerat poſſet aſcendere, Saluator vt arbitrium ſuum ad effectum perduceret, mori ſe paſſus eſt contra ius, vt deſcendens ad

Epiſt.1.c.1. 1.Cor.1.18.

Cap.vi. 1.Cor.6.19.

Cap.ix.

Cap.x.

Cap.xi. 1.Cor.11. 27.

In Epiſt.2. ad Cor.c.5.

Ibid.

Cap.iv.

In epiſt.1. cap.ii. 1.Tim.2.6.

inferos, mortem de impietate quam in eo gesserat damnaret, auferens ei quos tenebat: vt de cetero quisque signum eius haberet, ab ea teneri non posset. Cuius rei testimonium tempore quo resurrexit ostendit. Destructio enim mortis resurrectio mortuorum est.] Item idem sanctus Ambrosius in libro de Spiritu sancto, exponens sententiam libri Iudicum de Gedeon, Cùm audisset Gedeon, quòd deficientibus licèt populorum milibus in vno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hœdum caprarum, cuius carnem, secundùm præcepta Angeli, & azyma supra petram posuit, & ea iure perfudit. Quæ simul vt virgæ cacumine quam gerebat Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est, *Bibebant de consequenti eos petra, petra autem erat Christus.* Quod vtique non ad diuinitatem eius, sed ad carnem relatum est, quæ sitientia corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret. nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad inlecebras cupiditatum, sicut scriptum est, *Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt, Quis nos cibabit carne?* Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram de qua ignis exiuit, ostendit quòd caro Domini spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram.*] Et item, Sicut ipse dixisti Domine sequentibus te, serpentes & scorpiones possim calcare vestigio. Redemisti mundum, redime vnius animam peccatoris. Hæc est specialis tuæ prærogatiua pietatis, qua totum mundum in singulis redemisti.] Et in libro Apologiæ Dauid, Non liquet quòd etiam sanctum Dauid, fide nobilem, præstantissimum mansuetudine, manu fortem probare voluerit, quemadmodum vitium tegeret, lapsum emendaret, vt nos doceret quemadmodum possimus admissum operire peccatum. Nisi fortè vilis causa alicui videtur, vt propter nostram correctionem tantus erraret propheta, cùm propter omnium redemptionem infirmitates nostras Christus susceperit, qui peccatum pro nobis factus est, cùm peccatum non cognouerit. Nec verisimile creditur, quòd Dauid propter posteritatis profectum vnius lapsus opprobrium inciderit, cùm ipse Dominus pro nobis sit factus opprobrium, sicut ipse ait, *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* & alibi, *opprobria exprobrantium ceciderunt super me.*] Et item, In figura æreus serpens tanquam confixus est cruci, quia verus crucifigendus generi adnuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, in figura maledictus, in veritate autem qui totius mundi maledicta deleret. & item, Conuenienter

In proœmio libri 1. Iud. 6. 19.

1. Cor. 10. 4

Num. 11.

Ibidem.

Psal. 21. 7.

Psal. 68. 10.

ter etiam illud adiecit quia non pepercit. Non enim pepercit ſibi Chriſtus, vt omnibus ſubueniret.] Et item in libro de Ioſeph, Eme igitur tibi Chriſtum, non eo quod pauci habent, ſed eo quod omnes habent. Omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum eſt quod à te Chriſtus repoſcit. Ipſe vitam omnibus dedit, ipſe pro omnibus mortem ſuam obtulit. Solue pro auctore quod ſoluturus es lege.] Et in libro de Patriarchis, Ex germine fili mi aſcendiſti, eo quòd tanquam frutex terræ in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris, ad redemptionem mundi totius maternis viſceribus in ſplendore nouæ lucis emiſſus aſcenderit.] & item, *Lauabit in vino*, inquit, *ſtolam ſuam.* Bona ſtola eſt caro Chriſti, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta ſuſcepit, omnium errores texit. Bona ſtola, quæ vniuerſos indui t veſte iocunditatis.] & item, Primogenitus tauri decus eius, habens cornua vnicornui, in quibus gentes ventilabit. Et bene taurus, quaſi hoſtia pro delictis, & totius mundi victima, vt pacificaret omnia.] Et item in libro primo de Pœnitentia, *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* hoc eſt, paſſio Domini omnibus profuit, & peccatoribus donauit redemptionem, quos flagitij pœnituit admiſſi.] & item in libro II. Etenim quotieſcumque ſanguinem Domini ſumimus, mortem Domini adnuntiamus. Sicut ergo ſemel pro omnibus immolatus eſt, ita quotienſcumque peccata donantur, corporis eius ſacramentum ſumimus, vt per ſanguinem eius fiat peccatorum remiſſio.] Qui lapſu alieno gaudet, diaboli gaudet victoria, & ideo dolere magis debemus, cùm audimus periſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus eſt.] Et in libro primo de exceſſu fratris, Propterea enim pro omnibus ſecundùm carnem Chriſtus mortuus eſt, vt nos non ſolis nobis viuere diſceremus.] & item in libro II. *Venit enim*, vt legimus, *Chriſtus ſaluum facere quod perierat.* Sed vt non ſolùm viuorum, ſed etiam mortuorum dominetur. lapſus ſum in Adam, de paradiſo eiectus ſum in Adam, mortuus ſum in Adam, quem reuocat, niſi me in Adam inuenerit? vt ſicut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Chriſto iuſtificatum.] & item, Vnius morte mundus redemptus eſt. Potuit enim Chriſtus noſter non mori ſi voluiſſet. Sed neque refugiendam mortem quaſi ignauem putauit, neque meliùs nos quàm moriendo ſeruaſſet. Itaque mors eius vita eſt omnium: ſicut per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum. Ergo reſurrexit homo, quoniam homo mortuus eſt: reſuſcitatus homo, ſed reſuſcitans Deus. Tunc ſecundùm carnem homo, nunc per omnia Deus. Nunc enim ſecundùm carnem iam non nouimus Chriſtum, ſed carnis gratiam tenemus, vt ipſum primitias quieſcentium, ipſum primogenitum ex mortuis nouerimus. Primitiæ vtique eiuſdem ſunt generis atque naturæ, cuius & reliqui fructus, quorum prolixiore prouentu primitiua Deo munera deferuntur. Sacrum munus pro omnibus, & qua-

Cap. 7. in fine.

Cap. 4.

Cap. 4. Gen. 49. 11.

Cap. 11.

Cap. XVI.

Cap. III.

In princip. libri.

Matt. 18. 11.

Item in principio.

si reparatæ quædam libamina naturæ. Primitiæ ergo quiescentium Christus, sed vtrum suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes dulci quodam sopore teneantur, an omnium mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur. Itaque sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo. Omnes resurgunt, sed nemo desperet, neque iustus doleat commune consortium resurgendi, cùm præcipuum fructum virtutis expectet. Omnes quidem resurgunt, sed vnusquisque, vt ait Apostolus, in suo ordine. Communis est diuinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum. Dies omnibus lucet, sol omnes populos fouet, & pluuia possessiones. Omnes resurgimus, sed in vtroque vel viuendi vel reuiuiscendi gratia dispar, diuersa conditio. In momento enim oculi, in nouissima tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Quin etiam in ipsa morte quiescunt alij, viuunt alij. Bona quies, sed vita melior. Denique Paulus ad vitam excitat quiescentem dicens, *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & inluminabit tibi Christus*. Ergo hic excitatur vt viuat, vt similis Pauli sit, vt possit dicere, *Quia nos qui viuimus non præueniemus eos qui dormierunt*. Non enim communem hunc viuendi loquitur vsum, spirandíque commercium, sed meritum resurgendi. Nam cùm dixisset, *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi*, subiecit, *Deinde & nos qui viuimus simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra*. Vtique mortuus est Paulus, & passione venerabili vitâ corporis cum immortali gloria commutauit. Non fefellit ergo, qui se viuentem scripsit in nubibus obuiam Christo esse rapiendum, & reliqua.] Item in eodem, Aduertimus quàm graue sit sacrilegium resurrectionem nõ credere. Si enim non resurgimus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, vtique non resurrexit qui sibi cur resurgeret non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælum, resurrexit in eo terra. erit enim cælum nouum, & terra noua. Sibi autem vbi erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant? Nam & si secundùm hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quàm liber? *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*.] Et post aliquanta, Sed non solùm singulorum, verùm etiam vniuersitatis ista mysteria sunt. Aduerte enim iuxta typum legis ordinem gratiæ. Cùm tuba prima cecinerit, Orientales congregat, quasi præcipuos & electos. Cùm secunda, supparis meriti qui secundùm Libanum siti dereliquerunt ludibria nationum. Cùm tertia, eos qui tanquam in mari exagitati istius freto mundi, sæculi huius fluctibus vacillauerunt. Cùm quarta, illos qui dura mentium nequaquam satis potuerint eloquij spiritalis mollire præcepto. Ideo secundùm Boream vocati sunt. Boreas enim secundùm Salomonem durus est ventus. Itaque licèt in momento resuscitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine

Ephes.5.14.

1.Thess.4.14.

Post aliquanta.

Psal.87.5.

Sub finem.

ſuſcitantur. Et ideo primi reſurgunt, qui maturi deuotionis occurſu, & quodam antelucanæ fidei exortu prodeuntes, Solis æterni radios receperunt. Quod vel de Patriarchis iuxta veteris ſeriem teſtamenti, vel de Apoſtolis iuxta Euangelium iure memorauerim. Secundi autem, qui ritum gentium relinquentes, ab errore ſacrilego tranſierunt in Eccleſiæ diſciplinam. Et ideo illi primi ex patribus, iſti ſecundi ex gentibus. Ab illis enim lux fidei cœpit, in iſtis vſque ad mundi occaſum ſuſcepta durabit. Tertij ſuſcitantur, qui ab Auſtro & ab Aquilone ſunt. His quatuor terra diſtinguitur, his quatuor annus includitur, his quatuor mundus impletur, his quatuor Eccleſia congregatur. Omnes enim, qui ſacroſanctæ Eccleſiæ copulati diuini nominis appellatione cenſentur, prærogatiuam reſurrectionis & delectationis æternæ gratiam conſequentur, quoniam venient ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone & Auſtro, & recumbent in regno Dei. Non enim exigua mundum ſuum Chriſtus luce complectitur, quandoquidem à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Omnes enim benignus inluſtrat, nec refutare leuem, ſed emendare vult: nec excludere durum Eccleſia, ſed mollire deſiderat. Et ideo eos in Canticis Canticorum Eccleſia, in Euangelio Chriſtus inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*] Et item in ſermone Apoſtoli, *Chriſtus nos redemit de maledicto legis.* Sanguine, inquit, pretioſo redempti eſtis, non agni vtique, ſed eius qui manſuetudine & humilitate tanquam agnus aduenit, & totum mundum vna ſui corporis hoſtia liberauit, ſicut ipſe ait, Sicut agnus ductus ſum ad immolandum. Vnde & Ioannes ait, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*] Et in libro de Incarnatione Domini, Didiciſtis igitur, quia ſacrificium Deo noſtro obtulit. Nam quæ erat cauſa Incarnationis, niſi vt caro quæ peccauerat per ſe redimeretur? Quod peccauerat igitur hoc redemptum eſt. Non eſt ergo immolata diuinitas Verbi, quia non peccauerat diuinitas Verbi.] & item, Illud ergo pro nobis ſuſcepit, quod in nobis amplius periclitabatur. Quid autem prodeſt mihi, ſi totum me non redemit? Sed totum me redemit, qui ait, *Mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in Sabbato?* Totum redemit, quia in virum perfectum fidelis non ex parte ſed totus reſurgit.] Sunt hinc & quamplura teſtimonia in libris iſtius doctoris, in libro ſcilicet de Abraham & de fuga ſæculi, de Iſaac & anima, de Iacob & vita beata, de bono mortis, & aliis eius operibus, quæ hîc, ne lectori increſcerent, quoniam illa in ſuis locis præualet inuenire, diſtulimus cauſa compendij ponere.

Matt.11.28. Gal.3.13. Ioan.1.29 Cap.vi. Cap.7. Ioan.7.23.

SANCTVS verò IOANNES Chryſoſtomus in Tractatu Epiſtolæ ad Hebræos ita dicit, Deinde oſtendit, inquiens, quoniam gloria

& honor crux eſt, ſicut ipſe eam ſemper vocat dicens, *vt glorificetur filius hominis*. Si ille ea quæ pro ſeruis paſſus eſt gloriam vocat, multo ampliùs tu quæ pro Domino pateris. Vides crucis fructus quantus ſit. Timeo ergo hanc rem. Triſte quidem tibi videtur, ſed decem millia generat bona. Oſtendit etiam ex hoc tentationis vtilitatem ita dicens, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem. Qualiter, inquit? gratia Dei. Et ille quidem propter Dei gratiam quæ nobis data eſt hæc paſſus eſt. *Qui proprio*, inquit, *filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Cuius rei gratia? non enim debebantur hæc nobis, ſed gratia hoc fecit. Et iterum dixit, *Multo magis gratia Dei, & donum vnius hominis Ieſu Chriſti in multos abundauit*; qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem. non pro fidelibus tantùm, ſed pro mundo vniuerſo. Et ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi non omnes credunt? ille quod ſuum erat impleuit. Et propriè dixit, *pro omnibus guſtauit mortem*. Non dixit vt moriatur. Reuera enim ſicuti qui guſtat, ſic breue interuallum in illa faciens confeſtim ſurrexit.] & item, *Quem conſtituit heredem omnium*. hîc carnem ſignificat. Sicut ergo in ſecundo Pſalmo dicitur, *Pete à me*, inquit, *dabo tibi gentes hereditatem tuam*. non iam portio Domini tantùm Iacob, & pars eius Iſrael, ſed omnes protinus nationes, hoc eſt, filium dominum conſtituit vniuerſorum. Sed etiam & in Actibus Petrus loquitur, dicens, *Et dominum eum & Chriſtum fecit Deus*.] & item, Quoniam itaque talem habemus Pontificem, imitemur eum, eius veſtigia conſequamur. Non eſt aliud ſacrificium. vnum nos purgauit, poſt iſtud ignis & gehenna.] & item, Mediator igitur factus eſt noſter & patris, & perſuaſit illi. Et quid igitur, quomodo mediator factus eſt? Sermones detulit & attulit nobis à patre per tranſuectores. Addit etiam mortem. In offenſione quippe eramus, mori nos oportebat, mortuus eſt pro nobis, & fecit nos dignos teſtamenti. Hoc modo firmum factum eſt teſtamentum. An non dignos iam factos? In ipſo quidem initio vt pote pater in filios teſtatus eſt. Sed quia indigni facti ſumus, non iam teſtamentum nobis opus erat, ſed pœna. Quid igitur gloriaris, inquit, in lege? In tantum peccatum quippe nos conſtituit, vt ſaluari non poſſemus aliquando, niſi Dominus pro nobis moreretur. Nequaquam valeret lex, ſiquidem eſt infirma. Et non tantùm ex communi conſuetudine hoc confirmat, ſed etiam ex his quæ in veteri Teſtamento contingebant maximè eos introduxit. Nullus fuit qui non mortuus eſt illic. Quomodo illic firmum eſt teſtamentum? Per eundem ipſum modum inquit. Quomodo enim illic ſanguis, ſicut etiam hîc ſanguis. Si autem non erat hîc Chriſti ſanguis, non mireris, Typus enim erat. *Vnde* dixit *neque primum ſine ſanguine dedicatum eſt*. Quid eſt dedicatum eſt? firmum factum eſt, roboratum eſt. Quod autem dixit *vnde*, tale eſt quale ſi diceret,

Rom. 8. 32.
Rom. 5. 15.
Pſal. 2. 8.
Act. 2. 36.
Hebr. 9. 18.

Propterea oportebat testamenti solennitatem compleri etiam per mortem. Nunc autem, inquit, semel in consummatione sæculorum ad destructionem peccati per sacrificium suum manifestatus est. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Deinde dicit, Et semel mortuus, quia qua morte redemptio facta est, institutum est, inquit, mori hominibus. Hac ergo semel mortuus est pro omnibus. Quid ergo iam non morimur morte illa? Morimur quidem, sed non manemus in illa, quod & iam neque mori est. Mortis enim tyrannus & mors reuera illa est, quod nunquam permittitur mortuos ad vitam reuerti. Quando verò post mortem viuendum erit, & vita meliori, non est mors illa, sed dormitio. Quoniam ergo omnes retentura erat mors, propterea mortuus est vt nos liberaret. Sic & Christus, inquit, semel oblatus est. A quo oblatus est? manifestum quòd à semetipso. Hîc neque sacerdotem eum dicit solùm, sed & victimam & sacrificium per se oblatum. Semel, inquit, oblatus est ad multorum auferenda peccata. Quare multorum, & non omnium? quia non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem mortuus, hoc est, quantum in ipso est, eius momenti est illa mors, cuius momenti est omnium perditio. nō autem omnium peccata abstulit, propter quod noluerunt. Quid autem est peccata abstulit? Sicut enim in oblatione rursum offerimus peccata, & dicimus, siue volentes siue nolentes peccauimus indulge, & tunc remissionem petimus: sic autem & hîc manifestum est. Et vbi hoc fecit Christus? Audi eum dicentem, *Et pro illis sanctifica memetipsum.* Ioan.17.19. Ecce obtulit peccata, sumpsit ea ab hominibus, & obtulit ea rursum patri, non vt aliquid decernat aduersus eos, sed vt ea dimittat. In secundo sine peccato videbitur, inquit, expectantibus se in salutem. Quid est sine peccato? veluti non peccat. Non enim debitor mortis mortuus est, neque propter peccatum. Sed quomodo videbitur? puniens inquit. Sed non hoc dixit, sed quod festiuum & gratum est, sine peccato videbitur expectantibus se in salutem. vt iam de cetero non opus habeant sacrificio vt saluentur, sed in operibus ipsis hoc faciant. Et item, *Ne cui*, inquit, *vestrûm desit gratia Dei.* Quid dicit gratiam Dei? bona futura, Euangelicam fidem, optimam conuersationem. Omnia quippe Dei sunt gratiæ. Nec mihi dicas, quia vnus est qui peribit. Etenim Christus propter vnum mortuus est. Tu ergo negligis propter quem Christus dignatus est mori?] Item idem in Homilia prima de Psalmo quinquagesimo, Quando iterum dicit, *Foderunt manus meas & pedes, dinumerauerunt omnia ossa mea*, Psal.21.17. non vtique passiones adnuntiat suas, sed crucem Domini, sacrificium orbis terræ, salutem generi humano prædixit. Item in Homilia de proditione Iudæ, Dederunt pretium sanguinis qui pretium non habebat. Quid accepisti Iuda? triginta denarios. Christus gratis aduenit sanguinem suum pro communi salute fu-

ſurus, & tu de ſanguine crudelia peccata componis? & item in eadem, Occiſus propoſitus Chriſtus eſt, & cur occiſus eſt videamus. vt cæleſtia pacificet, vt in terra reconciliet vniuerſa, vt amicum te conſtituat Angelorum, vt Deo ſociet habenti omnium poteſtatem.] Item in Homilia de Cruce, Ideo non ſub tecto paſſus eſt, non in templo Iudaico, ne Iudæi ſubtraherent ſacrificium, & ſibimet vindicarent, nec putares pro illa tantùm plebe oblatum: ideo foras ciuitatem, ideo foras muros, vt ſcias ſacrificium eſſe commune, quod totius terræ oblatio, quod communis deploratio, non partis, ſicut Iudæis conſuetudinis fuit. Iudæis etenim ideo iuſſit Deus omnem terram dimittere, & in vno loco ſacrificium atque oblationem celebrare, quia tunc omnis terra immunda fuit, fumo & nidore & aliena contaminatione polluta, quæ ex ſacrificiis gentium celebrabantur. Nobis autem, quoniam Chriſtus adueniens omnem terram emundauit, omnis locus orationis vacat. Ideo Paulus cum omni confidentia exhortatur dicens, *Volo ergo orare viros in omni loco leuantes ſanctas manus.* Ecce totus mundus emundatus eſt, elementa purgata ſunt, vt vbique nobis Deum liceat prædicare, & omnis terra ſanctior illo loco eſt, qui illo in tempore prædicabatur Sancta ſanctorum. Nam ibi pecus inrationabile oblatum, hîc ſpiritale immolatum eſt: & tanto maius eſt ſacrificium, quanto & ſanctitas de ſacramento profertur.] & item idem in eadem, Et illi quidem dicebant, *Si filius Dei es, libera te*, iſte autem omnia ſuſtinebat vt illos liberaret qui crucifixerunt.] Item in Homilia tertia de Cruce, Si quid igitur ſuſtinuit Chriſtus, non propter ſemetipſum, neque propter patrem ſuum, ſed vt ſaluaret per crucem genus humanum.] Et item in eadem, Videns autem humanum genus à diaboli ſuperari malitia, voluit creaturam ſuam adſumere, & quaſi vnum hominem indui, & adfigere illum cruci, vt ſic per lignum crucis vniuerſo generi humano ſalus oriretur.] Et item in Homilia de Pentecoſte, Propterea, inquit Chriſtus, homo factus ſum, propterea carnem indui, vt orbem vniuerſum ſaluarem.] Et item in Homilia de Natiuitate Domini, In terra naſcitur homo perfectus, homo totus, vt ſaluaret totum orbem.] Et in Homilia de Natiuitate Chriſti & Ioanne Baptiſta, Sed memoratus eſt Chriſtum ipſum ſolum futurum verum ſacerdotem, cui pater dixerat, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, qui hoſtiam placabilem pro peccatis omnium ſolus Deo offert.] & item in eadem, Veniebat enim ſolus ſacerdos, qui agno ſolo proprio immaculato ſacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demonſtrauit eum Ioannes Iudæis, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*] Item in Homilia de Patre & duobus Filiis, Addidit & vitulum ſaginatum iugulandum conuiuij exhibitioni, ſine dubio Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem dedit pater in victimam pro ſalute noſtra. quem vitulum nominat propter ho-

1. Tim. 2. 8.

Matth. 27. 40.

Pſal. 109. 4.

Ioan. 1. 29.

ſtiam corporis immaculati, ſaginatum autem verè dixit, quia pinguis & opimus eſt, in tantum vt pro totius mundi ſalute ſufficiens ſit ad odorem ſuauitatis & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare.] Et in libro ad Stelechium de cordis compunctione, Hic eſt affectus ſerui fidelis, vt beneficia domini ſui, quæ communiter omnibus data ſunt, quaſi ſoli ſibi reputet, & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini & Saluatoris noſtri, quæ pro vniuerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit. Quaſi enim de ſe ſolo loquens ita ſcribit, Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit ſeipſum pro me. Hæc autem dicebat, non coanguſtare volens ampliſſima & per orbem terræ diffuſa Chriſti munera: ſed quaſi, vt diximus, qui pro omnibus ſe ſolum iudicaret obnoxium. Et reuera quid intereſt ſi & aliis præſtitit, cùm quæ tibi præſtita ſunt, ita integra ſint & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum. Ideo denique & illa boni paſtoris parabola non dicit quia venit multas oues requirere, ſed vnam. Vna namque eſt, quia ſic omnibus quaſi vni diuina beneficia conferuntur.

Et Hieronymvs in Eſaia libro XII. *Et non eſt abſque me Saluator.* Oſtendit in patre filium cuncta ſaluare, de quo idem Propheta teſtatur, Et mittet eis Dominus ſaluatorem qui ſaluos eos faciet. Et item in libro XIII. *Audite me & comedetis bona.* Et non ſolùm bona, ſed ſalutem omnibus nuntiauit, quam ipſe præbuit qui dicit Sion, id eſt Eccleſiæ, *regnabit Deus tuus.*] Et item in libro XIIII. Chriſtus cum iniquis reputatus eſt, vt iniquos redimeret à peccato, & omnibus omnia fieret, vt omnes ſaluos faceret.] & item idem in eadem prophetia, Quia ſciebat illis non credentibus credituros eſſe populos nationum, tranſit ad gentes, & dicit miſiſſe filium ſuum teſtem vel teſtimonium cunctarum nationum, qui pręcepta illius atque mandata populis nuntiaret, qui de ſe ipſo loquitur, oportet prædicari Euangelium iſtud in omni orbe, in teſtimonium cunctis gentibus, de quo Apoſtolus Paulus ſcribit Timotheo, *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſe redemptionem pro omnibus.* Et item in eadem prophetia, Hæc locutus eſt, Non ſemper iraſcor, nec iurgatus indignabor, quia ad hoc percutio vt emendem, ideo occido vt viuificem. Miſereor enim creaturæ meæ, & quos ipſe condidi in æternum perire non patiar. Cùm ergo à me egrediatur ſpiritus, & flatu atque inſpiratione mea cuncta vegetentur & viuant, non eſt iuſtum perire eos in æternum qui meo flatu ac ſpiritu ſuſtentantur.] Item in prophetia Oſee in libro III. In tantum dilexi eos, & tam clemens paſtor fui, vt morbidam ouem humeris meis ipſe portarem. Ipſi verò ignorauerunt cùm mea illos paſſione curarem, & qui amator ſum omnium hominum traherem eos in vinculis caritatis. Item in eadem

Eſa. 43.11.

1. Tim. 2.5.

Prou.18.21 prophetia. *De manu mortis liberabo eos.* Manum mortis appellat opera quibus interficit, iuxta illud quod ſcriptum eſt, *In manu linguæ mors & vita.* Liberat autem omnes Dominus, & redemit in paſſione crucis & effuſione ſanguinis ſui. quando anima eius deſcendit ad infernum, & caro eius non vidit corruptionem, & ad ipſam mortem atque infernum locutus eſt, *Ero mors tua ô mors.* Idcirco enim mortuus ſum, vt cum mea morte moriaris. *Ero morſus tuus inferne,* qui omnes tuis faucibus deuorabas.] Et item, *De manu mortis liberabo eos.* vt quod tunc figurabatur in parte, nunc ſentiatur in toto, & cum omni humano genere Iſrael liberandus ſit & redimendus.] Item ipſe in prophetia Ionæ. *Adflictus eſt Ionas.* Pulchrè autem dolens, quod interpretatur Ionas, adfligitur dolore, & triſtis eſt anima eius vſque ad mortem, quia ne periret quantum in ſe fuit multa Chriſtus perpeſſus eſt.] Item idem in Epiſtola Pauli ad Galatas, Igitur & pater tradidit filium, & filius ipſe ſe tradidit, & Iudas & ſacerdotes cum principibus tradiderunt, & ad extremum traditum ſibi tradidit ipſe Pilatus. Sed pater tradidit vt ſaluaret perditum mundũ, Ieſus ipſe ſe tradidit, vt patris ſuámque faceret voluntatem.] Item, Nec hoc ex meo ſenſu dictum putetis. Scriptura teſtis eſt, quia Chriſtus gratia Dei ſalus, vt in quibuſdam exemplaribus legitur, abſque Deo pro omnibus mortuus eſt. Si autem pro omnibus, & pro Moyſe, & pro vniuerſis prophetis, à quibus nullus potuit delere chirographum vetus, quod aduerſum nos ſcriptum erat, & adfigere illud cruci. Omnes peccauerunt & indigent gloria Dei.] Et in Epiſtola ad Epheſios, *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum.* Ille redimitur qui captus eſt, & in hoſtium veniens poteſtatem liber eſſe deſinit. Ita & nos quidam dicunt in hoc mundo eſſe captiuos, vt & ſub principibus & poteſtatibus iugo ſeruitutis teneri, nec antè vinctas catenis explicare manus, & oculos ſurſum adtollere, niſi Redemptor aduenerit. Sed quis iſte, aiunt, tantus & talis, qui poſſit pretio ſuo totum orbem redimere? Ieſus Chriſtus filius Dei proprium ſanguinem dedit, & nos de ſeruitute eripiens libertate donauit. Et reuera, ſi hiſtoriis gentilium credimus, quòd Codrus, & Curtius, & Decij Mures, peſtilentias vrbium, & fames, & bella ſuis mortibus repreſſerint, quanto magis hoc in Dei filio poſſibile iudicandum eſt, quòd cruore ſuo non vrbem vnam ſed totum purget orbem?] In Homilia XIV. Euangelij ſecundùm Lucam, Tale fuit & par turturum. Non erant illæ volucres vt iſtæ quæ per aërem volant, ſed diuinum quiddam, & humana contemplatione auguſtius, ſub ſpecie columbæ & turturis apparebat: vt non talibus victimis, qualibus omnes homines, ille qui pro toto mundo naſcebatur, & pati habebat, coram Domino mundaretur, ſed vt diſpenſatio eius noua omnia, ita nouas quoque habebat hoſtias ſecundùm voluntatem omnipotentis Dei.

Marginal notes: Oſee 13.14. — Ibid. — Epheſ. 1.3.

Cap. XVI. Et SANCTVS AVGVSTINVS in libro de Correptione & Gratia, Abſit

Absit vt ista garrientes securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim quia nemo periit nisi filius perditionis. Sed ait Deus per Ezechielem prophetam, *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem verò eius de manu speculatoris requiram*. Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio. Dei est autem illis eam facere vtilem, quos ille præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij sui. Dicit enim Apostolus, *Peccantes coram omnibus corripe, vt ceteri timorem habeant.* quod de his peccatis accipiendum est quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum*. Verumtamen & ipse seueritatẽ correptionis eousque perducit vt dicat, *si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsa est infirmitate crucifixus? Quæ cùm ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam. & ideo sic est præcipienda iustitia, vt à Deo gratia qua id quod præcipitur fiat fideli oratione poscatur. & hoc vtrumque ita faciendum est, vt neque iusta correptio negligatur, omnia verò hæc cum caritate fiant, quoniam nec caritas facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum.] Et item sanctus Augustinus in xx. libro de Ciuitate Dei, titulo VI. ex sermone Apostoli, *Pro omnibus mortuus est*, Omnibus, inquit, bonum est audire vocem filij Dei & viuere. Ad vitam pietatis ex impietatis morte transeundum. De qua morte ait Apostolus, *Ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, siue originalibus, siue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est. & pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus, id est, nullum habens omnino peccatum: vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.] Et item in libro quarto de Trinitate, Christus occisus est innocens, vt diabolum iure æquissimo superaret, & à captiuitate propter peccatum iusta suo iusto sanguine iniustè fuso mortis chirographum & iustificandos redimeret peccatores. Hinc etiam diabolus adhuc suos inludit, quibus se per sua sacra veluti purgandis, & potiùs applicandis atque mergendis, falsus mediator opponit, quod superbis facillimè persuadet, inridere atque contemnere mortem Christi, à qua ipse quantum est alienior, tanto ab eis creditur sanctior atque diuinior. Qui tamen apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus gentibus, & pia humilitate bibentibus pretium suum, eiúsque fiducia de-

Ezech. 33. 6
1. Tim. 5. 20
Matth. 18. 15.
Cap. VI.
2. Cor. 5. 14.
2. Cor. 5. 15.
Cap. XIII.

ferentibus hostem suum, & concurrentibus ad redemptorem suum.] Et in Sermone cxx. Euangelij Ioannis, Omnes quippe facit suas oues, pro quibus est omnibus passus: quia vt ipse pro omnibus pateretur ouis est factus.] Et item sanctus Augustinus in Psalmo quadragesimo tertio, Nam & crux ipsa & pro ipsis persequentibus facta est: inde sunt postea sanati, qui in eum crediderunt quem ipsi occiderunt.] Et in Psalmo quadragesimo quinto, *Compuncti*, inquit, *corde dixerunt, Quid faciemus?* Tanquam magna desperatione. Ille tantus est quem nos occidimus, nos vbi erimus? Et Petrus, *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, & dimittuntur vobis peccata vestra.* Nihil enim hoc peccato grauius cogitare potuerunt. Quod grauius peccatum ægri, quàm medici interfectio? Quid grauius potest æger facere, quàm si medicum suum occidat? Cùm hoc dimittitur, quid non dimittitur? Ab illo ergo cui dictum est, *Refugium & virtus*, acceperunt magnam securitatem, *Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini Iesu Christi.* In illius nomine quem occidistis baptizamini, & dimittuntur vobis peccata vestra. Medicum vel postea cognouistis. iam securi bibite sanguinem quem fudistis.] & item in Psalmo XLVI. *Omnes gentes plaudite manibus.* quoniam rex omnis terræ Deus. Non illi sufficit vnam gentem habere sub se. ideo tantum pretium ex latere dedit, vt emeret orbem terrarum.] Item in Psalmo XLIX. Qui terram vocauit, & totam terram vocauit. qui terram vocauit, tantam vocauit quantam fabricauit. Quid mihi exsurgunt pseudochristi & pseudoprophetæ? Quid est quod me verbis captiosis inlaqueare moliuntur dicentes, Ecce hîc est Christus, ecce illic? Non audio ostendentes partes. Deus Deorum totum mihi ostendit, qui vocauit terram à Solis ortu vsque ad occasum, totum redemit, partes autem calumniantes condemnauit.] Item sanctus Augustinus in libro de Correptione & Gratia, Vnigenitus Dei filius, æqualis patri & coæternus, pro hominibus homo factus, & sine suo vllo vel originali vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus. qui quamuis die tertio resurrexit nunquã moriturus vlteriùs, pertulit tamen pro mortalibus mortẽ, qui mortuus præstitit vitam, vt redempti eius sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent, *Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.*] Et in libro sexto contra Iulianum, Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum Christum, ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum, ita vt respondere cogaris, si nullo peccato paruuli obstricti sunt, non esse pro paruulis mortuum. Dicit enim Apostolus ad Corinthios, *Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Nullo modo hîc negare permitteris, non nisi pro his qui mortui sunt mortuũ fuisse Iesum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? numquid eos qui de corpore exierũt? quis ita desipiat vt hoc sapiat? Eo mo-

Sub mediũ.

Non longè à principio

Act.2.37.

Act.2.38.

Psal.46.20.

In princip.

Sub initiũ.

Cap.XI.

Rom.8.31.

Cap.I.

2.Cor.5.14.

do itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus vnus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit, *Et vos cùm essetis mortui in delictis, & præputio carnis vestræ, viuificauit cum illo.* Ac per hoc vnus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse vt moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuis mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris, vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat vt in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum.] Et item in eodem libro, Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quo corde, quo ore, qua fronte paruulos mortuos negatis, pro quibus Christum mortuum non negatis? Si non est pro eis mortuus Christus, vt quid baptizantur? Quicumque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Si autem etiam pro eis mortuus est qui vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & isti cum omnibus, & quia in peccato mortui sunt, moriuntur & peccato, vt viuant Deo quando renascuntur ex Deo. Quòd si explicare non possum, quomodo viuus generet mortuum, mortuus enim peccato parens & viuens Deo, generat tamen in peccato mortuum, nisi & ipse peccato regeneratione moriatur & viuat Deo, numquid ideo falsum est, quia explicari verbis non potest, vel difficillimè potest? Tu nega, si audes, natum mortuum, pro quo Christum non negas mortuum. *Vnus*, enim, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Verba sunt Apostolica, sed arma sunt nostra. Quibus tamen si repugnare nolis, intelligis quod sine dubitatione credendum est, etiamsi non intelligas. Audiebamus à maioribus nostris, qui se id nosse ac vidisse dicebant, Fundanium Carthaginis rhetorem, cùm ipse accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse. Quo exemplo euertitur illa tua sententia, qua dicis naturalia per accidens non conuerti. Accidens quippe fuit in patre quod factum est in filio naturale. Illam verò alteram, qua dicitis parentes in filios ea quæ non habent ipsi non posse transfundere, alius Fundanij filius, quod maximè vsitatum est, cum duobus oculis de lusco natus euertit, & innumerabiles qui nascuntur oculati de parentibus cæcis. Transmittendo quippe in eos quos gignunt quod ipsi non habent, vos potiùs quàm suos filios sibi similes esse demonstrant, qui tam fuistis in vestris definitionibus cæci.] & item in eodem libro, Quæ sint enim ex parentibus, vel vtrum sint etiam alia contagia peccatorum, liberum nobis est quærere, siue sit facile, siue difficile, siue impossibile reperire. per vnum tamen hominem in hunc mundum intrasse peccatum, & per peccatum mor-

Coloss.2.13

Cap.II.

2.Cor.5.14. Post alia.

Cap.III.

Cap.III.

tem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccauerunt, aliter nobis fas esse non existimemus accipere, nisi vt omnes mortuos esse credamus in primi hominis peccato, pro quibus mortuus est Christus, & omnes mori peccato quicumque baptizantur in Christo.] & item in eodem, Nam si vos sententiam rectam in vestrum tortum sensum torquere nolletis, audiretis Apostolum hoc breuiter explicantem, qui vnum dixit fuisse, in quo omnes peccauerunt. In illo vno mortui sunt omnes, vt moreretur alius vnus pro omnibus. Vnus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. Audisne Iuliane? Hæc Apostoli verba, non mea sunt. Quid à me quæris quo sit factum modo, cùm videas factum esse quocumque modo? si Apostolo credis aliquomodo, qui de Christo & de his pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullomodo.] & item, Meritò ergo intelliguntur mortui qui non habent vitam, pro quibus Christus est mortuus. Vnus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Ideo autem mortuus est, sicut legitur ad Hebræos, *vt per mortem euacuaret eum qui potestatem habebat mortis*, id est diabolum.] Et item, Propter hoc, inquam, vinculum mortis mortui reperiuntur infantes. non ista morte notissima, quæ à corpore animam separat, sed ea morte qua tenebantur omnes, pro quibus mortuus est Christus. Scimus enim, ait Apostolus, quod à nobis sæpissimè repetendum est, quoniam *Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est & resurrexit.* Illi ergo viuunt, pro quibus vt viuant mortuus est qui viuebat. Quod apertiùs ita dicitur, Illi sunt à mortis vinculis liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber: vel sic multo apertiùs, illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est qui nunquam fuerat in peccato. & cùm semel sit mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quando in eius morte quantælibet ætatis fuerit baptizatur. id est, tunc ei proderit mors eius qui fuit sine peccato, quando in eius morte baptizatur, si mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.] & item, A morte quippe iustissimæ damnationis per vnum mediatorem Dei & hominum liberatur genus humanum, non à morte corporis tantùm, sed à morte qua mortui sunt, pro quibus vnus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.] Et in libro primo, Postremò sanctus Ioannes dicit, quem tu honorabiliter commemorasti, quem tu sicut sanctum eruditúmque laudasti, quem tu testimonium & gloriam de consortio veritatis suscepisse dixisti, etiam ipse dicit, Adam sic peccasse illud graue peccatum, vt omne genus humanum in commune damnaret.] & post pauca, Dicit Iudæum negantem virtute vnius Christi mundum posse saluari.] Item in libro III. Quis autem Christianus ignoret, quòd ille qui primum ho-

Cap. IV. | Paulo pòst. | Cap. eodē. | Cap. V. | 2. Cor. 5. 14. | Cap. II. | Cap. XII.

minem fecit ex puluere, omnes fabricetur ex semine? Sed ex semine iam vitiato atque damnato, qui partim per veritatem remaneat in supplicio, partim per misericordiam liberetur à malo. Non igitur, vt putas atque concludis, vllis laqueis tuis peccati naturalis suffocatur adsertio. Deprauatam quippe primi transgressoris voluntate naturam, non tua defensio verbis inanibus purgat per nouitium dogma vestrum, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.] Et item in libro VI. *Vnus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Nec aliqui poterunt viuere pro quibus non est mortuus, quia pro mortuis viuus est mortuus. Hæc negans, his repugnans, ista conuellere moliens, catholicæ fidei munimenta ipsósque neruos disrumpere Christianæ religionis, veræ pietatis, audes insuper dicere quòd contra impios bella susceperis, cùm aduersum matrem, quæ te spiritaliter peperit, armis impietatis induaris.] Et in libro IV. de Doctrina Christiana, Sanctus quoque Ambrosius, cùm agat rem magnam de Spiritu sancto, vt eum patri & filio demonstret æqualem, summisso tamen dicendi genere vtitur, quoniam res suscepta, non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotiones affectuum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter cetera in principio huius operis, ait, Commotus oraculo Gedeon, cùm audisset quòd deficientibus licèt populorum milibus, in vno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hœdum caprarum, cuius carnem, secundùm Angeli præcepta, & azyma supra petram posuit, & ea iure perfudit: quæ simul vt virgæ cacumine, quam gerebat Angelus Dei, contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est, *Bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus.* Quod vtique non ad diuinitatem eius, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret. nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad inlecebras cupiditatum, sicut scriptum est, *Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt, Quis nos cibabit carne?* Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiit, ostendit quòd caro Domini, spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Vnde & Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram,* & cetera.]

Cap. XIII. — Cap. XXI. — 1. Cor. 7. 10 — Psal. 105. 14 — Num. 11. 18. — Luc. 12. 49.

SANCTVS nihilominùs PROSPER in libro primo de Vocatione gentium dicit, *Et tu,* inquit, *puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis populo eius in remissionem peccatorum ipsorum. propter viscera misericordiæ Domini, in quibus visitauit nos oriens ex alto, lucere his qui in tenebris*

Cap. VI. — Luc. 1. 76.

& in umbra mortis sedent, ad dirigẽdos pedes nostros in viam pacis. Hæc autem viscera misericordiæ Dominus, non ad vnius tantùm populi redemptionem, sed ad omnium nationum impẽdit salutem. Dicit Euangelista, quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiã vt filios Dei dispersos congregaret in vnum. Hoc enim ait illa vox Domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe sonantem omnes homines inuitat & conuenit. Nam cùm dixisset, *Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic beneplacitum est ante te*, addidit, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius & cui voluerit filius reuelare.* ac deinde adiecit, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Ioannes verò Baptista in Euangelio Ioannis prophetico spiritu protestatur dicens, *Qui de cælo venit super omnes est, & quod vidit & audiuit hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit, qui accipit testimonium eius signauit quoniam Deus verax est.* Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ & superbiæ nocte contractam, venit in mundum Creator mundi, & mundus eum non cognouit. lux lucet in tenebris & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui super omnes est quod vidit & audiuit testatur, & testimonium eius nemo accipit. Sed quia non frustra Deus Dei filius venit in mundũ, & dedit semetipsum pro omnibus, & pòst mortuus est, non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos cõgregaret in vnum, & vniuersis dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & seruato sibi incognoscibilis arbitrio electionis, dat sui patris notitiam quibus eam voluerit reuelare, omnes filij lucis, filij promissionis, filij Abrahæ, filij Dei, genus electum, regale sacerdotium, viri Israelitæ præcogniti & præordinati ad regnum Dei, qui eos vocauit non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, testimonium eius qui de cælo venit accipiunt, signantes quia Deus verax est, id est, expressè significantes in sui saluatione, quoniam Deus verax est, implens & perficiens quod promisit Abrahæ omnium gentium patri, qui pollicente Deo quòd hæres futurus esset mundi, non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quoniam quod promisit potens est & facere. Quis autem tam alienus est à fide Abrahæ, tam degener ab vniuersarum gentium patre, qui promissionem aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promisit dicat impleri? Ille quidem erit mendax, Deus autem verax, & omnis qui accipit testimonium eius hoc signat, hoc indicat, quòd per lucem inluminantem factus est videns, factus est obediens, factus intelligens, sicut Ioannes Euangelista testatur dicens, *Scimus quia mundus totus in maligno positus est, & scimus quia fi-*

Matt. 11. 25.

Ioan. 3. 31.

1. Ioan. 5. 19

lius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Si verò quæritur, cur Saluator omnium hominum non omnibus dederit vnum sensum, vt cognoscerent verum Deum, & essent, id est, permanerent in vero filio, quamuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam, tamen ita fortè hoc velatum sit, sicut illud absconditum est, cur omnibus gentibus prætermissis, vnum sibi populum quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit. De quo iudicio Dei sicut non est conquirendum, multò minùs de hoc quod cum electione omnium gentium geritur murmurandum est. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda.] & item, Cùm vtique contra hostem non expedit sine protectore confligere: cum illo enim habet certamen, à quo aliquando superatus est. Non ergo fidat viribus suis, quæ etiam cùm essent integræ non steterunt, sed per illum quærat vindictam, qui solus non est victus & omnibus vicit: & si quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo se accepisse quem quærit, nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit quando diaboli voluntati se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.] & item in secundo libro, Nulla igitur ratio dubitandi est, Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero si aliquis liber inuentus est, non est pro omnibus mortuus Christus. Sed prorsus pro omnibus mortuus est. Nemo igitur omnium hominum, ante reconciliationem quæ per Christi sanguinem facta est, non aut peccator aut impius, dicente Apostolo, *Si enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, iuxta tempus pro impiis mortuus est, vix enim pro iusto quis moritur. nam pro bono forsitan quis audeat mori*, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. *Commendat autem suam caritatem Deus in nobis, quoniam si cùm adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis salui erimus in vita ipsius.* Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait, *Caritas enim Christi vrget nos, iudicantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, & resurrexit.* De seipso verò quid pronuntiet audiamus, *Fidelis*, inquit, *sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Siue ergo circumcisio, siue præputium, peccato vniuersaliter concludebatur, vnúsque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis minúsque impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione saluari. Quæ redemptio vniuer-

Cap. vii.
Cap. vi.
Rom. 5. 6.
2. Cor. 5. 14.
1. Tim. 1. 15.

so sese intulit mundo, & omnibus hominibus indifferenter innotuit.] Et contra Gallos obiectione IX. Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino suscepta non fuerit, quamuis ille natus sit in similitudinem carnis peccati, omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc pecatoribus & mortalibus contulit, vt qui natiuitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati & mortis euaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renouationi natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem de quo ipse ortus est spiritu renascantur, sic non sufficit hominum redemptioni crucifixum esse Dominum Iesum Christum, nisi commoriantur & consepeliantur in baptismo. Alioqui nato saluatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium vt renasceremur, & similitudini mortis eius cõplantaremur. Sed cùm sine hoc sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est saluatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo: non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi: nec est membrum corporis Christi, qui non per aquam & Spiritum sanctum induit Christum, qui ideo in infirmitate nostra communionem subiit mortis, vt nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis. Cùm itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dixit enim Euangelista, quia *Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum.* In sua enim venit, & sui eum non receperunt. quotquot autẽ receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Diuersa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non cõprehenderunt, vt possit secũdùm hoc dici, Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt, & tenebræ receperũt quibus dicit Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ipse verò Dominus Iesus, qui dixit se venisse quærere & saluare quod perierat, Non veni, inquit, nisi ad oues quæ perierant domus Israel. Sed quæ sint istæ oues domus Israel, Apostolus Paulus exponat dicens, Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque quia sunt semen Abrahæ omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis hi filij Dei, sed qui filij promissionis æstimantur in semine. In istis ergo sunt illi, de quibus dictum suprà memorauimus, quia *Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum.* quia non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus

Ioan. 11. 51. Ioan. 1. 5. Ephes. 5. 8. Matt. 10. 6. Rom. 9. 6. Ioan. 11. 51

gentibus, per eum qui vocat quæ non ſunt tanquam quæ ſunt, & qui diſperſos Iſrael congregat, filij Dei, filij promiſſionis, in vnam Eccleſiam congregantur, vt impleatur quod promiſſum eſt Abrahæ, cui dictum eſt quòd in ſemine eius benedicendæ eſſent omnes tribus terræ.] Et in obiectione prima contra Vincentianos, Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura eſt, & vnde omnium concupiſcentiarum morbus inoleuit, verum & potens ac ſingulare remedium mors filj Dei domini noſtri Ieſu Chriſti, qui liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortis eſt mortuus. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt, à redemptione alieni ſunt. Cùm itaque, propter vnam omnium naturam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, tamen non omnes à captiuitate ſint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & iam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. Cuius mors non ita impenſa eſt humano generi, vt ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non erant pertinerent: ſed ita vt quod per vnum exemplum geſtum eſt pro vniuerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.]

Et sanctvs Cyrillvs in epiſtola Synodica ad Neſtorium dicit, Confitemur etiam inquiens, quòd idem ipſe, qui ex Deo patre natus eſt, filius vnigenitus Deus, licèt iuxta naturam ſuam expers paſſionis extiterit, pro nobis tamen ſecundùm ſcripturas carnem perpeſſus ſit, & erat in crucifixo corpore propriæ carnis impaſſibiliter ad ſe referens paſſionem. Gratia verò Dei pro omnibus guſtauit mortem, tradens & proprium corpus, quamuis naturaliter ipſe vita ſit & reſurrectio mortuorum. Nam vt mortem ineffabili potentia proculcaret, & ſua carne primogenitus ex mortuis fieret, & primitiæ dormientium viam faceret humanæ naturæ ad incorruptionis recurſum, gratia Dei, ſicut ſuprà dictum eſt, pro omnibus guſtauit mortem, & tertia die reſurgens exſpoliauit infernum.] Item in epiſtola ad presbyteros & diaconos patres monachorum, & ad eos qui ſolitariam vitam adepti in Dei fide conſiſtunt, ad locum, Sufficit verò, vt arbitror, ad fidem etiam ſanctiſſimus Paulus, qui teſtatur dicens, *Quid ergo dicimus? Si Deus pro nobis quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis donauit?* Proinde dic mihi, quomodo intelligatur Dei proprius filius qui ex ſancta Virgine? Sicut enim proprium

Concil. Epheſ. Part.1.c.26. ſub mediũ.

Ibid.cap.2. verſus finẽ.

Rom.8.31.

hominis, nec non & vniuscuiusque aliorum animalium, quod ex eo secundùm naturam generatur, ita proprium Dei quod ex substantia eius est intelligitur atque dicitur. Quomodo ergo proprius Dei filius nominatus est Christus? Qui ergo traditus est à Deo & patre causa omnium salutis & vitæ, traditus est propter peccata nostra. & reliqua.] Et item in eadem, Sic etiam posuit pro nobis animam suam. quia enim erat mors eius mundo salutaris, sustinuit crucem.] & item, Et vnus omnium compensatione dignus mortuus pro omnibus, vt redimeret proprio sanguine quicquid sub cælo est, & offerret Deo & patri eos qui in omni terra consistunt.] & item, Vnus ergo omnium dignior suam pro omnibus animam posuit.] & item, Sicut enim vicit in Adam, quin mors, ita cecidit & in Christo. ascendenti quoque propter nos & pro nobis ad patrem & Deum qui in cælis est, vt eis qui in terra sunt adibile demonstraret cælum.

Post aliquanta.

Epist. xcvii Cap. ii.

MAGNVS autem LEO, tantæ scilicet sedis Romanæ non impar, in epistola ad Leonem Augustum dicit, Sicut enim negari non potest Euangelista dicente quòd *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, ita negari non potest, beato Paulo Apostolo prædicante, quòd *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Quæ autem reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causa mediator Dei & hominum carnem susciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis patri, in forma serui particeps esset & nostri, & mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte qui solus morti nihil debuit solueretur? Effusio enim iusti pro iniustis sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent: quoniam sicut ait Apostolus, *vbi autem abundauit peccatum, superabundauit & gratia*. & cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis quàm debitum seruitutis.] & item, Quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus & æternus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cùm inter filios hominum vnus solus Dominus noster Iesus Christus qui verè erat agnus immaculatus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sint etiam suscitati. de quibus ipse dicebat, *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*. Fides etenim vera, iustificans impios & creans iustos, ad humanitatis suæ

Ioan. 1. 14.

2. Cor. 5. 19.

Rom. 5. 21.

Post alia.

Ioan. 12. 32.

tracta participem, in illo adquirit salutem, in quo solo se homo inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostræ humilitate congressus, his vindictam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit.] Et item in eadem, At si in tanta luce veritatis tenebras suas hæretica obduratio non relinquit, ostendant vnde sibi spem vitæ polliceantur æternæ, ad quam nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum non potest perueniri. Sicut enim ait beatus Petrus Apostolus, *Non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.* nec est redemptio captiuitatis humanæ, nisi in sanguine eius qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, & qui, sicut prædicat beatus Apostolus Paulus, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.*] Et in epistola ad Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum, Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat, quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui in nostra carne crucifigitur. Quæ nullo interueniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis: vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo vacuauit. vt sicut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in omnes manante iustitia, vbi est humana suscepta natura.] Et in epistola ad Flauianum, Ab ipso autem principio generis humani, omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus: in qua, sicut dictum est, *& erunt duo in carne vna*, vtique duo sunt, Deus & homo, Christus & Ecclesia, quæ de sponsi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua, sacramentum regenerationis & redemptionis accepit.] Et item in Homilia de Natale Domini, Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim locum fas est esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ. quæ consumpto mortalitatis timore ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab eius alacritatis participatione secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortísque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.] & item in alia Homilia, Nam superbia hostis antiqui non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos neglecto mandato Dei, spontaneos in obse-

Post aliquanta.

Act.4.12.

Philip.2.6.

Ep.LXXII. cap.3.

Epist.X.

Hom.I. de Natiu.

Hom.I. de eadem.

quium suæ voluntatis inlexerat. Non itaque iustè amitteret originalem humani generis seruitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Cùm igitur misericors omnipoténsque Saluator, ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, vt virtutem inseparabilis à suo homine deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, inlusa est securi hostis astutia, qui natiuitatem pueri in salutem humani generis procreati, non aliter sibi quàm omnium nascentium putauit obnoxiam.] & post pauca, Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte destruitur, natiuitas natiuitate reparatur, quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.] & paulo pòst, Tibi enim quondam abiecto, extruso paradisi sedibus, tibi per exilia longa morienti, tibi in cinerem & puluerem dissoluto, cui iam non erat spes vlla viuendi, per incarnationem Verbi potestas data est, vt de longinquo ad tuum reuertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex seruo, de extraneo proueharis in filium. vt qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, & obtineas per gratiam quod non habes per naturam.] Et item in Homilia quarta, Exultent ergo in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum: quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit quanti eam suus conditor æstimarit: qui cùm origini humanæ multùm dederit, quòd nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longè ampliùs tribuit, cùm seruili formæ ipse se Dominus coaptauit. Quamuis enim ex vna eadémque pietate sit quicquid creaturæ Creator impendit, minùs tamen mirum est hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere. Hoc autem nisi facere dignaretur omnipotens, nulla quemquam species iustitiæ, nulla forma sapientiæ à captiuitate diaboli, & à profundo æternæ mortis erueret.] Et in Homilia de Epiphania, Iudæi qui extra regnum Christi esse voluerunt, adhuc quodammodo sub Herodis sunt principatu, & dominante sibi Saluatoris inimico alienigenæ seruiunt potestati. Vnde quod illi tres viri, vniuersalem gentium personam gerentes, adorato Domino, hoc in populis suis per fidem quæ iustificat impios totus mundus adsequitur, & hereditatem Dei ante sæcula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt qui videbantur esse legitimi.] & item in eadem, Inter hæc autem permanet super omnes benignitas Dei, & nulli misericordiam suam denegat, cùm indiscretè vniuersis bona multa largitur. eousque quos meritos subderet pœnis, mauult inuitare beneficiis. Dilatio enim vindictæ dat locum pœnitentiæ, nec dici potest nulla ibi esse vltio, vbi nulla conuersio est: quia mens dura & ingrata iam sibi ipsa supplicium est, & in conscientia sua patitur quicquid Dei bonitate differtur. Non ita delinquentes peccata delectent, vt illos in suis actibus vitæ huius finis inue-

Cap.4. Cap.5. Cap.11. Hom.v.c.2 Cap.eodẽ. Cap.4.

niat, quoniam in inferno nulla correctio est, nec datur remedium satisfactionis vbi iam non superest actio voluntatis.] Item in Homilia de passione Domini, Habent ergo diuinam hæc opera virtutem. Sed quod Dominus maiestatis suæ potentiam comprimit, & vim in se persecutoris admittit, ex illa est voluntate qua dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, cooperante in hoc ipsum patre, qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum. Vna est enim patris & filij voluntas vt est vna diuinitas, de cuius dispositionis effectu nihil vobis Iudæi gratiæ, nihil tibi Iuda debemus. Saluationi quidem nostræ vobis non hoc volentibus impietas vestra seruiuit, & per vos factum est quicquid manus Dei & consilium decreuerunt fieri. Mors igitur Christi nos liberat, vos accusat. Meritò soli non habetis quod omnibus perire voluistis, & tamen tanta est nostri bonitas redemptoris, vt etiam vos possitis consequi veniam, si Christum Dei filium confitendo illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim frustra Dominus in cruce orauit, *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quod remedium nec te Iuda transiret, si ad eam pœnitentiam confugisses quæ te reuocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum. Dicendo autem *peccaui tradens sanguinem iustum*, in impietatis tuæ perfidia perstitisti, qui Iesum non Deum Dei filium, sed nostræ tantummodò conditionis hominem, etiam inter extrema mortis tuæ pericula credidisti, cuius flexisses misericordiam, si eius omnipotentiam non negasses.] Et in tertia Homilia de passione Domini, Quicquid Domino inlusionis & contumeliæ, quicquid vexationis & pœnæ furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est. *Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat.* & sic ad omnium redemptionem vtebatur malitia persequentium, vt in mortis eius resurrectionísque sacramento interfectores sui possent salui esse si crederent. Vnde sceleratior omnibus Iuda & infelicior extitisti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur infirmis, lethi suspendium distulisses. Cúmque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona, tótque illa saltem te à præcipitio tuo sacramenta reuocassent, quæ in Paschali cœna iam de perfidia tua signo diuinæ scientiæ detectus acceperas, cur de eius bonitate diffidis, qui te à corporis & sanguinis sui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum se cum turbis & armatorum cohorte venienti pacis osculum non negauit? Sed homo inconuertibilis, spiritus vadens & non reuertens, cordis tui secutus es rabiem, & stante diabolo à dextris tuis iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorsisti: vt quia facinus tuum omnem mensuram vltionis

Hom.1.c.5
Luc.23.34.
Cap.1.
Matt.18.11.

excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem. Cùm igitur Deus esset in Christo mundum reconcilians sibi, & creaturam ad conditoris sui imaginem reformandam creator ipse gestaret, peractis miraculis operum diuinorum, quæ propheticus olim spiritus gerenda prædixerat, *tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient, tunc saliet claudus vt ceruus, & clara erit lingua mutorum*, sciens Iesus adesse iam tempus gloriosæ passionis implendæ, *Tristis est anima mea*, inquit, *vsque ad mortem*, & iterum, *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*. Quibus verbis, quandam formidinem profitentibus, nostræ infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pauore trepidabat, & susceptione se nostræ infirmitatis induerat, vt nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret.] Item in Homilia de passione Domini, Peractis itaque omnibus, quæ diuinitas fieri carnis velamine temperata permisit, Iesus filius Dei cruci quam etiam ipse gestarat adfixus est, duobus latronibus vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram similiter crucifixis, vt etiam in ipsa patibuli specie monstraretur illa quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, cùm & saluandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas præmonstraret. Passio igitur Christi salutis nostræ continet sacramentum, & de instrumento quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia redemptoris gradum fecit ad gloriam: quam Dominus Iesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, vt inter clauos quibus ligno tenebatur adfixus, pro interfectoribus suis paternæ clementiæ supplicaret & diceret, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Principes autem sacerdotum, quibus indulgentiam Saluator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus ampliùs sæuire non poterant, linguarum tela iaciebant dicentes, *Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei*.] Item in V. Homilia de passione Domini, In omnibus autem, quæ illi popularis ac sacerdotalis insania contumeliosè ac procaciter inferebat, nostræ diluebantur maculæ, nostræ expiabantur offensæ. quia natura, quæ in nobis rea semper fuerat atque captiua, in illo innocens patiebatur & libera: vt ad auferendum peccatum mundi ille hostiam se agnus offerret, quem & omnibus corporalis substantia iungeret, & ab omnibus spiritalis origo discerneret.] Item in sexta Homilia, Iudæorum enim cæcitas nihil obtinuit, nisi vt sua impietate se perderet: Christi verò patientia hoc egit, vt omnes sua passione saluaret.] & item in eadem, Seditiosis igitur clamoribus Iudæorum cedente Pilato, in loco cui nomen Golgotha crucifigitur Christus: per lignum erigitur lapsus in ligno, & gustu fellis & aceti diluitur esca peccati. Meritò priusquam traderetur dixerat

Esa. 35. — Matt. 26. 38. — Ibid. 39. — Hom. IV. cap. 1. — Luc. 23. 34. — Matt 27. — Cap. 3. — Cap. 1. — Cap. 4.

Dominus, *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.* id eſt, totam cauſam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam, in me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur. Exaltatum autem Ieſum traxiſſe ad ſe omnia, non ſolùm noſtræ ſubſtantiæ paſſione, ſed etiam totius mundi commotione monſtratum eſt. Pendente enim in patibulo Creatore, vniuerſa creatura congemuit, & crucis clauos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit: hoc in communionem ſuî & terram traxit & cælum. hoc petras rupit, monimenta patefecit, inferna reſerauit, & denſarum horrore tenebrarum radios Solis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus auctori, vt in occaſu conditoris ſui vellent vniuerſa finiri. Sed patientia Dei ſeruat rebus atque temporibus ordinem ſuum, nóſque in illum potiùs inuitat affectum, vt eorum ſalutem petamus, quorum crimen horremus. Tanto igitur pretio, tantóque ſacramento, eruti de poteſtate tenebrarum, & ab antiquæ captiuitatis vinculis abſoluti.] & in octaua Homilia, Sæuienti diabolo per miniſteria Iudæorum formam ſerui nihil peccati habentis obiecit, vt per eum ageretur omnium cauſa, in quo ſolo erat omnium natura ſine culpa. Inruerunt ergo in lumen verum filij tenebrarum, & vtentes faculis atque laternis, non euaſerunt infidelitatis ſuæ noctem, quia non intellexerunt lucis auctorem. Præoccupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi. qui ſi vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impiæ manus poſſent, ſed mundi redemptio tardaretur, & nullum ſaluaret inlæſus, qui pro omnium erat ſalute moriturus.] & item, *Paſcha ergo noſtrum*, ſicut ait Apoſtolus, *immolatus eſt Chriſtus.* qui ſe nouum & verum reconciliationis ſacrificium offerens patri, non in templo cuius iam erat finita reuerentia, nec intra ſepta ciuitatis ob meritum ſui ſceleris diruendæ, ſed foris extra caſtra crucifixus eſt. vt veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia nouo imponeretur altari, & crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.] Et item in eadem, Traxiſti, Domine, omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis ſignificationibus ageretur, pleno apertóque ſacramento vniuerſarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim, carnalium ſignificationum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis & ſanguinis tui implet oblatio. quoniam tu es verus agnus qui tollis peccatum mundi, & ita perficis in te vniuerſa myſteria, vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium: ita vnum de omni gente ſit regnum. Confiteamur igitur, dilectiſſimi, quod magiſter gentium Paulus glorioſa voce confeſſus eſt dicens, *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Hinc ergo mirabilior eſt erga nos miſericordia Dei, quòd non pro iuſtis, neque pro ſanctis, ſed pro iniquis & impiis Chriſtus eſt mortuus. & cùm mortis aculeum recipere

Ioan.12.32. Cap.1. Cap.5. 1.Cor.5.7. Cap.7. 1.Tim.4.9.

non posset natura deitatis, suscepit tamen nascendo ex nobis quod possit offerre pro nobis.] In nona Homilia, Lugeat carnalis Iudæus, sed gaudeat spiritalis Christianus, & festiuitas quæ illis conuersa est in noctem, nobis coruscet in lucem, quoniam crux Christi eadem est & credentium gloria, & non credentium pœna.] & item in eadem, Si autem in exitu Israel de Ægypto agni sanguis fuit restitutio libertatis, & sacratissima est facta festiuitas, quæ per hostiam pecudis iram auerterat vastatoris, quanta populis Christianis concipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, vt in occisione Christi Pascha esset verum, & in singulari sacrificio, quo non ex dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex diaboli captiuitate totus mundus eruitur?] Item in Homilia Quadragesimæ, Prudentiam diaboli stultam fecit sapientia Dei, vt superbus hostis hominem videns quem aliquando superauerat, non metueret eum persequi quem pro omnibus oportebat occidi.] Item in Homilia de passione Domini, Ad hanc indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit: quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat à dextris, priùs in desperationem transiit, quàm sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset fortè etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.] Item in alia, Euacuatum est generale illud venditionis nostræ chirographum, & pactum captiuitatis in ius transiit Redemptoris.] Item in Homilia Sabbati sancti, Ex eo, inquit, initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus est mortuus, totius spei nostræ forma præcessit.

Cap.2.

Cap.eodē.

BEATVS quoque GREGORIVS in Homilia decima sexta dicit, Non est ergo indignum redemptori nostro quòd tentari voluit qui venerat occidi. Iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram sua venerat morte superare.] & in Homilia vigesima septima, Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat, vt profectò nobis ostenderet, quia cùm diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur.] Et in libro decimo quarto Moralium, *Stulti quoque despiciebant me.* ac si apertè diceretur, Ipsi etiam me despexerunt, pro quibus sanandis stultitiam prædicationis adsumpsi, id est, vt per carnem Verbi sanarentur, & ab ipsis despectus sum, pro quibus stultus æstimari veritus non sum.] Item in libro vigesimo primo, Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.] Item in vigesimo secundo, Vnigenito enim filio pro homine interpellare est, apud coæternum patrem seipsum hominem demonstrare, eique pro humana natura rogasse est, eandem

Sub initiū.

Non longè à principio.

Cap.22.
Iob 19.18.

Cap.5.

Cap.13.

dem naturam in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse.] Item in vigesimo quarto, Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippe eius, vel interpellare, est ipsum se pro omnibus hominem demonstrare.] Item in libro trigesimo, Idcirco namque inter nos homo factus est, vt non solùm nos sanguine fuso redimeret, sed etiam ostenso exemplo commutaret. In conuersatione igitur nostra, & veniendo alia inuenit, & viuendo alia docuit. Studebant enim omnes superba Adam stirpe progeniti prospera vitæ præsentis appetere, aduersa deuitare, opprobria fugere, gloriam sequi. Venit inter eos incarnatus Dominus aduersa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Nam cùm Iudæi illum regem sibi constituere voluissent, fieri rex refugit: cùm verò eum interficere molirentur, sponte ad crucis patibulum venit. Fugit ergo quod omnes appetunt, appetiit quod omnes fugiunt: fecit quod omnes mirarentur, vt & mortuus ipse resurgeret, & morte sua alios de morte suscitaret.] Item in libro trigesimo primo, Qui enim sunt alij prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum chori, qui quamuis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis diabolo remanserunt? Prærupti enim sunt, quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti. Hanc præruptionem restituere mediator venit, vt redempto humano genere, illo Angelica damna sarciret, & mensuram cælestis patriæ locupletiùs fortassè cumularet. Propter hanc præruptionem de patre dicitur, proposuit in eo in dispensationem plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso. In ipso quippe restaurantur ea quæ in terra sunt, dum peccatores ad iustitiam conuertuntur: in ipso restaurantur ea quæ in cælis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt.] In libro trigesimo quarto, Expediebat quippe, vt peccatorum mortem iustè morientium solueret mors iusti iniustè morientis.] Item in libro trigesimo quinto, *Sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit. consolantem me quæsiui, & non inueni.* Consolantem quippe in passione minimè inuenit, qui ex despectu mortis etiam ipsos hostes pertulit, pro quibus ad mortem venit.] Et in Homilia trigesima sexta, Ad abstergendum namque mentis vestræ fastidium, in cœna Dei ille vobis singularis agnus occisus est. Sed quid agimus, qui hoc quod subiungitur adhuc fieri à multis videmus? *Et cœperunt simul omnes excusare.* Offert Deus quod rogari debuit. non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat quia largiri dignaretur postulatus. Contemptoribus verò paratas delicias refectionis æternæ denuntiat, & tamen simul omnes excusant.] Et post aliquanta, Ait enim, *Dico autem vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt*

Cap.2. Cap.15. Cap.19. Cap.8. Cap.9. Non longè à principio. Luc.14.

gustabit cœnam meam. Ecce vocat per se, vocat per Angelos, vocat per prophetas, vocat per Apostolos, vocat etiam per nos. vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per mundi huius prospera, vocat aliquando per aduersa. nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cùm voluerit introire non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat, *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me.* Hinc est quòd fatuæ virgines tardè venientes clamant, *Domine, Domine, aperi nobis.* Sed iam tunc aditum quærentibus dicitur, *Amen dico vobis, nescio vos.*] Hinc item idem in Homilia duodecima, Ibi iam à Deo non potest mereri quod petit, qui hîc noluit audire quod iussit. qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustrà ante regni ianuam cum precibus venit. Hinc est enim quòd per Salomonem Dominus dicit, *Vocaui & renuistis. extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis quod timebatis aduenerit. Cùm inruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me.*] Et aliquanto superiùs, Tunc regni ianua lugentibus clauditur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur.]

Prou. 1. 28.

Versus fine.

Prou. 1. 24.

ET venerabilis presbyter BEDA in expositione Actuum Apostolorum, Demulcet autem Apostolus animos Iudæorum, quo ad credendum faciat promptiores, dicendo quòd totius mundi saluator eos primùm visitaturus & benedicturus elegerit, Vobis, inquiens, primùm Deus suscitans filium suum.] & item, Multúmque decebat illum, quin Cornelium, exaudiri, qui instantiam deprecandi tribus horis continuans à sexta pertrahebat ad nonam, quo tempore Dominus ipse quem rogabat pro totius mundi salute extensis in cruce manibus orabat.] Et item in expositione Euangelij Euangelistæ Marci ad locum, Altiore autem sensu, Facilius enim est Christum pati pro dilectoribus sæculi, quàm dilectores sæculi ad Christum posse conuerti.] & item, Passurus pro omni mundo, & vniuersas nationes suo sanguine redempturus, moratur in Bethania in domo obediētiæ.] & item, Amphoram aquæ baiulans occurrit, vt ostendatur huius paschæ mysterium pro ablutione perfecta mundi totius esse celebrandū. Aqua quippe lauacrum gratiæ, lagena fragilitatem designat eorum, per quos eadem erat gratia mundo administranda.] & item, Consultè siue aquæ baiuli, seu domini domus, sunt prætermissa vocabula, vt omnibus verum pascha celebrare volentibus, hoc est Christi sacramentis imbui, eúmque suæ mentis hospitio suscipere quærentibus, facultas danda signetur. Et iterum, Solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro vniuersis. & quomodo pro nobis maledictum crucis factus est & flagellatus, & crucifixus: sic pro omnium salute quasi noxius

Act. 3. 26.

crucifigitur. Et in Commento Lucæ, Pharisæi autem & legis periti consilium Dei spreuerũt in semetipsos, non baptizati ab eo. Quod dicit in semetipsos, vel cõtra semetipsos, significat quia qui gratiã Dei respuit cõtra semetipsum facit. vel ad semetipsos missum Dei consilium stulti & ingrati vituperantes noluisse recipere. Consilium ergo Dei est, quo per passionem & mortem Domini Iesu mundum saluare decreuit. Item, Et bene saginatus vitulus dicitur, quia caro eius adeo spiritali est opima virtute, vt pro totius mundi salute sufficiat in odorem, suauitatis, nidorẽ videlicet immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare.] & item, Qui enim appellatus est in terra rex Iudæorũ, in cælis est dominus Angelorum. Verùm quia Christus in carne totius mundi propitiatio & hominum videlicet & Angelorum inluxit, pulchrè sibi inuicem in eius laude dispensationis cælestia simul & terrena concinunt.] Et item ex verbis Ambrosij, Iuda osculo filium hominis tradis? Filium, inquit, hominis tradis, quia caro non diuinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quòd eum tradiderit, qui cùm esset Dei filius, propter nos tamen filius hominis esse voluit, & quasi dicat, propter te suscepi, ingrate, quod tradis. Interrogatiuè sanè pronuntiandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem, Iuda osculo filium hominis tradis? hoc est, amoris pignore vulnus infligis, & caritatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento mortem inrogas, seruus dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem?] Et item ex verbis Hieronymi, Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus & crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur, vt vbi abundauit peccatum, superabundet & gratia.

Et Cassiodorus in Psalmo xx. Ille solus est qui desiderio desiderauit mori, quando se pro omnium salute offerebat occidi, vt pretiosus sanguis eius mundum redimeret, ne diabolus eum adhuc iniqua præsumptione vastaret.] Et item in eodem, Nam nescientes vera dixerunt. oportuit vnum pro omnibus mori.] & item in Psalmo xxi. Audiamus ergo vocem membrorum ex ore capitis, & intelligamus ex nostra persona meritò fuisse locutum, qui se hostiam obtulit pro salute cunctorum.] & item in eodem, Quapropter iam non pertimescimus dicere Deum carne passum, Deum mortuum pro salute cunctorum.] & item in eodem, Nam qui pati venerat pro salute cunctorum, quem eorum non diceret fratrem?] Et in Psalmo xxx. De passione sua multa dicturus, vt eam frequenti memoria piissimus commoneret, quam pro omnium salute suscepit.] Et in Psalmo xliv. Hæc omnia carni conueniunt, cui piissimum Verbum vnitum est pro salute cunctorum.] Et in Psalmo lxiii. *A timore inimici eripe animam meam.* Non postulat vt minimè pro omnium salute moriatur, vnde Petrum arguit dicentem, *Propitius tibi esto, Domine, non erit tibi hoc.* sed vt à timore populi persequentis anima

erepta sanctæ dispensationis suæ compleat passionem.] & in Psal. LXX. Nam cùm dixero Verbum patris fecisse cælum & terrã, & omnia quæ in eis sunt, perfecta Dominum deuotione laudaui. Sed cùm adiunxero incarnatum esse pro salute cunctorum, adieci cumulum laudibus plenis.] & in Psalmo LXXIII. Reuera intelligens factus est Asaph, qui talia petit vnde totus mundus potuisset absolui.] & in Psalmo LXXIV. Vt liberaretur à crimine, inuocare neglexit omnium redemptorem.] & in Psalmo LXXXIV. Ad ægrotos medicus, ad pestilentia plenos auctor salutis aduenit. quod non solùm ad vnam gentem, sed ad beneficium totius orbis aptandum est.] & in Psalmo CXV. Dignum est enim vt publicè debeat laudari, qui pati pro omnium salute dignatus est.]

CAPVT XXXIV.

Nunc quod suprà commemorauimus tertium sequitur, quomodo orthodoxi & antiqui magistri ex scripturis authenticis demonstrant, discretè nos debere intelligere, quia licèt fuerit Christus passus pro omnibus, non tamen omnes ad æternam salutem mundi pretio, id est passionis eius mysterio sint redempti. A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt captiuitatis seruitutem reuersi.

ECCE quomodo sancti doctores senserunt atque scripserunt, quòd Christus Iesus Dominus noster, redemptio scilicet totius mundi, pro omnibus sit passus, licèt non omnes passionis eius mysterio sint redempti. Nam si Christum his tantùm remedia attulisse dicimus qui redempti sunt, videbimur absoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos, sicut sanctus Augustinus in sermone de Symbolo ad neophytos ex Euangelio dicit, *Veniet hora, quando omnes qui sunt in monumentis audient vocem eius, & procedent qui bene fecerunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem iudicij.* & illi videbunt in forma hominis in quem crediderunt, & illi quem contempserunt: formam verò Dei, qua æqualis est patri, impij non videbunt. Tolletur enim impius, ne videat claritatem Domini, & beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Dominus dicit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est omni homini, *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*, & *Qui non credit iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. erant enim eorum mala opera.* &, *Cùm venerit ille spiritus*

Ioan. 5. 28.
Marc. 16. 15.
Ioan. 3. 18.
Ioan. 16. 8.

veritatis, ille arguet mundum, id eſt habitatores & amatores mundi, *de peccato, quia non credunt in me.* Lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt. Nam & tenebræ receperunt, quibus dicitur, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* quotquot autem receperunt eũ, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius.

Ephef.5.8.

Vnde ſi, vt Prædeſtinatiani dicunt, non eſt paſſus Dominus niſi pro his tantùm qui paſſionis eius myſterio ſunt redempti, & qui non ſaluantur non eſt voluntatis Dei, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, penitus vt ſaluentur, iniuſtus eſt Deus qui infert iram, contra quod dicit Apoſtolus. Abſit. quoniam vt catholici fatentur magiſtri, eſt gratia Dei ſaluos faciendi, & eſt liberum arbitrium voluntariè Deo ſacrificandi. & nemo inuitus bene facit, etiam ſi bonum eſt quod facit, quia nihil prodeſt ſpiritus timoris vbi non eſt ſpiritus caritatis. Quapropter catholica Eccleſia cantat Domino miſericordiam & iudicium, qui non venit vt iudicaret mundum, ſed vt ſaluaretur mundus per ipſum. Veniet autem, ſicut in ſymbolo confitetur, ad iudicandos viuos & mortuos. Si ergo, vt Auguſtinus dicit, non eſt Dei gratia, quomodo ſaluat mundum? & ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Paſſus eſt igitur Dominus pro omnibus, licèt non omnes paſſionis eius myſterio ſint redempti, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam, ad quam inuitat omnes dicens, *Venite ad me omnes, & inuenietis requiem animabus veſtris*, & vult omnes homines ſaluos fieri, qui neminem vult perire, licèt non omnes ſaluentur. Quod autem quidam ſaluantur, ſaluantis eſt donum: quod verò quidam pereunt, pereuntium eſt meritum, quia periuit Adam & in ipſo omnes periuimus. De qua maſſa perditionis quidam gratia eliguntur ad vitam, quidam in ea iudicio deſeruntur, & non à Deo prædeſtinantur ad mortem, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ipſe eſt enim reſurrectio & vita. & qui credit in eum etiam ſi mortuus fuerit viuet, & qui viuit & credit in eum non morietur in æternum, vita viuens ex pane viuo, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo, quem dedit in cruce pro omnibus redimendis, ſicut ipſe dicit, *Et panis quem ego dedero caro mea eſt pro mundi vita.* Ad cuius eſum omnes pſalmiſta inuitat dicens, *Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent*, & *guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus. beatus vir qui ſperat in eo.* & de quo iterum idem dicit, *Qui ſe elongant à te peribunt*: quoniam vt ipſe Dominus dicit, *Qui non crediderit*, videlicet in promiſſam & paratam omnibus ſalutem, *condemnabitur*, & Paulus, immo per eum ipſe Chriſtus, ea tantùm fide quæ per dilectionem operatur credentes ſaluari dicit, eius coapoſtolo adfirmante non prodeſſe fidem, ſi opera quiſque non habeat.

Matt.11.29.

Ioan.11.25.

Ioan.6.52.

Pſal.33.6.

Pſal.72.27.

Marc.16.16

Noti enim ſunt per vniuerſum mundum atque manifeſti quorum exempla poſuimus, quos ſingillatim ex nomine deſignauimus, quorúmque doctrinæ innitimur, à quorum doctrina & ſenſu quicumque diſcordat inter catholicos numerari non valet. Qui ſiue Hebræa, ſiue Græca, ſiue Latina linguis in catholicæ veritatis prædicatione fulſerunt. De quorum ſcriptis ſanum ſapientibus piè quærentibus pax & multiplex profertur inſtructio, quæ ſicut alias hæreſes deſtruxit, ita etiam hunc qui nunc repullulat abſcidit errorem. Quorum lectionem, vel potiùs lectionis veram intelligentiam, multùm imprudenter & nimis imperitè iſti moderni Prædeſtinatiani declinare noſcuntur, vt etiam de eorum complici peruerſæ conſpirationis conſenſu ſingulari numero dictum ſit à Propheta, *Noluit intelligere vt bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Quid autem iniquius, vt Leo ſcribit, quàm impiè ſapere, & ſapientioribus doctioribúſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad euangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt. Præmiſſa enim voce dominica quæ dicit, *Prædicabitur hoc euangelium in toto mundo*, ſecundum prænuntiationem propheticam quæ illi dicit, *Vox tonitrui tui in rota*, id eſt prædicatio Euangelij in toto mundo, qui illis dicit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, quorum ſonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, hodiéque procedunt, iſti ſunt quos deſcripſimus patres catholici, quibus Dominus per prophetam dixit, & vſque hodie eorum doctrina recta fide & operibus bonis Eccleſiam gubernantibus dicit, *Ponite corda veſtra in virtute eius.* ciuitatis ſcilicet Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia, *& diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera, quoniam hic eſt Deus noſter*, id eſt, vt non habeatis formam pietatis virtutem eius abnegantes, ſed in virtute eius ponite corda veſtra, quæ eſt caritas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta. & iſta diſpenſatione prædicationis veſtræ diſtribuite domos ciuitatis meæ, magni ſcilicet regis, concordantes in angulo Euangelij vera caritate coniuncto, vt enarretis in progenie altera, quoniam ego ſum Deus vobiſcum permanens omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, qui dabo vobis gubernantibus Eccleſiam meam, aduerſus quam portæ inferi non præualebunt, os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.

Marc. 16. 15

Pſal. 47. 14.

Iſti inquam orthodoxi doctores in Aſia, Europa, & Libya, quæ & Africa dicitur, atque in quatuor mundi partibus, Oriente, Occidente, Aquilone, & Auſtro, inluminati ab eo qui eſt verè lux mundi, & inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quicumque inluminatur, ſiue naturali ingenio, ſeu ſapientiæ doctrina, edocti etiam à perfecto ter quaterno Apoſtolorum numero, perfe-

ctíque in fide Trinitatis & doctrina atque Euangelica vita, per XI. regiones orbis terræ ſedentis in tenebris & vmbra mortis, id eſt Italiam, Galliam, Africam, Hiſpaniam, Illyricum, Thraciam, Aſiam, Orientem, Pontum, Ægyptum, Britanniam. quæ vt numero denarium quippe excedentes, ad duodenarium non peruenerant, ita & meritò imperfectæ erant antequam Euangelica fide & doctrina perficerentur, hæc quæ ex eorum ſcriptis collegimus, inter alia rectæ fidei prædicamenta, per CXIII. Prouinciarum myſticum æquè numerum docuerunt. quoniam quicumque in præfatis tribus orbis dimenſionibus, Europæ videlicet, Aſiæ, & Africæ, & in quatuor mundi partibus, in XI. quoque regionibus, & in his CXIII. prouinciis, in nomine patris & filij & Spiritus ſancti renatus ex aqua & Spiritu ſancto, legis decalogum gratia euangelicæ prædicationis vita obſeruans & moribus, cum Dei dilectione & proximi, in vnitate Eccleſiæ catholicæ perſeuerauerit, ad æternam vitam, quæ centenario numero qui de læua transfertur in dexteram deſignatur, auctore & fautore Chriſto perueniet, cuius auctoritate patres iſti per diſpoſitionem Apoſtolicam, quæ illis diuiſit terræ, id eſt Eccleſiæ, agrum in funibus diſtributionis, domos ſibi diſtributas ad regendum ſuſceperunt, ſuíſque ſucceſſoribus fide & doctrina, qua cælitus imbuti fuerunt, regendas tranſlati ad regna cæleſtia reliquerunt. Vnde & Baſilius in ſermone de Pſalmo LIX. dicit. Nunc ergo, inquiens, hanc præcipuam & velut priuatam quandam hereditatem in diuiſionem vocabo, & communem cum ceteris omnibus faciam. Cùm autem diuiſum fuerit teſtamentum in omnes, & cuncta eius vtilitas vniuerſis cœperit eſſe communis, Deo pro nobis omnibus melius aliquid prouidente, tunc etiam conuallis tabernaculorum dimetietur, hoc eſt vniuerſus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus eſt, hic velut quadam ſorte diuiſus atque dimenſus, per ſingula loca Eccleſiarum Dei parochiis & incolatibus diſtinguetur. Tunc etiam ea quæ diuiſa ſunt in vnitatem fidei congregabit ille, qui pacificat per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cælis, & qui medium parietem ſepis ſoluens facit vtraque vnum.]

De quibus dimenſionibus ſortiti ſunt iſti catholici doctores huiuſmodi regendas parochias, id eſt in vrbe Roma, orbis ſcilicet capite, indéque per totum mundum, Innocentius, Cæleſtinus, Leo, atque Gregorius, non ſolùm de hoc capitulo, quo Euangelica & Apoſtolica auctoritate docetur, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, qui pro impiis mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis. & quòd ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt: verùm & de præſcientia & prædeſtinatione Dei, atque de gratia & libero arbitrio, nec non & quòd Deus omnes homines vult ſaluos fieri, & nemi-

nem vult perire ſicut præſcripſimus docuerunt. In Italia nihilominus Prouincia Liguriæ, ceteriſque Italicæ regionis XVII. Prouinciis, ſanctus Ambroſius. In XVII. æquè Galliarum Prouinciis ſanctus Hilarius & Proſper ita vt ſcripſimus docuerunt. In VI. Prouinciis Africæ Cyprianus Carthaginenſis Archiepiſcopus, & ſanctus Auguſtinus Hipponeregienſis Epiſcopus ſic catholicè docuerunt. Idémque beatus Auguſtinus antidoti confectionem, ad hanc & alias multas infirmitates mirificè facientem, hoc morbo in Galliis laborantibus circa finem dierum ſuorum tranſmiſit. Hiſpaniæ quoque VII. Prouinciæ hac doctrina catholica per ſanctum Hilarium & Proſperum inluſtratæ fuerunt. In Prouinciis XVIIII. Illyrici, Pauli prædicatione fundatis, & ſex Prouinciis Thraciæ, in qua eſt Conſtantinopolis, quam Gregorius Nazianzenus, vir in fide & doctrina opinatiſſimus, per XII. annos epiſcopaliter rexit, hæreticorum capita conquaſſauit, eóſque nouacula linguæ catholicæ à Prouinciis eiſdem eraſit. Verùm & Dionyſius Areopagites, antiquus & venerabilis pater, ſicut ſcripſimus, Apoſtolicè docuit, & Ioannes Chryſoſtomus ita vt eius declarant teſtimonia prædicauit. In XII. Prouinciis Aſiæ, ſicut ipſe Ioannes Chryſoſtomus ſuis ſcriptis demonſtrat, exul factione hæreticorum & quorundam etiam liuore, ita perdocuit. In Syria Ciliciæ, in qua eſt Antiochia, Prouinciis videlicet X. numero, iſdem Ioannes Chryſoſtomus, antequam ab Antiochia, vt Liberatus Carthaginis Archidiaconus ſcribit, adſumptus Conſtantinopoli ordinaretur Epiſcopus, ita dogmatizaſſe probatur. Beatus quoque Hieronymus in Syria Palæſtina, in qua eſt Hieruſalem ciuitas & Bethleem oppidum, ſicut poſita à nobis eius teſtimonia declarant, ita ſenſiſſe & docuiſſe probatur. In Ponti VIII. Prouinciis, quarum vna eſt Cappadocia, Baſilius Cappadocus, magnus & orthodoxus orator, ita catholicè docuit. In Ægypto, in qua eſt Alexandria, Athanaſius, Theophilus, & Cyrillus, ſicut ſcripſimus, VI. Prouincias docuerunt. In Britannia V. Prouinciarum Beda preſbyter, vt oſtendimus, ſanctarum ſcripturarum auctoritate, & ſanctorum Patrum doctrina, hæc catholica monimenta ſuis poſteris dereliquit.

Sicque talium virorum prædicatione, à Chriſto inluminata, & ab Apoſtolis fundata, catholica toto orbe diffuſa Eccleſia conſiſtente, iſti moderni Prædeſtinatiani, qui quantum reſcire poſſumus, diuerſi ordinis & habitus, diuerſæque profeſſionis, nec ad decimum numerum peruenerunt, in tribus tantùm Prouinciis, contra tantorum doctrinam ſicut legitur mures egreſſi de cauernis ſuis, & velut puſtulæ humore noxio coaleſcente de loco in loco ſcatent in corpore, atque velut putres & corruptæ cicatrices Eccleſiæ membra fœdare temptantes, ſe catholicos eſſe dicunt, ſuiſque capitulis, vel potiùs pediculis, Eccleſiarum Præſules, nimio errore & ſine diſcuſſione vel examinatione ordinatos, atque non appropinquantes Apoſto-

licæ

ſtolicæ formæ, denotare ſeu infamare præſumunt. Sed non eſt hoc nouum, ſicut nec noua hæreſis quam extollunt. Vt enim beatus Auguſtinus, & in tractatibus Pſalmorum, & in Opuſculis de Paſtoribus, & ouibus, & etiam in aliis ſuis libris dicit, Donatiſtæ apud ſe tantùm in Africa catholicam remanſiſſe gloriabantur Eccleſiam, falsò inter cetera ſcripturæ donantes exemplum quo dicitur, *Deus ab Africo veniet, & ſanctus de monte condenſo & vmbroſo.* Quorum falſitatem idem beatus Auguſtinus apertiſſimè denudauit, & reprobauit, atque reuicit. Nam ſi plures quàm diximus numero moderni exiſtant Prædeſtinatiani, necdum cognoſcere poſſumus: quia etſi eorum corda in inſaniam peruerſi ſenſus ebulliunt, praua tamen quæ ſentiunt apertiùs eloqui non præſumunt. Ita vt apertè videamus impleri quod ſcriptum eſt, *Congregans ſicut in vtre aquas maris.* Aqua enim maris ſicut in vtre congregata eſt, quando amara hæreticorum ſcientia quod prauè ſentit in pectore comprimit, & apertè dicere non præſumit. Et rectè nouiter garrientes, vt diximus, quantum cognoſcere poſſumus, in nouenario numero remanent, & ad decimum non perueniunt: ſicuti & nouem leproſi, qui vno ad gratias referendas reuerſo, ingrati Domino remanſerunt. quia & iſti ab vnitate Eccleſiæ in fide catholica permanente, paucitatem ſuæ vilitatis ſegregantes, ſi ſaluari volunt, ad vnitatem catholicæ fidei neceſſe eſt vt redire procurent. Nouem itaque indigent vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur, & decem ſint: vnum autem non eis indiget vt cuſtodiat vnitatem. Vnum ſi addatur ad nouem, quædam effigies vnitatis impletur, quo fit tanta complexio, vt vltra non progrediatur, & hac per infinitatem numeri regula cuſtodiatur. à qua qui ſui prauitate ſenſus reprobi effecti à conſortio vnitatis excluſi ſunt, in nouenario numero, niſi reuerſi fuerint, tanquam imperfecti remanentes, inter ignotos in die magni iudicij damnabuntur, quibus dicit Dominus, *Neſciò vos.*

Abac.3.3.

Pſal.32.7.

Matt.25.12.
Luc.13.27.

Sed ſi iſti, qui vt errorem ſuum adſtruant, quorumdam doctorum ex his quos nominatim ſignauimus teſtimonia proferunt, ſententiam libri Apologiæ beati Gregorij Nazianzeni ſollicitè legerent, & ſibi ſtudiosè aptare curarent, ſollertiùs & ſalubriùs in lectione & doctrina, atque auditu doctrinæ eorumdem patrum proficerent, eorúmque teſtimonia audientibus ponderando proponerent. Nos quoque, ſi illam deuotè mentibus noſtris recondimus, & vigilanter attendimus, calcatiúſque in ſcripturis & doctorum tractatibus legimus, dente ſimplici ruminare, ac palato cordis proguſtare, ſincera etiam fide, & ſobrio intellectu, ac mundo corde ſumere, ori quoque noſtro oſtium & ſeras adhibere, verbíſque noſtris ſtateram apponere, & modum eis imponere procurabimus, vt auditoribus in tempore tritici menſuram, ſicut ſcriptum eſt, tribuere valeamus. Ait enim Dominus ad chorum prædicantium per Prophetam, *Au-*

Ezech.5.17

diens nuntiabis eis ex me. ex me videlicet, non ex te. Ac si apertè omnes nos moneat, vt scripturæ & catholicorum dictis nostros sensus accommodemus. & quæ inde Domino inspirante libamus, ac si de puro prælo inlibata audientibus propinemus, & non dicta catholica ad nostros prauos sensus inflectere præsumamus. Ait enim præfatus magnificus doctor Gregorius in libro quo diximus, id est in Apologia, Triplici namque modo in Ecclesia dicentium periculum pendet, ex sensu, ex verbo, ex auditu. vt perfacilè eueniat, in vno saltem aliquo, si non in omnibus labi. Aut enim minùs inluminatus est sensus, aut ad explanandum defuit sermo sufficiens, aut bene prolata crassior non recipit auditus, & ex vno quolibet horum casu fit in omnibus periculum veritatis. Et quidem in aliis quibusque studiis & doctrinis facilè vel profertur vel recipitur: in his verò nostris scholis ipsa auditorum expectatio dicturo periculum generat. Tanquam enim de Deo audituri, & de summa omnium spe ac salute suscepturi verbum, quanto callidiores erga fidem fuerint, tanto attentiores & scrupulosiores erga audiendum fient. ita vt sicubi aliquid secus dicentis sermo sonuerit, non titubationem linguæ putent, sed proditionem fidei pietatísque condemnent. & iudicant omnia non docentis ratione, sed propriis sensibus. Non enim quos in Ecclesia audiunt, sed quos de domo secum deferunt conseruantes dogmata, non quæ rationabiliter didicerunt, sed quæ ex consuetudine non probabili tenuerunt. Et hoc dico adhuc non valdè malorum hominum vitium, qui licèt regulam non teneant veritatis, tamen religiosè hæc pati videntur, & habere zelum Dei, sed non secundùm scientiam. & ideo fortassis videbantur non debere vehementiùs condemnari. vtpote nec multum vapulaturi tanquam ignorantes Domini voluntatem, & idcirco non facientes eam. Atqui fortassis etiam corrigi aliquando poterunt & emendari. Sed religiosa mens quàm citò offenditur, tam promptè & facilè curatur. Si quis fortè ei sermo aptè & competenter adhibitus cor pulsauerit, continuò sicut ignifer lapis pulsatus simili, ex ea quæ sibi naturaliter inest lucis scintilla lampadas confestim veritatis accendit. De illis verò quid dicamus, qui dum iactantiæ gloriam quærunt, & præesse populis delectantur, iniquitatem in excelsum loquuntur: qui velut Iamnes quidam & Mambres, non tam Mosi quàm veritati resistunt, & aduersum sanam doctrinam commouent arma verborum? Tertium quoque genus est ex imperitia contradicentium. quam vtique imperitiam consequenter insolentia comitatur, & omni verbo, nisi quod ipsi protulerint, hostiliter & insolenter occurrunt. A quibus, secundùm Domini dictum, porcorum more veritatis margaritæ pedibus conculcantur. Alij quoque sunt, qui nullam quidem ex proprio sensu opinionem deferunt, neque aliquam formam de fide Dei obtinent, vel bonam vel malam: sed

omnibus ſe tradunt magiſtris, atque omnem ſuſcipiunt ſermonem: velut quod melius eſt & rectius ex omnibus electuri, ignorantes quia non bonos de veritate iudices elegerunt, ſemetipſos videlicet, iudicare ſe putant poſſe de ſe quæ ſe fatentur ignorare. tum deinde ex veriſimilibus frequenter in hoc, modò in illud verſi atque mutati, & omni verbo nunc adquieſcentes, paulo pòſt iterum reluctantes, ſimul & magiſtros & ſtudia permutant, & velut puluis vento agitatus facilè transferuntur. Ad vltimum verò ſtultitiæ ſuæ proferunt fructum. Nam velut fatigati audiendo diuerſos, & victi tædio ſimul omnia reſpuunt, & veluti vacui & inanes in omnibus quæ crediderunt facti, continuò etiam contemnere & inridere nos incipiunt, velut nihil rationabile in fide noſtra habentes, & patiuntur quod accidere ſolet his qui oculos dolent, & Solis lumen accuſant, vel qui aures, & voces hominum minùs eſſe ſonoras queruntur. Propterea ergo multo vtilius eſt animæ, ſimpliciter & puræ veritatis elementa ſuſcipere, & velut ceris ea nondum charaxatis inſcribere, quàm ſuper illa quæ antè malè ſcripta ſunt perducere, id eſt, ſuper malam doctrinam & peruerſa dogmata verbum fidei ac veritatis ingerere, & cum primis poſtrema confundere.] & paulo pòſt, Animam verò illam meliùs excolam, quæ nullo adhuc maligni cultoris aratro temerata eſt, nec præuentione peſſimi ſeminis occupata. Alioquin duplicabitur nobis labor, dum neceſſe eſt priùs conceptas malitiæ formas detrudere: tum deinde bonitatis imaginem virtutum ceris varianter reformare, vt quàm multæ ac diuerſæ fuerant in anima ſpecies deprauationis, tam multæ ſint & reſtitutionis.

Ceterùm quod dicit domnus Prudentius in libello ſuo, quem ad quoſdam fratres, antequam ſuprà memoratam epiſtolam Weniloni Archiepiſcopo ſuo direxiſſet, compoſuit. Cùm enim, inquiens, quemadmodum ſancti Euangeliſtæ, veriſſimi videlicet dictorum ipſius factorúmque ſtipulatores atque ſcriptores teſtantur, inter cœnandum myſteria ſuæ quam voluntate ſubiit mortis prorſus indebitæ noſtræque redemptionis ediceret, pro quibus pateretur intimauit. Dicit enim Matthæus, *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Marcus autem, *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. & ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucas verò, *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo qui pro vobis effundetur.* Si ſic tantummodò nobis intelligendum tradit quod dicit Euangeliſta Lucas, vt non aliter illud intelligamus, niſi quod pro vobis tradetur, & pro vobis fundetur, id eſt, pro illis qui ibi aderant, in hoc quod Mat-

Matt.26.27

Marc.14.14

Luc.22.19.

thæus & Marcus dixerunt, nobis ſpes aliqua eſſe poteſt. poſſumus enim eſſe de illis multis. Sed in hoc quod Lucas dixit, ſpes nobis ſalutis nulla erit, nec fides aliqua remanebit, quia Lucas non niſi tantùm pro vobis dixit. & ſi veritas ſicut verum dicit, verum dixerit, quia hoc corpus pro vobis tradetur, & hic calix pro vobis fundetur, quoniam Iudas ibi interfuit, & ſacramenta cum aliis diſcipulis illa percepit, reſtat nobis intelligendum, quia etiam pro eis, ſicut catholici doctores ſuprà nobis oſtenderunt, Dominus paſſus fuerit, qui paſſionis eius myſterio ad æternam non redimuntur ſalutem.

Quia verò & Iudas cœnæ Domini interfuerat, ſicut & Euangelica veritas monſtrat, pro quo dicit Dominus fuſurum ſanguinem ſuum, qui redemptus non eſt ad ſalutem, & ſanctus Ioannes Chryſoſtomus in Homilia de proditione Iudæ teſtatur, Vides, inquit, quòd immunda ſunt eorum azyma, quòd inlicita feſtiuitas, quòd non paſcha Iudaicum, ſed exemptum & euacuatum eſt paſchæ ſpiritalis aduentu, quod Chriſtus tradidit. Nam cùm manducarent, inquit, & biberent, accepit panem & fregit & dixit, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Agnoſcunt quod loquor, qui ſunt diuinis conſecrati myſteriis. Et iterum, Accepit calicem & dixit, Hic eſt ſanguis meus qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et præſens Iudas erat iſta Chriſto dicente. Iſte eſt ſanguis. Dic Iuda, quem triginta denariis vendidiſti. Iſte eſt ſanguis, de quo cum Phariſæis pactum feciſti. O Chriſti miſericordia! ô Iudæ dementia! Ille enim triginta denariis paciſcebatur vt venderet, & Chriſtus ei ſanguinem quem vendidit offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamen impius exiſtere noluiſſet. Nam adfuit Iudas, qui illius ſacrificij communicationem meruit, & pedes eius quando aliorum diſcipulorum lauit, vt excuſationem ſuæ malitiæ non haberet. ſed ille deteſtandas mentis inſidias cogitabat.] Et ſanctus Leo in Homilia III. de Paſſione Domini, Cur, inquit, Iuda, de eius bonitate diffidis, quæ te à corporis & ſanguinis ſui communione non repulit?] Beatus nihilominus Auguſtinus in expoſitione Pſalmi X. ita dicit, loquens contra hæreticos, Chriſtus quid vobis fecit, qui traditorem ſuum tanta patientia pertulit, vt ei primam Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet? quid vobis fecit Chriſtus, qui eundem traditorem ſuum, quem diabolum nominauit, qui ante traditionem Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum ceteris diſcipulis ad prædicandum regnum cælorum miſit? vt monſtraret dona Dei peruenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit per quem accipiunt, qualis fuit Iudas.] Et in Pſalmo XXXIV. Ille videbat traditorem ſuum, & elegit illum magis ad opus neceſſarium, illius malo magnum bonum operatus eſt. & tamen inter duodecim electus eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo. Hoc ad exem-

Poſt mediũ Sermonis.

plum nostræ patientiæ. Quoniam necesse erat vt inter malos viueremus, necesse erat vt malos siue scientes siue nescientes toleremus, exemplum patientiæ præbuit, ne deficias cùm cœperis inter malos viuere. Et quia illa schola Christi in duodecim non defecit, quanto magis nos firmi esse debemus, cùm implentur in Ecclesia magna quæ de malorum admixtione prædicta sunt?] Et in Psalmo XLVII. Omnes quippe sacramentum Baptismi Christi accipientes Christiani vocantur, sed non omnes dignè illo sacramento viuunt. Sunt enim quidam, de quibus dicit Apostolus, *habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*] & paulo pòst, Sunt ergo filiæ malæ, & inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi sacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur & non Dei, & eius dicuntur & alieni, eius propter ipsius sacramentum, alieni propter vitium.]

Post mediũ Sermonis.

2.Tim.3.5.

Hanc catholicè discretam intelligentiam, quòd Christus Iesus Dominus noster pro omnibus passus sit, licèt non omnes passionis eius mysterio sint redempti, demonstrat etiam beatus Ambrosius in secunda epistola ad Corinthios dicens, *Quòd si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Quoniam Christus diligens genus humanum, vt eos redimeret morti se dedit, & quia omnes necesse est mori causa Adæ, pro omnibus mortuus est Christus, vt eos à secunda morte liberaret.] Et in prima epistola, Rei sunt corporis & sanguinis Domini. Occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Et in epistola ad Romanos, *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Quia Adam vnus, id est Eua, quia & mulier Adam est, peccauit in omnibus. ita vnus Christus filius Dei peccatum vicit in omnibus. & quia propositum gratiæ Dei erga genus humanum ostendit, vt ipsa primordia peccati manifestaret, ab Adam cœpit qui primùm peccauit, vt prouidentia vnius Dei, per vnum reformasse doceret, quod per vnum lapsum fuerat & tractum in mortem.] & item, Adam autem ideo forma futuri est, quia iam tum in mysterio decreuit Deus per vnum Christum emendare, quod per vnum Adam peccatum erat, sicut dicit in Apocalypsi Ioannes Apostolus, *Agnus qui occisus est à constitutione mundi.*] Hæc de generali ad omnes proposito Dei, quia pro omnibus passus est. Sed quia proprio eorum vitio non omnes passionis eius saluentur mysterio, item in eadem dicit epistola, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ,* hoc est, sicut vnius delicto omnes in condemnatione erant similiter peccantes, ita & iustitia vnius omnes iustificantur credentes: sicut quilibet condemnationem hanc generalem esse putant, simili modo & iustificationem generalem accipiunt. sed non est verum, quia non omnes credunt.] Et in epistola prima ad Corinthios. *Tradidi enim vobis in primis, quoniam*

Cap.v.

Cap xi.

Cap.v. Rom.5.12.

Apoc.13.8.

Cap.eodẽ. Rom.5.16.

Cap.xv. 1.Cor.15.3.

Deut.28. *Christus mortuus est pro peccatis nostris*, & Moyses de cruce eius, *Tunc videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros, & non credetis.*] Et de generali beneficio, quia pro omnibus passus est, & resurrexit. *quia resurrexit*, inquiens, *tertia die*. In Christo enim omnes resurrexisse, sicut in Adam mortuos esse, nemo fidelium denegat.] & item, 1.Cor.15.21 *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Vt quia peccato hominis mors inuenta est, Christi iustitia resurrectionem meruerit mortuorum.] Et item, quia non omnes saluantur passionis Christi mysterio, qui sunt qui salui fiunt in eadem epistola dicit, Epist.2 c.6. 2.Cor.6.2. *Tempore accepto exaudiui te.* Sic enim decreuit Deus adfluere misericordiam suam, vt in nomine Christi poscentibus auxilium largiretur.] Ibid.c.5. Et item, de passionis eius beneficio generaliter cunctis proposito. Christus enim, inquiens, post crucem descendit ad inferos deuicta morte. & quia peccatum nesciebat, teneri à morte non potuit. quia mors peccatum inaniuit & infernum, vt mors iusti peccatoribus proficeret, vt de cetero mors eos qui signum crucis habent tenere non possit.] Item de his qui crucis saluantur mysterio, Cap.vi. Rom.6.5. in Epistola ad Romanos, *Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Tunc nos feliciter dicit posse resurgere, si similitudini mortis eius fuerimus complantati. id est, si in baptismo omnia vitia deponentes, in nouam vitam translati de cetero non peccemus. per quod simul & resurrectionis illius similes erimus, quia similitudo mortis similem præstabit resurrectionem. Nec enim erit similitudo, vt nihil distet qui similis erit in corporis gloria, non in diuinitatis natura.] Et item generalis beneficij discretionem demonstrat in Epistola prima ad Corinthios, Cap.xv. 1.Cor.15. 22. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Omnibus qui sunt ex eius corpore adquisiuit vitam, id est resurrectionem. Quamuis ergo generalem tribuerit resurrectionem. vt sicut in Adam omnes, siue iusti, siue iniusti, moriuntur, ita & in Christo omnes, tam credentes quàm diffidentes, resurgant. licèt ad pœnam increduli, tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient, iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine quòd credere noluerunt.] Item, quòd generaliter omnibus per crucem salus proposita operatur singulis, in eadem Epistola, Cap.i. 1.Cor.1.18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est.* Manifestum est, quia quibus crux Christi stultitia est, in perditione sunt. inferni enim morti non sunt erepti. *his autem qui salui fiunt, virtus Dei est.* Non est obscurum, quia his qui credunt virtus Dei est. credunt enim non infirmitatem esse crucem Christi, sed virtutem. intelligentes mortem victam esse in cruce: cuius signum qui habent salui sunt, quia ab illa teneri non possunt.] Quia generaliter omnibus sit salus proposita, item in eadem Cap.ix. 1.Cor.9.25. dicit Epistola, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Ab his omnibus quæ vitanda eadem tradit disciplina, cùm sciant vnum

coronandum. quanto magis obſeruandum nobis eſt, quia omnibus promiſſa eſt ſalus?

Qualiter verò ſe quiſque hoc generali defraudet beneficio, in eadem Epiſtola ipſe demonſtrat dicens, *ſpiritalis diiudicat omnia.* Cùm enim conſtet omnes inimicos fidei falſa tenere pro veris, accuſatio illorum in irritum iam deducta eſt, veri iudicio condemnata. quia *qui non credit*, inquit Dominus, *iam iudicatus eſt.*] Sed & credens atque redemptus, ſi in eo quod credidit & redemptus eſt non permanſerit, & ipſe beneficio generali ſe priuat.] Item idem in eadem Epiſtola dicit, *empti enim eſtis pretio.* & quia caro pretio empti ſumus, propenſiùs Domino noſtro ſeruire debemus, ne offenſus à qua nos redemit morti nos reddat.] Et quia nec tales peribunt, ſi in incredulitate vel in iniquitate non perſeuerauerint, in eadem demonſtrat dicens, *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus.* Spiritus enim ſanctus tunc permanet in eo cui ſe infuderit, ſi manet in propoſito regenerationis, ſi quo minus, abſcedit: ita tamen vt ſi reformauerit ſe homo, redeat ad illum. Semper enim paratus ad bonum eſt, diligens pœnitentiam.] Quod de Spiritu ſancto hic catholicus doctor dicit, hoc de patre & filio cum eodem Spiritu ſancto eſt ſentiendum, quorum vna eſt voluntas & operatio.

[Epiſt.1.c.2. 1.Cor.2.15. — Ioan.3.18. — Cap.VI. 1.Cor.6.20 — Cap.III. 1.Cor.3.1.]

Hanc catholicè diſcretam intelligentiam de redemptione humani generis per Domini paſſionem, tenuit ſanctus Hieronymus, dicens in expoſitione Epiſtolæ ad Epheſios, Hoc in Dei filio poſſibile iudicandum eſt, quòd cruore ſuo non vrbem vnam ſed totum purgat orbem.] Et in commentario Matthæi, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Non dixit pro omnibus, ſed pro multis, id eſt, pro his qui credere voluerint.] Sic & Beda in Homilia Euangelij XIII. In Spiritu ſancto baptizans, quin Chriſtus, ad tollenda peccata, non ſolùm Iſrael, ſed & totius mundi, ſi ei credere voluerit, idoneus eſt.] Hanc ſanctus Hilarius tenuit & docuit, dicens in expoſitione Pſalmi CXVIII. Tunc humano generi exprobrat non pœnitenti, neque in viam Euangelicam pergenti, id quod in Pſalmo continetur, *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Exprobrat enim ſuperbis atque maledictis, cur nihil in ſacramento ſanguinis ſui atque mortis vtilitatis ſuæ eſſe exiſtimauerint, cùm ille noſtrî cauſa & natus, & paſſus, & mortuus ſit.] Sic ſenſit & docuit ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, dicens in Epiſtola ad Hebræos, qualiter gratia Dei pro omnibus guſtauerit mortem, non pro fidelibus tantùm, ſed pro mundo vniuerſo. Et de eo dictum eſt, *ad multorum exhaurienda peccata.* Et ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt. Quid autem ſi non omnes credunt, & ille quod ſuum eſt impleuit? Sic ſenſit & docuit S. Auguſtinus, dicens in libro de Correptione & Gratia, Quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus eſt factus infirmus, & pro omnibus ex ipſa

[Matt.20.28 — In Gimel. Pſal.29.10. — Hebr.9.28]

infirmitate crucifixus. Et in libro VI. contra Iulianum, Illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est qui nunquam fuerat in peccato, & semel mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quando in eius morte quantælibet ætatis fuerit baptizatur. id est, Tunc ei proderit mors eius qui fuit in peccato, quando in eius morte baptizatus, mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato. Hanc tenuit & prædicauit sanctus Theophilus Pontifex Alexandrinus, dicens in capite Paschalis epistolæ tertiæ, Nunc quoque Dei viua sapientia nos ad sanctum prouocat Pascha celebrandum, omnes cupiés eius esse participes.] & in prima synodica, Idcirco, inquit, omnibus errore seductis viuens sermo Dei in auxilium nostrum venit ad terras, quæ ignorabant cultum Dei, & veritatis sollicitudinem sustinebant. Cuius rei testis ille qui loquitur, Omnes deliquerunt, simul inutiles facti sunt.] Et item in secunda, Præbentes nos dignos communione corporis & sanguinis Christi. Sic enim merebimur accipere regna cælorum in Christo Iesu Domino nostro. Et sanctus Leo in epistola ad Leonem Augustum. Effusio enim iusti pro iniustis sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent.] Et Ambrosius in Psalmo CXVIII. Quòd mortuus est Christus, mortuus est semel. Omnibus in commune semel mortuus est, & singulis semel moritur, non frequenter.] Sic sanctus Gregorius tenuit & prædicauit in libro Moralium decimo quarto dicens, *Stulti quoque despiciebant me.* ac si apertè diceretur, Ipsi me etiam despexerunt, pro quibus sanandis stultitiam prædicationis assumpsi, id est, vt per carnem Verbi sanarentur: & ab ipsis despectus sum, pro quibus stultus æstimari veritus non sum.] Et item in Homilia secunda Ezechielis prophetæ, Persecutores suos diligunt prædicatores sancti: sed ipse auctor omnium ac redemptor in passione positus, pro persecutoribus intercedit dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Membra sua ponunt in passione pro fratribus: sed pro electorum vita vsque ad mortem se tradidit auctor vitæ.] Et in Homilia Euangelij vigesima, Illum Ioannes Baptista prædicare veniebat. qui quosdam ex Iudæa, & multos ex gentibus prædicare veniebat.] & in vigesimo libro Moralium, Redemptor corpus passioni obtulit quod pro electis adsumpserat.] & item, Interpellat pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberauit.] Et Prosper ex delegatione Apostolicæ sedis hanc catholicam intelligentiam exposuit, dicens contra Gallos in recapitulatione nona, Qui dicit quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius sit mundi.] Hanc ipsa sancta sedes Apostolica in arcanis cælestium mysteriorum

Cap. 22.

Sub finem.

Luc. 23. 34.

In princip.

Cap.

rum

rum ex Apostolorum traditione retinet dicens, Hæc hostia quæsumus, Domine, mundet nostra delicta, quæ in ara crucis immolata totius mundi tulit offensam.] & item, Annue nobis, Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. &, Respice omnipotens & misericors Deus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Vnde legem credendi, vt beatus Cælestinus scribit, lex statuat supplicandi.

Hanc orthodoxæ intelligentiæ discretionem hauserunt catholici patres nostri de fontibus Saluatoris, qui dicit, *Simile est regnum cælorum homini qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.* & post alia, *Dico vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam.* Venerunt autem multi de viis vocati & sepibus, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Et quidam eorum qui venerunt, non habuit vestem nuptialem, & ligatis manibus & pedibus missus est in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Hæ nuptiæ ab ipsis mundi rudimentis paratæ sunt, hæc ad has nuptias ab exortu humani generis vocatio extitit, sicut sanctus Hieronymus in Commentario Epistolæ ad Galatas dicit, Hæres iste paruulus, qui nihil differt à seruo cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, totum humanum genus ab exortu vsque ad aduentum Christi, & vt ampliùs dicam, vsque ad mundi consummationem significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur: ita omnes & hi qui ante aduentum Christi nati sunt, in secundo Adam viuificantur. atque ita fit, vt & nos legi seruierimus in patribus, & illi gratia saluantur in filiis. Et quoniam, vt beatus Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ dicit, numquid hominum naturæ duæ sunt? Absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset. vnde constat quia natura vna, sed dispar est gratia. Et cùm vnum in generali massa perditionis sit meritum, magna diuersitas est, ab initio vsque ad consummationem sæculi, in hominibus morum & actionum. Per similitudinem de vno homine, & de vnius vineæ diuersitate, duarum lectionum distinctione, Saluator demonstrat dicens, *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam. Cum serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, voca operarios & redde illis mercedem.* Vnde sanctus Gregorius, Ad erudiendam, inquit, Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere. quia & priùs per Patres, & postmodum per legis Doctores & Prophetas, ad extremum verò per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laborauit. Quamuis in quolibet modulo vel men-

Matt. 22. 2.
Luc. 14. 24.
Cap. viii.
Matt. 20. 1.
Matt. 20. 8.
Homilia xix. in principio.

ſura, quiſquis cum fide recta bonæ actionis extitit, huius vineæ operarius fuit.] & item, *Vineam paſtinauit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrem, & miſit ad agricolas in tempore ſeruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ.* & reliqua. Vnde Beda, Bene tempus fructuum poſuit, non prouentum. Nullus enim fructus extitit populi contumacis, nullus huius vineæ prouentus, tametſi crebro ac ſollicitè quæreretur, inuentus eſt. Et ſic de primo, ſecundo, & tertio præmiſſis ſeruis, vſque ad aduentum filij, de quo dicitur, *Fortè verebuntur filium meum.* Quòd ambigere Deus dicitur, non de ignorantia venit, ſed vt libera voluntas homini reſeruetur. Et venit filius, qui venit quærere & ſaluum facere quod perierat, dicens *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* qui non venit vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et adprehendentes coloni filium occiderunt. Quid ergo faciet dominus vineæ agricolis illis? reſponſum eſt, *Malos malè perdet.* quoniam qui non credit iam iudicatus eſt, id eſt, iam damnatus eſt. quia non credidit in nomine vnigenti filij Dei. hoc eſt autem iudicium, ſcilicet damnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. erant enim eorum mala opera. Iudicatis autem, id eſt, damnatis illis colonis peſſimis, vineam ſuam locauit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. quia ſicut ille apud Matthæum expoſuit, *Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Sic quippe Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et beatus Petrus, *Non tardat*, inquit, *Dominus promiſſionem ſuam, ſed expectat propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et ſanctus Paulus, *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* & pro omnibus mortuus eſt, qui dedit ſemetipſum pro omnibus, & gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem. quia, vt Eſaias dicit, *omnes velut oues errauimus.* Vnuſquiſque viam ſuam declinauit, & Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm.

Matt.11.28. Matt.21.41. Matt.21.43. 2.Pet.3.9. Rom.8.32. Eſa.13.6.

Quia verò non omnes paſſionis eius myſterio ſunt redempti, licèt ipſe fuerit paſſus pro omnibus, manifeſtat iterum per Eſaiam dicens, *In ſcientia ſua iuſtificauit ipſe ſeruos ſuos multos.* Et item, *Ipſe peccata multorum tulit.* & item, *Iſte aſperget gentes multas.* Et in Euangelio, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et item Apoſtolus, *Per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* & item, *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* & item, *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* & item, *Chriſtus ſemel paſſus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* & item, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Sed & Matthæus, & Marcus, & Lucas, ideo non pro omnibus, ſed pro multis & pro vobis trade-

Eſa 53.11. Eſa.52.15. Matt.20.28 Rom.5.19. Rom.8.29. Hebr.2.10. Hebr.9.28.

tur corpus meum, & effundetur ſanguis meus, dicunt proteſtatum fuiſſe Dominum Saluatorem, quia licèt pro omnibus paſſus fuerit, non omnes paſſionis eius myſterio ſunt redempti: & quia non omnes ſunt redempti, pro quibus eſt paſſus, ad infidelium reſpicit partem, non ad pretij poteſtatem, cùm ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti pretium ſit totius mundi. Manifeſtum eſt etiam, quia iuxta Apoſtolum, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* & vt idem dicit Apoſtolus, *Empti ſumus pretio magno.* & beatus Petrus dicit, *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti.* Et tamen licèt Gotheſcalcus pertinaciſſimè deneget quòd nemo Chriſti redemptus ſanguine poſſit perire, pereunt quidam aut ad infidelitatem reuerſi, aut in iniquitate defuncti, ſicut idem beatus Petrus demonſtrat dicens, *Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui inducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negantes, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.* Vnde Beda, De hoc tempore, inquit, & Paulus dicit, empti eſtis pretio magno, glorificate & portate Dominum in corpore veſtro. Meritò autem ſibi celerem perditionem ſuperducunt, qui redemptorem ſuum negantes, hunc rectè confitendo glorificare, & benefaciendo ſuo in corpore ferre detractant, quod omnes faciunt hæretici. Et S. Paulus in epiſtola ad Corinthios, *Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Vnde Ambroſius, Quid eſt autem reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? Occiſus eſt enim & pro his qui beneficium eius in irritum ducunt. Et item, *Peribit in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Hinc ſanctus Ambroſius, Et tu eris occaſio mortis fratris, quem Chriſtus vt redimeret, crucifigi ſe permiſit. Et Dominus dicit, *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* &, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia non noui vos, diſcedite à me maledicti.* Et Paulus, *Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* quod & quamplurimis aliis teſtimoniis poteſt probari. Vnde ſi de redimendis quidam, ad infidelitatem vel perſeuerantem iniquitatem reuerſi, vitio proprio pereant, pro quibus non negatur quòd Chriſtus fuerit paſſus, cur pro eis etiam non credatur atque dicatur paſſus fuiſſe, qui ſua delectati captiuitate, aut fidem noluerunt vel nolunt recipere, aut iniquitatem noluerunt vel nolunt deſerere. præſertim cùm apertiſſimè Dominus dicat diſcipulis, *Prædicate Euangelium omni creaturæ. qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* & item, *Et niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam*

Rom. 6. 3. — 1. Cor. 6. 20 — 1. Pet. 1. 18. — 2. Pet. 2. 1. — 1. Cor. 11. 27 — 1. Cor. 8. 11. — Matt. 7. 21. — Tit 1. 16. — Marc. 16. 16 — Matt. 5. 20.

Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Et quod dicit Gotescalcus, quia hoc est euacuare crucem Christi, si dicatur quia pro omnibus sit passus Christus, & non sint omnes redempti pro quibus voluit pati, non est mirum si taliter exponit euacuari crucem Christi, qui euacuare præsumpsit sacramentum baptismi, sententiam Apostoli Petri exponens, *eum qui emit eos Dominum negantes.* Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Qualiter verò intelligenda sit sententia Apostoli, qua dicit *non euacuetur crux Christi,* quoniam notissima est catholicorum expositio, breuitatis studio verba Augustini tantùm ex libro de Natura & Gratia ponimus. Euacuatur, inquit, crux Christi, si aliquo modo præter illius sacramentum, ad iustitiam vitámque æternam perueniri posse dicatur.] succinctissimè contingentes, quia sicut non euacuatur fides Christi, si omnes non crediderint, & non euacuatur baptismatis sacramentum omnibus prædicandum, si omnes credentes baptizati non fuerint. Non enim, inquit Prosper ex Apostolo, excidit verbum Dei, neque euacuata est mundi redemptio: quia & si non cognouit mundus Deum in vasis iræ, cognouit tamen mundus Deum in vasis misericordiæ.] Ita non euacuatur passio redemptoris, si non omnes, quibus poculum humanæ salutis confectum diuina virtute & infirmitate nostra oblatum est, sumere detrectauerint, vel peruersè prauis moribus & iniqua conuersatione viuendo, in iudicium & condemnationem, & si non vt Iudas peccatoribus Iudæis, verùm sanguinem iustum Christi Dei nostri suis peccatoribus tradiderint membris. Medicina enim spiritalis est, vt dicit Ambrosius, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum. memoria quippe redemptionis nostræ est. Vnde deuotè & cum timore accedendum ad communionem eius docet Apostolus, vt sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei, quem nos si cum disciplina accipimus, non erimus indigni corporis & sanguinis Domini. Gratia enim videbitur redemptori. *Quicumque verò ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* quia qui sine disciplina traditionis & conuersationis accedunt, rei sunt corporis & sanguinis, id est, pœnas dabunt mortis Domini. quoniam quidem, vt sanctus Gregorius in Homilia decima septima prophetæ Ezechielis dicit, vna est spes, vna fides est præcedentium atque sequentium populorum. Sicut illi expectata passione ac resurrectione filij Dei saluati sunt, ita nos præterita passione illius, ac permanente in sæcula resurrectione saluamur. Et sanctus Hieronymus in epistola ad Galatas, *Christus gratia Dei*, siue vt in quibusdam exemplaribus legitur, *absque Deo pro omnibus mortuus est.* Si autem pro omnibus, &

2.Pet.2.1.
1.Cor.1.17.
Cap.VII.
Ad obiecta Gallorum Sentent.IX.
1.Cor.11.27
2.Cor.5.15.

pro Moyse, & pro vniuersis prophetis, è quibus nullus potuit delere chirographum vetus quod aduersum nos scriptum erat, & adfigere illud cruci. Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei. Et de his qui saluati non sunt sanctus Gregorius in Homilia nona Ezechielis dicit, Notandum quia postquam mala parentum defunctorum dixerat, mittens Prophetam ad filios dicit, *si fortè vel ipsi audiant, & fortè quiescant.* Quid est dicere, *vel ipsi*, nisi quia eorum patres, qui in culpa defuncti sunt, audire noluerunt?] Et Ambrosius in epistola ad Romanos, *Numquid sic offenderunt vt caderent? absit.* Hoc dicit quod suprà memoraui, quia non sic diffiderunt, vt nunquam possent credere, id est, non ita propter incredulitatem suam cæcati sunt, vt curari non possent, sicut diabolum legimus cecidisse.] Hæc diximus, ne etiam nunc errorem eius, qui nos errasse non verè dixit, de impiis ante passionem Christi punitis indiscussum præteriremus. Non enim scripsimus, CHRISTVS IESVS Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, quem non Christus passus ad æternam salutem redemerit. Sed scripsimus, CHRISTVS IESVS Dominus noster sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo Christus passus non fuerit, licèt non omnes passionis eius mysterio redimantur.

Non procul à principio.

Cap. xi.

Quare autem non omnes redimantur, cùm fuerit passus Christus pro omnibus, Capitulum à nobis excerptum non tacuit, sicut qui illud legere voluerit, inuenire valebit. Sed & à tempore Dominicæ passionis, vt iterum inculcemus, constat esse certissimum, quia sicut veraciter veritas dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*, ita veraciter eadem veritas dicit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ita & veraciter ipsa veritas dicit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* quia secundùm Apostolum, *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte* ipsius baptizati sumus, & *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ita nihilominus vera est illa sententia, quam veraciter eadem depromit veritas, *Qui manducat*, inquiens, *carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* & si Christus veraciter pro baptizatis & sacramentorum cælestium participantibus, vt ex scripturis & catholicorum verbis ostendimus, passus creditur, qui aut ad infidelitatem, aut ad iniquam vitam perseueranter relapsi pereunt, cur credi non debeat pro his etiam passus, qui quoniam non credunt ex liberi arbitrij descendit obduratione, non ex Dei operatione, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Deus enim noster, Deus saluos faciendi est. pereunt autem quicumque pereunt infidelitate voluntaria, non coacta, propria iniquitate, non Domini voluntate, qui omnes ad salutem

Ioan. 6. 54.

Marc. 16. 16

Gal. 3. 27.

Ioan. 6. 57.

Matt.11.28. inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Sed est in humilibus quod scriptum est in Euangelio, Ioan.9.39. *Qui non vident videant*, & in præsumptoribus, *& qui vident cæci fiant*, non quòd videant, sed quia videre se putant, vel potiùs videre se simulant.

Vnde tutius nobis omnibus est audire consilium, quod beatus Hieronymus in XIX. Homilia Euangelij Lucæ, idem Euangelium exponendo dicit, Tu, inquiens, si quando scripturas legeris, quære in eis sensum cum dolore quodam atque tormento, non quo scripturas errasse aut perperam quid habere arbitreris, sed quòd illæ intrinsecùs habeant veritatem sermonum atque rationum, & tu nequeas inuenire quod verum est. Hoc est, *dolentes quærebamus te.*] Sic quæsiuit & sanctus Prosper, sanctæ Apostolicæ sedis legatus, vt catholicæ matris alumnus, in his sententiis de redemptione Christi sanguinis veritatem, & inuenit veritatis intelligentiam, atque intelligentiæ discretionem. Vnde & contra Gallos dixit in obiectione VIIII. Cùm itaque rectissimè dicatur saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit, Ioan.11.52. dicente Euangelista, *Quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantùm pro* Ioan.1.11. *gente, sed etiam vt filios Dei congregaret in vnum. In sua enim venit, & sui eum non receperunt. quotquot autem receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Diuersa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, *lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* vt possit secundùm hoc dici, Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt: & tenebræ receperunt, quibus dicit Ephes.5.8. Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*] & Responsione prima. contra Vincentianos, Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam, à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non erant pertinerent: sed ita vt quod per vnum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.] Et item contra Gallos in recapitulatione nona, Item qui dicit quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infi-

delium reſpicit partem. cùm ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti pretium ſit totius mundi, à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſeruitutem reuerſi. Non autem excidit verbum Dei, neque euacuata eſt mundi redemptio : quia etſi non cognouit mundus in vaſis iræ, cognouit tamen mundus Deum in vaſis miſericordiæ, quæ Deus nullis eorum bonis meritis præcedentibus eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.] Hanc intelligentiam qui fideliter tenere voluerit, nec à recto ſenſu deuiabit, nec à catholicis doctoribus diſcordabit, neque ſanctas ſcripturas ſibi diuerſas vel aduerſas eſſe putabit, neque contentionibus deſeruire ſtudebit.

De cuius ſancti viri ſcilicet Proſperi verbis, vt ſimpliciter & veraciter omnibus legentibus fateamur, inſtantia deuotionis domni & chriſtianiſſimi Karoli principis coacti, qui librum illius præ manibus non habuimus, quantum ad memoriam nobis venit, & breuitas temporis & ſubitanea compulſio permiſit, hoc Capitulum humilitas noſtræ intelligentiæ delibauit. Sed qui benignè ac ſimplici intentione aduertere voluerit, à ſenſu illius nihil, à verbis verò ipſius pene nihil nos diſcordaſſe videbit. Relegat & Capitulum quod excerpſimus, & verba ſancti Proſperi quæ in proximo propoſuimus, & videat ſi eſt verum quod dicimus. Et ne graue cuiquam legenti ſit longè ſuperiùs Capitulum quod excerpſimus quærere, hîc illud dignum cenſuimus ponere. Iſtud eſt autem Capitulum à nobis excerptum, *Chriſtus Ieſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo adſumpta non fuerit : ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes paſſionis eius myſterio redimantur. Quia verò non omnes paſſionis eius myſterio redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur reſpicit partem. quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non medetur.* Euchariſtia enim eſt Redemptoris ac Saluatoris mundi propoſita omnibus, ſed fidelibus dans ſalutem, quæ eſt in eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſecundùm Apoſtolum eſt Saluator omnium hominum, maximè autem fidelium. quia non eſt aliud nomen datum ſub cælo hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Cui cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti eſt honor & gloria, poteſtas & imperium, ante omnia, & per omnia, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XXXV.

Sequitur ratio reddita de quinto Capitulo, quod quasi super dolorem vulnerum nostrorum adiiciens, in suggillationem nostram reprehensor noster acerrimus conspuere voluit.

ITEM in quinto Capitulo dicit hic noster acerrimus reprehensor, » Firmissimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium » ex aqua & Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ » incorporata, & iuxta doctrinam Apostolicam in morte Christi baptizata, » in eius sanguine sit à peccatis abluta. Et sequentia eodem ordine » prosequens, sicut & in illo continetur Capitulo, quod olim nobis dedistis, excepto quia, vt præmisimus, hoc vnum Apostolicum subtraxit testimonium, quod in illo habetur, *Voluntariè*, inquit, *peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quod cur egerit magnopere non curamus, cùm hoc Capitulum, licèt indebitè nobis illud impingat, nos mordere non præualet, quia nihil exinde scripsimus, nihilque contra fidem sensimus vel sentimus. De quo etiam in prioribus libellis derogatoribus nostris respondere curauimus. In quibus quicumque illorum figmenta legerint, & apologiam nostram relegerint, scient nos hinc immeritò reprehensos, & magis compilatione liuoris, quàm ratione veritatis, de nobis eos quicumque fuerint eiusmodi aranearum telas friuolo labore texuisse. Vnde sciat quiscumque lector deuotus, à nobis, aut ex nobis, vel suspicionis indicium nullo modo processisse, cur talia contra nos vel de nobis scribi debuerint. Sed à Gothescalci pitacio, quod ad quendam monachum composuerat, hinc scriptum reperimus. quod ideo supponemus, vt quæ ille dixerit, & qualiter nos catholicè sentiamus, omnibus qui legere voluerint demonstremus. Et licèt his quibus sufficientia possunt sufficere, sufficientia curassemus in operis huius Capitulo quarto colligere: propter improbitatem tamen nos importunè perurgentium, adhuc aliqua velut ad hoc specialiùs pertinentia studemus superadicere.

Hebr. 10. 26.

Hinc veteres Prædestinatiani dixerunt, quòd ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum: & quòd non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum regenerati, & piè iustéque vixerint, nihil eis prosit, sed tandiu reseruentur donec ruant & pereant. nec antè eos ex hac vita quàm hoc eis contingat auferri. Et quòd Deus quibusdam filiis suis, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseuerantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti. Gothescalcus autem post præposita testimonia quæ proferuntur

ex

ex scripturis Dominum passum fuisse pro omnibus ita dicit, Qui « verò, inquiens, propter hæc testimonia, vel alia his similia, genera- « liter pro omnium tam scilicet electorum quàm reproborum salute « & redemptione Dominum passum esse dicit, ipsi Deo patri contradi- « cit, & reliqua, vsque dum ad ista peruenit, vt diceret, Verumtamen « quia electi & reprobi propter peccatum originale, & omne insuper « actuale, tamdiu detenti sunt, detinentur, detinebuntur sub diabolo « captiui, donec redimerentur atque redimantur diuinitùs per gra- « tiam baptismi, quandocumque quicumque fuimus in Trinitatis no- « mine baptizati, tunc sine dubio vel electi vel reprobi communi- « ter extitimus redempti, id est, de dominio dæmonicæ ditionis eru- « ti & liberati. & quotiescumque quicumque baptizantur, & dein- « ceps in diem iudicij baptizabuntur, tunc à diabolica prorsus capti- « uitate redimuntur, atque redimentur, id est, eruuntur & liberantur, « eruentur & liberabuntur. Hinc est illud Apostoli Petri, de magistris « mendacibus, & sectas perditionis introducentibus, celerémque sibi « perditionem superducentibus, *Eum*, inquit, *qui emit eos Dominum* « 2. Pet. 2. 1. *negantes.* Baptismi enim sacramento eos emit, non tamen pro eis « crucem subiit, nec mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Quod « autem baptismi perceptio redemptio nuncupetur, doctor gentium « manifestè fatetur, *Nolite contristare*, inquit, *Spiritum sanctum Dei in* « Ephes. 4. 30. *quo signati estis in die redemptionis.* Et in eadem superiùs ad Ephesios « epistola, *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Hinc « Ephes. 1. 13. etiam sanctus Hieronymus asserit, redemptionem inquiens veterum « peccatorum in aquis baptismi reperit. sed huiusmodi redemptio, « quæ communis est & electis & reprobis, non redemit nisi à pec- « catis præteritis. «

Hæc ita à Gothescalco sunt dicta. Contra hæc dicit sanctus Au- Epist. cvi. gustinus in epistola ad Bonifacium, Ita sibi exhibeat, inquiens, Dominus Christus in illa die gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, quam modò mundat lauacro aquæ in verbo. quia neque aliquid remanet in baptismo, quod non dimittatur, præteritorum omnium peccatorum, si tamen ipse baptismus non frustra foris habeatur, sed aut intus detur, aut si iam foris datur, non foris cum illo remaneatur. & quicquid ab eis, qui post acceptum baptismum hîc viuunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipsum lauacrum dimittitur.] Cap. 33. Et in libro primo de Nuptiis & Concupiscentia, Sic enim, inquit, accipiendum est quod ait idem Apostolus, *Christus dilexit Ecclesiam,* Ephes. 5. 25 *& semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.* Sic, inquam, hoc accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur,

non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur. non vt baptisma quoties peccatur toties repetatur, sed quia ipso quod semel datur fit vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset, vel ante baptismum pœnitentia nisi baptismus sequeretur, vel postea nisi præcederet? In ipsa quoque oratione Dominica, quæ cotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, *dimitte nobis debita nostra*, nisi ab eis qui baptizati sunt diceretur? Itémque eleemosynarũ largitas & beneficiẽtia quantalibet cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremò regni cælorum ipsa felicitas, vbi non habebit Ecclesia maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, vbi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, vbi non solùm reatus, sed nec concupiscentia erit vlla peccati, quorum erit nisi baptizatorum? Ac per hoc non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala Christiani lauacri sanctitate tolluntur, quo mundat Ecclesiam suam Christus, vt exhibeat eam sibi, non in isto sæculo, sed in futuro, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi. Nam qui modò eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata, si verum dicunt, profectò quoniam mundi non sunt à peccatis, habet in eis Ecclesia maculam. Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Ecclesia rugam. Si autem se dicunt habere ista, non ipsam, non ergo se esse membra eius, nec se ad corpus eius pertinere fateantur, vt etiam sua confessione damnentur.] Et Beda in epistola Ioannis prima, *Et sanguis Iesu Christi filij eius mundat nos ab omni peccato.* Sacramentum namque Dominicæ passionis, & præterita nobis omnia in baptismo pariter peccata laxauit, & quicquid quotidiana fragilitate post baptisma commisimus, eiusdem nostri Redemptoris gratia dimittit. Maximè cùm inter opera lucis quæ facimus, humiliter cotidie nostros illi confitemur errores, cùm sanguinis illius sacramenta percipimus, cùm dimittentes debitoribus nostris nostra nobis debita dimitti precamur, cùm memores passionis illius libenter aduersa quoque toleramus.]

Cap. 1.

Deinde Gothescalcus prosequitur in præfatis suis blasphemiis, » At illa quæ propria & specialis est solorum omnium electorum, » quam eis tantummodò crucifixus impertiuit, pius redemptor ipso- » rum, sicut à præteritis, ita nimirum & à præsentibus natos & na- » scituros viuos & mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, » eruit, abluítque peccatis, ipsi prorsus ipsi sunt mundus, pro quo » passus est Dominus, vt ipse dixit, *Panis quem ego dedero caro mea est pro* » *mundi vita.*] Et item alibi idem Gothescalcus scribit, Absit procul à » me: vt vel illud solummodò velim somniare, nedum semel susurra- » re, vt vllum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere

Ioan. 6. 51.

valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Deo patri domini Dei nostri filij sui fusus est sanguis. Amen. & item loquens ad Deum, Claret itaque satis apertè, quoniam nullus tibi perit, quisquis redemptus est per sanguinem crucis tuæ.] & sic multa ponens scripturarum & doctorum exempla, quæ mendacio manifesto ad sensus suos inflectendo sententiam suam nititur roborare, hæc hæresis à Prædestinatianis inter alia fuit inuenta. Vnde ad Faustum, (cuius opuscula inter apocrypha Apostolica sedes deputare curauit, quoniam cum aliis malesanæ doctrinæ zizaniis, etiam de vltima pœnitentia prauè disseminauit, sicut scripta eius demonstrant, quæ S. Cælestinus ad Episcopos Gallicanos scribens redarguit, vti in eius decretali scriptũ inuenitur Epistola,) quidam Paulinus ita scribit dicens, Scire ignarus exopto, vt quæ est immortalis quomodo pro mortalibus vitiis anima torqueatur, vel vtrum anima & spiritus idem sint, aut quomodo segregentur agnoscam. Nam prædictus vir Marinus ita me sub sacramenti etiam interpositione conterruit, quòd qui corporalibus vitiis occubuerit, nullam possit veniam promereri, sed in hisdem seruetur ipsa resurrectione suppliciis, nec possit expiari infernalibus tormentis quod corporalibus diu vitiis concreta contraxerat. Tamen ita miserrimus credo, quòd si semel susceptum signum diuini nominis, & infixum fronte character Domini nostri nunquam mali sibi conscius vel subdolus falsator infringet, susceptis leuiter pro expiando errore tormentis, purum aërium sensum, & simplicis animæ ignem diu consumpta producat. Nam si vniuersa hæc quæ interminatur domnus meus Marinus excipiemus peccatores, quid maius impij mereantur ignoro.] & aliquanto superiùs, Mea hæc sententia est, quòd si omnia hæc Christianus excipiet, nihil suscipere valeat Arrianus.

Demonstrat & sanctus Augustinus hanc esse Prædestinatianorum adinuentionem, resistens eis, cum alio errore, scilicet quia secundùm præscientiam quique damnarentur, etiam antequam nascerentur, & secundùm quod præsciti erant futuri, licèt antea tollerentur ex sæculo quàm manifestarentur iniusti, secundùm præscientiam tamen erant damnandi, in libro de Prædestinatione sanctorum. Quis enim, inquit, audeat negare Christianus, iustum si morte præoccupatus fuerit in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit, iustum si à iustitia sua recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi suam præteritam profuturam iustitiam, huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicit? Porrò si quæratur à nobis, vtrum si tunc esset mortuus quando erat iustus, pœnas esset inuenturus an requiem, numquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa, cur dictum est

Cap. XIV.

Sap.4.11. à quocumque ſit dictum, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat. id eſt, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quòd peccaturus eſſet qui manſurus in tentatione non eſſet.] Contra quæ Prædeſtinatianorum dicta nefaria, hæc & alia plura præfatus ſagaciſſimus doctor dixit, & nos non multa colligere ſtuduimus: quia & ipſi his Gotheſcalci reſiſtunt peruerſitatibus, qui cum eo conſiſtunt aduerſus doctrinam catholicam in aliis, ſicut ſuprà oſtendimus, quibuſdam diuerſitatibus. Nos autem catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ documenta ſequentes, eidem Gotheſcalco, ipſiúſque prauæ doctrinæ obſiſtimus, cum fremitu cunctis malè ſentientibus pertimeſcendo, beati Leonis Apoſtolicæ ſedis Epiſcopi inſonante corde & ore ac

Epiſt.IV.ad Epiſcopos Siciliæ c.3. ſtylo clamantes, Quamuis & illa quæ ad humilitatem, & illa quæ ad gloriam pertinent Chriſti, in vnam concurrant eandémque perſonam, totúmque quod in illo & virtutis diuinæ eſt & infirmitatis humanæ, ad noſtræ reparationis tendat effectum, propriè tamen in morte crucifixi, & in reſurrectione mortui, potentia baptiſmatis nouam creaturam condit ex vetere, vt in renaſcentibus & mors Chri-

Rom.6.3. ſti operetur & vita, dicente beato Apoſtolo Paulo, *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte: vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* & cetera, quæ latiùs magiſter gentium ad commendandum ſacramentum baptiſmatis diſputauit. vt appareret ex huius doctrinæ ſpiritu, regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem & illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem formámque myſterij, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo ſunt capite geſta congruere. dum in baptiſmatis regula & mors interuenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro.] Et item idem, Baptiſmi autem ſui in ſe condidit ſacramentum. quia in omnibus primatum tenens, ſe docuit eſſe principium, & tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis & aqua baptiſmatis. quod demonſtrat ipſe Dominus, dicens in Euangelio ſecundùm Lu-

Luc.12.50. cam, *Baptiſma autem habeo baptizari.*] Hinc Beda, Sanguinis, inquit, proprij tinctione priùs habeo perfundi, & ſic corda credentium ſpiritus igne, quo terrena omnia ſimul & animam ſuam deſpicere, immo odire queant, inflammare. Non enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum fuerat glorificatus. hoc eſt victoria paſſionis, de qua

Marc.10.38 alibi, *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmum quem*

ego baptizor baptizari?] Et item Leo in epistola ad Constantinopolitanos, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ab ipso ergo principio generis humani, omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus: in qua, sicut dictum est, erunt duo in carne vna. vtique duo sunt Deus & homo, Christus & Ecclesia. quæ de sponsi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua sacramentum redemptionis & regenerationis accepit. Ipsa est enim noua conditio creaturæ, quæ in baptismate, non indumento veræ carnis, sed contagio damnatæ vetustatis exuitur, vt efficiatur homo corpus Christi, quia & Christus corpus est hominis.] Epist.xxiiii

Hinc S. Siricius ad Himerium cap. III. Adiectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam quod dici nefas est transeuntes, & idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos. quos à Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, iubemus abscidi. Et Athanasius in Symbolo, dicens se credere in Christum, præmissis aliis, assumptum in cælis, sedere in dextera patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos expectamus, in huius morte & sanguine remissionem peccatorum consecuturi.] Et sanctus Gregorius in libro Moralium XXXIII. *Absorbebit fluuium & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* Qui autem signantur appellatione Iordanis, nisi qui iam imbuti sunt sacramento baptismatis? Quia enim redemptor noster in hoc flumine baptizari dignatus est, eius nomine debent baptizati omnes exprimi, in quo ipsum contigit sacramentum baptismatis inchoari. Quia verò & post mediatoris aduentum, quosdam qui rectè viuere negligunt etiam fideles rapit, quosdam qui baptismatis sacramento signati sunt deglutire se posse confidit. Alios namque sub Christianitatis nomine positos deuorat, quia in ipso eos fidei errore supplantat. Alios à rectitudine fidei nequaquam deuiat, sed ad vsum prauæ operationis inclinat.] Et post paululum, Valdè terribile est, quia multos aperto ore etiam post cognitionem redemptoris suscipit, post lauacri vndam polluit, post sacramenta cælestia ad inferni profunda rapit.] Et sanctus Ambrosius in libro secundo de Sacramentis, Vide vbi baptizaris, vnde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi. Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est, in ipso redimeris, in ipso saluaris.] Item in eodem, Clamat ergo Apostolus, sicut audistis in lectione præsenti, quoniam quicumque baptizatur, in morte Iesu baptizatur. Quid est in morte? vt quo modo Christus mortuus est, sic & tu mortem degustes. quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo viuit, ita & tu superioribus inlecebris peccatorũ mortuus sis per baptismatis sacramentum, & resurgas per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine. Cùm enim mergeris, mortis suscipis & sepulturæ simili-

Cap.VI. Iob 40.18. Cap.II. Cap.VII.

tudinem, crucis illius accipis sacramentum, quòd in cruce Christus pependit & clauis confixum est corpus. Tu ergo cùm crucifigeris, Christo adhæres, clauis Domini nostri Iesu Christi adhæres, ne te diabolus possit abstrahere.] Item in libro quinto, Tunc vnus de militibus lancea latus eius aperuit, & de latere eius aqua fluxit & sanguis, quare aqua? quare sanguis? aqua autem vt mundaret, sanguis vt redimeret.]

Et sanctus Ioannes Chrysostomus in Homilia ad Neophytos, Vis & aliam huius sanguinis scrutari virtutem? Volo vnde primum cucurrerit incipias, & de quo fonte manauit. De ipsa primùm cruce processit, latus illi Dominicum initium fuit. Mortuo enim ait Iesu, & adhuc in cruce pendente, adproximat miles, latus lancea percussit, & exinde aqua fluxit & sanguis. Vnum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Non ait, exiit sanguis & aqua, sed exiit aqua primùm & sanguis: quia priùs baptismate diluimur, & postea mysterio dedicamur, latus miles aperuit, & templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum præclarum inueni, & fulgentes diuitias me gratulor reperire. Sic & de illo agno factum est, Iudæi ouem occiderunt, & ego fructum de sacramento cognoui, de latere sanguis & aqua exiuit. Nolo tam facilè auditor transeas tanta secreta mysterij. Præstat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum & mysteriorum aquam illam & sanguinem demonstrari. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia, per lauacri regenerationem & renouationem Spiritus sancti. Per baptisma, inquit, & mysteria quæ ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus ædificauit Ecclesiam, sicut de latere Adam eius coniux Eua prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur dicens, *de corpore & de ossibus eius sumus.* latus videlicet illud significans. Nam sicut de illo latere Deus fecit feminam procreari, sic & de suo latere Christus aquam nobis & sanguinem dedit, vnde repararetur Ecclesia. Et sicut in sopore quiescentis Adæ Deus lateris membra patefecit, sic modò post mortem aquam nobis donauit & sanguinem. & sopor ille nunc mors est, vt discas mortem nulla soporis separatione discerni. Videte quemadmodum sponsam sibi Christus coniunxit, videte quo vos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est atque nutrimentum. Nam sicut mulier, affectionis natura cogente, genitum alere sui lactis fœcunditate festinat, sic & Christus quos ipse regenerat suo sanguine semper nutrit.] Et in Homilia prima de Psalmo L. Apud diuites erubescit fieri nutrix quæ facta est mater. Christus autem non ita. nutritor est noster. ideo & pro cibo propria carne pascit, & pro potu suo nos sanguine propinauit.] Et item in Homilia de principiis Marci. Grandis misericordia, qui peccata non fecerat baptizatur quasi peccator. in baptismo Domini omnia peccata dimittuntur. Sed quasi præludium est baptisma Saluatoris. cæterùm vera remissio

Thess.5.30.

peccatorum in Christi sanguine est, in Trinitatis mysterio.] Et in Sermone de verbis Apostoli, *An ignoratis*, inquit, *fratres, quoniam quicumque in Christo baptizati sumus, in morte eius baptizati sumus? Consepulti ergo illi sumus per baptismum in morte.* Quid est in morte illius baptizati sumus? vt & ipsi moriamur sicut & ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christo & sepulcrum, hoc nobis baptisma factum est. tametsi non in eisdem ipsis. Ipse namque carne & mortuus est & sepultus, nos autem peccato in vtroque. Quapropter non dixit, complantati morti, sed similitudini mortis. Mors namque & hoc & illud, sed non eisdem ipsis subiacet: sed hæc quidem carnis Christi, nostra autem peccati. quemadmodum ergo illa vera, & hæc.]

Rom 6.3.

Et magnus Leo Papa in tomo catholicæ fidei ad Flauianum, Si ergo Christianam suscepit fidem, & à prædicatione Euangelij sui non auertit auditum, videat quæ natura transfixa clauis pependerit in ligno crucis, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat vnde sanguis & aqua fluxerit, vt Ecclesia Dei & lauacro rigaretur & poculo. Audiat beatum Petrum Apostolum prædicantem, quòd sanctificatio spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi: nec transitoriè legat eiusdem Apostoli verba dicentis, *Scientes quòd non corruptibilibus argento & auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.* Beati quoque Ioannis Apostoli testimonio non resistat dicentis, *Et sanguis Iesu filij Dei emundat nos ab omni peccato.* & iterum, *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. & spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt.* Spiritus vtique sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis. quæ tria vnum sunt, & indiuidua manent, nihílque eorum à suî connexione seiungitur. quia catholica Ecclesia hac fide viuit, ac proficit, vt in Christo Iesu nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas.] Et in epistola ad Turibium Asturiensem Episcopum dicit, Neminem posse à conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla discretio renascentium, dicente Apostolo, *Quicumque enim in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vnum vos estis in Christo Iesu.*

Epist.x.c.5. 1.Pet.1.18. 1.Ioan.1.7. 1.Ioan.5.4. Cap.x. Gal.3.27.

Et sanctus Augustinus in libro sexto contra Iulianum, Si obliuiscatur homo se deliquisse, nec eius conscientia stimuletur, vbi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium, quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia eius memo-

Cap.viii.

riam deleuit obliuio. Et tamen est. Vbi est igitur? cùm iam bene viuat homo nihil tale committens, nec dici possit eorum peccatorum eius reatum manere quæ meminit, eorum verò quæ oblitus est non manere. manet quippe eorum, donec remittantur. Vbi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus Angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiauerit? Cuius signo crucis consecratur vnda baptismatis, vt ea diluatur reatus tanquam in chirographo scriptus in notitia spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum. Huic chirographo nascuntur obnoxij omnes in carne de carne carnaliter nati, eius ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritaliter natus est. Natus est enim de Spiritu sancto & Virgine Maria. de Spiritu scilicet sancto, ne esset in illo caro peccati: ex Virgine autem Maria, vt esset in illo similitudo carnis peccati. Ideo illi chirographo non venit obnoxius, & ab illo soluit obnoxios.] & item in eodem libro, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus.* Dicendo enim *quicumque*, non vtique paruulos fecit exceptos. Quid est autem in morte Christi baptizari, nisi peccato mori? Vnde etiam de ipso idem alio loco dicit, *Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Quod vtique dictum est, propter similitudinem carnis peccati, propter quod & magnum mysterium est crucis eius, vbi & vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati. Si ergo in Christo paruuli baptizantur, in morte eius baptizantur. mortis eius similitudini complantati peccato vtique moriuntur. *Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel. quod autem viuit, viuit Deo.* Et quid est *complantari similitudini mortis eius*, nisi quod sequitur, *Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu?* Numquid dicturi sumus peccato mortuum fuisse Deum, quod nullum habuit vnquam? absit. Et tamen quòd mortuus est, peccato mortuus est semel. Mors enim eius peccatum nostrum significauit, quo vtique ipsa mors accidit, cui morti mortuus est. id est, vt mortalis non esset vlteriùs, peccato dicitur mortuus. Quod ergo ipse significauit in similitudine carnis peccati, hoc per eius gratiam nos agimus in carne peccati, vt quomodo ille moriendo similitudini peccati, peccato mortuus prædicatur: ita quicumque in illo fuerit baptizatus moriatur, id est, peccato. Sed in Christo similitudo, nos veraciter eidem rei cuius illa fuerit similitudo moriamur, & quomodo illius vera carne vera mors fuit, sic fiat in veri peccati vera remissio.] Item in eodem libro capite tertio, Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem, non sine paruulis. quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate

Rom.6.3.
Rom.6.10.
Rom.6.5.
Cap.11.

tate vitæ ambulemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſic & reſurrectionis erimus. Hîc ſunt & paruuli complantati ſimilitudini mortis eius. hoc enim ad omnes pertinet, quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu. hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt. Quorum vetus homo, niſi quicumque baptizati ſumus in Chriſto?] Item in libro tertio, Quòd natus es, pertinet ad Dei conditionem, & parentum fœcunditatem: contra quod autem dimicas quia renatus es, pertinet ad præuaricationem quam diaboli aſtutia ſeminauit. Vnde te Chriſti gratia liberauit, vt priùs hoc malo bene vtereris in coniuge, nunc illi aduerſeris in te. non iam reus ex illo ſicut eras natus, ſed ab eodem reatu non erutus niſi quia renatus, vt poſſis redemptus regnare cum Chriſto, ſi tamen iſta hæreſis non te faciat perire cum diabolo, ſed quod potiùs cupimus confitearis malum, contra quod bellum geris. vt eo non ita ſeparato, quaſi alia nunc ſit, ſed te omni ex parte ſanato, in perpetua pace læteris.] & item in eodem, Nec cogeris res impiiſſimas atque abſurdiſſimas dicere, aut baptizandos non eſſe paruulos, quod quidem poſtea eſtis fortaſsè dicturi: aut tam magnum ſacramentum ſic in eis eſſe ludibrium, vt in Saluatore baptizentur, ſed non ſaluentur: à liberatore redimantur, ſed non liberentur: ab hoc lauacro regenerationis lauentur, ſed non abluantur: exorcizentur, & exſufflentur, ſed à poteſtate tenebrarum non eruantur: ſit eorum pretium ſanguis qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, ſed nullius peccati remiſſione purgentur.] & item, Ceterùm rogo te, quomodo poteſt intelligi iſta redemptio, niſi à malo redimente illo qui redemit Iſrael ab omnibus iniquitatibus eius? Vbi enim redemptio ſonat, intelligitur & pretium. & quid eſt hoc, niſi pretioſus ſanguis agni immaculati Chriſti Ieſu? De hoc autem pretio, quare ſit fuſum, quid interrogamus alium? Redemptor ipſe reſpondeat, dicat ipſe mercator, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Pergite adhuc pergite, & ſicut dicitis, in ſacramento Saluatoris baptizantur ſed non ſaluantur, redimuntur ſed non liberantur, lauantur ſed non abluuntur, exorcizantur & exſufflantur, ſed à poteſtate diaboli non eruuntur: ſic etiam dicite, funditur pro eis ſanguis in remiſſionem peccatorum, ſed nullius peccati remiſſione mundantur. Mira ſunt quæ dicitis, noua ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus.]

Cap. XXI. — Cap. VI. — Cap. III. — Matt. 26. 28

Et item Beda in epiſtola Ioannis prima, *Qui venit per aquam & ſanguinem.* Aquam videlicet lauacri, & ſanguinem ſuæ paſſionis. *non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine.* non ſolùm baptizari propter noſtram ablutionem dignatus eſt, vt nobis baptiſmi ſacramentum conſecraret ac traderet: verùm & ſanguinem ſuum dedit pro nobis, cùm ſua nos paſſione redemit, cuius ſacramenti ſemper refectione nutriremur ad ſalutem.] & item, *Tres ſunt qui teſtimonium per-*

1. Ioan. 5. 7.

hibent veritati, & tres, inquit, *vnum sunt.* Indiuidua namque hæc manent, nihil eorum à suî connexione seiungitur, quia nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credenda est humanitate diuinitas. Sed & in nobis hæc vnum sunt, non natura, sed eiusdem operatione mysterij. Nam sicut beatus Ambrosius ait, Spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis vnda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequitur spiritali.] Et in consecratione aquæ baptismatis catholica dicit Ecclesia, Benedico te & per Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui te vnà cum sanguine de latere suo produxit, & discipulis suis iussit vt credentes baptizarentur in te, dicens *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*] & item, Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui, totámque huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.] & post pauca, Vt omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus in veræ innocentiæ nouam infantiam renascatur, per Dominum nostrum Iesum Christum.] Et hîc indiuidua sacramenta sanguinis redemptionis, & spiritus sanctificationis, & aquæ baptismatis, cunctis catholicis baptizatis credit, profitetur, & prædicat catholica sancta mater Ecclesia. Legem ergo, vt sanctus Cælestinus dicit, credendi lex statuat supplicandi. Et item Beda in tractatu Actuum Apostolorum, Nam postquam consepulti fuerimus cum Christo per baptismum in mortem, quasi rubri maris calle transito, necessarium in hac solitudine Domini habemus ducatum, qui nos ad cælestia regna perducat.] & item, *Et sicut agnus coram tondente se sine voce*, non solùm sanguine suo redemit, sed & lanis operuit.] Hinc idem in Homilia Euangelij duodecima, Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine iustificet impios, Apostolus Petrus ostendit, qui ait, *Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Iesu Christi.* Et in Apocalypsi Ioannes Apostolus, *Qui dilexit nos*, inquit, *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Non solùm autem lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisque nostrûm in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis nostris in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, sícque corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem suam funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem.] Et item ipse in tractatu Actuum

Marginal notes: Matt.28.19 — Cap.I. — Cap.VIII. — 1.Pet.1.18. — Apoc.1.5.

Apostolorum, Præcipuè congruit nos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. quia sicut Apostolus ait, *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Cap.2. Rom.6.3.

Quia verò in baptismo Christi sanguine redempti, infidelitate vel perseueranti iniquitate perire possunt, contra Gothescalcum sanctus Ambrosius in epistola ad Vercellenses ita dicit, Paulus ad Ephesios, inquit, *Fornicatio autem, & omnis immunditia, & auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* & infrà, *Hoc enim scitote, quoniam omnis impudicus, aut immundus, aut auarus, quod est idololatria, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* De baptizatis vtique dictum liquet. ipsi enim accipiunt hereditatem qui baptizantur in morte Christi, & consepeliuntur cum ipso, vt cum ipso resurgant. ideo heredes Dei, coheredes Christi sunt. heredes Dei, quia transcribitur in eos Dei gratia, coheredes Christi, quia renouantur in vitam ipsius. heredes quoque Christi, quia datur illis per mortem ipsius tanquam testatoris hereditas. Isti igitur magis sibi debent adtendere, qui habent quod possint amittere, quàm qui non habent.] Et item in eadem, Quid igitur sibi isti volunt, qui tentant eos peruertere, quos adquisiuit Apostolus, quos redemit Christus sanguine suo? Quòd asserunt baptizatos intendere non debere virtutum disciplinis, & reliqua.] Item idem in epistola ad Corinthios, Et quia carò empti sumus, propensiùs Domino nostro seruire debemus, ne offensus à qua nos redemit morti nos reddat. Quàm enim carissimo pretio nos emit, vt sanguinem suum daret pro nobis? Et item in eadem, *Et peribit qui infirmus est in tua scientia, frater, pro quo Christus mortuus est.* id est, tua peritia illum occidit, quando à te fieri videt quod ille aliter intelligit, & tu eris occasio mortis fratris, quem Christus vt redimeret crucifigi se permisit.] Et sanctus Prosper contra Gallos, Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in his verum est qui non sunt in veritate mansuri.] Et item, Sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium est totius mundi, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi.] Et Beda in epistola Iudæ, Qui angelis peccantibus non pepercit, nec hominibus parcet superbientibus: sed hos quoque, cùm suum principatum non seruauerunt, illum videlicet quo per gratiam adoptionis filij Dei effecti sunt, sed dereliquerunt suum domicilium, id est, Ecclesiæ vnitatem in qua Deo renati sunt, vel certè sedes regni cælestis, quas accepturi erant si fidem seruarent, & ante iudicium grauiter, & grauiùs in iudicio vniuersali damnabit.] Et Petrus in epistola II. *Quapropter, fratres, magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Vnde Beda, *Multi sunt vocati, pauci autem electi.* Certa est autem vocatio cunctorum qui ad fidem veniunt. Qui verò fidei sacramentis quæ perceperunt bona quoque opera per-

Ephes.5.3. 1.Cor.8.11. 2.Pet.1.10.

seueranter adiungunt, isti suam cum vocatione etiam electionem certam intuentibus faciunt. Sicut è contra, qui post vocationem ad crimina reuertuntur, cùm in his ex hac vita migrauerint, certum iam omnibus quia reprobi sunt reddunt.] Et item in eadem, *Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negantes, superducent sibi celerem perditionem.* Hinc Beda, De hoc emptore & Paulus ait, *Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Meritò autem sibi celerem perditionem superducunt, qui redemptorem suum negantes, hunc rectè confitendo glorificare & benefaciendo suo in corpore ferre detrectant, quod omnes faciunt hæretici.] Et item in prima epistola Petrus, *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Vnde Beda, Quòd ergo aqua diluuij non saluauit extra arcam positos, sed occidit, sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licèt habentem baptismatis sacramentum, non aliis sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca subleuatur ad cœlum.]

2.Pet.2.1. Cap.11. 1.Cor.6.20 1.Pet.3.21. Cap.111.

Hinc plurium & quàm plurima possemus exempla ponere, sed superfluum duximus, quia & ipsi, vt diximus, qui conglobati contra vnanimitatem doctrinæ Ecclesiasticæ, huic peruersitati resistunt, & plura plurimorum aggregant & accumulant testimonia. Et sanctus Leo Leoni Augusto, secundùm promissionem suam, non tam multorum, quàm nominatissimorum auctorum, nec tam multiplicia testimonia, quàm valida eorumdem auctorum adgregata ad suam, quinimmo orthodoxam, adfirmandam sententiam misit. Neque enim numerus testimoniorum, sed auctoritas valet. Ex quibus ostenditur, Gothescalcum per modicum fermentum totam Ecclesiæ massam quantum ex ipso est corrupisse. Vnde piis ista sufficiant, quæ impiis sicut & plura ad salutis satisfactionem sufficere non valebunt. Nam huiusmodi, sicut Gothescalcus & sui complices proferunt, nugatoriis adinuentionibus aurem non accommodabit, quisquis verba Dominica deuota mentis aure perceperit, quibus orare iubet dicens, *Sic autem orabitis*, & post aliquanta, *Ne nos inducas in tentationem.* Quia cùm deserentes Deum iustè deserimur à Deo, in tentationem induci, id est, à tentatione patimur superari. Contra quod iterum Dominus iubet, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* &, *orate vt ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato*, id est, vt dum vacat operetur quisque bona quæ valet, ne tunc quilibet incipiat velle bona agere, quando non licebit bona modo quolibet operari. Idcirco enim nobis Dominus horam exitus nostri voluit esse incertam, vt semper possit esse suspecta, sempérque in aduentu iudicis simus parati, ante cuius faciem iudicij non poterimus abscondi. Qui non vult inuenire quos damnet. Et ideo omnes misericordissimè admonet dicens, *Quod vobis dico omnibus dico, vigilate.* Et vos, inquiens, parati estote,

Epist.97. cap.4. Matt.26.41 Matt.24.20 Marc.13.37

quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, & si in prima vel secunda siue tertia vigilia venerit, similes estote seruis expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. *Nescitis enim qua hora Dominus vester venturus sit.* Sed hoc certum est, quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, (in fide scilicet recta & operibus bonis, quæ est iuxta Apostolum, *fides quæ per dilectionem operatur*, & *caritas de corde puro*, vt nullius sit hæresis participatione polluta, *& conscientia bona*, vt non sit malorum confusione permixta, *& fide non ficta*, vt non sit consensu iuncta cum perfidis vel iniquis,) hic saluus erit gratia Domini nostri Iesu Christi, quem bonorum operum & spiritalium studiorum auctorem esse non dubium est. qui quorum incitat mentes, adiuuat actiones, & perseuerantiam dat perseuerantibus, atque coronandos coronat in misericordia & miserationibus, cui cum patre in vnitate Spiritus sancti est honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 12. 36.

Gal. 5. 6.

1. Tim. 1. 5.

CAPVT XXXVI.

Apologia denotationis nostræ subsequitur, quia filius Ephrem contra nos intendens arcum, misit sagittas: sed suum fortè sentiet arcum prauum. cuique conuersus ipsius gladius non præstabit auxilium in die belli.

POST sex ista Capitula, de quibus responsum reddidimus, septimum nobis subiunctum dedistis in præfata villa Nielfa, quia indiscussi & inexaminati, scientiæque litterarum penè ignari, minúsque Apostolicæ præceptioni adpropinquantes, peccatis nostris agentibus, per ciuitates Episcopi ordinantur, qua occasione maximè vigor Ecclesiasticus deperiit. Sed in volumine, quod nuper nobis dedistis, Capitulorum istorum compositor quædam alia intermiscuit, adeo vt istud quod in illis fuerat septimum, inter ista decimum habeatur. Quod sicut intelligere potuimus, & illic & istic ideo Capitulum istud est positum, vt faciliùs possit legentibus persuaderi, non esse mirum si praua docemus, qui peruersè & inconsideratè, atque indebitè ad ordinem docendi accessimus. quia sicut dicit Leo, qui habuerit malum initium, difficilè bonum habebit processum, & si in fide suspecti fuerimus, quæ fundamentum est bonorum omnium, bona opera sine fundamento recto non stabunt, immo nec bona erunt. Quocirca sicut sanctus docet Gregorius, Restat vt quorum vita despicitur, & prædicatio contemnatur, & cùm pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Vnde necesse est nobis, cunctis scire volentibus demonstrare, quomodo vel qualiter, quantum ad humanos spectat obtutus, ad Ecclesiasticum

ordinè accesserimus. Et primò de Metropolitano Remorum Episcopo, deinde de ipsius diœceseos suffraganeis. & quia non nos specialiter, sed generaliter omnes Capitulum istud tangit Episcopos, eo solo excepto qui illud dictauerat, ne de nostra infamatione tantummodò videamur solliciti, ponamus ex ordine integritatem ipsius Capituli, & videant quicumque illud legerint, si tam monstruosam criminationem generaliter cunctis Episcopis, ciuitatibus, plebibus, Archiepiscopis, Principibus inlatam & impactam audierint. Textus enim huius
» Capituli iste est, Et quia indiscussi & inexaminati, scientiæque lit-
» terarum penè ignari, minúsque Apostolicæ præceptioni adpropin-
» quantes, peccatis nostris agentibus, per ciuitates Episcopi ordinan-
» tur, qua occasione maximè vigor Ecclesiasticus deperiit, placuit.
» vt si quando alicuius ciuitatis Episcopus vocatione Domini de-
» cesserit, à gloriosissimis Principibus supplicando postuletur, vt ca-
» nonicam electionem clero & populo ipsius ciuitatis permitte-
» re dignentur, atque ita aut in clero, aut in populo, aut diœce-
» si certè ipsa, vel si opus sit in vicinia ipsius, probata & officio digna
» persona quæratur, quæ inuenta consensu totius cleri & populi ad ho-
» norem Dei ciuitati præficiatur. Sed & si à seruitio piorum Princi-
» pum nostrorum aliquis clericorum venerit, vt alicui ciuitati præpo-
» natur Episcopus, timore casto sollicitè examinetur, primùm cuius
» vitæ sit, deinde cuius scientiæ, & vigore Ecclesiastico sub oculis
» omnipotentis Dei agat Metropolitanus, in hac parte ceteris Epi-
» scopis sicut Dei ministris adiutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ,
» & pompa sæculi turgidus, & Simoniaca hæresi pollutus, humili-
» bus & mundis membris Christi Ecclesiæque supponatur Episcopus.
» Nec præsumat inlitteratum, & cupiditate inlicita cæcatum, reddítu-
» rus facti sui Deo rationem populo præficere. Si verò necessarium
» isdem Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, vt
» indebito honorem bonis tantùm debitum tradat, instruat populum,
» informet Ecclesiam, potiùs adire clementiam regum, & ipse cum
» Coepiscopis suis quibus valuerit modis adeat, vt Ecclesiam Dei glo-
» riosi reges digno honorent ministro. Si autem turpiter cupiditate
» quacumque Metropolitanus victus, aut aliquo munere deceptus,
» tantum opus negligenter & ægrè fuerit executus, iudicium omnia
» cernentis Dei se incurrere non dubitet: sed & sententia Ecclesia-
» stica nouerit se culpandum.]

Hæc est censura Capitulorum compilatoris, quasi non suffecerit quod hinc decernant Canones. Vnde dicamus cum Boëtio, *Heu quàm præcipiti mersa profundo mens hebet!* videlicet istius Capituli compilatoris, vt nec quod dicit, nec etiam seipsam cognoscere valeat. Scriptum est enim, *Medice cura temetipsum.* &, *Ex verbis tuis te iudico.* Videat qualiter isdem ad ordinem sacrum peruenerit, & sic in semetipso gloriam tantùm habebit, & non in altero. Veritas enim

Luc.4.23.
Luc.19.22.

dicit, *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, hic fur eſt & latro. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Conſtat igitur, quoniam qui per eum in ouile ouium non intrat, id eſt ad regimen non eſt prouectus Eccleſiæ, non eſt paſtor ouium, ſed fur & latro, qui non ſaluabitur, ſed damnabitur. Qualiter autem ſit per oſtium, videlicet per Chriſtum, intrandum in ouile ouium, id eſt Eccleſiaſticum regimen ſuſcipiendum, idem Chriſtus oſtium ouium via, & veritas, & vita demonſtrat dicens de ſuo ſpiritu, *Spiritus qui à patre procedit, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Qui per quos idem Spiritus loquutus eſt, vt ſanctus Leo dicit, adhuc nobiſcum in ſuis conſtitutionibus viuunt, quia non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Ergo qui contra ſacros canones, Spiritu Dei per organa ſua conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, ad Eccleſiæ regimen prouehitur, non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, ac per hoc fur eſt & latro. de qualibus dicit Pſalmiſta Domino, *Deieciſti eos dum alleuarentur.* Cùm alleuatur enim deicitur, qui honoribus proficit & moribus deficit. De quibus Dominus per Prophetam queritur dicens, *Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* A ſe namque & non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui ſua cupiditate accenſi culmen regiminis rapiunt potiùs quàm adſequuntur. quos tamen internus iudex & prouehit & non cognoſcit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat, & in talium prouectione non eſt, vt Leo dicit, populis conſulere ſed nocere, nec præſtare regimen ſed augere diſcrimen. Reuertatur igitur hic derogator noſter ad ſuam conſcientiam, qui contra ſacras regulas ab Eccleſia in qua fuit tonſus & ordinatus diſcedens, ad alias Prouincias conuolauit, & canonica excommunicatione deuinctus, quia verbum Domini non eſt alligatum, inregulariter vſurpauit regimen, & ſibi ac ordinatoribus ſuis, necnon & ſubditis adauxit diſcrimen, ſicut Leo Papa demonſtrat.

Ioan. 10. 1. 19.

Ioan. 14. 26.

Matt. 10. 20

Pſal. 72. 18.

Oſee 8. 4.

Sed & notandum quia quædam de præficiendo ciuitati Epiſcopo decreta omiſerit, aut obliuione captus, aut conſcientia ſtimulatus. Cautum ſiquidem inter alia ſacri canones decreuerunt, vt de alia Eccleſia petitus vel ſumptus is qui fuerit ordinandus Epiſcopus, non ſine placito vel litteris eius Epiſcopi cuius fuerat clericus ordinetur, conceſſa ſpecialiter Carthaginenſi Eccleſiæ nota neceſſitate licentia. Relegat denique ſancta fraternitas concilia & decreta à Romanis Pontificibus celebrata & promulgata, reuoluat in Græcis regionibus decreta concilia, perſcrutetur in Italicis, Gallicis, Germanicis, Belgicis Prouinciis actas ſynodos, & videat ſi de ſub iſto cælo huiuſmodi Capitulum comprouincialis quanto magis generalis ſynodi obtutibus vnquam Apoſtolicæ ſedis Pontifex dederit vel miſerit, aut

quilibet Imperatorum sua sanctione Synodo congregatæ direxerit, vel si quælibet synodus ediderit, aut si quisquam Episcoporum synodo præsentare vnquam vel vsquam præsumpserit. Nos pro certo, in veritate sciat sancta fraternitas, pro nostra speciali iniuria ista non dicimus, quia à fratribus nostris, Remigio scilicet venerabili Archiepiscopo, & honorabilibus consacerdotibus nostris Prouinciæ Lugdunensiis, illud conscriptum nequaquam fuisse certissimè scimus & credimus, qui omnes illi penè nos omnes ab ipsis annis iuuenilibus cognouerunt, & scientiolam nostram ac conuersationem sicut familiares familiariter didicerunt, & ex quibus Ecclesiis atque ordinibus, & qualiter ad summum sacerdotium simus gratia diuina adsumpti, sicut de domesticis ignorare non potuerunt: qualitérque in regimine & vita & conuer satione & scientia atque doctrina degamus, illis occultare nec volumus nec valemus. In quibus sicut in spiritalibus viris maximam de nobis habemus fiduciam, quorum & vitam religiosam, & doctrinam catholicam, & ordinationem canonicam non ignoramus.

» Ait enim Capituli istius compositor, Quia indiscussi & inexami-
» nati, scientiæque litterarum penè ignari, minúsque Apostolicæ
» præceptioni adpropinquantes, peccatis nostris agentibus, per ciuita-
» tes Episcopi ordinantur. qua occasione maximè vigor Ecclesiasti-
» cus deperiit. In fronte istius Capituli docet eius compositor, non esse Episcopos, quos Episcopos appellauit dicens, Quia indiscussi & inexaminati ordinantur Episcopi. Nam & in Capitulo primo Carthaginensis Concilij scriptum est, Qui Episcopus ordinandus est antea examinetur, & reliqua. Vnde manifestum est, eum qui contra canones ordinatus esse videtur, non debere censeri Episcopum, sicut inter alios Innocentius, Cælestinus, & Leo demonstrant. Quod enim dicit quia indiscussi, ergo dubium an sint fide Catholici, vel circa fidem sint reprobi. quòd dicit inexaminati, igitur vita & conuersatione non probi: quòd dicit scientiæ litterarum penè ignari, sicut sanctus dicit Hieronymus, Ignoratio scripturarum ignoratio Dei est. & Apostolus, *qui ignorat ignorabitur.* Quomodo ergo mediatores vel interuentores pro suis ac populi peccatis apud Deum habebuntur qui ignorantur? qui licèt dicant, *Domine, in nomine tuo prophetauimus*, &, *manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti*, audient, *Discedite à me, nescio qui sitis.* Adhuc etiam addamus, Quomodo dicere poterunt, in nomine tuo prophetauimus & in plateis nostris, scilicet in latitudine nobis commissi populi, per nos docuisti, qui scientiæ lumine ignari duces sunt cæci, præcones muti? Quod subsequitur, minúsque Apostolicæ præceptioni adpropinquantes, hoc est apertè dicere, Ideóque boni meriti alieni, & ordinatione indigni. Quod dicit, per ciuitates Episcopi ordinantur, qua occasione maximè vigor Ecclesiasticus deperiit, non per ciuitates Episcopi ordinantur, sed peruasores ciuitatum, &

Conc. IV.

1. Cor. 14. 38.

Matt. 7. 22.

Luc. 13. 26.

& alieni ministerij inuasores, & fures ac latrones, non dicam mercenarij exordinantur, per quos vigor Ecclesiasticus deperit, qui ad hoc debuerant præferri vt vigor Ecclesiasticus in aliquo delapsus, per ipsos potuisset restitui, & in statu manens valenter constitui. Et si sanctus Gregorius in Homilia Euangelij decima septima, se vnum faciens de his quorum præcipuè peccato dixerat agi quòd populus illius temporis interiret, de generali peccato conquestus est, non tamen sic specialia crimina, & de merito, & de inscientia, & de ordinatione inlicita, generalitatem sacerdotum redarguit: & si quosdam tacitis nominibus de hæresi Simoniaca corripuit dicens, Vobis enim sacerdotibus lugens loquor, quia nonnullos vestrûm cum præmiis facere ordinationes agnouimus. Cùm esset Pontifex primæ sedis in toto terrarum orbe, non omnes generali inuectione, interponens nonnullos, sicut iste ferula magistrali sine vlla exceptione percussit. In istius autem compositoris Capitulo videat lector, quæ plebs dominica non sit conculcata, quæ ciuitas non sit dehonorata, quis Episcopus non sit, non dicam morsus, sed annullatus, quis Princeps non reprehensus, quis Archiepiscopus non confutatus. Ait enim, « Indiscussi & inexaminati, scientiæque litterarum « penè ignari, minúsque Apostolicæ præceptioni appropinquantes, « per ciuitates ordinantur Episcopi. Placuit vt si quando alicuius ci- « uitatis Episcopus vocatione Domini decesserit, à gloriosissimis Principibus supplicando postuletur, & reliqua quæ prosequitur. ac si dicat, quia hactenus talia Principes non concesserunt. Deinde de Archiepiscopis dicit, « Si aut turpiter cupiditate quacumque Metropoli- « tanus victus, aut aliquo munere deceptus, tantum opus negligen- « ter & ægrè fuerit executus, iudicium omnia cernentis Dei se incur- « rere non dubitet. sed & sententia Ecclesiastica nouerit se culpan- « dum.

Ecce quales esse Principes denotauit, ecce quales Archiepiscopos cupiditate scilicet victos & munere deceptos descripsit, ecce quales Episcopos per ciuitates ordinatos adseruit. Legimus in canonibus, & sancto Gregorio docente didicimus, quia sacri canones Simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt, quorum cathedras Redemptor noster euertit, & sacerdotium destruit, & qui pro manus impositione munus donat vel accipit, ipse se anathema efficit. Scimus enim, quod in spiritalibus deuitare debemus, munus esse à manu, munus à lingua, munus ab obsequio. Vnde Dominus per Prophetam dicit, *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* (Esa. 33. 15.) Propterea considerandum, secundùm admonitionem sancti Gregorij, qualis in regimine erit qui ad hoc promouetur vt hæreticus fiat. Si tales sunt Principes, si tales Archiepiscopi, si tales per ciuitates sunt ordinati Episcopi, væ illis terris, quas tales non so-

lùm infructuosæ, verùm & noxiæ ficulneæ non modò occupant, certè sed opprimunt. Væ peccatricibus ciuitatibus, quibus pestes huiusmodi insident, væ miseris plebibus, quæ erroneæ & sine pastore non solùm dentibus, verùm & gutturibus luporum hiantibus sine vllo patent obstaculo, sine vllo verbi Dei lumine sedentes in tenebris, sine pane verbi Dei & sine refectione spiritali, inedia tabescentes morti propinquant, & quod est lugubrius sempiternæ. petentes panem paruuli, & non est qui frangat eis, quo abundant etiam mercenarij in domo istius tanti patris qui nos miseros descripsit Episcopos: ita vt de sola plebe illis commissa possimus, si tamen possumus dicere, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, scilicet quæ ille largitur: beatus populus cuius rector sine comparatione iste est solus. Qui sicut de Iob nuntiis dicitur remansit ille solus, vt nuntiaret Ecclesiæ, quales non rectores sed subuersores sustineat. Sed audiat Dominum sibi respondentem quod dixit Heliæ alio affectu quàm iste hæc dixerit conquerenti, remansi ego solus. *Reliqui*, Dominus inquit, *mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal.* Quocirca & Dominus, gratias suæ misericordiæ sempiternæ, plures & aliter & alios per ciuitates habet ordinatos Episcopos, & aliter ordinantes Archiepiscopos, talésque Principes, qui sua concessione à diuinis regulis per contemptum deuiare non satagunt. Istorum compositor Capitulorum, primi Adam filius, sciens se peruersa scripturum, in præfatione eorumdem Capitulorum nomina Episcoporum connumerauit, volens se inter ligna paradisi ne peccator agnosceretur abscondere, & quasi opertus operimento pretiosorum lapidum, & condensis frondibus palliatus, vt gloriosior ceteris appareret in isto Capitulo se monstrauit, sicut & in illis Capitulis, quæ nomine Valentinæ Synodi prænotauit, in quibus se ex nomine quàm maximè conlaborasse descripsit.

Psal.143.15.

3.Reg.18.19.

Si autem generalem calumniam, ne nos inde perciperemus, nobis specialiter inrogare decreuit, non pro illius redargutione, sed pro eorum qui fortè nostros aditus ad ordines sacros ignorant satisfactione, quomodo se rei veritas habeat cunctis legentibus ac scire volentibus innotescere procuramus. De Metropolitano siquidem metropolis Remorum Ecclesiæ iam quæstio fuerat, sicut in gestis synodalibus qui voluerit pleniùs inuenire valebit, Residentibus in Synodo venerabilibus Episcopis in nomine Domini, Hincmaro Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Wenilone Sennense Archiepiscopo, Amalrico Turonense Archiepiscopo, Theoderico Camaracense Episcopo, Hrothado Suessonicæ vrbis Episcopo, Lupo Catalaunense Episcopo, Immone Nouiomagense Episcopo, Erpuino Siluanectense Episcopo, Yrminfrido Beluacense Episcopo, Pardulo Laudunense Episcopo, Hilmerado Ambianense Episcopo, Huberto Meldense Episcopo, Aio Aurelianense Episcopo, Prudentio

Trecassinæ ciuitatis Episcopo, Herimanno Niuernense Episcopo, Iona Augustidunense Episcopo, Godelsado Cauillonense Episcopo, Dodone Andegauense Episcopo, Guntberto Ebrocense Episcopo, Hildebranno Sagense Episcopo, Erloino Constantiæ vrbis Episcopo, Baltfrido Baiocensis Ecclesiæ Episcopo, Heirardo Lexouiensis Ecclesiæ Episcopo, Ansegaudo Abrincatinæ vrbis Episcopo, Teutboldo Lingonicæ vrbis Episcopo, Breidingo Matiscentium Ecclesiæ Episcopo, Launo Æquolesinæ ciuitatis Episcopo, Ricboldo Remensium Chorepiscopo. Residentibus etiam Presbyteris & Abbatibus, Dodone Abbate Monasterij sancti Sabini, Lupo Abbate Monasterij Bethleem quod Ferrarias dicitur, Bernardo Abbate Monasterij sancti Benedicti quod appellatur Floriacus, Hodone Abbate ex Monasterio Corbeiæ, Henrico Abbate ex Monasterio Corbionis, Bauone Abbate ex Monasterio Orbacense, & quamplurimis aliis sacerdotibus & Abbatibus. & adstantibus diaconibus, adstante quoque & reliquorum graduum clero. Residente etiam in medio cœtu Episcoporum glorioso rege Karolo, qui eidem sacræ Synodo suam est dignatus exhibere præsentiam, apud Suessonis ciuitatem, in Monasterio sancti Medardi Confessoris Christi, quod situm est in suburbio ipsius ciuitatis, in Ecclesia quæ est in honore sanctæ Trinitatis sacrata, anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCLIII. anno etiam iam dicti Principis Karoli XIII. Indictione prima, VI. Kalend. Maij. Dum quædam Ecclesiastica & pernecessaria negotia in eadem Synodo ventilarentur & diffinirentur, habita est ratio de ordinatione ipsius Hincmari Metropolitani Remorum Episcopi. qui quoniam Ebo, qui eiusdem sedis Archiepiscopus fuerat, adhuc viuebat, dicebatur à quibusdam contra regulas canonicas ordinatus. Vnde ordinatores ipsius tale reddidere responsum. Theodericus enim Camaracensis Episcopus hæc quæ sequuntur libellum porrigens protulit. Leo, inquit, Papa in decretis suis ad Episcopos per Cæsariensem Mauritaniam constitutos, aut confutatum, aut certè confessum iubet subiacere sententiæ ita dicens, Adiectum etiam illud est, quòd huic temerè subordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustæ posset subiacere sententiæ, vt vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur acciperet.] Iam de conuincendo qualiter accusari & conuinci debeat, manifestum est quia per scripturam vel testibus debeat accusari, sicut scriptum est de Episcopis & clericis in lege Theodosiana, in libro quinto sententiarum Pauli, Conuinci nemo potest in iudicio sine testibus aut scriptura.] Quia etiam leges Romanas in hoc negotio canonica probet auctoritas, scriptum est in Concilio Toletano capite vndecimo, ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur, Dignum est vt vita innocen-

Epist. 87. cap. 2.

Cap. V.

Conc. Tolet. VI. can XI.

tis non maculetur pernicie accusantium. Ideo quisquis à quolibet criminatur, tam accusatus quàm accusator præsententur, atque legum & canonum sententiæ exquirantur.]

Ecce manifestum est, quia leges diuinæ & humanæ non nisi aut apertè confessum aut apertè conuictum adiudicent vel condemnent, & qualiter accusatus accusari vel conuinci debeat designatum est. Nunc videndum de quo ordine adiudicatorum vel condemnatorum Ebo fuerit, quem manifestum est fuisse depositum. Qui postquam in Ecclesia sancti Stephani apud Mediomatricum ciuitatem ambonem conscendit, & se publicè denotauit coram Episcopis & Imperatore & clero ac populo qui adfuerunt, quoniam eundem Imperatorem Hludouuicum falsò criminatũ, & iniustè ab imperiali sede depositum publicæ pœnitentiæ subdidit. De quibus & libellum manu sua subscriptum eidem Imperatori porrexit, quem qui quæsierit, in archiuo ipsius Metensis Ecclesiæ inuenire valebit. Vnde etiam accusatus ab ipso Augusto, in generali Synodo habita in palatio Theodonisuilla, inducias petiit, & secundùm canonicam institutionem elegit sibi per consensum Synodi Episcopos iudices peccatorum suorum, quos canones electos appellant, de quibus scriptum est in concilio Africano cap. LXIII. vt ab electis iudicibus prouocari non liceat, & dedit libellum Synodo manu sua firmatum hæc eadem continentem.

» EGO EBO indignus Episcopus, recognoscens fragilitatem meam,
» & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos Aiulfum
» videlicet Archiepiscopum, & Badaradum Episcopum, nec non &
» Modoinum Episcopum, constitui mihi iudices delictorum meo-
» rum, & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœniten-
» di, & salutem animæ meæ, vt recederem ab officio & ministerio
» Pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me red-
» dens pro reatibus meis, in quibus peccasse secretò ipsis confessus sum,
» eo scilicet modo, vt ipsi sint testes alio succedendi & consecrandi sub-
» rogandique in loco meo, qui dignè præesse & prodesse possit Eccle-
» siæ, cui hactenus indignus præfui. Et vt inde vltra nullam repetitio-
» nem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu
» propria mea subscribens firmaui. † EBO quondam Episcopus subscripsi. Hac scriptura coram Synodo prolata atque confirmata, confessus est ipse viua voce, & dedit testes alios exceptis iudicibus, Nothonem Archiepiscopum, Theodoricum Episcopum, & Achardum Episcopum, & sic ab omnibus qui in eodem Concilio fuerunt Episcopis accepit sententiam, dicentibus per ordinem omnibus, Secundùm tuam confessionem cessa à ministerio. Et sic coram ipso, iubente ac audiente Synodo, dictatum est à Iona Aurelianense Episcopo Heliæ presbytero postea Carnotensi Episcopo, & præscriptæ paginæ confessionis eiusdem in ipsa Synodo subscriptum atque sub-
» iunctum hoc modo, Acta est hæc Ebonis professio, eiúsque propriæ

manus ſubſcriptione roborata, in conuentu Synodali generaliter habito apud Theodonis villam, anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCC. XXXV. anno etiam imperij glorioſi Cæſaris Hludouici XXIII. Indictione XIII. ſub die Kalendarum IV. Nonarum Martij. Hi ſunt epiſcopi, qui confeſſionem manu ſua propria firmatam audierunt, in qua continebatur quòd ipſe Ebo pro quibuſdam criminibus, quæ confeſſoribus ſuis Aiulfo Archiepiſcopo, Badarado Epiſcopo, Modoino Epiſcopo, Achardo Epiſcopo, Theoderico Epiſcopo, & Nothoni Archiepiſcopo confeſſus eſt, nullatenus officium Pontificale agere deberet. Nam & ipſi teſtes, eodem Ebone poſcente & coràm adſtante, in conſpectu omnium qui adfuerunt, tam Epiſcoporum quàm & ceterorum ſacerdotum, viua voce teſtificati ſunt, quia tale peccatum eis confeſſus fuerat, pro quo dignus non erat Epiſcopale miniſterium vltrà iam agere. Sed & hoc ipſi teſtes & confeſſores ſui intulerunt, quia ſi idem peccatum ante ordinationem admiſiſſet, nullo modo Epiſcopus ordinari debuiſſet. Pro qua re ad eorum conſilium dixit ſe idem Ebo coram omnibus ad miniſterium Epiſcopale indignum, & ab eo recedere debere, & ſub pœnitentiæ modo Dominum ſibi propitium facere velle. Nam & Epiſcopi, ſecundùm confeſſionem ipſius manu ſua propria roboratam, & teſtimonium confeſſorum ſuorum, decreuerunt vt à miniſterio recederet Pontificali, & aliis orationum officiis & excubiis Domino ſeruiendo eum ſibi propitium faceret. Hæc ſunt nomina eorundem Epiſcoporum. Drogo Archiepiſcopus, Hetti Archiepiſcopus, Otgarius Archiepiſcopus, Ragnoardus Archiepiſcopus, Landrannus Archiepiſcopus, Aldricus Archiepiſcopus, Notho Archiepiſcopus, Aiulfus Archiepiſcopus, Ratoldus Epiſcopus, Ionas Epiſcopus, Frotarius Epiſcopus, Erchanradus Epiſcopus, Raganarius Epiſcopus, W lfinus Epiſcopus, Theodericus Epiſcopus, Acardus Epiſcopus, Rothadus Epiſcopus, Batradus Epiſcopus, Modoinus Epiſcopus. Item Theodericus Epiſcopus, Walocharius Epiſcopus, Godolricus Epiſcopus, Godofridus Epiſcopus, Teutmundus Epiſcopus, Ermbertus Epiſcopus, Hubertus Epiſcopus, Erardus Epiſcopus, Albericus Epiſcopus, Freculfus Epiſcopus, Ioannes Epiſcopus, Hildemannus Epiſcopus, Hildi Epiſcopus, Chriſtianus Epiſcopus, Siſagutus Epiſcopus. Item Raganarius Epiſcopus, Criſpio Epiſcopus, Teutgaudus Epiſcopus, Bonus Epiſcopus, Fauo Epiſcopus, Ado Epiſcopus, Teutbertus Epiſcopus, Wiladus Epiſcopus, Morbertus Epiſcopus. Et hæc ſcriptura, iudicante Synodo poſt hæc omnia patrata, data eſt à Drogone, qui Synodo præſidebat vnà cum Hetti Epiſcopo Treuerenſi, Fulconi qui ſucceſſor in ſede Remenſi Ebonis fuerat deſignatus.

Hoc autem ita verum eſſe vt dicimus, etiam qui Annalem domini Hludouici Imperatoris hiſtoriam de anno DCCC. XXXV. Domi-

nicæ incarnationis reuoluerit, manifesta lectione comperiet. Ceterum, vt præmisimus, de huiusmodi vnius subscriptione pro omnibus, sicut hîc Ionas Episcopus rogatu omnium coram omnibus & pro omnibus manu notarij Synodalis egit, qui legerit in Concilio Africano cap. LII. & cap. LX. sufficienter reperiet. Quia autem huiusmodi libellari confessione, quàm sequi debet propriæ manus subscriptio, Episcopus corporis siue animæ infirmitate grauatus, vt non debeat vel non possit ad ministerium sacrum consurgere, à sede Episcopali & sacerdotio debeat remoueri, & in loco eius alius subrogari & ordinari, in Decretalibus epistolis Apostolicæ sedis Pontificum frequentissimè inuenitur, & beatus Gregorius in suis multoties designat epistolis, sicut ad Ioannem primæ Iustinianæ Archiepiscopum de Paulo, & ad Marianum Episcopum Rauennatium, & ad clerum ac plebem Ariminensium, nec non & ad Anatolium diaconum, & ad Ætherium Episcopum, atque ad Brunechildem reginam de infirmo Episcopo, & Zosimus de Proculo. In epistolis quoque Ioannis Papæ de Contumelioso Episcopo. Sed & in Gallicanis canonibus de Potamio Braccarense Archiepiscopo, & Synodo Valentina euidenter agnoscitur. Et de huiusmodi confessione Leo in decretali epistola ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum euidenter demonstrat, sicut qui voluerit legere præualebit. Et post hæc omnia isdem Ebo quondam Episcopus libellum pœnitentiæ edidit, in quo crimina quæ confessus antea suis iudicibus ac testibus fuerat scripto exposuit, pro quibus se pœnitentiam septennem egisse conscripsit, & hunc satisfactionis libellum in Ecclesia Remensi publicè recitauit, quem hactenus diligentia Remensis scrinij inter alia gesta custodit. Et hoc modo depositus Apostolicam sedem & Papam Sergium adiit. Apud quem, sicut in gestis Pontificalibus lector quisque præualet inuenire, ista obtinuit.

Epist. 1.

» Ita enim ibi ad locum scriptum est. His igitur peractis, prædictum
» postulauerunt Pontificem, vt omnes primates Romani fidelitatem
» ipsi Hludouuico regi per sacramentum promitterent. quod pruden-
» tissimus Præsul fieri nequaquam concessit, & sic orsus est illis, Quia
» si vultis domno Hlothario magno Imperatori hoc sacramentum
» vt faciant solummodò, consentio atque permitto. Nam Hludouui-
» co eius filio vt hoc peragatur, nec ego, nec nobilitas Romanorum
» consentit. Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam
» beatissimus Pontifex, quàm magnus rex, & omnes Archiepiscopi
» atque Episcopi, stantibus reliquis sacerdotibus, & Romanorum ac
» Francorum optimatibus, fidelitatem Hlothario magno Imperatori
» semper Augusto promiserunt. Post hæc verò, Ebo quidam & Bar-
» tholomæus Archiepiscopi, qui pro criminibus suis priuati honore
» ab Ecclesia fuerant expulsi, sanctissimo Pontifici postulabant, vt eos
» reconciliare ac pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem

Præſul, nec communionem inter clericos dignos eſſe ſuſcipere dicebat, ſed inter communem populum communicandi licentiam tantummodò haberent.

Tranſacto autem decennij tempore poſt depoſitionem ipſius Ebonis, conuenerunt Epiſcopi Remorum diœceſeos ad Synodum Beluacenſium ciuitatis, & obtinuerunt conſenſu domni Karoli regis glorioſi quendam ex diœceſi Sennenſi, & parœcia Pariſiaca, apud Archiepiſcopum & ciuitatis ipſius Epiſcopum, ceteróſque Prouinciæ eiuſdem Coepiſcopos, Hincmarum venerabilis Monaſterij ſanctorum Martyrum Dionyſij ſociorúmque eius monachum, quem cum decreto canonico cleri & plebis Remorum Eccleſiæ eidem Metropoli ordinauerunt Epiſcopum, ſicut diœceſeos Remorum Epiſcopi in præfata Synodo euidentiſſimis & regularibus ſtuduerunt oſtendere documentis. quia vt in epiſtola ad clerum & plebem conſiſtentem Neapoli ſanctus dicit Gregorius, canonicis eſt regulis conſtitutum, vt defuncto vel ſublato paſtore diu ſacerdote ciuitas priuari non debeat. Ceteri autem ipſius Remorum diœceſeos Epiſcopi, ſi de canonico habitu nutu diuino ad epiſcopalem ordinem ſumus adſumpti, de notis Eccleſiis, ſecundùm ſacris regulis modum præfixum, ſine interuentione indebiti muneris ordinati exiſtimus. & ſi de monachica inſtitutione ſumus expetiti, ſecundùm doctrinam beatorum Siricij atque Gelaſij, iuxtáque regulas ſancto Spiritu promulgatas, ad ordinem epiſcopatus cum præſentia & ordinatione Archiepiſcopi gratia diuina peruenimus. ſicuti vnà cum eodem Archiepiſcopo noſtro, cui ſecundùm quartum capitulum Nicæni Concilij firmitas eorum quæ geruntur per vnamquamque Prouinciam vt Metropolitano eſt tributa Epiſcopo, ſcriptis canonicis demonſtrare valemus. Sed & Princeps noſter, Eccleſiaſticis regulis humiliter ſubditus, iuſtis & rationabilibus ſacerdotum petitionibus deuotiſſimè annuit, & vt regulares ac regulariter ordinentur Epiſcopi, & miniſterium ſuum Deo placitè peragant, fauendo, monendo, & adiuuando agit & ipſe ſatis.

Lib epiſt.

Quia verò ſcriptum eſt, *ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis ei efficiaris*, & mox ſubſcriptum eſt, *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, quod vtrumque obſeruare valebit, qui tempus, locum, perſonam, cauſámque ſecundùm rationem diſcreuerit, quiſcumque talia, ſicut catholicorum doctrina redarguentes ſuprà oſtendimus, contra rectam fidem ſcripſit, contra epiſcopalem auctoritatem tanta præſumpſit, de principali dignitate indigna ſignificauit, ponat ſe ante ſe, & ab ipſis rudimentis infantiæ vias greſſuum ſuorum cogitet, & quo itinere ad hæc quæ tenet peruenerit ſollerter inſpiciat, ſibíque ad tempus conſulat dum poteſt, ne commodè non poſſit cùm incommodè fortaſſis volens nolénſque ſategerit. Nos autem memores ſcripturæ dicentis,

Prou. 16 4.

Prou.29.11 *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt & reseruat in posterum*, quenquam ex nomine & manifesta reprehensione designare non volumus. scientes Dominum significationibus potiùs, quàm apertis inuectionibus, proditorem corripuisse, vt conscius ageret pœnitentiam. Ideóque vt dicit Apostolus, *ne fortè* & huic de quo significamus *det Dominus pœnitentiam vt resipiscat, &* postea mordeat nos conscientia, secundùm Salomonis edictum quo præcipit, *Quæ viderunt*, inquiens, *oculi tui ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis, cùm dehonestaueris amicum tuum*, nominatim denotare illum non volumus, quem secundùm dominicam iussionem secretò & cum adhibitis corriperemus, si non tantisper & tantis quæ depingitur foret causa notissima. De qua siquidem poteramus diuinas leges sic subdendo excepta fidei causa connectere. Sed superfluum est leges colligere, cùm adhuc nemo personam studet signatiùs demonstrare. Hæc de septimo isto Capitulo coacti nolentésque respondimus, non iactando nos quasi vana gloria capti, nec velut stomachantes vt bilis amaritudinem, ita rancorem animi contra quemlibet digerentes. Nec enim est cui debeamus irasci, quia sufficit nobis in hoc negotio, non solùm synceræ conscientiæ testimonium, verùm & notitia certa plurimorum fidelium. Potiùs est enim præsumptiosa loquenti compatiendum, quàm de impactione huiusmodi innoxiis irascendum. Sed zelo ac necessitate veritatis & fidei ad ista respondimus, ne fortè cùm quisquis hoc Capitulum legerit, vt de nobis dictum, ita illud in nobis putet esse completum, & sicut inordinatè ordinatos ita nos credat in synceritate fidei dubiosa & hæretica prauitate pollutos. Quapropter reprehensibilis reprehensor noster, cùm fortassis se à nobis legerit reprehensum, non reprehensione sua contra nos irascatur, & veritatem fidei pro nostro nomine aspernetur, memorans Apostolorum Principem, quia sic necessitas pro veritate Euangelij exigebat, à beato Paulo etiam coram omnibus reprehensum, & à benigno Petro reprehensoris sui epistolas in quibus reprehensum se legerat conlaudatas, probánsque seipsum si voluerit concors, qui nunc dicitur discors noster, sic in seipso gloriabitur, & non in altero, cum causa sua se metiens.

2.Tim.2.24 · Prou.25.8.

CAP.

CAPVT XXXVII.

Et quoniam nuper remota hæresis olim vt ostendimus in veteribus hæreticis est reuicta, quid de huiusmodi praue sentientibus Ecclesiastica decernat auctoritas, per duodecim Capitula præmissis subnectere procurauimus.

DE hoc autem vnde certi sumus, & quæ sine periculo licèt multis sint cognita tegere silentio non valemus, quæque pro ministerio nobis imposito his quæ præmisimus subiungere ex auctoritate Ecclesiastica cõmonemur, opportunè importunè volentibus & nolentibus ingerere procuramus. Scilicet quia de his quatuor Capitulis, sicut iam suprà ostendimus, circa temporalis vitæ terminum B. Augustini mota est hæresis, quæ reuicta atque repulsa siue compressa est auctoritate sancti Papæ Cælestini, instantia beati Prosperi, ex dictis eiusdem beati Augustini, & cæterorum catholicorum magistrorum doctrina, quid à sede Apostolica virísque Apostolicis decretum sit de hæresi semel reuicta ac conculcata, de his etiam qui eam resuscitare vel in ea permanere delegerint, præmissis capitulatim subnectere necessarium dignúmque censuimus.

I. Quòd damnata semel hæresi contra eam non sit postea disputandum, Gelasius in Tomo reddendæ rationis Acacium à sede Apostolica competenter fuisse damnatum. Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius. & ad locum, Stultitiam, inquit, respuentes inanium querelarum, percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter, quoniam patres nostri, catholici videlicet doctíque Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem prædicationémque maiorum facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmúmque constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt. Sapientissimè peruidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus iam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire concilium? cùm quælibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa promat falsitas, & si ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens. Quæ maio-

Gelasij epist. xi. in principio.

res nostri diuina inspiratione cernentes necessariò præcauerunt, vt contra vnamquamque hæresim quod acta semel Synodus pro fide, pro communione & veritate catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis posthæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi.] Hinc magnus Leo Papa in epistola per Philoxenum agentem in rebus Leoni Augusto directa, Prænoscat igitur, inquiens, pietas tua, venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos, à sede Apostolica profecturos, quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem sicut Deo placuit diffinitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas. Instructioni autem paruulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerij nostri præsidium non negamus, & sicut simpliciores non spernimus, ita à rebellibus hæreticis abstinemus, memores præcepti Dominici dicentis, *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos.* Nimis quippe indignum, nimísque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per prophetam dicens, *Filij alieni mentiti sunt mihi.* Qui etiamsi Euangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est, *Deum se profitentur scire, factis autem negant.*] Item idem in epistola ad Marcianum Augustum, Per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & quæ olim maiorum sunt auctoritate damnata, rediuiuis nunc non permittatis conatibus excitari.] Item in epistola ad Leonem Augustum, Hæc autem Dei munera ita demum nobis diuinitùs conferentur, si de his quæ sunt præstita non inueniamur ingrati, & tanquam nulla sint quæ adepti sumus, contraria potiùs expetamus. Nam quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?] Item in epistola ad Synodum Chalcedonensem, Vnde fratres carissimi, reiecta penitùs audacia disputandi contra fidem diuinitùs inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non licet credi.] Vnde & pluraliter decreta inueniuntur.

Epist. 84.

Matt. 7.

Tit. 1.

Epist. 45.

Epist. 84.

Ep. XLIX.

II. Quòd semel auctore hæreseos condemnato, omnes in eandem hæresim recidentes habeantur damnati. Item Gelasius in Tomo reddendæ rationis Acacium à sede Apostolica competenter fuisse damnatum, Sed auctore cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris

In epist. XI. ad Dardanos, in principio.

communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. Et vt breuitatis causa priora taceamus, quæ diligens inquisitor facilè poterit vestigare, Sabellium damnauit Synodus, nec fuit necesse, vt eius sectatores postea damnarentur, singulas viritim synodos celebrari: sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos, qui vel prauitatis illius vel communionis extitere participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arrij forma fidei communionísque catholicæ, Nicæno prolata conuentu, Arrianos omnes, vel quisquis in hanc pestem siue consensu siue communione deciderit, sine contradictione conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, vlteriùs ad noua Concilia venire non siuit: sed vniuersos quocumque modo in has blasphemias recidentes tradito sibi limite synodali refutauit Ecclesia. nec vnquam rectè sensisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, nouis ausibus quæ fuerant salubriter constituta temerasse.] Non autem nos latet, in tempestate persecutionis Arrianæ plurimos Pontifices, de exiliis pace reddita respirantes, per certas Prouincias congregatis secum fratribus Ecclesias composuisse turbatas: non tamen vt illius Synodi Nicænæ quicquid de fide & communione catholica diffiniuerat immutarent, nec noua quemquam pro lapsu damnatione percellerent: sed illius tenore decreti nisi resipuisset iudicare damnatum. essétque consequens, vt nisi corrigeret damnationi proculdubio subiaceret.] Et in eodem post aliquanta, Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto exsecrationem suî gestat & pœnam.] Et item in epistola ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum, Adhuc quæritis, inquit, quando fuerit damnatus Acacius, quasi reuera etiamsi eum nullus antè damnasset, non habuerit ab orthodoxæ & Apostolicæ communionis, cuius præuaricator extitit & desertor, participatione secludi, sicut etiam quilibet, qui fuerit antè catholicus, cuicumque hæresi communicans, meritò iudicatur à nostra societate remouendus, aut in tali sorte defunctus, inter catholicorum nomina nullatenus computari.] Item idem in Commonitorio eiusdem dato Fausto Magistro, & Irenæo fungentibus Legationis officio Constantinopolim, ad locum. Euphemium verò, inquit, miror si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari. Itáne non perspicit, secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec nouit eam, aut se nosse dissimulat, in qua vtique per numerosam sententiam sacerdotum erroris huius auctores constat fuisse damnatos, sicut in vnaquaque hæresi à principio Christianæ religionis, & factum fuisse, & fieri manifesta rerum ratione monstratur?] Et Leo in epistola ad

Epist. IX.

Ante epist. IX.

Epist. 81. in principio.

Leonem Augustum, Nam cùm sancto & spiritali studio vniuersam pacem Ecclesiæ muniatis, nihílque sit conuenientius fidei defendendæ, quàm his quæ per omnia instruente Spiritu sancto inreprehensibiliter definita sunt inhærere, ipsi videbimur bene statuta conuellere, & auctoritates quas Ecclesia vniuersalis amplexa est ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum conlidendis Ecclesiis modum ponere, sed data licentia debellandi dilatare magis quàm sopire certamina.

III. De complicibus communicatoris hæreseos item idem, in Tomo reddendæ rationis Acacium à sede Apostolica competenter fuisse damnatum, ad vniuersos Episcopos per Dardaniam constitutos. Quia eorum, scilicet hæreticorum, successoribus communicare delegerant, ideo cum sede Apostolica minimè congruebant. quia in sortem reciderant præuaricatoris Acacij, & illius se sine dubio peruidebant sententia consequenter adstringi, ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem præuaricatione damnatos, in qua hodiéque manentes consistunt. Sed sicut hi simili conditione constricti complicem suum non possunt iudicare non iure damnatum, neque rei reum possunt competenter absoluere: sic illo iustè præuaricatore damnato, isti quoque pari iacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolui, quia sicut per vnum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est qui in eandem perfidiæ reciderant actionem, sic in vno eodémque, qui pro omnibus scripserat, vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum.] Et item idem, in epistola ad Anastasium Imperatorem. Proinde, inquit, sicut non potest peruersitatis communicatore suscepto, non pariter peruersitas approbari, sic non potest refutari peruersitas, complice sectatore peruersitatis admisso. Legibus certè vestris criminum conscios sectatorésque latrocinantium par iudiciorum pœna constringit: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdúsque receperit. Proinde sanctum Chalcedonense Concilium, quod pro fidei catholicæ atque Apostolicæ veritatis communione celebratum, damnauit Eutychetem detestandi furoris auctorem, non satis habuit nisi vt pariter eius quoque consortem Dioscorum ceterósque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in vnaquaque hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum, Timotheum, Petrum, atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto Concilio, sed synodi semel acta regula consequenter elisit. Quemadmodum ergo non euidenter apparet, etiam cunctos simili tenore cõstringi, qui eorum communicatores & complices extiterunt, atque omnes omnino à catholica atque Apostolica meritò communione discerni?] Item idem in Tomo de anathematis vinculo à Papa Felice innexo A-

Epist. 11. sub finem.

Epist. 1. post mediũ

Post epist. VIII. non longè à principio.

cacio. Sicut enim, inquiens, in quantum est ipse error, nunquam error esse desistit, sic à sententia nunquam præfixa resoluetur, quia error qui agnoscitur esse damnatus, eadem quamdiu manet error probatur adstrictus. Itaque qui in eo errore sunt, sententia erroris obstricti sunt, & quamdiu in eo manent nullatenus absoluti sunt, sicut nec ipse in quo sunt error absoluitur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur, sed qui eo veraciter caruerit, atque ab eius participatione discedit. Quamdiu ergo in eis est error, damnationem suam tenet, nunquámque resoluitur, quia error semper pœnam meretur. Participes verò eius, aut semper sunt & eius pœnæ participes, si in eodem perstare non desinant, aut si ab eodem recesserint, quàm alieni facti sunt ab errore, & ab eius participatione discreti, tam & à pœna eius erunt consequenter alieni. Cùm erranti pœna præfigitur, quamdiu manet errans, eadem pœna constringitur, quia errans esse non potest sine pœna errati. Hæc eadem pœna perpetua est, nunquámque soluenda quamdiu errans esse perstiterit. Qui si errans esse desierit, pœna quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti, id est alteri effecto quàm cui præfixa est, non solùm non potest esse perpetua, sed nec esse iam pœna. Non est enim ipse cui præfixa est.] Item Leo in epistola ad Pulcheriam Augustam de Eutyche, Qui cùm, inquit, videret insipientiæ suæ sensum catholicis auribus displicere, reuocare se à sua opinione debuerat, nec ita Ecclesiæ Præsules commouere, vt damnationis sententiam mereretur excipere. quam vtique si in suo sensu voluerit permanere nullus poterit relaxare.] & item in eadem, Sedis enim Apostolicæ moderatio hanc temperantiam seruat, vt seueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.]

Ep.XVIII.

IV. Quòd, si Episcopi hæresi olim damnatæ consenserint, vel hæresis communicatori communicauerint, cum eis à catholicis Synodus celebrari non debeat, idem Gelasius in præfato Tomo ad vniuersos Episcopos per Dardaniam constitutos, Ponamus tamen, inquit, etiam si nulla Synodus præcessisset, cuius Apostolica sedes rectè fieret executrix, cum quibus erat de Acacio Synodus ineunda? Numquid cum his qui iam participes tenebantur Acacio, & per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis, & per exilia diuersa relegatis, socij euidenter existebant, communionis externæ, priùs se ad hæc consortia transferentes, quàm sedis Apostolicæ scita consulerent? Cum quibus ergo erat Synodus ineunda? Catholici Pontifices erant vndique iam depulsi, solíque remanserant socij perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conuentum, dicente Psalmo, *Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Nec Ecclesiastici moris est, cum his qui pollutam habent communionem permixtámque cum perfidis miscere Concilium. Rectè igitur per Chalcedonensis Synodi formam, hu-

Epist.XI. post.mediū

Psal.I.

iuſmodi præuaricatio repulſa eſt, priuſquam ad Concilium quod nec opus erat poſt primam Synodum, nec cum talibus haberi licebat.

V. Et quia hæc hæreſis ab Apoſtolica ſede, beati Papæ Cæleſtini auctoritate, inſtantia ſancti Proſperi, ſacrarum ſcripturarum & orthodoxorum magiſtrorum documento olim deuicta, & moderno tempore, leuiſſimorum & penè nullius momenti vel ſcientiæ non dicam auctoritatis virorum eſt remota, quid de remouentibus & quaſi frigidos cineres in ſuos oculos reſufflantibus agi conueniat, idem ſanctus Gelaſius in præfato Commonitorio legatis Apoſtolicæ ſedis Conſtantinopolim deſtinatis tradito ita dicit, Secundùm formam, inquiens, Synodi Chalcedonenſis Acacium conſtat fuiſſe damnatum, ſicut in vnaquaque hæreſi, à principio Chriſtianæ Religionis, & factum fuiſſe, & fieri manifeſta ratione monſtratur, deceſſoremque meum executorem fuiſſe veteris conſtituti, non nouæ conſtitutionis auctorem. Quod non ſolùm Præſuli Apoſtolico facere licet, ſed & cuicumque Pontifici, quo ſcilicet quemlibet ſecundùm regulam hæreſeos ipſius antè damnatæ à catholica communione diſcernat. Acacius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua ſcita prodirent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Itaque neceſſe eſt vt in illam recideret iuſta lance ſententiam, quam cum ſuis ſucceſſoribus per conuenientiam ſynodalem ſuſceperat auctor erroris.] Hinc & ſanctus Leo vniuerſis Epiſcopis per diuerſas Prouincias conſtitutis inculcat, dicens ad locum, Aliter enim, inquit, nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi hos qui ſunt perditores & perditi zelo fidei Dominicæ perſequamur, & à ſanis mentibus, ne peſtis hæc latiùs diuulgetur, ſeueritate qua poſſumus abſcidamus. Vnde hortor dilectionem veſtram, obteſtor & moneo, vt qua debetis & poteſtis ſollicitudine vigiletis ad inueſtigandos eos, necubi occultandi ſe reperiant facultatem. Vt enim habebit à Deo ingens remunerationis præmium, qui diligentiùs quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ ſe non poterit excuſare, quicumque plebem ſuam contra ſacrilegæ perſuaſionis auctores noluerit cuſtodire.] Hinc ſanctus Ambroſius in tractatu epiſtolæ ad Galatas, Tam, inquit, firmum & verum Euangelium quod eis prædicauerat aſſerit, vt etiam ſe ipſos, id eſt Apoſtolos, ſi immutati fortè aliter prædicarent, non audiri doceret. quorum vtique fama, quòd eſſent Apoſtoli Chriſti, peragrauerat omnem locum. Aut ſi fortè diabolus, Angelum Dei ſe fingens vt facilè poſſit audiri, de cælis appareret contra hæc prædicans, ſciretur eſſe contrarium, & abominatio haberetur. Si ergo Apoſtolos Chriſti, quorum tam præclara opinio in ſignis & prodigiis erat faciendis, & Angelum de cælo, quem poſſit ſpiritalis ratio commen-

Ante epiſt. IX.

Epiſt II. Epiſcopis Italiæ.

Cap. I.

dare, aliter docentes quàm ab Apostolo Paulo docti erant anathematizari præcepit, quanto magis quos nullum testimonium ad seducendum potest commendare?] Item in epistola Cælestini ad Nestorium, Si quasi nota contemnis, intellige te inexcusabilem fore, cùm à te commissi tibi talenti quæsierit ille rationem, qui per nos de hoc sancto fœnore suum lucrum semper expectat. Aspice quæ pœna illum maneat qui abscondit acceptum, qui integrum certè restituit quod accepit. Vnde euidenter aduerte, quod sit & quale periculum nec hoc quod acceperis reddidisse. An tu Domino dicturus es, Quos dedisti mihi custodiui? Cùm sic scindi in partes audiamus eius Ecclesiam, qua conscientia viuis penè ab omnibus in hac ciuitate desertus? optaueram eos tunc fuisse tam cautos, quàm nunc sunt cùm sibi desiderant subueniri.] & item, Itaque quamuis etiam frater Cyrillus secundis te epistolis suis asserat esse conuentum, intelligas volo, post primam & secundam illius & hanc correptionem nostram, quam constat esse iam tertiam, ab vniuersitate collegij & conuentu Christianorum te prorsus esse seiunctum, nisi mox quæ malè dicta sunt corrigantur, nisi in eam viam redeas quam se Christus esse testatur. Malè in hunc arma desperatione mouisti, qui te super familiam suam velut fidelem prudentémque seruum permiserat antè constitui. Periit tibi huius vice officij beatitudo promissa, qui non solùm non das cibum in tempore, verùm etiam veneno inficis quos ille suo sanguine & sua morte quæsiuit.] Et item in epistola ad Constantinopolitanos, Audiat Ezechielem, & quid sibi immineat recognoscat. *Extendam*, inquit, *manum meam super prophetas, qui vident mendacia, & loquuntur vana. non in populi mei erunt disciplina, neque in scriptura domus Israel scribentur, & in terram Israel non intrabunt, quia populum meum seduxerunt.*] & item, Semper enim abscidendi sunt huiusmodi, qui conturbantes animum populi Christiani, & pro arbitrio suo Euangelia euertentes, Deo fructificare non possunt. & colenda est vinea quæ ius possessoris agnoscat.] & item, Hi omnes in nostra communione & fuerunt & hucusque perdurant. quia neminem vel deicere vel remouere poterat, qui prædicans talia titubabat.] & item, Est talis frequenter pietas, ex qua nascitur impietas, cùm vincente carnis affectu caritati illi quæ Deus est caritas præponatur corporalis.]

Cælestini epist. v.

Post pauca.

Epist. iv. Cælestini. Ezech. 13. 9

Post alia.

Sub finem.

Hinc & sanctus Ambrosius in Psalmo CXVIII. dicit, Est ergo iusta misericordia, sed est etiam iniusta misericordia. Denique in lege scriptum est de quodam, *Non misereberis illius.* & in libris Regnorum legitur, quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. Vt si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi adspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitio

Oct. VIII.

Deut. 19.

1. Reg. 15.

cogitantem? Certè si gladium reprimit, vincla dissoluit, laxat exilium, cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est accusatorem & reum, pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si esset ab accusatore conuictus, non id quod iustitiæ est iudex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem, aut dum accusatori fauet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc dici iusta misericordia. In ipsa Ecclesia, vbi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma iustitiæ, ne quis à consortio communionis abstentus, breui lacrymula atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitati sacerdotis extorqueat. Nonne cùm vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, vt sciamus, secundùm verbum Dei, secundùm rationem, dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse, si serpentis interiùs inueniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare vlceris vitium ne latiùs serpat, tamen à secandi vrendíque proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit, nonne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ vsus intereat? Rectè igitur & sacerdos vulnus graue, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus debet abscidere, & prodere virus criminis quod latet, non fouere, ne dum vnum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia. Iure ergo Apostolus diuino nos hortatur exemplo dicens, *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei.* in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonitate. Ostendens Iudæorum populum iure esse à corpore Ecclesiæ separatum, ne perfidiæ virus contaminaret Ecclesiam: populum autem gentium bonitate Domini receptum, & obedientiæ munere gloriari. Iure igitur huic diuina bonitas suffragatur, qui in diuina bonitate permaneat: si verò & ipse desciscat, pro criminis sui qualitate damnabitur. Qua gratia Deus & lux & ignis esse describitur, vt in tenebris ambulanti luceat quasi lumen, ne diutiùs possit errare qui quærit luminis claritatem. Ei autem qui multa fuerit operatus, quæ manere non debeant sed ardere, ignis est Dominus, vt operis nostri fœnum stipulámque consumat, atque vtili nos faciat saluos detrimento.]

Rom. 11.

Quia etiam sacris canonibus cautum esse dinoscitur, docente Toletano Concilio, vt in rebus necessariis legum & canonum exquirantur sententiæ, ponendum est quid in XVI. libro Theodosiano sub Titulo De fide catholica Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius Augusti edicto ad populum vrbis Constantinopoleos decre-

decreuerunt dicentes ad locum. Hanc legem sequentes Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes vesanósque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum Ecclesiarum nomen accipere, diuina primùm vindicta, pòst etiam motus nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos.] Item in eodem libro, sub titulo De his qui super religione contendunt, Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius Augusti Tatiano Præfecto prætorij. Nulli egressus ad publicum disceptandi de religione, vel tractandi, vel consilij aliquid deferendi patescat occasio. Et si quis posthac ausu graui atque damnabili contra huiusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere motu pestiferæ perseuerationis audebit, competenti pœna & digno supplicio coërceatur.] Item in eodem libro sub Titulo de hæreticis, Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Augusti Eutropio Præfecto prætorij. Nullus hæreticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum est, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab inlicitis congregationibus turbæ.] Item in libro & titulo quo suprà, Circa hos autem maximè exercenda commotio est, qui prauis suasionibus à venerabilis Papæ sese communione suspendunt, quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur. His conuentione præmissa viginti dierum condonamus inducias, intra quos nisi ad communionis redierint vnitatem, expulsi vsque ad centesimum lapidem solitudine quam eligunt macerentur.] Et item in rescripto Chalcedonensis Synodi dato Palladio Præfecto prætorij, Si qui, inquit, huius de cetero sacrilegij sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de prauitate damnata aliquem rursus proferre sermonem, à quocumque correpti ad competentem iudicem pertrahantur. quos siue clericus fuerit, siue laicus, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliqua perurgendi. Hos ergo repertos à quibuscumque iubemus corripi, deductósque ad audientiam publicam promiscuè ab omnibus accusari. ita vt probationem conuicti criminis stylus publicus insequatur, ipsis inexorati exilij deportatione damnatis.] Et item in libro decimo sexto Theodosianæ legis capite quarto, Priuilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, catholicæ tantùm legis obseruatoribus prodesse oportet. Hæreticos autem atque schismaticos, non solùm ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed etiam diuersis muneribus constringi & subici.] Et item de hæreticis omnibus, quorum & errorem execramur & nomen, hoc est de Eunomianis, Arrianis, Macedonianis, ceterísque omnibus quorum sectas piissimæ sanctioni tædet inserere, quibus cunctis diuersa sunt nomina sed vna perfidia, illa præcipimus de-

Cod.Theo. de fide catholica l.2.

Tit.iv. leg.2.

Tit.v.leg.

Tit.eodem lege 62.

Tit.v. lege 1.

Tit.v. lege 60.

bere seruari, quæ diui auus & pater nostræ clementiæ constituerunt, scituris vniuersis quòd si in eodem furore permanserint, interminatæ pœnæ erunt obnoxij.] Item in Imperiali epistola ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, Recenti quoque sanctione decreuimus, vt si quis eos in quacumque prouinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subiaceret. Præcipuè tamen quorumdam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui prauas eorum disputationes vel tacito consensu adstruunt, vel publica oppugnatione non destruunt. Religio itaque tua competentibus scriptis vniuersos faciat admoneri, sciturus diffinitione sanctimonij tui hanc sibi diffinitionem esse scriptam, vt quicumque damnationi suprà memoratorum quo pateat mens pura subscribere impia obstinatione neglexerint, episcopatus amissione multati, interdicta in perpetuum expulsi ciuitatibus communione priuentur.] Et sancta Synodus Chalcedonensis, His igitur, inquit, à nobis vndique cum omni deliberatione ac diligentia pariter ordinatis, decreuit sancta atque vniuersalis hæc Synodus, aliam fidem nemini licere proferre siue conscribere, aut euertere, vel sentire, vel aliter tradere. sed eos qui audent vel componere aliam fidem, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum volentibus ad cognoscendam se conuertere veritatem, ex ritu pagano, siue Iudaico, vel qualicumque hæretico, eos si quidem Episcopi siue clerici sunt, alienos esse Episcopos ab episcopatu, & clericos à clero. Quòd si monachi vel laici fuerint, anathematizari.

Actione v. sub finem.

Videant isti, qui non solùm symbola vel conlationes in conuentibus verbo tractant, sed etiam librorum compositiones & capitula quasi synodalia conscribunt, & pro veritate simplicibus tenenda contradunt, vtrum ab hac damnatione excepti esse præualeant. Nam symbolum & Apostoli primum scripserunt, & Nicæna Synodus, & Ephesina, & Constantinopolitana, & Chalcedonensis, & ceteræ quæque vniuersales Synodi conscripserunt. sed non aliud, quia non discors à veritate extat symbolum. Vnde quicquid symbolicè conscribitur à veritate alienum, aliud quàm catholica scripserit Ecclesia est symbolum, anathemate cum conscribentibus dignum, & legibus publicis percellendum. Vnde Marcianus Imperator in edicto ad Palladium dicit, Oportet, inquit, vt sit numerosa seueritas sanctionum, vbi est licentia crebra culparum. Custodiendæ præterea orthodoxæ fidei cura tanto à serenitate mea adhiberi impensior debet, quanto res humanas diuina præcedunt.] & ad locum, de hæreticis, Non habeant potestatem faciendi testamentum, & condendæ vltimæ voluntatis, neque id capiant quod ipsis ex testamento cuiusquam fuerit derelictum, nihil etiam ex donatione aliqua consequantur. Sed si quid in ipsos vel liberalitate viuentis, vel morientis fuerit voluntate conlatum, id fisco nostro protinus addicatur.

Post Conc. Chalced. c. xix.

ipsi verò in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo & iure transfundant. Episcopos quoque, vel presbyteros, aliósque clericos, illis creare & habere non liceat. & reliqua quæ ibidem sufficienter lector poterit inuenire.] Et quia his Christianis Christianorum Imperatorum legibus catholica faueat mater Ecclesia, & sanctus demonstrat Gelasius in decreto ad Sicilienses Episcopos, ita ad locum dicens, Quia & filiorum nostrorum Principum ita emanauit auctoritas.] Et sanctus Gregorius multoties in Commonitoriis ad Ioannem defensorem euntem in Hispaniam. quæ commonitoria ex integro de Imperialibus contexuit legibus, quas Ecclesiasticas iudicauit.] Et magnus Leo Papa in epistola ad vniuersos Episcopos per diuersas Prouincias constitutos, Aliquanti, inquiens, qui ita se demerserunt, vt nullum his auxiliantis possit remedium subuenire, subditi legibus, secundùm Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione pollucrent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati.] Et item idem in epistola ad Pulcheriam Augustam, De Eutyche autem totius scandali & prauitatis auctore, hoc clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco, quo Constantinopolitanæ vrbi nimis vicinus est, longiùs transferatur, ne frequentioribus solatiis eorum quos ad impietatem suam traxit vtatur. Monasterio quoque ipsius, cui perniciosè indignéque præsedit, catholicum Abbatem iubete præponi, qui illam seruorum Dei congregationem, & à prauo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere.] Item idem in epistola ad Leonem Augustum, Sacerdotalem namque & Apostolicum tuæ pietatis animum etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilentèr obscurat. in qua inueniuntur clerici quidam hæreticorum sensui consonantes, & intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis hæreticorum partem adiuuantes. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius Constantinopolitanus Episcopus cùm nimis benignè parcit segnior inuenitur, dignamini pro fide vestra etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt tales non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur, ne vlteriùs sancti Dei populi peruersorum hominum contagio polluantur.] Et item in epistola ad Aquileiensem Episcopum, Non autem dubitet dilectio tua nos, si quod non arbitramur neglecta fuerint quæ pro custodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos. quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentésque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.] Et in epistola ad Turibium Asturicensem Episcopum, Quoniam qui alios ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.] Et sanctus Innocentius in epistola ad Synodum Mileuitanam, Abscidendi enim sunt

Gelasius ep. VII.

Lib XI. epist. 54.

Ep. XLVII.

Ep. LXXV.

Epist. III.

Ep. XCIII. cap. 3.

Ep. XXXII. sub finem.

qui nos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Simul autem præcipimus, vt quicumque id pertinacia simili defensare nituntur, par hos vindicta constringat. Non solùm autem qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, quia non multùm interesse arbitror inter committentis animum & consentientis fauorem. Addo & ampliùs, Plerumque dediscit errare, cui nemo consentit: quia vt Leo in epistola ad Anatolium dicit, Sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur.]

VI. Ponendum etiam dignum duximus quid de huiusmodi prauè scientibus leges decernant Ecclesiasticæ. Scriptum est enim in constitutione Synodi Chalcedonensis ita, Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanus nouæ Romæ recitauit. Sancta & magna vniuersalis Synodus, quæ secundùm gratiam & sanctiones piorum Christianorúmque Imperatorum Valentiniani & Marciani Augustorum, congregata est apud Chalcedonem metropolim Bithyniæ Prouinciæ in martyrio sanctæ martyris Euphemiæ, statuit subter adnexa. Dominus & saluator noster Christus notitiam fidei confirmans discipulis suis ait, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, ne vllus à proximo suo dissonet in doctrina pietatis, sed æqualitate prædicationis veritatem ostendat. *Et circa finem*, His igitur cum omni vndique veritate, diligētia, & sollicitudine à nobis diffinitis, statuit sancta & vniuersalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere, aut componere, aut docere aliter. Eos autem, qui ausi sunt componere fidem alteram, aut proferre aut docere aut tradere alterum symbolum volentibus vel conuerti, vel ex gentilibus ad cognitionem veritatis venire, vel ex Iudæis vel hæresi quacumque, si quidem Episcopi fuerint aut clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & clericos à clero: si verò monachi aut laici fuerint, anathematizari. Nec se putent alienos ab hac esse sententia, qui symbolo, id est collationi sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ex sanctarum scripturarum auctoritate, & orthodoxorum magistrorum doctrina, ad credendum & tenendum atque docendum prolatæ, contradicere non verentur.] Item in præfato Concilio Chalcedonensi capite tertio, scriptum est. Qui verè & syncerè singularem sectantur vitam competenter honorentur. Quoniam verò quidam vtentes habitu monachi Ecclesiastica negotia ciuiliáque conturbant.] & post pauca, Monachos verò per vnamquamque ciuitatem aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodò ieiunio & orationi, in locis quibus renuntiauerunt sæculo permanentes. Nec Ecclesiasticis verò nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis. Transgredientem verò hanc diffinitionem nostram excommunicatum esse decreuimus.] Item in Concilio Agathensi capite

Actione v. Chalced.

Ioan. 14. 27

Canone iv. Synodi.

Can. 38.

XXXVIII. In monachis quoque præsentis sententiæ forma seruetur. Quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coërceri.]

VII. Nunc qualiter resipiscentes suscipiantur, ex Ecclesiasticis regulis ponendum censuimus. Ait enim magnus Leo Papa in epistola ad Anatolium per Patricium Diaconum directa, Dilectionis tuæ inquirendum iudicio delegaui, vt scilicet Atticus presbyter, quem talia audere cognoueram, nisi perfecta se satisfactione purgasset, & non solùm voce hæreticos, sed etiam propriæ manus subscriptione damnasset, à communionis gratia esset alienus.] Et post pauca, Prædictus autem vt ab omni suspicione contraria liber appareat, quid in Eutyche anathematizet ac damnet euidenter ostendat, & in damnatione erroris expressi remota omni dubitatione subscribat, ita vt Chalcedonensis Synodi diffinitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit, & quam Apostolicæ sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum, adiecta subscriptione propriæ manus, quæ in Ecclesia Christiano populo præsente recitetur, vt pro catholica fide, neque nos negligentes, neque ipse vltra suspectus habeatur. Qui si in eadem prauitate perdurans præcepto salubri parere noluerit, sententiam Synodi Chalcedonensis cuius diffinitionibus resultat excipiat.] Et in epistola ad Pulcheriam Augustam de Eutyche hæresis auctore, Si ipse, inquit, qui in hanc tentationem incidit resipiscit, ita vt quod malè senserat propria voce & subscriptione condemnet, communio illi sui ordinis reformetur. Quod etiam fratri & coepiscopo meo Flauiano me clementia vestra scripsisse cognoscat, & his quos misimus delegasse, vt venia concedatur si error aboletur.] Et in epistola ad Constantinopolitanos, Nec quisquam sibi audeat de sacerdotali ordine blandiri, qui potuerit in execrandi sensus impietate conuinci. Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt nec excusatione est digna, nec venia, maximè cùm etiam defendere peruersaruum opinionum commenta præsumunt, & in consensum suum aut errore aut gratia insanabiles quosque traducunt? Separentur huiusmodi à sanis membris corporis Christi, neque sibi catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi.] Et in epistola ad Theodosium, Vt quia dubitari non potest quæ sit Christianæ confessionis integritas, & totius erroris prauitas damnetur, & si resipiscens qui deuiauerat pro venia supplicet, sacerdotalis ei beneuolentia subueniat.] & in epistola ad Iulianum, Vt si condemnatus presbyter plena satisfactione corrigitur, sententia qua obstrictus est relaxetur. Si verò in eodem insipientiæ suæ luto iacere delegerit, statuta permaneant, & cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem.] Et in epistola ad Flauianum. At si deposita imperitiæ suæ vanitate resipiscunt, omnique errore damnato fidem veram singularémque suscipiunt, misericordia eisdem episcopalis be-

Epist. 83. | Epist. xv. in fine. | Epist. xxv. | Epist. xxiv. | Epist. xix. | Epist. xxii.

beniuolentia non negetur, mansuro iudicio quod præcessit, si impietas meritò condemnata in sua prauitate perstiterit.] Et item in Epistola ad Constantinopolitanos, Deuotionis vtrumque est Christianæ, vt & pertinaces veritas iusta coërceat, & conuersos caritas non repellat.] Et in epistola ad Anatolium, Hi qui plenis satisfactionibus malè gesta condemnant, & accusare se magis eligunt quàm tueri, pacis & communionis nostræ vnitate lætentur, ita vt digno priùs anathemate quæ contra fidem catholicam sunt recepta damnentur.] & post paululum, Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cùm satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec asperè igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhiberi, ita iustum est omnia perturbationis auctoribus imputari.] & post paululum, Quos conuenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.]

Epist. 41. ad Pulcheriã.

Epist. XLII.

Hinc & sanctus Innocentius in epistola Synodo Mileuitanæ directa, Inuentores vocum nouarum, quæ sicut dixit Apostolus ædificationis nihil, sed magis vanissimas consuerunt parare quæstiones, Ecclesiastica communione priuari Apostolici vigoris auctoritate censemus.] & post aliquanta, Iubemus sanè, quoniam Christus Dominus noster propria voce signauit nolle se mortem morientis, tantùm vt reuertatur & viuat, si vnquam ad sanum deposito praui dogmatis errore resipuerint, damnarintque ea quorum se ipsi præuaricatione damnarunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negari, ne dum eos redeuntes forsitan prohibemus, verè extra ouile remanentes expectantis hostis rabidi faucibus glutiantur, quos in semetipsis spiculis malæ disputationis armarunt.] Et sanctus Gregorius Quirico & ceteris Episcopis catholicis in Hibernia, Quicumque à peruerso errore Nestorij reuertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eundem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematizantes: venerandas quoque Synodos, quas vniuersalis Ecclesia recipit, recipere & venerari promittant, & absque vlla dubitatione sanctitas eos vestra, seruatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat.] Et in canonibus à beato Martino collectis, capite trigesimo sexto *De purganda opinione hæresis*, Si quis Episcopus, siue alicuius Episcopi presbyter, aut diaconus, in alicuius hæresis opinione offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi priùs in communi Concilio, porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem & de fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam hæresis opinionem fuerint nominati.] Ostendunt etiam hunc tenorem receptionis formæ libellorum. scilicet vnius quem direxit Papa Damasus ad Paulinum Antiochenum, cui

Innocent. Epist. 32. sub finem.

Lib. x. epist. 61.

Post Conc. Braccarense II.

Epist. IV.

ſubſcribentes reciperentur Macedoniani, & Eunomiani, & Apolinariſtæ. Alterius, quem direxit Leo ad Synodum Chalcedonenſem cui ſubſcribentes reciperentur Neſtoriani & Eutychiani. Tertij, cui tempore Cæleſtini ſubſcribentes reciperentur Prædeſtinatiani, cuiúſque tenorem, ſicut Lucidus presbyter eum porrexit in Synodo Gallicana, ſuprà poſuimus. Quarti, quem edidit ſanctus Gregorius, cui ſubſcribentes reciperentur ſchiſmatici.

Epiſt. XLIX.
Suprà cap.
Lib. 10. epiſt. 30.

VIII. Qua conditione reſipiſcentes, & libellari ſatisfactione ſe Eccleſiæ vnitati reddentes, recipi debeant, item beatus Leo in epiſtola ad Ianuarium Epiſcopum, de hæreticis & ſchiſmaticis ita decernit dicens, Dilectionem, inquit, tuam duximus commonendam, inſinuantes ad animæ periculum pertinere, ſi quiſquam de his, qui à nobis in hæreticorum atque ſchiſmaticorum ſectam delapſus eſt, & ſe vtcumque hæreticæ communionis contagione macularit, reſipiſcens in communione catholica ſine profeſſione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim eſt, & ſpiritalis medicinæ vtilitate pleniſſimum, vt ſiue presbyteri, ſiue diaconi, ſiue ſubdiaconi, vel cuiuſlibet ordinis clerici, qui ſe correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem, quam iam pridem amiſerant, rurſum reuerti ambiunt, priùs errorem ſuum & ipſos erroris auctores damnari à ſe ſine ambiguitate fateantur, & ſenſibus prauis dudum peremptis, nulla aſpirandi ſuperſit occaſio, ne vllum membrum talium poſſet ſocietate violari, cùm per omnia illis profeſſio propria cœperit obuiare. Circa quos illam canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, vt in magno habeant beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inueniuntur ordine perpetua ſtabilitate permaneant, ſi tamen iteratæ tinctionis ſacrilegio non fuerint maculati. Non leuem enim apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad ſacros ordines promouendum aliquem iudicarit. Quod ſi cum grandi examinatione conceditur inculpatis, multo magis non debeat licere ſuſpectis. Proinde dilectio tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam ſuam diſpoſitionibus noſtris, & det operam vt circumſpectè ac velociter impleantur quæ ad totius Eccleſiæ incolumitatem & laudabiliter ſuggeſta ſunt, & ſalubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua nos, ſi quod non arbitramur neglecta fuerint quæ pro cuſtodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos. quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quàm ad deſides negligentéſque rectores, qui multam ſæpè nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam.] Item in epiſtola ad Marcianum de Epiſcopo Conſtantinopolitano, Fraternam illi caritatem non aliter poterimus impendere, quàm vt ſe inimicos catholicæ fidei approbet execrari, eiúſque à ſe conſortium quem meritò abiecit abſcidat. qui etiamſi magna fuiſſet ſatisfactione purgatus,

Epiſt. III. ad Epiſc. Aquileienſ.
Epiſt. LXI.

post dubium tamen errorem reuersus, catholicis diaconis pòstponi debuit, non præponi.] Et in epistola ad Pulcheriam Augustam, Si ergo clementia vestra propositum meum considerare dignetur, probabit me eo consilio cuncta gessisse, vt sine cuiusquam animæ detrimento, hæreseos tantùm obtineretur extinctio, & ob hoc circa auctores sæuissimorum turbinum quiddam consuetudinis minuisse, vt ad indulgentiam postulandam compunctione aliqua possit eorum tarditas excitari. Qui etsi post illud iudicium suum tam impium quàm iniustum, non sunt catholicæ fraternitati ita honorabiles vt fuerunt, suas tamen adhuc sedes obtinent, & episcopatus sui honore potiuntur, aut per veram & necessariam satisfactionem pacem potiùs Ecclesiæ recepturi, aut si hæresim quod absit tuentur, professionis suæ sint merito iudicandi.] His sententiis attendendum, quia ab hæresi reuertentes, & per libellarem satisfactionem cum catholica professione debeant recipi, & ab ordine quo inuenti fuerint non debeant promoueri, sed & minùs honorabiles quàm in catholica persistentes ostenduntur haberi.

Epist.LIII.

IIX. Item de his qui fidei catholicæ vel libello porrecto in Synodo subscripserunt, & postea ad prauos deuoluti sunt sensus, vel diffinitionibus seu dogmatibus catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrinæ contrariis subscripserunt, in Carthaginensi Concilio cap. XIII. scriptum est, Si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit.

Conc. Carthagin. II. can. 13.

X. Et quia sicut decretis beati Cælestini monstratur, hæc prædestinatiana hæresis illius auctoritate deuicta est atque compressa, si quis diffinitionibus illius sensui concordantibus subscripsit in Synodo, & postea fuit translatus ad deuia, vel etiam si sine subscriptione sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ contraria senserit, legat quid beatus Leo in decretali epistola ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam, & per vniuersas Prouincias constitutos decreuerit cap. v. Hoc itaque, inquiens, admonitio nostra denuntiat, quòd siquis fratrum contra hæc constituta venire tentatauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit quod prætermissum à nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mãdamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Quando enim omnium decessorum suorum constituta posuit, Cælestinum cui Sixtus, & Sixtum cui successit Leo, nequaquam excepit. Sed & quando de Ecclesiasticis ordinibus & canonum disciplinis apposuit, fidei regulam non omisit. Sed & Chalcedonense Concilium eidem fauens conscri-

Epist.I.

Can.I.

ſcripſit dicens, Regulas ſanctorũ Patrum per ſingula nunc vſque Concilia conſtitutas propriũ robur obtinere decreuimus.] B. nihilominus Gelaſius, quæ Carthaginenſis decreuit Synodus cum aliis ſynodalibus diffinitionibus roborare ſtuduit, dicens cap. IX. quòd Apoſtolica ſedes paternos canones pio ſtudio deuotóque cuſtodiat. Cúmque nobis, inquiens, contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cùm ſedes Apoſtolica ſuper his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa pio deuotóque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt quemquam, vel pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere, ſatíſque conueniens ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.] Et Leo in epiſtola ad Maximum Antiochenum, Quoniam vniuerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua canonibus reuerentia intemerata ſeruetur. Nam quod ab illorum regulis & conſtitutione diſcordat, Apoſtolicæ ſedis nunquam poterit obtinere conſenſum.

Epiſt. VI.

Epiſt. 66.

XI. Quia etiam hi, qui poſt ſubſcriptionem rectæ fidei prauis ſubſcripſerunt erroribus, ſi reſipuerint, & porrecto libello profeſſionis rectæ fidei, cum ſubſcriptione propriæ manus, ad catholicam & Apoſtolicam ſanctam matrem Eccleſiam deuotè redierint, pietas Eccleſiaſtica impendat miſericordiam, eóſque in gradibus ſuis ſuſcipiat, demonſtrat ſanctus Hilarius in libro de Synodis ita dicens, Nihil autem mirum videri vobis debet, fratres cariſſimi, quòd tam frequenter exponi fides cœptæ ſunt. neceſſitatem hanc furor hæreticus imponit. Nam tantum Eccleſiarum Orientalium periculum eſt, vt rarum ſit huius fidei, quæ qualis ſit vos iudicate, aut ſacerdotes aut populum inueniri. Malè enim per quoſdam impietati auctoritas data eſt. in exiliis Epiſcoporum, quorum cauſam non ignoratis, vires auctæ ſunt profanorum. Non peregrina loquor, neque ignorata ſcribo. Audiui ac vidi vitia præſentium, non laicorum, ſed Epiſcoporum. Namque abſque Epiſcopo Eleuſio, & paucis cum eo, ex maiori parte Aſianæ decem Prouinciæ, intra quas conſiſto, verè Deum neſciunt. atque vtinam penitùs neſcirent. Cum procliuiore enim venia ignorarent quàm obtrectarent. Sed horum Epiſcoporum dolor ſe intra ſilentium non continens, vnitatem fidei huius quærit, quam iam pridem per alios amiſit. Nam in illa prima conlatæ expoſitionis Synodo fides hanc habuit neceſſitatem, cùm apud Sirmium per immemorem geſtorum ſuorum dictorúmve Oſium, nouæ & tamen iam diu ſuppuratæ impietatis doctrina proruperat. Sed de eo nil loquor, qui idcirco eſt reſeruatus, ne iudicio humano ignoraretur qualis antè vixiſſet. Vbique autem ſcandala, vbique ſchiſmata, vbique perfidia eſt. Hinc illud eſt, vt ad profeſſionem ſubſcribendæ fi-

Poſt mediũ verſus finẽ.

dei aliqui eorum, qui antea aliud ſubſcripſerant, cogerentur. Nec queror de patientiſſimis viris Orientalibus Epiſcopis, quibus ſufficit poſt blaſphemiæ voluntatem coacta ſaltem profeſſio. Gratulandum enim videtur in tanta blaſphemantium Epiſcoporum hæretica pertinacia aliquem ex his ſuſcipi pœnitentem. Sed inter hæc ô beatos vos in Domino & glorioſos, qui perfectam atque Apoſtolicam fidem conſcientiæ profeſſione retinentes, conſcriptas fides hucuſque neſcitis. Non enim eguiſtis littera, qui ſpiritu abundabatis, neque officium manus ad ſcribendum deſideraſtis, qui quod corde à vobis credebatur ore ad ſalutem profitebamini. nec neceſſarium habuiſtis Epiſcopi legere quod regenerati neophyti tenebatis: ſed neceſſitas conſuetudinem intulit exponi fides, & expoſitis ſubſcribi. Vbi enim ſenſus conſcientiæ periclitatur, illic littera poſtulatur. nec ſanè ſubſcribi impedit quod ſalutare eſt confiteri.] Et ſanctus Cæleſtinus Papa ad Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum, Itaque breuiter reſponſum tuæ reddimus ſanctitati. Etenim quæris, vtrum ſancta Synodus recipere debeat hominem à ſe prædicata damnantem, an quia induciarum tempus emenſum eſt, ſententia dudum lata perduret. Super hoc vtrique conſultatione communi communem Dominum conſulamus. Nonne nobis reſpondet illicò per Prophetam, mortem ſe nolle morientis. & per Apoſtolum Paulum, omnem hominem velle ſaluum fieri, & venire ad ſcientiam veritatis? Nunquam diſplicet Deo accelerata in quocumque correctio? Tuæ ſit hoc ſanctitati, vel venerando fratrum Concilio, vt orti in Eccleſia ſtrepitus comprimantur, & finitum Deo iuuante negotium votiua correctione diſcamus.] & item, Nos & quod contra fas eſt, etiam ſacerdotes volumus eſſe correctos. quibus aut præmiſſa conuentione conſulemus, aut in hos neceſſe eſt damnationis ſententiam, ſi abutuntur noſtra ſalubri admonitione, firmemus. Hoc tamen erit poſt damnationem praui dogmatis plenum correctionis indicium, ſi reuocent omnes ad Eccleſiam, qui propter Chriſtum caput eius videntur excluſi. quo niſi fiat quod dicimus, eiciendus eicietur, quamuis in noſtra communione ſint iſti, quos tales cognoſcimus extitiſſe.]

Epiſt. x. — Ezech. 33. — 1. Tim. 2.

Et Leo in epiſtola ad Theodoſium Auguſtum, Cúmque à ſe hoc, quod eidem profuturum ſit, expeti deſiderarique cognouerit, catholicorum ſententiis toto corde conſentiat: ita vt ſinceram communis fidei profeſſionem, abſolutiſſima ſubſcriptione, coram omni clero & vniuerſa plebe declaret, Apoſtolicæ ſedi, & vniuerſis Domini ſacerdotibus atque Eccleſiis publicandum.] Et item idem in epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam: Quamuis, inquit, incommutabiliter inimiciſſimam Chriſtianæ religionis hæreſim deteſtamur, ipſos tamen, ſi non dubiè corrigantur, & digna ſe ſatisfactione purificent, ab ineffabili miſericordia Dei noſtri non iudicemus alie-

Ep. xxxv. — Epiſt. LIII.

nos : ſed potiùs cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus, & ſic vtimur iuſtitia commotionis, vt non amittamus remedia caritatis. Quod ſicut pietas veſtra cognoſcit, non verbis ſolis promittitur, ſed etiam factis docetur. Siquidem penè omnes, qui in conſenſum præſidentium in illo Epheſino non iudicio ſed latrocinio, aut traducti fuerant aut coacti, reſcindendo quod ſtatuerant, & condemnando quod ſcripſerant, perpetuam culpæ abolitionem & Apoſtolicæ pacis gratiam ſunt adepti. Si autem clementia veſtra propoſitum meum conſiderare dignetur, probabit me eo conſilio cuncta geſſiſſe, vt ſine cuiuſquam animæ detrimento hæreſeos tantùm obtineretur extinctio.] Et ſciendum eſt quoniam hæ ſententiæ in vndecimo iſto Capitulo, quæ de toties & tam granditer præuaricantibus conſcribuntur, ad illam canonum formam pertinent, qua ſecundùm rationis & temporis qualitatem, aut propter Eccleſiæ vtilitatem, aut propter pacis ac concordiæ vnitatem, non præiudicatis maiorum ſtatutis, quædam aliquando indulgentur, non ad illam, qua pro lege inrefragabiliter tenenda conſtituuntur. Vnde Leo ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ita dicit, Nam cùm quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas conloquiis aptiores eſſe quàm ſcriptis. quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſint ratione conuelli, ita nonnulla ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari. illa ſemper conditione ſeruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum inueniatur aduerſum.] Quas ſingillatim ſingulas formas & ſanctus Paulus demonſtrat ad Corinthios dicens, *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*, & reliqua. *His autem qui matrimonio iuncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere*, & ſequentia. Et Concilium Africanum in vno capitulo de Donatiſtis ad locum, Propter Eccleſiæ pacem & vtilitatem, vt & ipſis Donatiſtis, quicumque clerici correcto conſilio ad catholicam vnitatem tranſire voluerint, ſecundùm vniuſcuiuſque Epiſcopi catholici voluntatem atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus eiuſdem diuiſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. Non vt Concilium, quod in tranſmarinis partibus de hac re factum eſt diſſoluatur: ſed vt illud maneat circa eos, qui ſic tranſire ad catholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compenſatio procuretur.] & reliqua quæ ibi proſequitur. Sanctus autem Innocentus in duabus epiſtolis, ad Marcianum ſcilicet Epiſcopum, & ad Macedones Epiſcopos, has vtraſque formas demonſtrat. Scilicet vt quos Bonoſus etiam in hæreſi ante damnationem ſuam ordinaueat, ſi ad catholicam tranſire decreuerint, in

Epiſt.xcv.

1.Cor.7.6.

Can.xxxv.

Ep.xxviii. & xxix.

ordinibus suis suscipiantur. Quos autem post damnationem suam etiam de catholica ordinauit, ab ordine remoueantur Ecclesiastico.

Sed & Leo vtrasque has formas de vna eadémque re in vno capitulo ostendit ad Rusticum Narbonensem Episcopum dicens, Nulla, inquit, ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati. Vnde cùm sæpè quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum quod non docetur fuisse conlatum? Si qui autem clerici ab istis Pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent. Aliter autem vana habenda est consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.] Et item ad eundem in eadem epistola, In adolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea, timens lapsum incõtinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullã omnino cognouerit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundùm veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam gessit, quàm castitas perseuerans & mentis & corporis.] Sic & de his vtrisque formis item Innocentius ad Macedones Episcopos scribit, Peruideat ergo dilectio vestra hactenus talia transisse, & aduertite quod vtique vt dicitis necessitas imperauit, in pace iam constitutas Ecclesias non præsumere. Sed vt sæpè accidit, quotiescumque à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire. Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum.] & aliquanto superiùs, Ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est constat primitùs non fuisse, ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis aut Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendásque mandat his qui eam audire consueuerunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet vtique cessare pariter quod vrgebat, quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio quam ad præsens fieri tempus impellit.] Et sanctus Gelasius ad omnes Episcopos, de institutis Ecclesiasticis moderatè pro temporum qualitate dispositis ita capitulo secundo dicit, Priscis igitur pro sui reuerentia manentibus constitutis, quæ vbi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia regulariter conuenit custodiri.] & reliqua. Sed & in hoc XI. capitulo vtræque istæ formæ monstrantur, cùm à beato Cælestino profertur, Nos, inquit, & quod contra fas est etiam sacerdotes volumus esse correctos, quibus sicut præmissa correctione consulimus, ita

Cap. I.

Cap. X.

Epist. XXV. sub finem.

Epist. VI.

Epist. ad Nestorium sub finem.

in hos necesse est damnationis sententiam, si abutuntur nostra salubri admonitione, firmemus.] De canonum autem formis, quas quidam non attendentes sollertiùs Ecclesiasticas regulas inter se autumant discordare, quæ & quot sint, & quas singulæ canonum complectantur sententias, quia sagaces & studiosi non indigent, deuotis atque simplicibus, si Dominus spatium & otium dederit, quod gratia sua nobis ostenderit, sicut doctrina magistrorum accepimus, scribere temporis processu disponimus, quibus nihil discors, nihil sibi diffidens in sacris canonibus lector quilibet facillimè valebit dinoscere. sed pro temporum varietate & causarum, atque medicatione morborum, per diuersa organa, vt ab vnico multiplici prolata spiritu, cuncta consona, cuncta reperiet temporis, necessitatis, atque infirmitatis causæ conuenientia. Vti enim necessitatum ac temporum inæqualitas opportunitatis postulat congruentiam, ita & diuersa morborum genera cogunt inuenire, sicut notum est, diuersa medicamentorum experimenta.

XII. Quòd qui post praui erroris subscriptionem orthodoxæ fidei detrectat subscribere, etiam proprio sit iudicio condemnatus, idem sanctus Cælestinus in eadem epistola ad eundem Cyrillum Episcopum, Studeo quieti catholicæ, studeo pereuntis saluti, si tamen voluerit ægritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere forsitan deesse videamur. Nam & si nobis sustinentibus vuam, spinas sibi addiderit, impleatur manentibus statutis prioribus sui fructu iudicij, colligátque quod sulco diabolico seminauit, non nostro consilio, sed se periturus auctore. Probet nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam remedium cognoscat oblatum.] Et Beda in sententia Euangelij Lucæ dicit, *Ite*, inquiens, *ostendite vos sacerdotibus*. Nullum Dominus eorum, quibus hæc corporalia præstitit beneficia, inuenitur misisse ad sacerdotem, nisi leprosos: quia quisquis vel hæretica prauitate, vel superstitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Domini gratiam caruit, necesse est ad Ecclesiam veniat, colorémque fidei verum quem acceperit ostendat.] & item, Nouem itaque indigent vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur, & decem sint. Vnum autem non eis indiget vt custodiat vnitatem. Quamobrem vt vnus ille qui gratias egit vnicæ Ecclesiæ significatione adprobatus atque laudatus est, ita illi nouem qui gratias non egerunt, reprobi effecti à consortio vnitatis exclusi sunt. Ideóque tales in nouenario numero tanquam imperfecti remanebunt. & meritò eos Saluator quasi ingratos vbi sunt inquirit. Scire Dei eligere, nescire reprobare est.] Et quoniam huiusmodi homini nulla opera bona prosint, Prosper ex verbis sancti Augustini in libro sententiarum capite CXXIV. dicit, Non sunt opera bona, nisi quæ per fidem & dilectionem fiunt, quia alterum sine altero

Epist. x.

Luc. 3. 14.

nullius virtutis fructum parit.] De baptiſmo etiam Beda in epiſtola Petri dicit, Quòd ergo aqua diluuij non ſaluauit extra arcam poſitos ſed occidit, ſine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licèt habentem baptiſmatis ſacramentum, non aliis ſed ipſis aquis ad inferna mergendum, quibus arca ſubleuatur ad cælum.] Et Proſper in libro Sententiarum capite CCC. XXIV. Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt qui eius dona non ſeruant, ſicut lucis nitorem loca immunda non pollunt. Qui ergo gaudes baptiſmi perceptione, viue in noui hominis ſanctitate, & tenens fidem quæ per dilectionem operatur, habe bonum quod nondum habes, vt proſit tibi bonum quod habes.] quia nec ſacrificium illi eſt ſalutare. Idem Proſper in eodem libro capite decimo quinto dicit, Quiſquis bene cogitat quid Deo voueat, & quæ vota perſoluat, ſeipſum voueat & reddat. hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris reddatur Cæſari, imago Dei reddatur Deo. Sed ſicut videndum eſt quod offeras, ita etiam conſiderandum eſt vbi offeras: quia veri ſacrificij extra catholicam Eccleſiam locus non eſt.] Quia communicatio corporis & ſanguinis Chriſti huiuſmodi homini non ad ſalutem, ſed ad iudicium proficit, in eodem libro iſdem Proſper capite CCC. XXXVIII. dicit, Caro CHRISTI fidelium vita eſt, ſi corpus ipſius eſſe non negligant. Fiant ergo corpus Chriſti, ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti.] Et item capite CCC. XXXIX. Eſcam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Chriſto manet, & cuius habitatio eſt Chriſtus. Nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem eius manducat, nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis cotidie indifferenter accipiat.] Et item capite LXIX. Sacramentum ſummæ pietatis in iudicium ſibi ſumit indignus. Bene enim eſſe non poteſt malè accipienti quod bonum eſt.] Quia etiam nec martyrium huiuſmodi homini proficit ad ſalutem, ſanctus Gregorius in libro decimo octauo Moralium dicit, *Auro locus eſt in quo conflatur.* Nam iuxta hoc quod iam & ante nos dictum eſt, quiſquis extra Eccleſiæ vnitatem patitur, pœnas pati poteſt, martyr fieri non poteſt, quia auro locus eſt in quo conflatur.] Et ſanctus Gregorius in epiſtola ad Secundinum ſeruum Dei reclauſum, *Eſt locus penes me, & ſtabis ſuper petram.* Quis eſt locus qui non ſit in Deo, dum cuncta ab ipſo per quem creata ſunt continentur? Sed tamen eſt locus apud eum, videlicet ſanctæ Eccleſiæ vnitas, in qua ſuper petram ſtatur, dum confeſſionis eius ſoliditas vtiliter tenetur. De quo loco ſubiungitur, *Tunc videbis poſteriora mea.* In petra enim, id eſt in ſancta Eccleſia ſtantes Dei poſteriora videmus, quando iam ea quæ in fine promiſſa ſunt cæleſtis patriæ gaudia contemplamur.] Et Ambroſius in libro primo de Exceſſu fratris ſui, ita de illo loquens dicit, Aduocauit ad ſe Epiſcopum, nec vllam veram putauit niſi veræ fidei gratiam, percunctatúſque ex eo eſt

Cap. XIV.

Lib. VII. epiſt. 52.

Exod. 33. 23

Poſt mediũ verſus finẽ.

vtrumnam cum Episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret. Et fortè ad Luciferum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communione diuiserat. & quanquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset heredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpúsque distrahitur.] Vnde synodus Laodicensis capite VI. dicit, quòd hæretici non permittendi sint ingredi in domum Dei, in hæresi permanentes.]

Sed & de istiusmodi sine vita viuentibus Prosper in præfato libro cap. CCCLXIV. dicit, Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant vnde viuant, Sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest vtrumque, non Christo. Nam præciso palmite potest de viua radice alius pullulare, qui autem præcisus est, sine radice non potest viuere.] Mortuus est enim diuinis oculis, etiamsi visum fuerit hominibus virtutes facere, sicut & in actibus Apostolorum filij Sceuæ videbantur eicere dæmones, & Iudas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter ceteros Apostolos fecisse narratur. Quemcumque enim, inquit item Beda in Euangelio Lucæ, post baptisma siue prauitas hæretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Vnde rectè nequiores hunc eum spiritus dicuntur ingressi, quia non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem spiritalibus sunt contraria virtutibus, sed & per hypocrisin ipsas se virtutes habere simulabit. Et quia huiusmodi conlocutio sit cauenda, Apostolus dicit, *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est huiusmodi, & proprio iudicio condemnatus.*] Et sanctus Hieronymus in V. Psalmo, Hic autem, inquit, quod dicit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & ex consequentibus Psalmi, & ex ipso ordine intelligere possumus quia de hæreticis dicit. Qui enim operatur iniquitatem, suam tantùm animã occidit, qui autem hæreticus est, & loquitur mendacium, tot occidit quot induxerit.] Vnde quanto studio patres nostri hæreticorum conloquia deuitabant, demonstrat Polycarpus Apostoli Ioannis discipulus, qui compellatus, vt ei responderet compulsus à Marcione, dicenti sibi, Agnoscísne me? respondit, Agnosco primogenitum Satanæ. Et de Ioanne Apostolo legitur, quia inlotus à balneo exiit dicens, Fugite, ne & balnea corruant, vbi Cherintus lauatur. Et Prosper in præfato libro cap. CCLXV. Quia affluit, inquit, insipienti eloquentia, tanto magis cauendus est, quanto magis ab eo in his quæ audire inutile est, dele-

Act. 19. 14.

Tit. 3. 10.

Psal. 5. 7.

ctatur auditor,& eũ quoniam ordinatè dicere audit, etiam verè dicere existimat.] Vnde & Dominus confitentibus silentium imponebat dæmonibus, vt ne quis, dum eos audiret prædicantes, sequeretur errantes. Quapropter & in Synodo, cui præsedit sanctæ memoriæ Flauianus, de damnatione Eutychetis ad locum ita scriptum habetur, Et surgens sancta Synodus adclamauit dicens, anathema ipsi. Et post hæc Flauianus Episcopus dixit, Dicat sancta Synodus, quid meretur præsens neque confitens rectam fidem, neque consentire volens præsenti Synodo, sed perseuerare suæ peruersitati & scæuæ suæ maliuolentiæ. Seleucus Episcopus dixit, Dignus quidem est iste damnatione, sed in sanctitatis vestræ humanitate positum est. Flauianus Episcopus dixit, Si confitens proprium peccatum, anathematizaret dogma proprium, & consentiret nobis sequentibus traditiones sanctorum patrum, meritò dignus esset venia. Sed quia permanet in eadem malignitate, subiacebit canonum vindictis. Et item Flauianus Episcopus dixit, Eutyches quondam presbyter & Archimandrites. Et post aliquanta.] Vnde gementes perfectam eius perditionem, decreuimus per dominum Iesum Christum ab eo blasphematum, extraneum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterij, scientes & his qui postea cum eo conloquentur & ad eum conuenerint denuntiantes, quoniam rei erunt & ipsi pœnæ excommunicationis, si qui non declinauerint confabulationes eius. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus iudicans subscripsit, & hoc modo ceteri subscripserunt. Sed & talium nomina, id est in hæresi permanentium de sacris dypticis eradi, & in Ecclesia penitùs taceri, sicut perpetuò damnatorum ab auctoritate diuinitùs promulgata præcipiuntur.] Sicut Gelasius Papa in epistola ad Euphemium Constantinopolitanum Episcopum demonstrat dicens, Adhuc, inquit, quæritis quando fuerit damnatus Acacius, quasi reuera, etiamsi eum nullus antè damnasset, non habuerit ab orthodoxæ & Apostolicæ communionis, cuius præuaricator extitit & desertor, participatione secludi: sicut etiam quilibet, qui fuerit antè catholicus, cuicumque hæresi communicans, meritò iudicatur à nostra societate remouendus, aut in tali sorte defunctus inter catholicorum nomina nullatenus computari. Miramur tamen quomodo ista profertis. hoc est, vt & Synodum Chalcedonensem vos suscipere pro fide catholica profiteamini, & eos quos damnauit sectantium communicatores non pariter generalitérque putetis fuisse damnatos. Ostendite ergo, quæ Synodus in vnaquaque hæresi, cum erroribus successores eorum his communicantes simul non omnes damnarit & complices.] & item in eadem aliquanto superiùs, Petistis igitur per litteras, quas per Simplicium diaconum destinastis, & de his quos baptizauit, & de his quos ordinauit Acacius, maiorum traditione confectam, & vestrarum præcipuè regionum sollicitu-

Concil. Chalced. Act. I. ex actione VII Constantinopolit. Flauiani.

Epist. IX.

citudini vestræ congruam præberemus sine difficultate medicinam, Quò nos vultis vltra condescendere? quid tacetis? quid verecundamini verbis exprimere quod corde gestatis? Ipsa vos saltem verecundia quàm iniquum sit debuit commonere. An forsitan vt hæreticorum, damnatorúmque, & his vel eorum successoribus communicantium nomina consentiamus admitti? Hoc non est condescendere ad subueniendum, sed euidenter ad inferna dimergi. Parcite quæso & nobis & vobis.] & sequentia.

CAPVT XXXVIII.

Sequitur tandem totius rei digestæ ex quatuor Capitulis, quoniam quintus de baptismo in hoc quarto de Redemptione Christi continetur, Epilogus succinctè compositus, vt non debeat fastidiri legentibus, à contradictorum veræ fidei responsione laciniosa remotus, volens sanare quem demonstrat trigesimo octauo Capitulo, ac si triginta & octo annis iacentem languidum, malè sentientium scilicet chorum, duo de quadraginta numero, qui legis decalogo per quatuor sancti Euangelij libros impletur, minus habentem, & à dilectione Dei ac proximi, quam legis pariter & Euangelij scriptura commendat, vacuum incedentem. In quo licèt plures sint choro, si adquiescere veritati consenserint, quasi vnus recuperabunt in vnitate fidei sanitatem. quia præter vnitatem catholicæ fidei nullus cuilibet patet salutis locus. à cuius vnitate quisque discrepat, salutem quæ ab vno est consequi nequaquam valet.

EPILOGI CAPVT I.

QVONIAM quidem longè superiùs quando & vbi & vnde primùm hæc Prædestinatiana hæresis exorta, & per quos ac qualiter sit reuicta monstrauimus, & Capitula nuper in Synodo secus Leucorum ciuitatem relecta, aduersus veritatem falsò compilata, scripturarum & catholicorum auctoritate ostendimus: quatuor nihilominus Capitula cõtra Prædestinatianos nouiter reexortos, quibus hoc præter opusculum quo ista excepimus tribus libellis respondimus, ex patrum dictis collecta orthodoxæ fidei congruere eadem auctoritate docuimus: quódque omnis hæresis semel reuicta cum auctoribus ac sectatoribus suis perpetuò sit damnata, & non viritim in quæstionem suscipienda, sed mox vt in sibilum caput leuauerit conculcanda, & ipsi eius anhelitus comprimendi: qualitérve à quacumque hæresi resipiscentes suscipiantur, vel si permanserint desipientes anathematizentur, ex decretis diuinitùs promulgatis col-

legimus. quæ omnia fors & aptè aliquibus ad legendum plurima, ad transcribendum autem si qui voluerint nimia videbuntur, sicut despecta quibusdam contradictoribus visa sunt quatuor memorata succinctè collecta Capitula. Tandem Epilogi more breuiùs ex præcedentibus, pro legentium ac scribentium compendio, quædam colligere capitulatim curauimus, vt simplicibus ita sint cognita, quatenus sapientibus non sint onerosa, & per ea lector facilè possit cognoscere quæ sit veritas de præscientia & prædestinatione Dei, de gratia & libero arbitrio, de eo quòd Deus secundùm Apostolum vult omnes homines saluos fieri, licèt non omnes saluentur, & de eo quòd Christus pro omnibus passus sit, licèt non omnes passionis eius saluentur mysterio. Vnde quicumque plura desiderant cuncta superiora legant. Si verò hæc sufficientia quæ sequuntur eis suffecerint, de his fidem accommodent veritati prædicatæ ab his fidei & synceritati catholicæ. Si quis verò secus sentiens, secundùm formam in proximè distinctis Capitulis ex auctoritate Ecclesiastica comprehensam, Episcopali consensu vel synodali decreto, seruato per omnia priuilegio sanctæ catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & ipsius in toto orbe terrarum primæ sedis Pontificis, consentire, & cum sancta catholica & Apostolica vnitate suscipere siue subscribere detrectauerit, ipse ab eius se compage & vnitatis secernet communione, cuius esse noluerit socius disciplinæ. Nam semper sic habuit catholica omnis Ecclesia, vt qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna caritate, vno teneantur assensu. Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute diuina: sic vnanimitas per omnes illi communicantes excurrit. quod demonstratur tunica Saluatoris, quæ inconsutilis erat desuper contexta per totum, de qua milites, cætera vestimenta in quatuor partes iuxta suum numerum diuidentes, sortem miserunt. Quadripertita autem vestis Domini, quadripertitam eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet qui quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter, id est concorditer distributam. Tunica verò illa sortita, omnium partium significat vnanimitatem, quæ caritatis vinculo continetur. Si enim caritas, iuxta Apostolum, & supereminentiorem habet viam, & supereminet scientiæ, & super omnia præcepta est, meritò vestis qua significatur desuper contexta perhibetur. In sorte autem quid nisi Dei gratia commendata est? Sic quippe in vno ad omnes peruenit, cùm sors omnibus placuit: quia & Dei gratia in vnitate ad omnes peruenit, & cùm sors mittitur, non personæ cuiusque vel meritis, sed occulto Dei iudicio ceditur. Nam si non est vnius consensionis signum vna communio, quid erit quod ad confitendam omnis Ecclesiæ consonantiam mysticè celebratur, petendo Deum patrem omnipotentem per Dominum nostrum Iesum Chri-

ſtum, vt acceptentur & conſecrentur ſancta ſacrificia inlibata, quæ offeruntur pro Eccleſia ſancta catholica, vt pacificetur, cuſtodiatur, adunetur, & regatur toto orbe terrarum, & pro omnibus qui illa offerunt communicantes? Nec ſe quiſquam Chriſtum agnoſcere arbitretur, ſicut nec illi cognouerunt, quorum oculi tenebantur ne eum agnoſcerent vſque ad fractionem panis, ſi eius corporis particeps non eſt, id eſt Eccleſiæ, cuius vnitatem in ſacramento panis commendat Apoſtolus dicens, *Vnus panis vnum corpus multi ſumus.* vt cùm eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum vt eum agnoſcerent: aperirentur vtique ad eius cognitionem, remoto ſcilicet impedimento, quo tenebantur ne illum agnoſcerent. Non autem incongruenter accipiamus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana fuiſſe, ne agnoſceretur Chriſtus. ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad ſacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci. Cuius caro verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus. Cùm enim de cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur immortales & incorruptibiles facit. id eſt ſocietas ipſa Sanctorum, vbi pax erit & vnitas plena atque perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam hoc ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in vnum ex multis granis conficitur, aliud in vnum ex multis acinis confluit. Denique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur, & quid ſit manducare corpus eius & ſanguinem bibere, Et qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio non manducat ſpiritalem eius carnem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ alius non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt, de quibus dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Neque hoc ſacrificio abſoluuntur, aut huius ſine iudicio efficiuntur participes, eorum exiſtentes contrarij, quæ per tantorum ſanctorum ſacerdotum ora diuina inſpiratione ſunt prædicata, & conſcriptione ſubſcripta: ſicut nec collectio omnium poteſt abſolui, ſi contraria dicat & contraria faciat, confitens ſe noſſe Deum, factis autem negans, etſi communicet ſacerdoti à cuius prædicatione & ſubſcriptione diſſentit. Sic quippe nec iſtis proderit malè ſentientibus ſecundùm traditionem Eccleſiaſticam Eccleſiaſticos gra-

1. Cor. 10. 17.

Matt. 5. 8.

dus nisi ad condemnationem suscipere, & traditioni Ecclesiasticæ fidei contraire. quia sicut os & manus vnius eiusdémque corporis membra sunt, ita vnius eiusdémque Ecclesiæ membra sunt ordinatores & ordinati, sacerdotes & populus, siue cum catholicis catholici, siue cum non fidelibus infideles. Inde est enim, quòd à Domino in fine sæculi colligi iubentur zizania de medio tritici & alligari fasciculis ad comburendum. Hinc est quòd sancto propheta Ezechiel testante, quòd si sacerdos non distinxerit populo, ipse quidem populus in suo peccato morietur, animam autem eius de manu sacerdotis inquiret. non ait, quia extra peccatum populi est sacerdos non morietur, sed quia in suo peccato populus morietur, anima autem eius de manu sacerdotis requiretur, & populus quidem pro seipso tantùm, sacerdos verò etiam pro populo morietur. Hinc est quòd si cæco cæcus ducatum præbeat, non ipse qui ducatum præbet solus, sed ambo in foueam cadunt. Hinc est quòd sanctus Leo per vniuersas Prouincias Episcopis constitutis denuntiat, Quòd si quis fratrum contra statuta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se sciat officio submouendum, nec communionis Ecclesiasticæ futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinæ, & qui ab omnium decessorum suorum decretis, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, deuiare præsumpserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Cæterùm sicut olim sanctus Cyprianus dixerat, seruatur à nobis patienter & leniter caritas animi, honor Collegij, vinculum fidei, concordia sacerdotij, & quantum ex nobis est, cum omnibus hominibus, & etiam cum his qui oderunt pacem, habere pacem desideramus. vnumquemque verò sua conscientia conueniat, & ab Ecclesiastica pace nemo se quod non optamus seiungat.]

EPILOGI CAPVT II.

Quid sit inter gratiam & prædestinationem, & inter præscientiam & prædestinationem.

Cap. x.

AVGVSTINVS in libro de prædestinatione Sanctorum dicit, Si discutiatur & quæratur vnde quisque sit dignus, non desunt qui dicant voluntate humana, nos autem dicimus gratia vel prædestinatione diuina. Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ pręparatio, gratia verò iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis,* gratia est. quod autem sequitur, *Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus,* prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autē esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea

Ephes. 2. 9.

præſciuit quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt, *Fecit quæ futura ſunt.* præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe nō facit, ſicut quæcumque peccata. quia etſi ſunt quædam, quæ ita peccata ſunt, vt pœnæ ſint etiam peccatorum, vnde dictum eſt, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem vt faciant quæ non conueniunt,* non ibi peccatum Dei eſt, ſed iudicium. Quocirca prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt vt dixi præparatio, gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.] Et Proſper contra Gallos actione xv. Dubium non eſt, ſine vlla temporali differentia Deum & præſciſſe ſimul & prædeſtinaſſe quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda, præſciſſe autem tantummodò, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Poteſt itaque ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia, prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe non poteſt.] Et in Recapitulatione x v. contra Gallos. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præſcita dicuntur, non poſſunt non eſſe prædeſtinata, & quæ prædeſtinata appellantur, non poſſunt non eſſe præſcita. In malis autem operibus noſtris ſola præſcientia Dei intelligenda eſt: quia ſicut præſciuit & prædeſtinauit quæ ipſe fecit, & vt faceremus dedit, ita præſciuit tantùm non etiam prædeſtinauit, quæ nec ipſe fecit, nec vt faceremus exegit.] Et in libro Sententiarum cap. CCCLXXIX. Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. cur ergo non vindicet iuſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim nemo memoria ſua cogit facta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda quæ futura ſunt. Et ſicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit: ita Deus omnia quorum ipſe auctor eſt præſcit, nec tamen omnium quæ præſcit ipſe auctor eſt: quorum autem non eſt malus auctor, iuſtus eſt vltor.] Nemo igitur præſcientia Dei, ſicut nec prædeſtinatione ipſius, perit: ſed qui perſeueranti infidelitate vel iniquitate periturus erat, Deus cuius eſſentiali ſcientia nil præterit, accidítque futurum, periturum præſciuit. qui non ideo perit quoniam Deus illum periturum præſciuit, ſed quia periturus erat, Deus omnia ſciens etiam antequam fiant, illum periturum præſciuit. Et vt non Deus præſcit niſi quod eſt omnino futurum, ita quod præſcit non poteſt non eſſe futurum.

Rom. 1. 28.

Sententia xv.

Huic perſpicuæ veritati contradicunt moderni hæretici, aſſerentes reprobos à Deo vt præſcitos, ita & ad interitum prædeſtinatos. Et contraria veteres ſenſerunt Prædeſtinatiani, dicentes Deum ſecundùm præſcientiam perituros damnare. Contra quos ſanctus Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione ſanctorum, exponens ſententiam ſcripturæ dicit, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* Hoc dictum eſt, inquit, ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod

Sap. 4. 11.

futurum non erat, id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus vt tentationum subtraheretur incerto, non quòd periturus esset qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Iob, *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* & item dicit, Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent si viuerent, nihil prodesset ei qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si antè morerentur. quod nullus dicere Christianus audebit.] De quo errantium pernicioso errore latiùs ibidem facundissimus doctor destruendo illum eloquitur. Sanctus quoque Gregorius, posterior tempore, sed prior loco, in libro vigesimo nono Moralium, Prædestinationem Dei, quæ sine præscientia esse non potest, & semper in bono est, quia aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ, in diuinis operibus, quæ semper bona sunt, inter quæ computantur, cùm per indebitam gratiam saluantur electi, & per debitam iustitiam reprobi puniuntur, ita manifestissimè monstrat dicens, Deus qui sine initio semper extitit, præsciuit de se hoc quod in vtero Virginis per initium sumpsit. & quia præsciuit disposuit: quia disposuit, nihil profectò in humana forma sine sua voluntate tolerauit. Conuincatur ergo cur de flagellis suis homo queritur qui ortum suum præscire non potuit, si ipse etiam qui ortum suum præsciendo disposuit, & se inter homines ad flagella præparauit.] & item, *Tenebrosa ostia* tunc Dominus vidit, cùm claustra inferni penetrans, crudeles spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit. Quod idcirco non adhuc de futuro, sed iam de præterito dicitur, quia hoc quod facturus erat in opere, nimirum iam fecerat in prædestinatione.] & paulo pòst, Dum enim angustias mortis petiit, fidem suam in gentibus dilatauit.] Cuius nobis verba euidenter ostendunt, quia quòd claustra inferni penetrans crudeles spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit, quod iam fecerat in prædestinatione, & pòst fecit in opere, ad retributionem iustitiæ pertinet. quòd dum angustias mortis petiit, fidem suam in gentibus dilatauit, quod iam fecerat in prædestinatione, & pòst fecit in opere, ad donum gratiæ sine dubio pertinet.] Et infrà in eodem libro, Hinc est, inquit, quod & Moyses, qui & valida fortibus & terrena infirmis dicturum se nouerat, dicebat, *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea.* Sed ecce audiuimus quo munere gentilitas vocatur: audiamus nunc qua districtione Iudæa repellitur. Audiuimus quomodo deserta extollat, arentia infundat: audiamus nunc quomodo ea quæ quasi videntur interna proiiciat. Neque enim sic colligit electos vt non etiam iudicet reprobos, neque sic quibusdam culpas relaxat, vt non & in quibusdam feriat. Scriptum quippe est, *Misericordia enim & ira ab illo.*]

Iob 1.7. Cap. x. Lib. xxix. cap. vii. Iob 38.17. Cap xv. Deut. 32.2. Eccli. 5.7.

Et quia nuper, vt vermes rediuiuo impiæ famis furore commoti, rescatentes Prædestinatiani, & acuentes linguas suas sicut serpentes, spuentésque venenum aspidum de sub labiis suis, contendunt Dei prædestinationem geminam esse, palliantes non per totum reiiciendo nomine abominandum sensum peruersæ intelligentiæ. Quia sicut venerabilis Beda presbyter in Commento Euangelij Lucæ dicit, Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Et sanctus Cyrillus ad Eulogium presbyterum, Non omnia, inquit, quæcumque dicunt hæretici fugere & refutare decet. Multa enim confitentur sicut & nos confitemur. velut Arriani quando dicunt patrem quia creator est omnium & dominus, numquid propter hoc fugere consequens est huiusmodi confessiones? Sic & in Nestorio dicat, licèt duas naturas, diuersitatem significans carnis & Verbi, altera enim Verbi natura, altera carnis est, sed tamen nequaquam vnionem confitetur nobiscum. Nos autem hæc vnientes in vnum, vnum Christum, vnum filium eundem vnum Deum confitemur.] Et item vbi suprà venerabilis Beda presbyter ex verbis Augustini, In hæreticis & malis catholicis non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt & aduersum nos non sunt, sed diuisionem paci veritatíque contrariam, qua aduersum nos sunt, & Deum non sequuntur nobiscum, detestari & prohibere debemus. Vnde quoniam Gothescalcus & sui complices geminam prædestinationem dicunt, non per totum neque in toto hoc refutare debemus, sed sensum catholicæ fidei contrarium in hoc dicto, quo prædestinationem Dei geminam adstruunt, fidei catholicæ filij abominari & anathematizare debemus. Dicunt enim, vt suprà longè præmisimus, quia sicut electi à Deo prædestinantur ad vitam, ita reprobi à Deo prædestinantur ad mortem. Qui tam vitandi sunt Ecclesiæ, vt si fieri potest, sicut de leprosis hæreticos significantibus legitur, longiùs remoti magno clamore Christum interpellent, & cum aliis turbis non comprimant. de quibus legitur, *Qui steterunt à longè.* Qui verò in sinu catholicæ matris Ecclesiæ positus, ita Dei prædestinationem voluerit dicere geminam, vt in effectu operum Dei, qui fecit quæ futura sunt, hoc recto sensu intelligat: scilicet vt ad electos donum gratiæ pertinere, & secundùm superiorem sensum, ad reprobos retributionem iustitiæ fateatur. vt dono gratiæ electi sint prædestinati ad vitam, & illis vita sit prædestinata æterna: reprobi autem non à Deo prædestinentur ad pœnam, sed ex retributione iustitiæ illis pœna prædestinetur æterna. non discordat à verò si hanc Dei prædestinationem sic dicit geminam, sicut catholici doctores caritatem geminam dicunt, quæ vna est, & in præceptis duobus, dilectione videlicet Dei & proximi, gemina dicitur. Et sicut vnus est Spiritus & duo data: ita vna est Dei prædestinatio, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. Et sicut Paulus

Epist. 37.

Luc. 17. 12.

2.Cor.2.15. dicit, *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt.* vno eodémque bono odore quidam salui fiunt, quidam autem pereunt. qui salui fiunt, gratiæ dono saluantur & coronantur: qui pereunt, sua iniquitate pereunt, & ex retributione iustitiæ puniuntur. Et vt beatus Gregorius in Tractatu Ezechielis prophetæ, sed & in Moralibus Iob dicit, Panis vitam fortium roborat, paruulorum necat, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, & vnus idémque Sol ceram liquat, lutum stringit.] Sicut & beatus Augustinus in septimo Psalmo exponit dicens, Sed quia non sagittas tantùm, sed etiam vasa mortis dixit in arcu Dominum parasse, quæri potest quæ sint vasa mortis, an fortè hæretici. nam & ipsi ex eodem arcu, id est ex iisdem scripturis in animas, non caritate inflammandas, sed veneno mortis perimendas insiliunt. quod non contingit nisi promeritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ipsa dispositio tribuenda est. non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cùm peccauerint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati. Quorum tamen morte filij catholicæ Ecclesiæ tanquam quibusdam spinis à somno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant scripturarum. *Oportet enim hæreses esse, vt probati*, inquit, *manifesti fiant inter vos*, cùm manifesti sint Deo. An fortè easdem sagittas & vasa mortis disposuit ad perniciem infidelium, & ardentes vel ardentibus operatus est ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est quod Apostolus dicit, *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* & ad hæc quis idoneus? Non ergo mirum, si idem Apostoli & vasa mortis eis, à quibus persecutionem passi sunt, & igneæ sagittæ sunt ad inflammanda corda credentium. Post hanc autem dispensationem iustum veniet iudicium, de quo ita dicit, vt intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & ei iniquitatem in pœnam conuerti. Nec putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei de se proferre vnde peccata puniantur: sed ipsa peccata sic ordinare, vt quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.] Et Prosper in libro Epigrammatum capite vigesimo octauo, *De duplici opere Dei.* Si omnes homines simul consideremus, quorum alij misericordia salui fiunt, alij veritate damnantur, vniuersæ viæ Domini, id est misericordia & veritas, suo fine distinctæ sunt. Si autem solos sanctos intueamur, non discernentur hæ viæ. Indiuidua enim ibi est, & à misericordia veritas, & à veritate misericordia: quia beatitudo sanctorum & de munere est gratiæ, & de retributione iustitiæ.

Versus finem.

EPIGRAMMA.

Omnibus in rebus geminum est opus omnipotentis,
Totum aut iustitia est quod gerit, aut pietas.

Quæ

Quæ simul in terras descendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti desit vtrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miserantis egemus,
Præcedit semper gratia iustitiam,
Damnantem elatos, saluantem iustificatos,
Quos Deus & donis auxerit & meritis.]

Et item idem in eodem libro capite decimo sexto, *De iustitia & gratia quibus Dei constat prædestinatio.* Duæ sunt retributiones iustitiæ, cùm aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia est retributio gratiæ, cùm per regenerationem remittuntur mala & retribuuntur bona. atque ita manifestatur quòd vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Illam autem impiorum retributionem, qua pro bonis mala restituunt, Deus nescit, qui nisi retribueret bona pro malis, non esset cui retribueret bona pro bonis.

EPIGRAMMA.

Iustitiæ merces gemina est, cùm vel bona rectis
Vel prauis dignè cùm mala restituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Christi
Non pensans meritum diluit omne malum,
Credentésque omnes renouans baptismate sacro,
Dat bona quæ propter det meliora bonis.]

Verùm sanctus Gregorius prædestinationes, id est effectus diuini operis, plurali numero in libro vigesimo nono Moralium ponit. Vnde pro mediocritate nostræ intelligentiunculæ, ex doctrina ipsius & aliorum Ecclesiæ magistrorum, quo sensu hoc dixerit, qualitérve secundùm veritatem intelligendum sit, in præcedentibus istius opusculi sufficienter ostendimus.

EPILOGI CAPVT III.

Quid sit sanctorum prædestinatio, & quòd à Deo electi ad vitam prædestinati sint, & vita illis sit prædestinata æterna. reprobi autem non à Deo prædestinati, sed præsciti atque relicti ad pœnam sint, pœna autem ex retributione iustitiæ illis sit prædestinata æterna.

SANCTVS AVGVSTINVS in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Hæc est prædestinatio sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur?] Et Prosper in actione octaua ad Ianuenses Camillum & Theodotum presbyteros, Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur, præscisse incommutabiliter Deum,

Cap.xiv.

Resp.ix.

quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quenquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur liberare, præscisse. Et hanc esse prædestinationem sanctorum, prædestinationem scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissimè liberantur quicumque liberantur. Ceteros autem, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iusto nouerimus iudicio non exemptos, vt quid nobis remissum sit in eis discamus, de quorum queri damnatione non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum, neque quisquam sub iudicio eius innocens perit.] Et item in libro de Ingratis contra Pelagianos,

——— Omnibus vna est
Natura, & pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, & rursum genitos baptismate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis.]

Et item,

Qui verò tenebris exempti in lumine viuunt,
Gaudent, & quantum sibi sit bonitate vocantis
Dimissum, ex illis discunt qui debita soluunt.]

Lib. vi. in princip.

Et item beatus Augustinus in libro Hypomnesticon dicit, Prius ergo ipsum nomen prædestinationis quid indicet exponamus: deinde esse apud Deum, qui sine acceptione personarum est, prædestinationem diuinarum scripturarum auctoritate probabimus. Prædestinatio quippe à præuidendo, & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur. & ideo Deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quicquid antequam sit sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apostolus, *Nam quos præsciuit*, inquit, *& prædestinauit.* Sed non omne quod præscit prædestinat. Mala enim tantùm præscit: bona verò & præscit & prædestinat. Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat, id est, priusquàm sit in re præordinat. Hoc cùm ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur, *Nam quos prædestinauit hos & vocauit: & quos vocauit illos & iustificauit. quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Iam igitur apertius disseramus quod loquimur, quomodo erga humanum genus præscientia sua & prædestinatione Deus generaliter, in quo iniquitas non est, vtatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam & Eua præuaricatione damnabilis mortalísque facta est, non conditione diuina generaliter, sed ex debito pœna cruciatúsque gehennæ debetur: venia verò non merito, sed Dei iusti iudicis misericordiæ largitate confertur. Quia verò iustus & misericors Deus, præ sciúsque futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ inreprehensibili, immo incompre-

Rom. 8. 29.

hensibili, quos misericordia gratuita præscit, præparat, id est, prædestinat ad æternam vitam. Ceteros autem pœna, vt prædixi, debita punit. quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit, non tamen puniendos ipse fecit vel prædestinauit, sed tantùm, vt dixi, in damnabili massa præsciuit.] & post aliquanta, Oportet igitur, vt ad ea quæ superiùs disputare cœpimus reuertamur. Diximus namque de damnabili humani generis massa Deum præscisse misericordia, non meritis, quos electione gratiæ prædestinauit ad vitam: ceteros verò, qui iudicio iustitiæ eius hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantùm vitio proprio perituros, non vt perirent prædestinasse. Sed, vt dixi, quos in operibus impietatis & mortis præsciuit, non præordinauit, nec impulit, in quibus Deum prouocantes ad iracundiam, salutis fidem aut prædicatam sibi accipere nolunt, aut Deo iudice non possunt, vel accepta malè vtuntur, & ob hoc traduntur in reprobum sensum, vt non faciant ea quæ conueniunt, his pœnam prædestinatam esse ritè fatemur.]

Sub mediū.

Commemorandum etiam duximus, quia abutuntur rediuiui, quibus innisi fuerant in vetustis cineribus olim Prædestinatiani sepulti, Apostolicis testimoniis ad suam confirmandam sententiam, *Attulit*, quin Deus, *in multa patientia vasa iræ perfecta siue aptata vel præparata ad perditionem*, & *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Contra quos exposuit illa B. Augustinus hoc modo in libro de Prædestinatione sanctorum, *Attulit in multa patientia vasa iræ*, & cætera vsque *præparauit in gloriam.* Fides, inquit, & inchoata & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes isse in condemnationem sine dubitatione iustissimam, ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam quòd plurimi liberētur, & quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscant.] & ad Sixtum presbyterum, In vasis quæ perfecta sunt ad perditionē quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta quid eis misericordia diuina largita sit.] Et in epistola ad Optatum, Dixerat, Apostolus scilicet, figulum luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Meritò autem videretur iniustum quòd fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa vniuersa ex Adam massa damnata. Quòd ergo fiunt nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quòd autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non vtique animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed iustam fixámque vindictam, quòd de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicij. & *homo natus ex muliere*, sicut in libro Iob scriptum est, *breuis est vita & plenus iracundia.* Eius enim rei vas

Cap. IX.

Epist. 105.

Epist. 157.

Iob 14. 1.

est qua plenus est. Vnde iræ vasa dicuntur.] Et post paululum de electis, vt in eis, id est relictis, discant agere gratias Deo, quòd ab eis non suis meritis, quæ in eadem massa paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt.] Et in libro II. de Nuptiis & concupiscentia. *A quo enim quis deuictus est*, sicut dicit scriptura, *huic & seruus addictus est*. nec quisquam nisi per gratiam liberatoris isto soluitur vinculo seruitutis, à quo est hominum nullus immunis. Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrânsiit, in quo omnes peccauerunt. Sic est ergo Deus nascentium conditor, vt omnes ex vno eant in condemnationem, quorũ non fuerit renascentium liberator. Ipse quippe dictus est figulus, ex eadem massa faciens aliud vas in honorem secundùm misericordiam, aliud in contumeliam secundùm iudiciũ, cui cantat Ecclesia *misericordiam & iudicium*.] Et in libro De bono perseuerantiæ, de eo quod scriptum est, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Non enim est iniquitas apud Deum, absit. sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia eius, quia cuius vult miseretur nullis præcedentibus meritis, & inuestigabilis veritas, quia quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius vult miseretur plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, vnus relinquitur, dispar est exitus, merita communia: in quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur.] & in epistola ad Sixtum presbyterum, Quærimus enim meritum obdurationis & inuenimus, merito namque peccati vniuersa massa damnata est: nec indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, ac potiùs vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur si non gratis donatur, sed meritis redditur.] & in libro de Prædestinatione gratiæ, Occurrit enim cur pereant ex his aliqui, cùm omnipotens omnes homines saluos fieri velit, & ad agnitionem veritatis venire. Deinde cur rursus induret alios misertus aliorum, aut quomodo omnes homines vult saluos fieri, cùm ipse nonnullos ne saluentur induret.] Et post aliquanta. Si ergo, vt apparuit, de præuaricatoris semine omnes nascimur debitores, quoniam *in ipso omnes*, sicut ait Apostolus, *peccauerunt*, & ipsa iam in principio vnde descendimus massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur. Quòd verò Deus aliis gratuita vocatione conuersis misericordiam largitur indebitam, non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam liberalitatem veritatis ratione referendum est.] Et

Cap.3.

Psal.100.
Cap.xi.

Epist.105. ante med.

In principio c.2.

Cap.3.

Rom.5.

paulo pòst, Itaque ex superiore huius parte sententiæ qua dicit, *cuius vult miseretur*, puto quòd nullus nisi indignus misericordia audeat disputare: quod verò sequitur, *quem vult indurat*, ibi paululum humanæ mentis intentio verbi nouitate confunditur. Sed non ita intelligendum est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset duritiam cordis operetur. Quid est enim aliud duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Ergo quicquid post illam præuaricationem natus homo supplicij patitur, iustè reddi meritóque fateatur. Indurare enim dicitur Deus eum, quem mollire noluerit: sic etiam excæcare dicendus est eum, quem inluminare noluerit: sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.] Cap.4.

Et hoc, quod verbis eximij doctoris de vasorum interitus præparatione vel obduratione ostendimus, manifestum est totum fieri ex retributione iustitiæ, quoniam non à Deo in Adam conditi, sed ex Adæ per peccatum vitiato, & iuxta scripturam maledicto semine, in iniquitatibus concepti, & in peccatis nati filij iræ omnes natura sumus. Quos autem prædestinauit illos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit, quod ex dono totum fit gratiæ, quia non de Adam nati, sed vt adoptionem filiorum reciperemus, quam in Adam ex quo mortales sumus perdidimus, in Christo renati per adoptionis gratiam Dei filij facti sumus. Et hæc item, de iustitia relictis & gratia electis, sententiæ actuum Apostolorum, quibus etiam abutuntur Prædestinatiani, demonstrant dicente Paulo, *Et nos mortales sumus, adnuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Et quidem non sine testimonio, videlicet quo eum Deum esse cognoscere poterant, sicut & in epistola ad Romanos demonstrat, permisit quidem, id est reliquit, vt alibi scriptura dicit de Deo quia *reliquit hominem in manu consilij sui*, quod est ex retributione iustitiæ, meritò massam damnatam perditioni debitam. Et item de electis in eisdem Apostolorum actibus scriptum est, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Generaliter enim massa perditionis totius humani generis, peccante Adam ab ordine primæ conditionis deiecta est in perditionem damnationis. à qua æterna damnatione, ab exordio sæculi, peccato vt diximus primi hominis damnificata, à Deo autem ante omnia sæcula præscita non prædestinata, à Deo prædestinati ante omnia sæcula ad vitam æternam eripiuntur per sæcula viritim omnes, qui in electorum, id est gratia de massa perditionis lectorum, grege numerantur per Christum Dominum nostrum prædestinatorum caput & lumen. Et hæc electio, id est gratia de massa perditionis lectio, (ab eo qui legitis flores lego,) non illa est qua Saul & Iudas in scripturis leguntur electi. Scriptum est enim de Saul, *Electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo.* & de Iuda electo, sed non in electione electorum col- Act.14.14. Act.13.48.

lecto. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* quem ab hac electione, id est gratiæ lectione, Dominus alibi etiam discreuit dicens, *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum.* Propterea dixit, Non estis mundi omnes. Vnde beatus Augustinus in libro de Correptione & Gratia dicit, Electi sunt autem, quin vndecim Apostoli, ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui nouit bene vti etiam malis, vt & per eius opus damnabile illud, propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Meritò sequitur vox ad regnum electorum, *Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo nobis omnia donauit?* Hinc & sanctus Ambrosius in Commento epistolæ ad Romanos dicit, *Quos præsciuit & prædestinauit.* Istos quos præsciuit futuros deuotos sibi, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda. vt hi qui credere videntur & non permanent in fide cœpta, à Deo electi negentur, quia quos Deus elegit apud se permanent. Est enim qui ad tempus eligitur, sicut Saul & Iudas, non de præscientia, sed præsenti iustitia. *Conformes fieri imaginis filij sui.* Hoc dicit, quia ideo prædestinantur in futurum sæculum, vt similes fiant filio Dei.

Cap.VII.

Ioan.6.

Cap.VIII.

Quibus scripturæ atque doctorum verbis Prædestinatianorum destruitur falsitas, qui pro eo quòd Saul & Iudas leguntur electi à Deo, prædestinatos & electos ad interitum reprobos conantur adstruere. Cùm sicut in sanctis scripturis inuenimus, si Saul lacrymas suas lacrymis Samuelis pro se effusis coniungeret, non in perpetuum abiceretur à Domino. & si Iudas pœnitentiam apud Iesum pium iudicem egisset, quam apud Iudæos impios egerat, non in æternum periret. Sua ergo iniquitate Iudas periit, non Dei electione, sicut Prædestinatiani susurrant, malè interpretantes verba beati Augustini, sicut & veteres eorum patres fecerunt, manducantes vuam acerbam, vnde istorum dentes vsque hodie obstupescunt, & audientibus proponentes, Audite, inquiunt, quid Augustinus dicat, Illos elegit ad obtinendum regnum suum, & istum elegit ad effundendum sanguinem suum. Non enim aliter Iudas poterat nisi & hoc ageret vnde periret, quia prædestinatus ad interitum erat. Et tali dicto prædicant Deum mali auctorem, Iudam verò mali immunem, qui aliter non poterat nisi vt per Domini traditionem ad interitum iret, quo prædestinatus erat. Et nolunt legere libros beati Augustini quos aduersus eos egerat: in quibus, sicut sæpè diximus, electos prædestinatos, reprobos autem in massa perditionis relictos inculcat.

Quos libros si legunt, aut intelligere negligunt, aut quantum ex ipsis est prauo sensu peruertunt. Quorum doctrina quàm sit conspuitabilis & refutanda, omnis sapiens sanum intelligit. Neque enim nomen electus, siue electio, in scripturis inuentum semper ad ante sæcularem Dei prædestinationem electorum, sicut nec relictus vel relictio ad reproborum damnationem pertinet. Scriptum quippe est in libro Regum dicente Elia, *Et relictus sum ego solus.* & Dominus, *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curuauerunt genu ante Baal.* De qua relictione dicit Apostolus, *reliquiæ per electionem saluæ fient.* Et Hieremias in Threnis, *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio meî. vocauit aduersus me tempus, vt contereret electos meos.* Et in Canticis canticorum, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* qui ab Apostolo appellatur *prædestinatus filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis.* Sed & in hoc loco, vnde ex verbis beati Augustini suam prauam sententiam conantur adstruere de Iuda electo, ostendendum est quàm praue intelligant. Ait idem doctor mirabilis, Electi sunt, inquiens, videlicet vndecim Apostoli, ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Hoc dicit, quia talis erat vt dignus esset per quem sibi ac suis complicibus, & suasori eius diabolo tam damnabile, & cunctis credentibus opus venerabile compleretur. Necesse quidem erat vt hoc opus fieret, quia aliter genus humanum peccatis venditum non poterat à morte debita redimi, nisi illius morte qui sine peccato suo venerat occidi, sicut scriptum est, quoniam sic oportebat Christum pati, & intrare in gloriam suam. Et quia sic oportet fieri, & sicut item scriptum est, *Necesse est vt veniant scandala.* Et Lucas dicit, *Impossibile est vt non veniant scandala. væ autem illi per quem veniunt.* Et Apostolus dicit, *Oportet autem & hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Impossibile est ergo, vt exponunt doctores, in hoc mundo erroribus ærumnisque plenissimo scandala sæpissimè non venire: sed væ illi qui quod impossibile est non venire, suo vitio facit vt per se veniat. sicut hic Iudas qui proditioni animum præparabat. De quo scriptum est, *Tunc abiit,* ac si diceret, spontaneus non quæsitus, *& exquisiuit à principibus sacerdotum, Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* quoniam non solùm ardens auaritia, sed & eodem vitio vehementissimè inflammatus, fur erat & loculos habens ea quæ mittebantur portabat. Et ideo sicut beatus Augustinus dicit, Electus est per iudicium ab illo qui nouit bene vti etiam malis ad opus cui congruebat: vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipse venerat opus venerabile compleretur. Sicut electus est rex Saul à Domino, qui facit regnare hypocritam propter peccata populi, quique dicit, *Ipsi regnauerunt & non ex me, Principes extiterunt & non cognoui ad contemptum suum in contumaciam populi vindicandam.*

3.Reg.19.18. Rom.11.4. Ibid.5. Thren.1.15 Cant.5.10. Rom.1.4. Matt.18.7. Luc.17.1. 1.Cor.11.19 Matt.26.14 Osee 8.4.

1.Reg.8.7.9. quod & ſcriptura non tacuit dicens, *Dixit autem Dominus ad Samuel, Audi vocem populi. non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Verumtamen prædic eis ius regis.* & paulo pòſt, *Samuel dicit ad populum, Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.* Sic namque Saul & Iudas electi ſunt ad opera quibus congruebant, ſicut idem beatus Auguſtinus in libro de Gratia & libero Arbitrio dicit, Quando, inquiens, auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus ſeduxi prophetam illum:* & quod ait Apoſtolus, *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat:* &, *tradidit eos in reprobum ſenſum*, mala eorum merita præceſſiſſe nolite dubitare. Sic & electus eſt Saul ad illa exequenda in populum duræ ceruicis & indomabilis animi, quæ Dominus prædici eis à Samuele præcepit. Sicut è contrario de Moyſe ſcriptum eſt in libro Eccleſiaſtico, *Elegit eum ex omni carne.* & ad quid eum Deus elegerit, paulo pòſt ſequitur, *docere Iacob teſtamentum, & iudicia ſua Iſrael.* Et ſi electus eſt Iudas ad tradendum Dominum, qui pro redemptione omnium occidi venerat, ſicut quantum de ſeruo ad Dominum comparatio duci poteſt, ſanctus Gregorius ad decollandum Sanctolum religioſum preſbyterum pro diacono, pro quo ſe morti obtulerat, de quodam Langobardo in libro refert Dialogorum. Ait enim, Vir autem Domini deductus eſt in medium, atque ex omnibus viris fortibus electus eſt vnus, de quo dubium non eſſet quòd vno ictu caput eius abſcideret. *& paulo inferiùs*, Hunc electus interfector calce pulſauit vt ſurgeret. *& infrà*, Tunc electus carnifex euaginatum gladium tenens, *& de quibus iſte electus ſit ſuprà dicit*, Omnes qui in eodem loco inuenti ſunt Langobardi conuenerunt, ſicut ſunt nimiæ crudelitatis, læti ad ſpectaculum mortis.] Et Iudas filius perditionis de omnibus membris Antichriſti filij perditionis ad tradendum Chriſtum electus eſt merito ſuæ iniquitatis, vt per eius opus damnabile, vt Auguſtinus dicit, opus venerabile propter quod Chriſtus venerat compleretur. Videndum etiam quomodo hinc verbis beati Ambroſij verba concordant ſancti Auguſtini. Ait enim Ambroſius, Eſt qui ad tempus eligitur, ſicut Saul & Iudas, non de præſcientia, ſed de præſenti iuſtitia.] Et ſanctus Auguſtinus in libro de Correptione & Gratia, Qui verò perſeueraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana & conuerſatione lapſuri ſunt, vt tales eos huius vitæ finis inueniat, proculdubiò nec illo tempore quo benè piéque viuunt in electorum numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti. & ideo nec ſecundùm propoſitum vocati, ac per hoc nec electi, ſed in eis vocati de quibus dictum eſt, *Multi vocati*, non in eis de quibus dictum eſt *pauci verò electi.* Et tamen quis eos neget electos, cùm credunt & baptizantur, & ſecundùm Deum viuunt? Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſunt, non ab illo qui eos nouit

non

Marginal notes: Cap. 25. — Ezech 14. — Rom. 9. — Eccli 45. 4.6. — Lib. III. cap. 37. — Cap. VII. — Matt. 21. 14

non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scítque illos ita stare vt præscierit esse casuros.

Notandum etiam quia ex hac sententia, & quibusdam aliis beati Augustini, veteres Prædestinatiani hæresim condiderunt, quòd ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam percepta baptismi gratia non auferat originale peccatum: & etiamsi fuerint in Christo regenerati qui prædestinati non sunt, & piè iustéque vixerint, nihil eis prosit, sed tam diu reseruentur donec ruant & pereant, nec ante eos ex hac vita quàm hoc eis contingat auferri. Quos confutauit Prosper dicens, Quia omnis homo, qui credens in patrem & filium & Spiritum sanctum regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis quæ mala voluntate & actione contraxit, quàm ab originali quod à parentibus traxit absoluitur. Sed si recedens à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam cadens in perditionem, non in id quod remissum est recidit, nec in originali peccato damnabitur, sed propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ propter illa quæ remissa sunt debebatur. Et qui reliquerunt Deum & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt, licèt fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen qui illos tales præsciuit non sunt prædestinati, quia Dei præscientiam tales eos futuros nec latuit nec fefellit. Et ideo nunquam tales elegit, nunquam prædestinauit, & perituros nunquam ab æterna damnatione discreuit.] Et sanctus Gregorius euidenter demonstrat in libro quarto Moralium, quia homo primus ad vitam conditus, si non peccaret, nequaquam ex se gehennæ filios, sed eos qui nunc per redemptionem saluandi sunt generaret. Quémque Deus peccaturum præsciuit non prædestinauit, sed sicut scriptum est, *in manu consilij sui reliquit*, isdem autem voluntatis propriæ libertati relictus, se & omnes ex traduce sui seminis genitos perditioni obnoxios & condemnandos effecit. Deus autem ex eadem massa perditionis totius humani generis, *secundùm præscientiam suam*, vt Petrus in capite epistolæ primæ dicit, *quosdam elegit*, id est, gratia ante meritum omne præelegit & prædestinauit, id est gratia præparauit, nam electi iidem sunt & prædestinati ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam. *Sicut elegit nos*, inquit Apostolus, *in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in caritate, prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. In qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ suæ. quæ superabundauit in nos in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ secundùm bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispositionem plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso. In quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui*

Contra Gallos c. 3.

Cap. 28.

Eccli. 15 14

1. Pet. 1. 2.

Ephes. 1. 4.

vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Et Euangelium, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum*, id est, prædestinatum *est ab origine mundi.* Et item Apostolus, *Gratia autem Dei vita æterna.* Quos autem præsciuit non prædestinauit, iudicio iusto reliquit ad pœnam, & ex retributione iustitiæ pœnam illis prædestinauit, id est præparauit æternam.

Rom.6.23.

Ait enim idem, catholicæ & Apostolicæ sanctæ sedis Romanæ, omnium scilicet Ecclesiarum in toto orbe terrarum matris atque magistræ Pontifex, in Homilia Euangelij XXXIV. Angelorum quippe & hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit, quam dum consistere ad æternitatem voluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creauit.] Et in Homilia Euangelij XVII. Quid autem animas hominum nisi cibum Domini dixerim, quæ ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traiciantur, id est, vt in æternæ Ecclesiæ augmentum tendant?] Et in XVII. libro Moralium, Ad vitam namque homo conditus, in libertate propriæ voluntatis sponte sua factus est debitor mortis.] Et item in libro XX. Moralium. Humanum igitur genus, recto Dei iudicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium.] Et item in libro XXV. Primus homo ita conditus fuit, vt moriente illo deciderent tempora, nec cum temporibus ipse transiret. Sic enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat, stabat tanto robustiùs, quanto semper stanti artiùs inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenso creatore cœpit ire cum tempore, statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit. Quia verò, vt diximus, arbitrij libertate abusus primus homo peccauit, & factus est massa perditionis totius humani generis, quidam ex eadem massa damnationis, qui per redemptionem sanguinis Christi saluati sunt, saluantur & saluabuntur, quoniam, vt princeps Apostolorum dicit, *Non est alind nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, ante tempora sæcularia præsciti, & gratia electi vel prædestinati ad vitam, quidam verò præsciti non prædestinati, sed iudicio iusto in eadem massa relicti ad pœnam sunt. sicut idem Gregorius doctor egregius in libro XXV. Moralium dicit, Hunc, inquiens, supernorum iudiciorum metum Paulus Apostolus discipulorum cordibus insinuans ait, *Qui se existimat stare videat ne cadat*, Quòd autem dicit, *conteret multos*, illicò adiunxit, *innumerabiles*. vel multitudinem exprimere studuit reproborum, quæ humanæ rationis numerum transit, vel certè indicare voluit quòd omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, vt eo sint innumerabiles quo extra numerum currunt. Vnde & Propheta intuens tantos in hoc Ecclesiæ tempore specie tenus credere, quantos nimirum certum est electorum numerum summámque transire, ait, *Multiplicati sunt super numerum.*

Non longè à principio.

Act.4.12.

Cap.VIII.

1.Cor.10.12

Iob 34.24.

Psal.39.6.

ac si diceret, multis Ecclesiam intrantibus, etiam hi ad fidem regni specie tenus veniunt, qui à numero cælesti excluduntur, quia electorum summam sua videlicet multiplicatione transeunt. Vnde per Esaiam quoque eidem Ecclesiæ dicitur, *Ad dexteram enim & ad læuam dilataberis, & semen tuum gentes hereditabit.* Intrante quippe multitudine gentium ad dexteram extenditur, dum quosdam iustificandos suscipit: ad læuam quoque dilatatur, dum ad se quosdam etiam in iniquitate permanentes admittit, præter hanc multitudinem quæ extra electorum numerum iacet.] & paulo superiùs. Notandum verò est, quia dum aliis cadentibus, ad standum alij solidari perhibentur, electorum numerus certus ostenditur. Vnde etiam Philadelphiæ Ecclesiæ per Angelum dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Hac ergo sententia, qua narratur, aliorum erigi, aliorum autem vita bona confringi, spes nutritur humilium, elatio premitur superborum, dum & illi bona possunt amittere de quibus superbiunt, & isti ea percipere quæ quia non habeant contemnuntur.] Et item aliquanto superiùs, In hoc ergo vtroque genere hominum sæpè contingit, vt & qui videntur in humano iudicio stare, iam in conspectu æterni iudicis iaceant, & qui nunc coram hominibus iaceant, in conspectu æterni iudicis stent. Quis enim hominum æstimare potuisset, Iudam viuendi sortem post ministerium Apostolatus amittere, & latronem æterna præmia in articulo mortis inuenire? Occultus autem iudex, præsidens & vtrorumque corda discernens, alterum piè statuit, alterum iustè confregit, illum districtè exteriùs repulit, hunc intrinsecùs misericorditer traxit.] & item in libro vigesimo nono, *Iudicia tua abyssus multa.* Nemo ergo perscrutari appetat, cur cùm alius repellitur alius eligatur, vel cur cùm alius eligitur alius repellatur, quia superficies abyssi constringitur, & attestante Paulo *Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.*] Item idem in libro vigesimo nono dicit, Dominus inquiens ait *Cælum mihi sedes est.* &, *anima iusti sedes sapientiæ.* Cælum vtique anima iusti, cælum fuit Abraham. Cùm enim de Abraham natus est Caiphas, quid aliud nisi gelu de cælo processit? Quod tamen gelu idcirco Dominus genuisse se dicit, quia Iudæos quos naturaliter ipse bonos condidit, iusto iudicio per eorum malitiam frigidos à se exire permisit. Dominus enim conditor est naturæ, non culpæ. Genuit ergo creando naturaliter, quos iniquos permisit tolerando viuere patienter.] & item in eodem libro, Hinc Paulus ait, *Eo quòd caritatem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non credunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Nequaquam ergo super eos vesper consurgeret, si cæli filij esse voluissent.] Et item in libro vigesimo quinto, Hoc quod electis aliis alij conteruntur, de merito patientis est, non de iniquitate punientis. Non enim iniquus Deus,

Esa. 54. 3.
Cap. eodē.
Apoc. 3. 11.
Cap. vii.
Cap. xv.
Psal 35. 7.
Rom. 11 33.
Cap. eodē.
Esa. 66. 1.
Cap. xvii.
2. Thess. 2. 10.
Cap. viii. & ix.

Iob 34.25. qui infert iram. vnde aptè subiungitur, *Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur.*

Et quia præscientia Dei sine prædestinatione esse potest, sicut in illis omnibus quæ non ex ipso erant causam operationis habitura, non tamen eum possunt latere qui nouit omnia etiam antequam fiant. Et reprobi præsciti non autem prædestinati à Deo ad pœnam sunt, quia non ipso auctore, sed exigente iniquitate, vel paterna vel propria, pereunt iusto à Deo relicti iudicio: sicut præsciti simul & prædestinati ipso auctore saluantur gratiæ dono, quoniam misericordia eius præuenit nos, vt bene velimus, adiutor in opportunitatibus in tribulatione, cui dicimus, *Adiutor meus tibi psallam*, &, *Adiuua nos Deus salutaris noster.* Adiuuat nos vt bene possimus, & misericordia eius subsequetur nos omnibus diebus vitæ nostræ, vt in bono perseueremus, & ipse coronat nos in misericordia & miserationibus, qui satiat in bonis desiderium nostrum. Satiabimur enim

Cap. XIIII. cùm manifestabitur gloria eius. Hic doctor magnificus in libro Moralium trigesimo quarto demonstrat dicens, Fortasè quempiam moueat, cur misericors Deus fieri ita permittat, vt Leuiathan iste, seu nunc per suggestiones callidas, siue tunc per damnatum illum quem replet hominem, vel Solis sibi radios, id est doctos quosque sapientésque subiiciat, vel aurum, hoc est viros sanctitatis claritate fulgentes, quasi lutum sibi vitiis coinquinando substernat. Sed citiùs respondemus, quòd qui prauis eius persuasionibus quasi lutum sterni potuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Qui enim seduci quandoque non reuersuri possunt, quasi habitam sanctitatem ante oculos hominum videntur amittere, sed eam ante Dei oculos nunquam habuerunt. Sæpè namque homo multis occultè peccatis inuoluitur, & in vna aliqua virtute magnus videtur, quæ ipsa quoque virtus inanifcens deficit, quia dum innotescit hominibus, proculdubiò laudatur, eiúsque laus inhianter appetitur. Vnde fit vt & ipsa virtus ante Dei oculos virtus non sit, dum abscondit quo displicet, prodit quo placet.] & post pauca, Eat ergo Leuiathan iste, & Solis sibi radios subdat, atque aurum luti more subiiciat. Scit omnipotens Deus ad electorum suorum solatium bene vti malo reproborum, quando hi qui ad illum peruenturi sunt, & suis ad eum meritis proficiunt, & sæpè in eo quod superbè sapiunt alienis lapsibus corriguntur.] Et quia reprobis pœna, electis autem à Deo æterna vita est præparata, paulo pòst sequitur, Per semetipsam namque veritas dicit, *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*]

Matt. 25. Cap. XVI. & item post pauca subiungit, At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum fine. Iustus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citiùs respondemus, quòd rectè dicerent, si iustus iudex districtúsque veniens, non corda hominum, sed facta

pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quàm viuere. & ideo hîc semper viuere cupiunt, vt nunquam desinant peccare cùm viuunt. Ad districti ergo iustitiam iudicis pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, qui quandiu valuit habere noluit terminum criminis.]

Quoniam quidem adinuentionum de prædestinatione resufflatores, praui sensus scalpentes auribus, lingua pruriente nos dicunt Dei mutabilem voluntatem, nouúmque eius prædicare consilium, si damnet quos ante sæcula ad mortem & damnationem nequaquam prædestinauit, accipiant, legant, & audiant atque intelligant, nos catholicorum patrum sequi doctrinam, & dicere sicut prædiximus, & adhuc iterare non piget, quia multos Deus gratia prædestinauit ad gloriam, neminem autem prædestinauit sed deseruit iustè ad damnationem & pœnam. Quos autem ante sæcula præsciuit, non prædestinauit, in impietate & iniquitate perseueraturos, prædestinauit vt ex iustitiæ retributione damnentur, & iudicium æquè prædestinauit quo iustissimè puniantur, sicut apertissimè ostendit sanctus Augustinus in principio Euangelij Ioannis, Factam inquit in tempore creaturam, sed in æterna creatoris sapientia quando & qualis crearetur semper fuisse dispositum. & hoc est quod ait, *Quod factum est in ipso vita erat*, id est quod factum in tempore, siue viuum siue vita carens apparuit, omne hoc in spiritali factoris ratione quasi semper vixerat & viuit: non quia coæternum est creatori quod creauit, sed quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua ab æterno habuit & habet quid & quando crearet, qualiter creatum gubernet vt maneat, ad quem finem singula quæ creauit perducat.] Et S. Gregorius in libro Moralium XXV. dicit, Cunctis liquet quòd in illa extrema requisitione examen publicum facturus est omnipotens Deus, vt alios ad tormenta deserat, alios ad participationem regni cælestis admittat. Sed & hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstrabitur. Nam iustè & misericorditer singulorum corda vel examinans vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea quæ sunt intrinsecùs trahit, hos accendit interna appetere, illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare.] Item sanctus Augustinus in libro de Prædestinatione gratiæ, ad locum dicit, *Quos autem prædestinauit illos & vocauit, & quos vocauit illos & iustificauit*. Ipse enim dedit vt simus, ipse vt boni esse possimus. Præsciuit nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim, quamuis pro tẽpore ex quo factus est cœperit, in illa diuinæ præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium: & quanticumque vel ex Adam vsque in hodiernum homines nati sunt, vel post

Cap. VII.

Cap. V.
Rom. 8.

ætatem nostram generationis sunt propagine nascituri, apud Deum & iam nati sunt, & decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim, qui nec loco clauditur, nec tempore præuenitur, omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm imminentium scientia plenus est. nec reminiscens voluitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum. & quæcumque omninò sunt, quæ temporum motibus agitantur, ab eo principio in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vsque in finem omnium sæculorum. De quo fine cùm diceret beatus Moyses, *Domine*, inquit, *qui regnas in sæculum & sæculum.* & adhuc nec sperantur futura, nec præterita transierunt, sed in præsentia diuinitatis præsenti semper luce cernuntur. Ab illo ergo qui æternus & præscius, qui & iustus & pius est, qui & exerit debitam seueritatem, & exhibet indebitam pietatem, & habet in creandis atque eligendis hominibus, sicut in luto figulus, potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorem, alia verò in contumeliam. Antequam faceret nos præsciuit nos, & in ipsa nos præscientia cùm nondum fecisset elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi ab eo qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt? Apostolus enim dicit, *Qui elegit nos ante mundi constitutionem.* Intra mundum facti sumus, & ante mundum electi sumus. Atque ita vno eodémque, nec transeunte nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si tamen potest, apud Deum est & præscire, & facere, & eligere. Et præscientia sua incommutabiliter permanente elegerat faciendos quos facturus fuerat eligendos.] Et Prosper in libro Epigrammatum, *De intemporali opere Dei.* Ordo temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua sunt apud illum noua, qui fecit quæ futura sunt.

Rom.4. Eph.3.1.

Epigram. LVIII.

Artifice in summo sine tempore temporis ordo est,
Inque Deo rerum non variat series.
Æterno auctori simul adsunt omnia semper,
Cum quo in factorum est ordine quicquid erit.

EPILOGI CAPVT IV.

Qualiter catholica Ecclesia de gratia & libero arbitrio teneat.

Innocent. ep.XXXI. Cælest.ep. VIII.

SANCTVS INNOCENTIVS in epistola ad Aurelium & Carthaginense Concilium, itémque sanctus Cælestinus ad Venerium & ceteros Gallicanos Episcopos, Liberum arbitrium olim ille, id est primus homo perpessus, dum suis inconsultiùs vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus est, & nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit, suáque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ latuisset oppressus, nisi eum postea Christi

pro sua gratia releuasset aduentus. qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit, & eius firmans statum, quo rectiùs stabiliúsque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negauit. Nam quamuis hominem redemisset à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisíque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur. Omnium igitur bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniúmque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum.] Et S. Augustinus in absolutione quæstionis tertiæ contra Pelagianos & Cælestianos Hypomnesticon libro, Igitur liberum arbitrium hominibus esse certa fide credimus, & indubitanter prædicamus. & cur liberum dicatur arbitrium est paululum differendum. Arbitrium scilicet ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat quídve recuset, puto quod nomen accepit: vel ideo liberum dictum, quòd in sua sit positum potestate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus. Sed huiusmodi, vt antè iam dixi, fuit in homine protoplasto, cùm ante peccatum maneret inlæsus. Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id quod potuit ne delinqueret resistere suadenti. Per velle ergo malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum potuit vincere velle malum. Quem iustè Deus iam delicto captiuum voluntati deprauatæ dimisit, vt hæc eidem esset pœna in non faciendo quod velit, quæ semper si Deo fuisset obediens sufficere potuisset ad omne bonum quod voluisset. Malum itaque velle non ex naturæ suæ conditione bona habuit, tanquam ex congenito malo, vt Manichæus credit, sed ex accidenti desiderio prauo concepit.] Contra quem facit scripturæ sententiæ expositio, quam isdem doctor in II. libro de Nuptiis & Concupiscentia explanauit, *Quoniam nequam est natio illorum & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterit mutari cogitatio illorum in perpetuum. semen enim erat maledictum ab initio.* Nempe, inquiens, de quibuscumque dicat ista, de hominibus dicit. Quomodo est ergo cuiuslibet hominis malitia naturalis, & semen maledictum ab initio, nisi ad illud respiciatur, quòd *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit in quo omnes peccauerunt?* Cuius autem hominis ma-

Hypomn. lib. III. sub initium.

Lib. II. cap. XIII.

Sap. 12. 10.

Rom. 5. 12.

la cogitatio non poteſt in perpetuum mutari, niſi quia per ſeipſam non poteſt, ſed ſi gratia diuina ſubueniat, qua non ſubueniente, quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, *velut muta animalia, procreata naturaliter in captiuitatem & interitum?* Vnde vno loco Paulus Apoſtolus vtrumque commemorans, & iram Dei cum qua naſcimur, & gratiam qua liberamur, *Et nos omnes*, inquit, *aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & affectionum, & eramus natura filij iræ ſicut & ceteri. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſumus ſaluati.* Quid eſt ergo malitia naturalis hominis, & ſemen maledictum ab initio, & procreati naturaliter in captiuitatem & interitum, & natura filij iræ? Numquid in Adam natura iſta ſic condita eſt? abſit. Sed quia in illo vitiata, ſic per omnes iam naturaliter cucurrit & currit, vt ab hac perditione non liberet niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.] Et item in libro Hypomneſticon, Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſque eſſe negauerit catholicus non eſt, & quiſque ſic eſſe dixerit, quòd ſine Deo bonum opus, id eſt quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere nec perficere poſſit, catholicus eſt.] Et item, Audi hæretice, ſtulte & inimice fidei veritatis, Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullis liberi arbitrij meritis, ſed ipſa faciente, gubernante, proficiente, vt abundent in libero arbitrio non damnamus, quia ex his vel huiuſmodi homines Dei iuſtificati ſunt, iuſtificantur, iuſtificabuntur in Chriſto. Damnamus verò auctoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis in Chriſto iuſtificari extolluntur.] Et item in libro de Gratia & libero Arbitrio, Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Aut enim à iuſtitia libera eſt quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala, aut à peccato libera eſt quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit vt ſit homo voluntatis bonæ, qui priùs fuit voluntatis malæ. per hanc etiam fit vt ipſa bona voluntas quæ iam eſſe cœpit augeatur, & tam magna fiat, vt poſſit implere diuina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, *ſi volueris conſeruabis mandata.* vt homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret vt habeat tantam voluntatem quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuuatur vt faciat quod iubetur. Tunc enim vtile eſt velle cùm poſſumus, & tunc vtile eſt poſſe cùm volumus.] Et ſanctus Gregorius in libro Moralium vigeſimo quarto, *Liberauit enim animam ſuam ne pergeret in interitum.* Quia præueniente diuina gratia in operatione bona noſtrum liberum arbitrium ſequitur, noſmetipſi nos liberare dicimur, quia liberanti nos Domino conſentimus. Vnde Paulus cùm diceret, *Abundantiùs illis omnibus laborani,*

[Margin notes: 2.Pet.2.12. — Ephef.2.3. — Cap.IX. — Lib.III. ſub med. — Verſus finem. — Cap.XV. — Eccli.15.16 — Cap.VI.]

raui, ne labores suos sibi tribuisse videretur, adiunxit, *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim præuenientem Dei gratiam ipse etiam libero arbitrio fuerat subsecutus, aptè subiunxit *mecum:* vt & diuino muneri non esset ingratus, & tamen à merito liberi arbitrij non remaneret extraneus.] Et item in libro trigesimo tertio, *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* Ac si apertè diceretur, Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor, quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cælestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono operatur electis, cùm eorum mens à terrenis desideriis gratia adspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus, & Dei est, & nostrum. Dei per præuenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei in æternum gratias agimus? rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd eius munere præuenimur. & rursum, quia non immeritò retributionem quærimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus.] Et venerandus Alcuinus in opusculo quæstionum libri Geneseos, ad Sigulfum presbyterum, interrogatus cur homo factus est liberi arbitrij, respondit, Quia noluit creator hominem cuiuslibet creare seruum, quem ad imaginem suam fecit, quatenus ex voluntario bono laudabilis appareret, vel appetitu malo damnabilis. Et interrogatus, cur tentari Deus hominem permisit, quem consentire præsciebat, respondit, Quia magnæ laudis non esset, si ideo homo non peccasset, quia malè facere non potuisset. Nam & hodie sine intermissione per vniuersum genus humanum ex insidiis diaboli homines tentantur, vt ex eo tentati virtus probetur, & palma non consentientis gloriosior appareat. Et de quæstione, quomodo intelligendum sit, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, respondit, Quia tu liberi es arbitrij, non habet peccatum super te dominium, sed tu super illud, & in tua potestate est, siue cum Dei gratia compescere, siue appetitu tuo concupiscere illud. Et interrogatus quæ est vera libertas, respondit, Maxima hæc libertas est, seruire iustitiæ, & peccato liberum esse.] Et Prosper contra Gallos, Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur: sed ante inluminationem fidei in tenebris, id est in vmbra mortis agere, non rectè negatur. quoniam priusquàm à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam reuocat ac reducit, vt quod sua libertate erat prauum, spiritu Dei agente sit rectum. Et item in libro de Ingratis contra Pelagianos,

1.Cor.15.10

Cap.xx.

Resp.vi.

Ibid.sententia vi.

Sicut enim palmes nullos valet edere fructus

Non in vite manens, quæ de radice ministra
Succum agat in frondes, & musto compleat uuas:
Sic infœcundi virtutum & fruge carentes,
Perpetui cibus ignis erunt: qui vite relicta,
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint vbertate feraces.
Et mage se credunt propriis excellere posse,
Quàm si virtutum placitarum sit Deus auctor.

Et paulo pòst,

Quòd non est nisi peccatum, quo discrucietur
Libertas, ad quam solam malè gesta recurrunt.
Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus,
Cùm desideriis carnis mens casta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, inlæso corde manemus,
Libertate agimus, sed libertate redempta,
Cui Deus est rector.

Cap. 15. Et item in eodem,

Et nos ista inquit sentimus de bonitate
Ac virtute Dei, quo ni foueátque regátque
Quos vocat, & tutos peccato præstet ab omni,
Non sua seruabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturæ viribus vllus.
Sed quia iam in nobis & velle & nolle creatum est,
Arbitriíque sui quò vult intendere motus
Libertas accita potest, patuítque per aurem
Iudicio cordis, quo mundum proposuisset
Consilio saluare Deus, mens excita longum
Excutiat somnum, séque illi subdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promissa in gaudia ducat.

Non longè à principio. Et in libro de Prouidentia diuina,

———————— Dedit optimus auctor
Hoc homini speciale decus. cúmque omnia verbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare suis. substantia duplex
Iungitur, inque vnam coeunt contraria vitam.
Namque anima ex nullis vt cetera gignitur, expers
Interitus, nisi quòd Domino cruciabilis vni est,
Et rea ferre potest pœnam sub nomine mortis,
Terrenámque inlapsa domum, dat viuere secum
Consortem, & pariter diuinum haurire vaporem.
Nec quia dissimilis rerum natura duarum est,
Dispar conditio est, manet exitus vnus vtrumque,
Seu potior iuri subdatur posterioris,

Seu ſe maioris virtuti infirmior æquet.
Eſt etenim ambarum vinci, eſt & vincere poſſe,
Proficere & minui, regnare & perdere regnum.
Non quia plus cuiquam, minus aut in origine cauſæ
Naſcendi attulerint, aut vlla externa creatos
Vis premat, ignaróſque agat in diſcrimina morum:
Sed quia liber homo & ſapiens diſcernere rectis
Praua poteſt, in ſe intus habens diſcrimina rerum,
Iúſque voluntatis quo temperat arbitrium mens.

EPILOGI CAPVT V.

Quòd Deus omnes homines vult ſaluos fieri, licèt non omnes ſaluentur: quòd autem quidam ſaluantur, ſaluantis ſit donum, & quòd quidam pereunt, ſit pereuntium meritum.

SANCTVS CÆLESTINVS ad Venerium & ceteros Gallicanos Epiſcopos, Obſecrationum ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo atque in omni catholica Eccleſia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum plebium Præſules mandata ſibi legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente, poſtulant & precantur vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudæis ſublato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ caritatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedia conferantur. vt denique catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur.] Tanta enim eſt erga omnes homines bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus. Et Ioannes Chryſoſtomus in Euangelio Matthæi Homilia XXV. Idcirco enim, inquit, altari adſiſtens ſacerdos pro vniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus atque præſentibus, pro his qui ante nos fuerunt, pro his qui poſtea ſunt futuri, ſacrificio illo propoſito, Deo nos gratias iubet referre. Hoc quippe & à terra nos liberat, & tranſponit in cælum, atque ex hominibus Angelos facit.] Sanctus Dionyſius Areopagites in libro de Eccleſiaſtico principatu cap. II. Hierarchas quidem vnuſquiſque ad Dei ſimilationem omnes homines volens ſaluare, & ad agnitionem veritatis venire, prædicat omnibus vera Euangelia, *Quanti*, inquit, *acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius.* Si quis ergo diſcedit à vero lumine, aut de intellectualibus, ſpontaneo arbitrio, malitiæ cupiditate, concludens naturaliter inſperſas ſibi ad inluminari virtutes,

Poſt epiſt. VIII.

Ioan. I. 12.

per seipsum se destruet.] Et sanctus Cyprianus in libro de Oratione Dominica dicit, Nam cùm discipuli ab eo non iam terreni appellantur, sed sal terræ, & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum verò de cælo, & nos qui esse debemus patri Deo similes, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, sic Christo monente oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus, vt quomodo in cælo, id est in nobis, per fidem nostram voluntas Dei facta est vt essemus è cælo, ita & in terra, hoc est vt illis credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes ex aqua & spiritu nati.] Et sanctus Hilarius in secundo libro de Fide, Humani enim generis causa Dei filius natus ex virgine est, & Spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante, & sua Dei videlicet inumbrante virtute, corporis sibi initia conseuit, & exordia carnis instituit, vt homo factus ex virgine naturam in se acciperet, pérque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo vniuersi generis humani corpus existeret: vt quemadmodum omnes in se per id quod corporeum esse voluit conderentur, ita rursum in omnes ipse per id quod eius est inuisibile referretur.] Et item. Munus autem quod in Christo est omnibus patet vnum. & quod vbique non deest in tantum datur in quantum quis volet sumere, in tantum residet in quantum quis volet promereri.] Sanctus quoque Ambrosius in Psalmo CXVIII. exponens versum, *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine*, ita dicit, *Quàm bonus Israel Deus rectis corde!* Ergo bonus omnibus, quia omnes recto vult esse corde. qui autem corde declinauerit, ipse à se gratiam diuinæ bonitatis auertit. semper Deus bonus est.] Et S. Ioannes Chrysostomus in libro de Reparatione lapsi, Si propterea nos fecisset Deus vt puniret, rectè desperares & dubitares de salute tua: si verò propter bonitatem suam tantummodò nos fecit, vt æternis eius bonis & muneribus fruamur, atque quæ agit ab initio sæculi vsque ad præsens tempus propterea agit, & propterea monet, vt nos misericordia sua saluet, quæ vltrà nobis desperandi, quæ ambigendi causa supererit?] Et sanctus Hieronymus in Commento epistolæ ad Ephesios, *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei.* Mœror Spiritus sancti sic intelligendus est, quomodo ira Dei, & somnus, & ceteræ in humanam similitudinem passiones. Non quo contristetur Spiritus, & vllam perturbationem diuinitas sentiat: sed quo ex verbis nostris Dei discamus affectus, quòd mœreat quotiescumque peccamus, & defleat peccatores. Nam & Saluator in corpore constitutus fleuit Hierusalem, & omne hominum genus in propheta deplorat dicens, *Heu mihi anima, quia periit reuerens à terra, & qui corrigat inter homines non est. omnes in sanguine iudicantur.*] Et sanctus Augustinus in libro de Littera & Spiritu: Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non

Lib. 2. de Trin. post medium.

Psal. 72. 1.

Ephes. 4. 30

Cap. 33.

ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, malíſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper inuicta eſt. vinceretur autem, ſi non inueniret quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo poſſent euadere quod de talibus ille conſtituit.] Et in libro de Catechizandis rudibus, Verè frater, illa magna & vera beatitudo eſt, quæ in futuro ſæculo ſanctis promittitur. omnia verò viſibilia tranſeunt, & omnis huius ſæculi pompa, & delitiæ, & curioſitas interibunt, & ſecum ad interitum trahunt amatores ſuos. A quo interitu, hoc eſt pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens omnes homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit vnigenitum filium ſuum, hoc eſt Verbum ſuum æquale ſibi, per quod condidit omnia: & manens quidem in diuinitate ſua, & non recedens à patre, nec in aliquo mutatus, aſſumendo tamen hominem, & in carne mortali hominibus apparendo, venit ad homines, vt quemadmodum per vnum hominem qui primus factus eſt, id eſt Adam, mors intrauit in genus humanum, quia conſenſit mulieri ſuæ ſeductæ à diabolo vt præceptum Dei tranſgrederentur: ſic per vnum hominem, qui etiam Deus eſt, Dei filius, Ieſum Chriſtum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.] Et Proſper contra Vincentianos, Sinceriſſimè credendum atque profitendum eſt, Deum velle vt omnes homines ſalui fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. Ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia: vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.] Et item in libro de diuina Prouidentia,

Reſp. 11.

Sub medium

Verùm ne longo ſermone moremur in iſtis,
Quæ ſparſim variéque ſuis ſunt edita ſæclis,
Néve quod in parte eſt, in toto quis neget eſſe,
Dum ſolidam Domini diuiſa negotia curam
Velant, & nulla accipitur quæ rara videtur.
Dicite quem populum qua mundi in parte remotum,
Quóſve homines, cuius generis, vel conditionis,
Neglexit ſaluare Deus? vir, femina, ſeruus,
Liber, Iudæus, Græcus, Scytha, Barbarus, omnes
In Chriſto ſumus vnum.
Hoc etenim lex, hoc veneranda volumina vatum,

Hoc Patriarcharum spes non incerta tenebat:
Vltima cùm mundi finem propè curreret ætas,
Venturum ad terrena Deum, qui morte perempta,
Solueret inferni leges, longámque ruinam
Humani generis meliore attolleret ortu.]

De Prouidentia paulo post superiora.

Et in libro contra Eutychem,

Vtque illos veterum complexa est gratia solos,
Qui Christum videre fide, sic tempore nostro
Non renouat quemquam Christus, nisi corde receptus.
En homo quanta tibi est gratis conlata potestas,
Filius esse Dei si vis potes.]

Ibid post alia.

Et in libro contra Nestorium,

Iámne Dei compertus amor, diffusáque in omnes
Cura patet, notum & cunctis adstare salutem?
Et tamen heu rursum querulis homo garrula verbis
Bella moues, iaculísque tuis tua viscera figis:
Cur non sum bonus? hoc non vis. cur sum malus? hoc vis.
Cur volo quæ mala sunt, & cur quæ sunt bona nolo?
Liber es, & cùm recta queas discernere prauis,
Deteriora legis.]

Post aliquanta ibidem.

Et in libro contra Mathematicos,

Hoc operis sectare boni, hoc fuge cautus iniqui.
Vita beata isto paritur, mors editur illo.
Coràm adsunt aqua seruatrix, populator & ignis.
Ad quoduis extende manum, patet æqua facultas.]

Et paulo pòst,

Non superi pariunt ignes, nec ab æthere manat.
Sed nostris oritur de cordibus, ipsáque bellum
Libertas mouet, & quatimur ciuilibus armis.
Otia cùm mollis complexa ignaua voluntas
Difficili negat ire via.

Ibidem post alia.

Et in libro contra Epicureos,

Quos si multa inter morum delicta priorum
Plectisset properè rigor implacabilis iræ,
Intercepta forent melioris tempora vitæ,
Nec standi vires licuisset sumere lapsis.
Mortem inquit Dominus peccantis nolo, nec vllum
De pereunte lucrum est. redeat magis, inque relictum
Mutatus referatur iter, vitáque fruatur.
Et quia virtutum similes vult esse suarum,
Quos genuit, vindictam inquit mihi cedite, reddam
Iudicio quæ digna meo. detur locus iræ.
Sic dum multorum differtur pœna malorum,
Nonnulli plerumque probos reuocantur in actus,

Ac sit quisque sibi iudex, vltórque seuerus,
Quod fuerat priùs interimens, aliúsque resurgens.
At qui persistunt errori incumbere longo,
Quamuis in multis vitiis impunè senescant,
In sæuum finem venient, vbi non erit vlla
Spes veniæ.

Et post aliquanta,

Nam vt nemo inuitus somnóque quietus in alto
Fit saluus, nec vi petitur qui sponte recessit:
Sic pulsata patent redeuntibus atria vitæ,
Et recipit cæli seruatos curia ciues.]

Et sanctus Leo in tomo ad Flauianum, Opus fuit secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos pietatis suæ dispositionem sacramento occultiore compleret, & homo, diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi infima filius Dei.] Item & sanctus Leo Papa in epistola ad Leonem Augustum, Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo vacuauit.] Et S. Gregorius in libro VIII. Moralium, Cur quasi contrarium tibi hominem despicis, qui certus scio quia perire vel ipsum quem despicere crederis non vis?] Et item in libro XXXI. Iusti viri securitas rectè leoni comparatur, quia contra se cùm quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit quia cunctos aduersantes superat, quia illum solum diligit, quem inuitus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora quæ & nolenti subtrahuntur appetit, sua se sponte extraneo timori substernit.] Et Ioannes Chrysostomus in Euangelio Matthæi Homilia vigesima quinta, Prædicabitur hoc, inquit, Euangelium in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Quibus gentibus? non obedientibus scilicet, neque Euangelio consentientibus. Ne enim aliquis diceret, cuius rei gratia omnibus prædicatur, si omnes credituri non sunt? Vt, inquit, clareat, me ea quæ debui facere cuncta fecisse, & post hæc nemo culpare me possit.] Hinc & Prosper in libro Epigrammatum, Potest, inquit, homo inuitus amittere temporalia bona, nunquam verò nisi volens perdit æterna.

Epist. 2. c. 3. | Cap. 20. | Cap. 14.

Omne bonum mundo concretum & tempore partum,
Quacumque amitti conditione potest.
Vt quamuis damnis vigilanter cura resistat,
Sæpe tamen propriis despolietur homo.
At bona quæ verè bona sunt, nec sine tenentur,
Semper habet quisquis semper habere cupit.

Nec vim ferre poteſt Chriſto ſubnixa voluntas,
In quo perſiſtens omnia vincit amor.]

Et venerabilis Beda presbyter in tractatu actuum Apoſtolorum. Ipſe Petrus ſic intellexit omnes homines æqualiter ad Chriſti Euangelium prouocari, nullúmque ſecundùm naturam eſſe pollutum. Sic etiam Dominus per Prophetam, & in Euangelio omnibus clamat dicens, *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Deuertat à malo & faciat bonum. inquirat pacem & perſequatur eam.* &, *Accedite ad eum & inluminamini*, qui dicit, *Venite filij, audite me.* &, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Certum namque eſt, quoniam qui omnes & in veteri & in nouo teſtamento ad ſalutem vocat, omnes ſaluos fieri volet. Non enim mendax eſt aut doloſus, de quo ſcriptura dicit, *Deus verax*, & *non eſt inuentus dolus in ore eius*, vt eos ad ſalutem inuitet, quos ſaluos fieri nolit. Quapropter de vocatis omnibus, quicumque ſecundùm ſuam iuſſionem ad eum accedit, inluminatur profectò atque reficitur: qui verò inuitatus ad hanc cœnam Dominicam, id eſt æternæ ſalutis refectionem, in qua ille vitulus ſaginatus ad omnium hominum, ſine vlla exceptione, tantùm vt in eum fideliter & firmiter credant, pleniſſimam ſalutis refectionem ſufficiens, & ſingularis ac verus iſdem agnus, qui tollit peccata mundi, cunctis epulari volentibus eſt occiſus, aut ſua voluntate non venit, velut ſenior filius de agro rediens patris conuiuium, vt cum iuniore & prodigo fratre reuerſo epularetur, etiam rogatus à patre, vt & illi, qui inuitati ad hoc idémque prandium nolebant venire, ingredi perſonam contemnentium exprimens recuſauit, aut veniens, antequam pleno refectionis gaudio ſatietur, ab hac ſua voluntate recedit, à qua ſi viriliter agendo, & Dominum ſuſtinendo, ante perfectionem refectionis & gaudij non recederet, nequaquam vltrà recedere vellet, immo nec poſſet. ſicut non Dei, ſed ſua quiſque voluntate non venit, & ſua non Dei voluntate recedit, ita non Dei voluntate, ſed ſuo contemptu quilibet, & ſua infidelitate, vel originali vel actuali perſeueranti iniquitate perit. quia nolo mortem morientis, ſed vt reuertatur & viuat, veritas veraciter ipſa dicit. Alioquin iniuſtus Deus qui infert iram, puniens eos qui idcirco ſaluari non poterant, quoniam eos ſaluos fieri noluit cuius nemo poteſt reſiſtere voluntati. Sed abſit. quoniam cunctis ſalutem propoſitam & paratam humilis humiliter ſuſcepit, quam illi Deus pater ſua gratia reuelauit, ſuperbus æternæ vitæ indignum ſe iudicans ſuperbè repulit, quam ei diuina iuſtitia peccati merito & iudicij diſtrictione abſcondit, cui gratia non oſtendit, ſicut in ſcripturis multoties inuenitur. Vnde ſub ſtruthionis nomine de hypocrita ſcriptum eſt, *Priuauit eum Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.*] Hinc ſanctus Gregorius in libro trigeſimo ſecundo Moralium dicit, Quamuis aliud

Pſal 33.13. Ibid. 6. & 12 Matt. 11. 28. Rom. 3. 4. 1. Petr. 2. 22. Iob 39. 17. Cap. IX.

aliud ſit priuare, aliud non dare, hoc tamen repetiit, ſubdendo non dedit, quod præmiſit priuauit. ac ſi diceret, quod dixit priuauit, non iniuſtè ſapientiam abſtulit, ſed iuſtè non dedit. Vnde & Pharaonis cor Dominus obduraſſe deſcribitur, non quòd ipſe duritiam contulit, ſed quo exigentibus eius meritis nulla illud deſuper infuſi timoris ſenſibilitate molliuit.] Et ſanctus Auguſtinus in libro de Gratia & libero Arbitrio ad Valentinum & cum eo monachos, Fixum enim debet eſſe & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum. ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſtè iſta paterentur, ne incurratis in illud prouerbium Salomonis, *Inſipientia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo.*] Et in eodem poſt aliquanta, Quando ergo auditis dicentem Dominum, *Ego Dominus ſeduxi prophetam illum*, & quod ait Apoſtolus, *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*, in eo quem ſeduci permittit vel obdurari, mala eius merita, in eo verò cuius miſeretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, ſed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoſcite. Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, *Ego indurani Pharaonem*, vel *indurani* aut *indurabo cor Pharaonis*. Non enim propterea ipſe Pharao non indurauit cor ſuum. nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomia, dicente ſcriptura, *Et adgrauauit Pharao cor ſuum, & in iſto tempore, & noluit dimittere populum.* Ac per hoc & Deus indurauit per iuſtum iudicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.] Et in Pſalmo trigeſimo quinto, *Dedit illos Deus in concupiſcentias cordis illorum, facere quæ non conueniunt.* Si Deus hoc facit vt faciant quæ non conueniunt, quid ipſi fecerunt? Ergo fuit concupiſcentia, quam vincere noluerunt, non cui traderentur iudicio Dei, ſed qua digni haberentur qui traderentur.] Et in Pſalmo quinto, Cùm punit Deus peccatores, non malum ſuum eis infert, ſed malis eorum eos dimittit.]

Cap. xxi.

Cap. xxiii.
Ezech. 14.
Rom. 9.

Exod. 8.

Sub mediũ.
Rom. 1. 28.

Sic quoniam, vt idem colendus Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ dicit, nihil fit niſi quod aut Deus facit, aut fieri ipſe permittit, & Caſſiodorus in Pſalmo centeſimo tertio, Nihil enim à quoquam fieri poteſt, niſi quod ipſe, quin Deus, ſecreto iudicio aut ad probationem, aut ad vindictam faciendum eſſe permiſerit. Sic & alij quidem auctores dicunt hoc modo locutionis, à Deo meritò excæcari qui gratia non illuminantur, tradi qui iuſto iudicio deſeruntur, allidi qui non ſtatuuntur, & plura alia, quæ ſancti Gregorius, Ambroſius, & Hieronymus in libris illorum, & beatus Auguſtinus in præfato libro de Gratia & libero Arbitrio, & in libro de Prædeſtinatione gratiæ, & in libris de Prædeſtinatione ſanctorum ac Bono perſeuerantiæ, & in epiſtola ad Sixtum Eccleſiæ Romanæ preſbyterum, pòſt autem ipſius ſanctæ ſedis Epiſcopum, ſicut

supra ostendimus, cùm de vasis iræ perfectis ad interitum loqueremur, quæ non Dei prædestinatione, sed paterna vel propria præuaricatione, vasa iræ & aptata sunt ad interitum. Vnde isdem beatus Augustinus in libro de Prædestinatione sanctorum dicit, Cur inquiens non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendum iudicauit, *Quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt ad perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Hinc est quòd verbum crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salui fiunt virtus Dei est.] & post aliquanta, Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes isse in condemnationem sine dubio iustissimam, ita vt nulla esset Dei iusta reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur, vnde constat magnam esse gratiam quòd plurimi liberantur.] Et in epistola ad præfatum Sixtum presbyterum, In vasis quæ perfecta sunt ad perditionem quæ damnatæ debita est massæ, agnoscant vasa ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia diuina largita sit.] *Et post paululum*, Denique ad vtrumque concludit, *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem iustissimo merito.] *& item*, Quærimus enim meritum obdurationis, & inuenimus. merito namque peccati vniuersa massa damnata est. Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt nec merentur, ac potiùs vt non impertiatur hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur.]

Cap.VIII. Rom.9.22. Cap.IX. Epist.105.

Et quia strident Prædestinatiani, Deus quæcumque voluit fecit. si omnes vellet fieri saluos, omnes vtique saluarentur. & illi sunt omnes de quibus dicit Apostolus, *Omnes homines vult Deus saluos fieri*, scilicet qui saluantur: qui autem non saluantur, non est voluntatis Dei penitùs vt saluentur, Sanctus Hieronymus in Commento epistolæ ad Philemonem eos redarguens dicit, Si enim inquiens Deus voluntariè & non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens ad suam imaginem & similitudinem facere, hoc est vt voluntariè bonus sit, sicut ipse voluntariè & non ex necessitate bonus est. Quòd si talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est quia vult, non quia cogitur. Nihil quippe bonum dici potest nisi quod vltroneum est: quod autem necessitate bonum est, non est bonum. Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem & similitudinem fecit. Similem autem Deo esse absolutè bonum est.] Hoc idem demonstrat sanctus Gregorius ad Ianuarium Episcopum de Iudæis, qui vt crederent violentiam sustinebant.

1.Tim.2.4. Lib.VII. epist.VI. Indict.2.

Hac inquiens circa eos temperantia magis vtendum est, vt trahatur habere velle non reniti, non vt adducantur inuiti. quia scriptum est, *Voluntariè sacrificabo tibi.* &, *ex voluntate mea confitebor illi.*] Et sanctus Augustinus ad Valentinum & fratres qui cum eo sunt, Primò enim, inquit, Dominus Iesus, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis Apostoli, *Non venit vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per ipsum.* Postea verò, sicut scribit Paulus Apostolus, *iudicabit Deus mundum,* quando *venturus est*, sicut tota Ecclesia in Symbolo confitetur, *iudicare viuos & mortuos.* Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum?

Psal.53.8. Psal.27.7. Ioan.12.47. Rom.3.6.

Igitur, sicuti sancti doctores ex scripturis ostendunt, iustè puniuntur qui saluari Dei gratia poterant, si libero arbitrio eandem gratiam sequerentur. quoniam, sicut mirabilis Paulus dicit ad Hebræos scribens, *Gratia Dei pro omnibus gustauit mortem*, quin Dominus noster Iesus, qui, vt scriptum est, *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam*, quæ & gratia est, venit gratis quærere & saluare quod perierat. Fidelis enim est sermo, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et illi etiam, qui secundùm Paulum Apostolum, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligere poterant sempiternam virtutem eius atque diuinitatem, sunt inexcusabiles, vt in hac sententia exponit Ambrosius. Et hinc in Euangelio Lucæ Beda presbyter dicit, Quid autem & à vobis, inquit, ipsis non iudicatis quod iustum est? ostendens eos, vt pote rationalem creaturam, etsi litteras nesciant, naturali tamen ingenio posse dinoscere, vel eum, qui opera in se quæ nemo alius fecisset, supra hominem intelligendum, & ideo Deum esse credendum, vel post tot sæculi huius iniustitias iustum creatoris iudicium esse venturum. Nemo igitur ex eo quod suprà dictum est, seruum nescientem domini voluntatem vapulare paucis, interpretandum de remedio nesciendi præsumat, qui, vt alia taceam, ex eo ipso quòd homo est, nec mala quæ caueat, nec bona potest ignorare quæ appetat. Et Augustinus in libro de Natura & Gratia, Huiusmodi enim exemplis ostenditur quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quòd aliud esse non potuerint. Vnde & iure inueniuntur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent.]

Hebr.2.9. Tit.3.5. Rom.1.20 Cap. VII.

Quapropter inexcusabiles quique erunt, quia saluari refugiunt libero arbitrio, iustitiæ scilicet libero, peccati seruo. pro quo libero arbitrio in secundo aduentu terribilis & excelsus veniens iudicabit Dominus mundum, id est, eos qui habitauerunt in mundo, qui in primo aduentu placatus & humilis saluare venit gratia mundum. Nam quia propositam omnibus salutem, videlicet salutare Dei no-

ſtri paratum ante faciem omnium populorum quidam libero arbitrio reſpuerunt, vnde meritò damnabuntur, quidam verò libero arbitrio receperunt, vnde & gratia ſaluabuntur, demonſtrat ſcriptura dicens, *Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* &, *hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem,* &, *in propria venit, & ſui eum non receperunt.* De recipientibus ſiquidem dicitur, *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo, & ille mecum.* &, *quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* &, *fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et iterum Paulus de contemptoribus dicit, *quia dilectionem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, immittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Et de recipientibus veritatem ſcribens dicit, *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quòd cùm audiſſetis à nobis verbum auditus Dei, ſuſcepiſtis non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, quod & operatur in vobis qui credidiſtis.*] Et Caſſiodorus in Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo, Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos. Ordo vindictæ veriſſima deſcriptione narratur. Priùs enim Dominus peccatis noſtris iraſcitur quando nulla compunctione conuertimur, ac deinde malitiam hominis in ſua indignitate, & ira, & tribulatione derelinquit, vt propriis peruerſitatibus adfligantur qui diuinis iuſſionibus obedire contemnunt.] Et Auguſtinus in libro de Gratia & libero arbitrio. Qui ergo nouerunt diuina mandata, aufertur eis excuſatio quam ſolent habere homines de ignorantia. Sed nec ipſi ſine pœna erunt qui legem Dei neſciunt. *Qui enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: qui autem in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Quod mihi non videtur Apoſtolus ita dixiſſe, tanquam peius aliquid ſignificauerit eſſe paſſuros qui legem neſciunt in peccatis ſuis, quàm illos qui ſciunt. Peius enim videtur eſſe perire, quàm iudicari. Sed cùm hoc de gentibus & de Iudæis loqueretur, quia illi ſine lege ſunt, iſti autem legem acceperunt, quis audeat dicere Iudæos qui in lege peccant non eſſe perituros cùm in Chriſto non crediderunt, quandoquidem de illis dictum eſt, *per legem iudicabuntur?* Sine fide enim Chriſti nemo liberari poteſt, ac per hoc ita iudicabuntur vt pereant. Nam ſi peior eſt conditio neſcientium quàm ſcientium legem Dei, quomodo verum erit quod in Euangelio Dominus ait, *Seruus qui neſcit voluntatem Domini ſui & facit digna plagis, vapulabit pauca: ſeruus autem qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multa.* Ecce vbi oſtendit grauiùs peccare hominem ſcientem, quàm neſcientem. Nec tamen ideo confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, vt in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quip-

Ioan. 1. 4.
Ioan. 3. 19.
Ioan. 1. 11.
Apoc. 3. 20.
Ioan. 1. 12.
Epheſ. 5. 8.
2. Theſſ. 2. 10.
1. Theſſ. 2. 13.
Cap. III.
Rom. 2. 12.
Luc. 12. 47.

pe arguitur in eo de quo dicitur, *Noluit intelligere vt bene ageret.* Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolūt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat vt sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit quia non audiuit omnino quid crederet: sed fortasse vt mitiùs ardeat. Non enim sine causa dictum est, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt.* Et illud quod ait Apostolus, *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.* Verumtamen vt habeamus & ipsam scientiam, ne dicat vnusquisque nesciui, non audiui, non intellexi, voluntas conuenitur humana, vbi dicitur, *Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* quamuis peior appareat de quo dictum est, *Verbis non emendabitur seruus durus. si enim & intellexerit, non obaudiet.*] Et plura huiusmodi inueniuntur in litteris diuinitùs inspiratis. Sicut enim secundùm scripturam, *omnia quæcumque voluit Dominus fecit*, ita sicut voluit omnia bona fecit: quia non ex accidente, & essentialiter bonus & omnipotens, qui seipsum negare non potest, aliter nec velle potuit nec posse voluit, vt beatus Augustinus in sermone de Symbolo ad Neophytos dicit, Si enim, inquiens, quæ in principio Deus fecit, ex nihilo vtique fecit, etiam ex his quæ fecit quicquid voluerit facere potens est, quia omnipotens est. Nec ideo credant iniqui Deum non esse omnipotentem, quia multa contra eius faciunt voluntatem. siue homo vel iustè damnetur, siue misericorditer liberetur, voluntas omnipotentis impletur. Quod ergo non vult omnipotens, hoc solum non potest. Vtitur ergo malis, non secundùm eorum prauam, sed secundùm suam rectam voluntatem.] Et post pauca, Ne quis me temerè dixisse arbitretur aliquid omnipotentem non posse, hoc & B. Apostolus dixit, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* sed quia non vult non potest, quia & velle non potest. Non enim potest iustitia velle facere quod iniustum est, aut sapientia velle quod stultum est, aut veritas velle quod falsum est. Vnde admonemur Deum omnipotentem, non hoc solùm quod ait Apostolus, *negare seipsum non potest*, sed multa non posse. Ecce & ego dico, & eius veritate dicere audeo quod negare non audeo, Deus omnipotens non potest mori, non potest mutari, non potest falli, non potest miser fieri, non potest vinci. Hæc atque huiusmodi absit vt possit omnipotens. Ac per hoc non solùm ostendit veritas omnipotentem esse, quòd ista non possit: sed etiam cogit veritas omnipotentem non esse qui hæc possit. volens enim est Deus quod est. æternus ergo & incommutabilis, & verax, & beatus, & insuperabilis volens est. Si ergo potest esse quod non vult, omnipotens non est. est autem omnipotens. ergo quicquid vult potest. Et ideo quod non vult esse non potest, qui propterea dicitur omnipotens, quoniam quicquid vult potest. De quo & Psalmus dicit, *In cælo & in terra omnia quæcumque voluit fe-*

Psal.35.4. Psal.78.6. 2.Thess.1.8 Psal.31. Prou.29.19 Psal.113.3. 1. Tim 2.13 Psal.113.3.

Cap.XLIX. *cit.*] Et in libro de Natura & Gratia, Absit à nobis vt Deum posse peccare dicamus. Non enim, vt stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, & negare seipsum non potest.]

Videant catholici quàm malè tradunt hæretici, Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, dicentes, Qui non saluantur non est voluntatis Dei penitùs vt saluentur. cùm ratum sit, vt qui ad salutem non Psal.10.8. sequuntur voluntatem Domini inuitantem, quoniam *iustus Dominus iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*, sentiant ex retributione iu- Gen.1.31. & 26. stitiæ voluntatem Domini in supplicio vindicantem. *Et vidit Deus*, inquit scriptura, *cuncta quæ fecit, & erant valdè bona.* &, *fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Ad imaginem quippe & similitudinem Dei esse proculdubio bonum est. Et iterum scriptum Eccli.15.14 est, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Is autem quo consilio vsus potiúsque abusus fuerit, quémve consiliarium obaudierit, in sua paret propagine, conclamante Propheta, *Omnes errauimus, in iniquitatibus concepti, & in peccatis geniti, ita vt nullus mundus sit, nec cuius vita est vnius diei super terram*, ante eum in cuius conspectu nemo iustificatur viuens, apud quem per se nullus est innocens, quia non est homo in terra qui faciat bonum & non peccet, & ex vno omnes isse in condemnationem idem diuinus protestatur Apostolus, quia periit Adam primus de terra terrenus, & in ipso omnes periuimus, secundus Adam de cælo cælestis, non amittens quod erat, sed adsumens quod non erat, in vnitate personæ suæ, non in vnitate substantiæ, propter quod item dictum est, Ephes.4.9. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*, venit quærere & saluare quod perierat. Omnes periuimus, omnes venit quærere & saluare. Quòd autem quidam saluantur, de saluantis est dono: quòd quidam pereunt, de pereuntium merito, non de Saluatoris est voto, qui venit quærere & saluare quod perierat. De qua generali perditione si nullus liberaretur, inreprehensibile esset Dei iudicium: quia verò multi liberantur, ineffabilis est gratiæ eius Esa.1.19.20 donum, qui omnes saluos fieri volens, omnibus dixit, *Si audieritis me, bona terræ*, scilicet terræ viuentium, *comedetis.* In qua, id est in regno Dei, beatus qui manducabit panem vitæ æternæ, & biberit potum salutis perpetuæ, & non sitiet iterum aliud, nisi quod satiatus incessanter & æternaliter biberit. *Si autem me non audieritis*, & ad iracundiam me prouocaueritis, *gladius deuorabit vos.* Hoc gladio abscidentur à societate iustorum quicumque audierint pro sterilitate o- Matt.25.41. perum bonorum & retributione peccatorum, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quo gladio separatis malis de medio iustorum, perducentur iusti ad societatem & gaudium Angelorum, vbi misericordias Domini in æternum cantabunt. cuius gratia in illum credere, eum sequi, & quæ iusserat perseueranter operari meruerunt. quem credendo sequi, & in quo

permanere fide recta & bonis operibus impij contempserunt. qui secundùm doctrinam Apostolorum Petri & Pauli, atque Ioannis, *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*, cuius suggestioni consentiens primus homo perierat. Vnde ipsius hominis naturam, non culpam, idem filius Dei, vt diximus, pro hominum redemptione est dignatus adsumere, qui omnes homines vult saluos fieri, & neminem vult perire.

EPILOGI CAPVT VI.

Quòd Christus pro omnibus hominibus passus sit, licèt non omnes passionis eius mysterio ad salutem redimantur æternam: & quia non omnes passionis eius mysterio redimuntur, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem. cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium sit totius mundi, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem perseueranti infidelitate vel iniquitate reuersi.

MAGNVS LEO catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet sedis Romanæ Pontifex, in epistola ad Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopum dicit, Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat. quoniam ipse in nostra carne nascitur, qui in nostra carne crucifigitur: quæ nullo interueniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis. Vt autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo vacuauit: vt sicut per vnius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per vnius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante iustitia, vbi est humana suscepta natura.] Et item in epistola ad Leonem Augustum, Effusio enim iusti pro iniustis sanguinis Christi, tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent. quoniam sicut ait Apostolus, *Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* & cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis.] Et sanctus Augustinus in libro de Correptione & Gratia, Quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit? Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, siue originalibus, siue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est. &

Epist 71. Epist. 97. cap. 2. Rom. 5. 20. Cap. XVI. De Ciuit. Dei lib. XX. cap. VI.

pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus, id est nullum habens omninò peccatum, vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.]

Et quoniam Prædestinatiani nouiter reexorti nimium profitentur errorem, si passus credatur & dicatur Christus pro omnibus, deuocantes in medium ad suam confirmandam sententiam, impios ante passionem dominicam, etiam & ab ipsius mundi exordio, pro suis sceleribus inferni pœnis æternaliter condemnatos, & post triumphum crucis viuificæ, Antichristum ac ceteros perditionis filios, pro quibus non debeat credi passus, quædam de superioribus repetentes, breuiùs demonstrare censuimus. Quia vna fides eadémque spes salutis fuerit ante passionem Domini, & post passioné illius sit omnibus sanctis, in effusione sanguinis ipsius Dei & hominum mediatoris. Deinde quid cunctis generaliter iustis & impiis, quos nobis Prædestinatiani obiciunt, in sua impietate defunctis contulit passio redemptoris. Dicimus autem, iustos non viribus suis iustificatos, sed gratia eius qui iustus pro iniustis est mortuus: & dicimus impios non natura conditionis malos, neque ab illo factos impios, qui multos iustificat impios, & vt Paulus ad Romanos scribit, *pro impiis est mortuus:* sed de Adam bono, vt pote à bono Deo facto, & libertate arbitrij perdito genitos, atque in originali aut sua impietate sine fide redemptionis eiusdem mortuos, qui pro omnibus debitoribus mortis solus inter mortuos liber à debito mortis est mortuus. Pòst verò, quia specialiter credentibus ad salutem mors profuit saluatoris, non credentibus autem in iudicium & condemnationem sit contempta ipsius gratia passionis. Tum qualiter quáve discretione orthodoxi ex scripturis intellexerunt & docuere doctores, quoniam passus est Christus pro omnibus, licèt non omnes ad æternam salutem passionis eius mysterio redimantur. Nunc per singula replicando pergamus. Quia vna fides eadémque spes salutis fuerit ante passionem Domini, & post passionem illius sit omnibus sanctis, in effusione sanguinis ipsius Dei & hominis mediatoris, Apostolus Petrus in actibus Apostolorum dicit, *Per gratiam Domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi.* Hinc Beda, Si ergo & illi, id est patres, portare iugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini saluos se fieri crediderunt, manifestum est quòd hæc gratia est, quæ antiquos iustos viuere fecit, quia iustus ex fide viuit. Et ideo sacramenta esse potuerunt pro temporum varietate diuersa, ad vnitatem tamen eiusdem fidei concordissimè recurrentia.] Et Augustinus in Psalmo trigesimo sexto, Numquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos, omnes qui ab initio sæculi fuerunt iusti, caput Christum habent? Illum enim venturum esse crediderunt, quem venisse iam credimus, & in eius fide & ipsi nati sunt, in cuius & nos, vt

Act. 15. 11.

esset

esset ipse totius caput ciuitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vsque ad finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna ciuitas sub vno rege, & vna quædam prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace ac salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine.] Et sanctus Ambrosius in libro de Spiritu sancto, exponens sententiam libri Iudicum dicit, Solum sacrificium Deo dominicæ passionis pro religione populi deferendum. Etenim vitulus, inquit, ille in typo Christi, in quo septem spiritalium plenitudo virtutum, sicut Esaias dixit, habitat. Hunc vitulum & Abraham vidit, quando diem Domini vidit, & gauisus est. Hic est qui in hœdi typo, nunc in oue, nunc in vitulo offerebatur. hœdi, quòd sacrificium pro delictis sit: ouis, quòd voluntaria hostia: vitulus, quòd immaculata sit victima.] Et item sanctus Augustinus in libro de Natura & Gratia, Ea quippe fides iustos sanauit antiquos, quæ etiam sanat & nos, id est mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu. fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius. *Habentes ergo eundem spiritum fidei & nos credimus, propter quod & loquimur.*] Et sanctus Gregorius in Homilia Ezechielis xv. dicit, Et quidem ab Abel sanguine passio iam cœpit Ecclesiæ, & vna est Ecclesia electorum præcedentium atque sequentium.] Et S. Hieronymus in Commento epistolæ Pauli ad Galatas, Heres iste paruulus, qui nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, totum humanum genus vsque ad aduentum Christi, & vt ampliùs dicam, vsque ad consummationem mundi significat. Quomodo enim omnes in protoplasto Adam necdum nati moriuntur, ita omnes, etiam hi qui ante aduentum Christi nati sunt, in secundo Adam viuificantur. Atque ita fit, vt nos legi seruierimus in patribus, & illi gratia saluentur in filiis.] In hac vna Ecclesia, quæ constat ab initio sæculi vsque ad finem. De qua sanctus Gregorius in Homilia decima septima Ezechielis dicit, *Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant Osanna.* Osanna Latina lingua salua nos dicitur. Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confitentur, quoniam vna spes, vna fides est præcedentium atque sequentium populorum. Nam sicut illi expectata passione ac resurrectione eius sanati sunt, ita nos præterita passione illius, ac permanenti in sæcula resurrectione saluamur.]

Libro 1. in proœmio.

Cap. XLIV.

2. Cor. 4. 13.

Post mediū versus finē.

Sub initiū.

Matt. 21. 9.

Huius Ecclesiæ vnitas, quæ non minùs per pœnitentiam peractæ insipientiæ, quàm per sapientiæ discendæ industriam Domino conciliatur, vt venerabilis Beda presbyter, ex præcedentium patrum dictis, in Commento Euangelij Lucæ ostendit, ex duabus partibus congregatur, eorum videlicet qui peccare nesciunt, & eorum qui peccare desistunt. Pœnitentia enim delictum abolet, sapientia cauet. In

quibus de toto pars debet ostensa lectori sufficere illo scripturæ vsu, quatenus vni vel paucis & in tempore dictum, generalitati ac cunctis ætatum successionibus dictum intelligatur. vt est illud quod Moyses tantùm in rubo audiuit, & Dominus in Euangelio recapitulat dicens, *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis.* &, *quod vobis dico omnibus dico.* &, *vsque hodie legitur Moyses.* &, *hæc dicit Dominus in prophetis.* Et quod in illo tempore dixerat, hodiéque & vsque in sæculum dicit Iesus discipulis suis. Et sicut in illo tempore, cùm turbæ plurimæ conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem seminantis, laborem & varios prouentus seminis: ita & in hoc lugendo nostro tempore, per raros seminatores, ac interualla temporum, & amplum agrum, aliud cadit iuxta viam, & aliud inter spinas, aliud autem super petram, & parum in terram bonam. Quia quod non sine mœrore dicitur, multi sunt qui ad Iesum veniunt, illum verbo tenus confitentes, factis autem negantes, & corde redeunt in Ægyptum, quin potiùs cum Cedar habitantibus conuersantur: pauci verò, pereuntibus plurimis, in diluuio iniquitatum multarum intra arcam veræ fidei conseruantur. Sicut Abel iustus, qui sapientia sub lege naturæ à peccatis abstinuit, regni cælestis introitum per eum sibi præstolans aperiri, quem dùm in agno offerret, fidei oculis mente conspiciebat. Adam & Eua peccatum per pœnitentiam deleuerunt, sicut S. Augustinus ad Marcellinum in libro II. de Baptismo paruulorum demonstrat dicens, Sicut ergo illi primi homines postea iustè viuendo. vnde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari.] Et Cassiodorus in Psalmo centesimo secundo, *Misericordia autem Domini à sæculo & vsque in sæculum.* Vnde, inquit, mihi videtur hìc conuenienter aduerti & Adam, sicut multi patrum dixerunt, ad Domini gratiam fuisse reuocatum, quando ipse primus in sæculo fuit. Sicuti etiam Abel, Noë, Abraham, & ceteri patres, qui tamen in sæculo sed à sæculo non fuerunt. Cain verò infidelitate & iniquitate sua ab hac Ecclesia, in qua omnibus est salus proposita, extorris & alienus, nec per sapientiam peccare abstinuit, nec per pœnitentiam peccatum delere etiam admonitus procurauit. Sub lege Zacharias & Elizabeth, de quibus scriptum est, *Erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. & Simeon iustus, qui & ipse expectabat redemptionem Israel.* id est salutare Dei paratum ante faciem omnium populorum. Anna quoque non discedebat de templo, ieiuniis & orationibus seruiens Domino nocte ac die, per sapientiam à peccatis abstinuerunt. Dauid per pœnitentiam peccata deleuit, expectans super niuem dealbari per aspersionem Christi sanguinis, quæ hyssopo, id est, humilitate incarnationis eius signatur. Saul impœnitens nec lacrymis Sa-

Matt.22.31. Marc.13.37. 2.Cor.3.15. Hebr.1.1. Cap.XXXIV. Psal.102.17. Luc.1.6.

muelis abluitur. qui pro magno merito suæ exauditionis cum Moyse quasi singulariter à Domino in exemplum ostenditur. Sed post multa quæ à Deo perceperat, sicut per ventriloquam audierat, quam in angustia sua Dominum negligens expetiit, indignam vitam digna morte finiuit. Sub gratia Iacobus, qui appellatus est iustus, primus Hierosolymorum Episcopus, quanto præconio attollatur qui sapientia peccare nesciuit, diuinæ litteræ protestantur. Et vt magni Petri silentio lacrymas honoremus, quas exemplo vtinam prædicemus, in cruce latro pœnituit, confessus est, & à fonte pietatis audiuit, *Hodie mecum eris in paradiso*: alter verò eodem flagello correptus, eundémque fontem pietatis conspiciens, & potare contemnens, personam referens contemptorum, nec flagello corrigitur, nec exemplo conuertitur. Hæc sancta Ecclesia semper agnos habuit, quibus se miscuerunt & hœdi, & facient vsque ad illud tempus, quando sedebit filius hominis in sede maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabuntur mali à bonis, sicut segregat pastor oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris, & reddet vnicuique secundùm opera sua.

Luc.23.43.

Hæc quoque sancta Ecclesia habuit semper in fide salutis vna, pro temporum varietate sacramenta disparia. Videlicet quia à mundi exordio vsque ad tempora datæ circumcisionis, vel hostiarum oblationibus, vel certè sola fidei virtute, suas suorúmque animas creatori commendantes, à primi reatus vinculis absoluere curabant. Quod & de aliis egerunt gentibus, vigente in Hebræorum populo circumcisione, videlicet fidei signo. sine fide enim impossibile est placere Deo, & sicut aliàs scriptum est, *iustus ex fide viuit*. Post datam autem circumcisionem, idem salutiferæ curationis auxilium, eadem circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore consueuit: excepto quòd regni cælestis ianuam necdum intrare poterant, donec adueniens benedictionem daret qui legem dedit, vt videri posset Deus deorum in Sion. Tantùm in sinu Abrahæ post mortem beata requie consolati, supernæ pacis ingressum spe felices expectabant. Sed & sicut sanctus Paulus dicit, *Patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari*. in forma scilicet Christi baptismatis, quod inter ipsa mundi primordia, quando spiritus Domini ferebatur super aquas, vt iam virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet, sed & in ipsa diluuij effusione constat esse signatum. In quo baptismate, nubis videlicet atque maris, baptizati non omnes saluati sunt, quia non omnes illud spiritaliter intellexerunt, crediderunt, ac seruauerunt, sicut nec in diluuio saluati sunt, nisi quos arca sanctã demonstrans Ecclesiam continuisse dinoscitur. Ita & qui baptizantur Christi baptismate quidam saluantur, gratia in fide recta & operibus bonis perseuerantes, quidam autem pereunt, quia licèt verum sit in eis baptisma, quo omnia prorsus

1.Cor.10.2.

peccata delentur, tamen in veritate non permanent, & ideo pereunt, sicut B. Petrus Apostolus demonstrat dicens, *In diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Vnde Beda. Quòd ergo aqua diluuij non saluauit extra arcam positos sed occidit, sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licèt habentem baptismatis sacramentum, non aliis sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus arca subleuatur ad cælum.] Et quoniam, sicut Dominus dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*, cuius renascitionis præconia fuerunt superiora baptismata, ita nihilominus protestatur, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* & item, *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*, cuius prædicamenta fuerunt lignum vitæ in medio paradisi plantatum, Adæ concessum esui ante peccatum, quando illi est dictum, *De omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas:* post peccatum autem, dicente Domino, Videte *ne fortè sumat de ligno vitæ & viuat in æternum*, est omnino prohibitum, vsque dum veniret qui præsignatus est, & de quo etiam dictum est, lignum vitæ est his, Christus videlicet Dei virtus & Dei sapientia, qui adprehenderint eam. Et iterum eiusdem panis viui & calicis vitis veræ signarunt ænigmata figurarum, de quibus item Paulus dicit, *Et omnes eandem spiritalem escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: sed non in omnibus beneplacitum fuit Domino.* sicut sanctus Augustinus ex verbis sancti Euangelij demonstrat, dicens, *Patres*, inquit, *vestri manducauerunt manna, & mortui sunt.* Manducauerunt Moyses & Aaron & ceteri sancti qui fuerunt in populo manna, & non sunt mortui, quia spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esurierunt. Alij verò manducauerunt, & permanserunt in infidelitate, sicut Iudæi audierunt loquentem Christum, & non spiritaliter verba eius intellexerunt. Ideo dixit eis, *Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt.* Qua morte nisi infidelitatis? nam communi morte mortui sunt & sancti qui fuerunt inter eos. De nouo autem Testamento, ex pane vtique vitæ æternæ & calice salutis perpetuæ, ostendit Paulus, & exponit Ambrosius de epistola ad Corinthios dicens, *Quicumque ederit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Quoniam futurum est, inquit Ambrosius, iudicium, vt quemadmodum accedit vnusquisque, reddat causas in die Domini nostri Iesu Christi, quia sine disciplina traditionis & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Domini. Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. qui enim manducat & bibit indignè, iu-*

1. Petr. 3. 20. — Ioan. 3. 5. — Ioan. 6. 54. — Ibid. 51. 52. — Gen. 2. 16. — Gen. 3. 22. — 1. Cor. 10. 3 — Ioan 6. 49. — 1. Cor. 11. 27. — Ibid. 28.

dicium sibi manducat & bibit, non discernens corpus Domini. Hinc item Ambrosius, Deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet, vt sciat mens reuerentiam se debere ei ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in mysterio corpus manducat & sanguinem potat, qui testis est beneficij Dei. quem nos si cum disciplina accipiamus, non erimus indigni corpore & sanguine Domini: gratia enim videbitur redemptori.] *& item dicit*, Medicina enim spiritalis est, quæ cum reuerentia degustata purificat sibi deuotum.] *& item, Ideo multi in vobis inualidi & ægroti, & dormiunt multi.* Vt verum probaret quia examen futurum est accipiendi corpus Domini, iam hîc imaginem iudicij ostendit in eos qui inconsideratè corpus Domini acceperant, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur.] Tandem igitur Leo Papa in Homilia tertia de Natale Domini dicit, Cessent igitur illorum querelæ, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ natiuitatis tarditate causantur, tanquam præteritis temporibus non sit impensum quod in vltima mundi ætate est gestum. Verbi enim incarnatio hoc contulit facienda quod facta, & sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt Apostoli, hoc adnuntiauerunt & Prophetæ: nec serò est impletum quod semper est creditum. Non itaque nouo consilio Deus rebus humanis nec sera miseratione consuluit, sed à constitutione mundi vnam eandémque omnibus causam salutis instituit.]

Post mediũ

Paulo pòst.

Quid autem cunctis generaliter iustis & impiis, quos nobis Prædestinatiani obiciunt, in sua impietate defunctis contulit passio redemptoris, dicat Paulus, & exponat Ambrosius in commento ipsius epistolæ, Hoc dicit, quia sicut Adam peccans mortem inuenit, & tenuit vt omnes ex eius origine dissoluantur: ita & Christus non peccans, & per hoc vincens mortem, (quia qui non peccat vincit mortem, quia mors ex peccato) omnibus ex eius corpore adquisiuit vitam, id est resurrectionem. Quamuis ergo generaliter tribuerit resurrectionem, vt sicut in Adam omnes siue iusti siue iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes tam credentes quàm diffidentes resurgant, licèt ad pœnam: increduli tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quòd credere noluerunt.] Et item in epistola ad Corinthios, quia *resurrexit*, inquiens, *tertia die.* In Christo enim omnes resurrexisse, sicut in Adam mortuos esse, nemo fidelium denegat.] *Et item. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* vt quia peccato hominis mors inuenta est, Christi iustitia resurrectionem meruit mortuorum.] Et beatus Ioannes Chrysostomus in libro de Reparatione lapsi, Scriptura, inquit, dicit quia & peccatores induent incorruptionem, scilicet non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicij profuturam.]

1.Cor.15.22

1.Cor.15.4

Ibid 21.

Et sanctus Hilarius in expositione Psalmi CXVIII. Exprobrat enim superbis atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis vtilitatis suæ esse existimauerint, cùm ille nostri causa & natus, & passus, & mortuus sit.] Et item idem sanctus Hilarius concordans sancto Ambrosio in Psalmo LV. dicit, *Sicut expectauerunt animam meam pro nihilo saluos facies illos, in ira populos deduces.* Nouus hic prophetæ sermo est, vt eos qui expectant animam suam ad nihilum Deus saluet, & cùm aliud sit ad nihilum, aliud saluari, nunc salus quæ in illos fiet ad nihilum sit. Est ergo quod saluetur in nihilum, est planè, quicquid resurrectione concessa demutatione non dignum est. Nam cùm omnis caro redempta in Christo sit vt resurgat, & omnem adsistere ante tribunal eius necesse sit: non tamen omnibus gloria & honor est promiscuus resurgendi. Quibus ergo tantùm resurrectio, non etiam demutatio est tributa, hi saluantur in nihilum. In ira enim deducentur hi populi, quibus ad pœnæ sensum salus resurrectionis est constituta.] Et Beda in commento Lucæ ex verbis Augustini, Altiori autem sensu, facilius est Christum pati pro dilectoribus sæculi, quàm dilectores sæculi ad Christum conuerti.] Et sanctus Ambrosius in epistola ad Corinthios, Quid est autem reos esse, nisi pœnas dare mortis Domini? occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Et item sanctus Hilarius in libro III. de fide, Dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit: Christus Dei filius moritur, sed omnis caro viuificatur in Christo.] Et sanctus Augustinus in libro vigesimo de Ciuitate Dei, Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, siue originalibus, siue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est, & pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus, id est nullum habens omninò peccatum.

Psal. 55. 8.

In medio.

Cap. VI.

De Antichristo autem, per quem cum corpore suo omnes scilicet reprobos Prædestinatiani nos putant se posse concludere, accipiant quid sanctus Gregorius in libro Moralium trigesimo secundo dicit, Quia ergo, inquit, per vndenarium numerum transgressio exprimitur, huius bestiæ cornu vndecimo ipse auctor transgressionis indicatur. Quod videlicet paruulum oritur, quia purus homo generatur, sed immaniter crescit, qui vsque ad coniunctam sibi vim Angelicæ fortitudinis proficit.] *& item*, Principium viarum Dei Behemoth dicitur. quia nimirum cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.] *& item*, Quid autem cauda Behemoth istius nisi illa antiqui hostis extremitas dicitur, cùm vas proprium illum perditum hominem ingreditur, qui specialiter Antichristus nuncupatur?] *& item*, Tunc Antichristus, mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras hominum & honoris culmine & signorum potestate transcendit. Spiritus quip-

Cap. XII.

Cap. 18.

Cap. 12.

Cap. eodē.

pe in illo eſt, qui in ſublimibus conditus, potentiam naturæ ſuæ non perdidit vel deiectus.] Et item in Edicto ciuibus Romanis propoſito. Peruenit ad me quoſdam presbyteros, peruerſos ſcilicet homines, praua inter vos aliqua & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die Sabbati aliquid operari prohiberent, quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim, qui veniens diem Sabbati atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri? Quia enim mori ſe ſimulabit & reſurgere, haberi in veneratione vult Dominicum diem: & quia iudaizare populum compellet, vt exteriorem ritum legis reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult Sabbatum.] Sanctúſque Hieronymus in Danielis commento Eſaiæ vaticinio firmat, quia Antichriſtus vſque ad ſummitatem montis Olíueti veniet, & ibi peribit. Hoc enim fiet, ſicut paſſim doctores dicunt catholici, quoniam quantum poteſt aſſimilari falſitas veritati, ad inſtar Chriſti Dei noſtri, qui deuicto principe tenebrarum montem luminis & chriſmatis aſcendit, vnde cælorum alta penetrans miſit ſanctum Spiritum, cuius vnctio docet nos de omnibus, poſt mentitam reſurrectionem ſuam à mortuis, idem homo perditionis, eodem, quem Chriſtus per triumphum crucis, & reſurrectionis victoriam, tenebrarum rectore deuicerat plenus, ſubiens montem Olíueti, ſpiritu oris Domini Ieſu interficietur, & inluſtratione aduentus ipſius deſtruetur. ſicut & Simon Magus, mentiens ſe reſurrexiſſe à mortuis, & aſcendere ſe ad cælos promittens, orationibus & imperio Apoſtolorum Petri & Pauli à dæmonibus à quibus portabatur dimiſſus, ſuper lapidem cecidit. & concedens Aretium, vt Egeſippus verax hiſtoriographus in admodum vtili hiſtoria ſcripſit, crurifragio periit. De quo & beatus Hieronymus in Commentario Matthæi dicit, *Multi venient in nomine meo dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.* Quorum vnus eſt Simon Samaritanus, quem in actibus Apoſtolorum legimus, *qui ſe magnam dicebat eſſe virtutem*, hæc quoque inter cetera in ſuis voluminibus ſcripta dimittens, Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. Sed & Ioannes Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur, *Audiſtis quia Antichriſtus venturus eſt. nunc autem Antichriſti multi ſunt.* Et Beda in Commento Lucæ, Et dicent vobis, ecce hîc Chriſtus, ecce illic, nolite ire, neque ſectemini. Hæc ſententia non ſolùm ad tempus, ſed etiam ad perſonam poſſet intelligi. Et ad tempus quidem, quia extitere nonnulli, qui curricula computantes ætatum, certum ſe conſummationis ſæculi annum, diem, & horam dicerent inueniſſe, contra auctoritatem Domini dicentis, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta.* ad perſonam verò, quia multi contra Eccleſiam venêre, multi venturi ſunt hæretici, qui Chriſtos ſe aſſeuerent. quorum primus Simon Magus, extremus autem ille maior ceteris eſt Antichriſtus.] Et in vndecimo libro Moralium Gregorius, Quod per Danielem ſubiun-

Lib. XI. epiſt. 3.

Matt. 24. 5.

Act. 8. 10.

1. Ioan. 2. 18

Act. 1. 7.

Dan.8.25. 2.Thess.2.8 gitur, *sine manu conteretur*, hoc per Paulum exprimitur, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione aduentus sui.* Sine manu scilicet conteretur, quia non Angelorum bello, non sanctorum certamine, sed per aduentum iudicis solo oris sui spiritu æterna morte ferietur.] *& item.* Sed quia quale sit iniquorum caput audiuimus, nunc huic capiti quæ membra adhæreant agnoscamus. Quisquis namque in superbia extollitur, quisquis auaritiæ desideriis cruciatur, quisquis luxuriæ voluptatibus soluitur, quisquis iniustæ ac immoderatæ iræ flagris ignitur, quid aliud quàm Antichristi testis est? Et in libro vigesimo nono, Cain tempus Antichristi non vidit, & tamen membrum Antichristi per meritum fuit. Iudas sæuitiam persecutionis illius ignorauit, & tamen viribus crudelitatis eius auaritia suadente succubuit. Simon diuisus longè ab Antichristi temporibus extitit, & tamen eius se superbiæ miraculorum potentiam peruersè appetendo coniunxit. Sic iniquum corpus suo capiti, sic membris membra iunguntur, cùm & cognitione se nesciunt, & tamen praua sibi actione copulantur. Neque enim Pergamus Balaam libros aut verba cognouerat, & tamen eius nequitiam sequens voces supernæ increpationis audiebat. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari. Thyatiræ quoque Ecclesiam ab Iezabel notitia & tempora & loca diuidebant: sed quia eam per vitæ reatus adstrinxerat, inesse ei Iezabel dicitur, atque operibus peruersis insistere, Angelo attestante qui ait, *Habeo aduersum te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Prophetem, seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis.* Ecce quia reperiri potuerunt, qui Iezabel vitam reprobam actione secuti sunt. Iezabel illic inuenta memoratur, quia videlicet prauum corpus coniuncti mores vnum faciunt, etiamsi hoc loca vel tempora scindunt. Vnde fit vt in peruersis suis imitatoribus, & iniquus quisque maneat qui iam præteriit, & in suis operatoribus ipse iniquorum auctor iam appareat qui necdum venit.] Hinc Ioannes ait, *Nunc Antichristi multi sunt.* quia iniqui omnes iam eius membra sunt, quæ scilicet peruersè edita caput suum malè viuendo præuenerunt. Hinc Paulus ait, *vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis.* ac si diceret, Tunc Antichristus manifestus videbitur. nam in cordibus iniquorum secreta sua iam nunc occultus operatur.] De cuius præconibus iterum scriptum est, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Non enim exeunt foras nisi Antichristi. Vnde & de Iuda membro Antichristi præcipuo legimus, quia misit diabolus in cor Iudæ vt traderet eum. & post buccellam introiuit in eum Satanas, & exiuit continuò. qui appellatus est filius perditionis, sicut & Antichristus. Et Iudas Antichristus tradidit eum, qui veraciter dicitur Christus, & colitur Deus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Ille autem in tempore suo aduersabitur

Cap. VI. — Apoc.2.14. — Apoc.2.20. — 1.Ioan.2. — 2.Thess.2.

ſabitur & extolletur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. ita vt in templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum quaſi ipſe ſit Deus. De iſto autem, id eſt Iuda, poſt multa in libro Hypomneſticon ſanctus Auguſtinus dicit, Talis eſt omnium periturorum cauſa, licèt culpa ſit à culpa diſſimilis. Et de illo eiuſque corpore ſanctus Gregorius in libro trigeſimo tertio Moralium dicit, *Et videntibus cunctis præcipitabitur.* Cunctis enim videntibus præcipitabitur, quia æterno tunc iudice terribiliter apparente, adſtantibus legionibus Angelorum, adſiſtente tunc miniſterio cæleſtium poteſtatum, atque electis omnibus ad hoc ſpectaculum deductis, iſta bellua crudelis & fortis in medium captiua deducetur, & cum ſuo corpore, id eſt cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cùm dicetur, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.*

Cap. xix. Iob 40. 18.

Matt 25

Vnde quia homo erit reprobus, & caput reproborum omnium, qui ab initio mundi vſque in aduentum Domini, ſed & eorum qui poſt aduentum Domini infidelitate & perſeueranti iniquitate ad eius pertinebunt conſortium, Prædeſtinatiani ſe ante ſe ponant, & relegant, quia ſanctus Paulus & ſanctus Gregorius, ac ceteri quique doctores, hominem illum futurum dicunt, & ipſi denegare non poſſunt. & ſi homo erit, licèt diabolo comite plenus, in quantum homo quanquam reprobus carne morietur. *Quis eſt*, inquit, *homo qui viuet & non videbit mortem? quem Dominus Ieſus*, ſicut ſcriptum eſt, *interficiet ſpiritu oris ſui.* Et quia morietur & reſurget, ſicut item ſcriptum eſt, *Ad te omnis caro veniet*, &, *videbit omnis caro*, quod non ſine anima in reſurrectione fiet, *ſalutare Dei.* Ad cuius aduentum, ſecundùm fidem catholicam, omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis. ſi omnes, etiam Antichriſtus. Et ſi carnis reſurrectionem aliis reprobis, ipſius ſcilicet membris, vt oſtendimus ex catholicorum doctrina, licèt non ad honorem vitæ, ſed ad diuturnitatem ſupplicij profuturam redemptoris mors contulit, nec eorum capiti denegauit. Et quibus ſua morte reſurrectionem carnis impendit, pro eis proculdubio paſſus fuit. non quia paſſionis eius myſterio ſint ad ſalutem æternam redempti, qui & pro contempta redemptione pœna debita eis prædeſtinata iuxta quod præſciti ſunt punientur, ſed ſecundùm modum quem diximus Chriſtum etiam pro impiis paſſum fuiſſe cum catholicis profitemur. & pro quibus pati voluit, ad mortem nequaquam prædeſtinauit. Quoniam verò vt Deus neſcire nihil potuit, eos perituros non ignorauit. qui non ideo perierunt, quoniam à Deo præſciti ſunt perituri, ſed quia tales erant futuri, à Deo præſciti ſunt perituri. Errant igitur qui etiam Antichriſtum cum membris ſuis à Deo prædeſtinatum ad interitum dicunt: quoniam nihil Deus prædeſtinat niſi quæ ipſo erant auctore facienda, vel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retri-

2. Theſſ. 2. 8

Pſal. 64. 3.

Luc. 3. 6.

buenda. Præſciuit autem tantummodò Deus, non etiam prædeſtinauit, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Propterea qui dicit homines à Deo prædeſtinatos ad interitum, reſtat vt dicat quia prædeſtinatione id eſt operatione illius pereant, ſicut qui prædeſtinati ſunt ad vitam, prædeſtinatione, id eſt operatione illius ſaluantur, teſtante Apoſtolo, *Qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* & item, *qui cœpit ipſe perficiet.* Et cùm fides ſit ſalutis initium, de ea ſcriptum eſt, *Alij datur fides*, & reliqua, *quæ omnia operatur vnus atque idem ſpiritus.* Et iterum ſcriptum eſt. *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, & quos prædeſtinauit hos & vocauit, & quos vocauit hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit illos & glorificauit.* & item, *Elegit nos ante tempora ſæcularia, prædeſtinans nos*, id eſt præparans, *vt eſſemus ſancti & immaculati.* Hinc ergo ſcitum eſt, quòd qui, vt hoc diffinitionis conditionali tenore oſtenditur, dicit aut ſubintelligere ſuſurrando contendit, quoniam Antichriſtus, vel quilibet reprobi ex Deo habeant cauſam perditionis, vel operatione ipſius pereant, non catholicus ſed inſanus eſt, & ſi incorrigibilis perſeuerare maluerit, ab ipſa etiam conlocutione fidelium propellendus. Nam Deus vindex non auctor mali eſt, *nec volens iniquitatem*, vt ſcriptum eſt. & cunctis qui ſalui fiunt, cauſa ſalutis eſt, nemini autem cauſa perditionis eſt, qui omnes vult ſaluos fieri, & neminem vult perire. Qui enim ſpreuerunt voluntatem Domini inuitantem, voluntatem Domini ſentient vindicantem. quoniam nulli correctionis adimit viam, nec quenquam boni poſſibilitate diſpoliat. Sed qui ſe ab eo auertit, ipſe nō Deus & velle quod bonum eſt & poſſe ſibi ſuſtulit. Non eſt ergo conſequens, vt Deus quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit, & quos non leuauerit alliſerit, cùm aliud ſit inſontem in crimen egiſſe per quod ad ſupplicium peruenitur, quod alienum eſt à Deo: aliud criminoſo veniam non dediſſe, quod de peccatoris eſt merito, & ex retributione iuſtitiæ iuſti iudicis vindicatur iudicio. Nam ſi Chriſtum his tantùm remedia attuliſſe dicamus qui redempti ſunt, videbimur abſoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta conſtat eſſe puniendos. Si enim, vt beatus Gregorius in Homilia trigeſima quinta ſcribit, mors iuſtorum bonis in adiutorium eſt, malis in teſtimonium, vt indę peruerſi ſine excuſatione pereant, vnde electi capiunt exemplum vt viuant.] multo mamagis mors redemptoris noſtri pro omnibus mortui, vt credentibus atque deuotis ſalus, ita incredulis & contemptoribus eſſe in condemnationis teſtimonium credi debet. Sequendum eſt igitur quod Proſper rectiſſimè dicit, Quoniam ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſeruitutem reuerſi. Chriſtus ergo pro omnibus paſſus eſt, licèt non omnes paſſionis eius myſterio ſint redempti. Quia verò ſpecialiter cre-

Philip. 2. 13.
1. Cor. 12. 10.
Rom. 8. 29
Ephes. 1. 4.
Pſal. 5. 5.
Non longè ab initio.
Contra Gallos.

dentibus ad ſalutem mors profuerit ſaluatoris, non credentibus autem in iudicium & condemnationem ſit contempta ipſius gratia paſſionis, S. Hilarius in quinquageſimo quinto Pſalmo dicit, In ira deducentur hi populi, quibus ad pœnæ ſenſum ſalus reſurrectionis eſt conſtituta. à qua ira eripiendos nos Apoſtolus pollicetur dicens, *Quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis iuſtificati in ſanguine eius ſaluabimur per eum ab ira.* Pro peccatoribus igitur ad ſalutem reſurrectionis eſt mortuus: ſed ſanctificatos in ſanguine ſuo ſaluabit ab ira.] Et S. Auguſtinus in libro XX. de Ciuitate Dei capite vigeſimo ſexto, Pro omnibus mortuis viuus mortuus eſt vnus, id eſt, nullum habens omninò peccatum, vt qui per remiſſionem peccatorum viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. vt credentes in eum qui iuſtificat impium, ex impietate iuſtificati, tanquam ex morte viuificati, ad primam reſurrectionem quæ nunc eſt pertinere poſſimus. Ad hanc enim primam ſoli pertinent qui beati erunt in æternum: ad ſecundam verò, de qua mox locutus eſt, & beatos pertinere docebit & miſeros. Iſta eſt miſericordiæ, illa iudicij. propter quod in Pſalmo ſcriptum eſt, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*] Et Ambroſius in epiſtola ad Corinthios, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Omnibus ergo qui ſunt ex eius corpore adquiſiuit vitam, id eſt reſurrectionem, quamuis generaliter tribuerit reſurrectionem.] *& item in eadem epiſtola, Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt.* Manifeſtum eſt quia quibus crux Chriſti ſtultitia eſt in perditione ſunt, infernæ enim morti non ſunt erepti. *his autem qui ſalui fiunt virtus Dei eſt.* Non eſt obſcurum, quia his qui credunt virtus Dei eſt. credunt enim non infirmitatem eſſe crucem Chriſti, ſed virtutem: intelligentes victam mortem in cruce, cuius ſignum qui habent ſalui ſunt, quia ab illa teneri non poſſunt.] Et Beda in Commento Lucæ, *Retribuetur enim in reſurrectione iuſtorum.* Reſurrectionem iuſtorum dicit, qui etſi omnes reſurgant, eorum tamen non immeritò quaſi propria cognominatur, qui in hac ſe beatos non dubitant eſſe futuros.] Et Proſper contra Gallos actione IX. dicit, Redemptor mundi dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit, quia lucē tenebræ non receperunt. & tenebræ receperunt, quibus dicit Apoſtolus, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et Dominus in Euangelio, *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* & , *hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Erant enim eorum mala opera.* Vnde conſtat quia pro omnibus paſſus eſt Chriſtus, ſed credentibus dat ſalutem.

Rom. 5. 9. — Pſal. 100. 1. — Luc. 14. 14. — Epheſ. 5. 8. — Ioan. 3. 16. — Ibid. 19.

Tandem qualiter quáve diſcretione orthodoxi ex ſcripturis in-

tellexerunt & docuere doctores quoniam passus est Christus pro omnibus, licèt non omnes ad æternam salutem passionis eius mysterio redimantur, Petri verba consideremus qui dicit, Non tardat, inquiens, Dominus promissionem suam, sed expectat propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. & Paulus dicit, *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* &, *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* &, *gratia Dei pro omnibus gustauit mortem.* quia, vt Esaias dicit, *Omnes nos velut oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Quia verò non omnes passionis eius mysterio sunt redempti, licèt ipse fuerit passus pro omnibus, manifestat iterum per Esaiam dicens, *In scientia sua iustificauit ipse seruos suos multos.* & item, *Ipse peccata multorum tulit.* & item, *Iste asperget gentes multas.* & in Euangelio, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* & Apostolus, *Per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* & item, *Vt sit ipse primo genitus in multis fratribus.* & item, *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* & item, *Christus passus est ad multorum ex haurienda peccata.* & item, *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* In quibus singulis sententiis intelligendum est, ideo pro multis non pro omnibus dictum, quia non omnes crediderunt, sicut in subsequentibus verbis Patrum monstrabimus. Sed & Matthæus, & Marcus, & Lucas, ideo non pro omnibus, sed pro multis & pro vobis tradetur corpus meum, & effundetur sanguis meus, dicunt protestatum fuisse Dominum saluatorem, quia licèt Christus pro omnibus passus fuerit, non omnes passionis eius mysterio sunt redempti. Et quia non omnes sunt redempti pro quibus est passus, ad infidelium respicit partem, non ad pretij potestatem, cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium sit totius mundi. Sicut enim post aduentum in carne eiusdem Dei & hominum mediatoris, non saluati sunt, neque saluantur, nec etiam saluabuntur, qui in eum & eum, sicut catholica tenet ac docet Ecclesia, non credunt Iesum, id est saluatorem mundi, vel si verbis confitentur, factis autem negant, quia non credunt fide quæ per dilectionem operatur, nam & dæmones credunt & contremiscunt, dicente scriptura, *Qui non credit iam iudicatus est*, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Et Iacobus, quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides saluare eum? Et Dominus, *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, sed qui facit voluntatem patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum.* Ita & qui ante ipsius in carne aduentum non crediderunt in ipsum, hoc est in Iesum, qui venturus erat in nomine Domini benedictus rex Israel ad saluandas gentes, vel si formam pietatis habentes virtutem eius operibus negauerunt, perseueranti in-

Rom 8.32. 2.Cor.5.14. 1.Tim.2.6. Hebr.2.9. Esa.53.6. Ibid 11. Esa.52.15. Matt.20.28 Rom.5.19. Rom.8.29. Ibid.11. Hebr.2.10. Hebr.9.28. Ephes.5.25. Ioan.3.18. Matt.7.21.

fidelitate & iniquitate perierunt. Vnde & præter illa quæ suprà posuimus, beatus Augustinus in libro II. de Nuptiis & Concupiscentia dicit, Masculus qui non circumcidetur carne præputij sui octauo die, disperiet anima eius de genere suo, quia testamentum meum dissipauit. Dicat iste si potest, quomodo puer ille testamentum dissipauit octo dierum, quantum ad ipsum propriè attinet, innocens infans, & tamen nullomodo Deus vel scriptura sancta id mendaciter diceret. Tunc ergo dissipauit testamentum Dei, non hoc de imperata circumcisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et hoc in illo significabatur expiari circumcisione octaui diei, hoc est sacramento mediatoris in carne venturi: quia per eandem fidem venturi in carne Christi, & morituri pro nobis, & tertio die, (qui post septimum sabbati fuerat futurus octauus) resurrecturi, etiam iusti saluabantur antiqui. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ex quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat & paruulis originalis veterísque peccati, sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis ex quo est institutus. Non quòd ante circumcisionem iustitia fidei nulla erat. Nam cùm adhuc esset in præputio, ex fide iustificatus est ipse Abraham, pater gentium quæ fidem ipsius erant sectaturæ. Sed superioribus temporibus omni modo latuit sacramentum iustificationis ex fide. eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis, non vetus Testamentum quod in seruitutem generat, non lex quæ non sic est data quæ posset viuificare, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum, sicut nos mortuum, ita illi moriturum, sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum, & nos verò & illi ad iudicium mortuorum viuorúmque venturum. Non ergo iste humanam malè defendendo impedit à salute naturam, quia omnes sub peccato nascimur, & per vnum solum, qui sine peccato natus est, liberamur.] videlicet fide quæ per dilectionem operatur credentes, & ante aduentum & post aduentum Domini, & ab hinc vsque ad finem sæculi credituri. Qui verò eadem fide credere noluerunt, nolunt, & nolent, ipsi sibi causa mortis extiterunt, existunt, & existent. quia, vt Prosper dicit, poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur.

Cap.xi. | Cap.xii. | Ad obiect. Vincent. Resp.I.

Hanc catholicè discretam intelligentiam, quòd Christus Iesus Dominus noster pro omnibus passus sit, licèt non omnes passionis eius mysterio sint redempti, demonstrat etiam beatus Ambrosius, in epistola secunda ad Corinthios dicens, *Quòd si vnus pro omnibus*

Cap.v.

mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Quoniam Christus diligens genus humanum, vt eos redimeret, morti se dedit. Et quia omnes necesse est mori causa Adæ, pro omnibus mortuus est Christus, vt eos à secunda morte liberaret.] Et in prima Epistola, Rei sunt corporis & sanguinis Domini. Occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducunt.] Et in epistola ad Romanos, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Hoc est, sicut vnius delicto omnes homines condemnationem meruerunt similiter peccantes, ita & in iustitia vnius omnes iustificantur credentes. Si qui autem condemnationem hanc generalem esse putant, simili modo & iustificationem generalem accipient. Sed non est verum, quia non omnes credunt.] Hanc sanctus Hieronymus tenuit, dicens in expositione epistolæ ad Ephesios, Hoc in Dei filio possibile iudicandum est, quòd cruore suo non vrbem vnam, sed totum purgat orbem. Et in commento Matthæi, Solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro vniuersis.] & item in eodem libro, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Non dixit pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerunt.] Et Beda in Homilia Euangelij XIII. In Spiritu sancto baptizans, quin Christus, ad tollenda peccata non solùm Israel, sed & totius mundi si ei credere voluerit, idoneus est.] Sic sensit sanctus Hilarius, dicens in expositione Psalmi CXVIII. Tunc humano generi exprobret non credenti, neque in viam Euangelicam pergenti, id quod in Psalmo continetur, *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Exprobrat enim superbis atque maledictis, cur nihil in sacramento sanguinis sui atque mortis vtilitatis suæ esse existimauerint, cùm ille nostrî causa & natus & passus & mortuus sit.]

Cap. XI.

Matt. 20. 28

Sic tenuit & docuit sanctus Ioannes Chrysostomus, dicens in epistola ad Hebræos, qualiter gratia Dei pro omnibus gustauerit mortem, non pro fidelibus tantùm, sed pro mundo vniuerso. Et ideo dictum est ad multorum exhaurienda peccata. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat impleuit.] Et in Homilia II. Matthæi Euangelistæ. Et hoc, inquit, tibi ante me Esaias propheta denuntiat. Siquidem ipsius prædicans passionem & plurimam pro toto terrarum orbe piissimámque curam, atque admiratus, & reliqua.] Et item in Homilia IV. Non dixit pariet tibi, sed medium illud posuit atque suspensum. Non enim illi, sed vniuerso prorsus orbi peperit Christum.] Et post pauca. Per ipsum bona vniuerso orbi conferenda pronuntiat. Et item in Homilia XV. *Vos estis sal terræ.* Per quod ostendit quàm necessariè ista præcipiat. Non enim pro vestra, inquit, salute tantummodò, sed pro vniuerso prorsus orbe hæc vobis doctrina committitur. Non ad duas quippe vrbes, aut decem, aut viginti, neque ad

vnam vos mitto gentem sicut etiam prophetas, sed ad omnem terram prorsus ac mare, totúmque mundum, & hunc variis criminibus oppressum.] Et quia non omnes saluantur ad quos verbum salutis missum est, nec omnes passionis eius mysterio redimuntur, pro quibus salus parata omnibus crucis subiit passionem, item idem Doctor catholicus in Homilia VII. eiusdem Euangelistæ dicit, Non enim, inquiens, omnes qui ex Israel hi sunt Israelitæ, sed quicumque per fidem repromissionis nati sunt. Si verò non omnes regit, vocatorum crimen est, non vocantis.] Et item, Quod certè dicit & Paulus, *Vobis*, inquit, *oportebat primum adnuntiari verbum Dei, sed quoniam indignos vos iudicastis, conuertimus nos ad gentes.* Et si igitur antea incredibiles permanebant, tamen postquam & ipsum à Magis audierunt, confestim ad Christum debuerunt aduolare. Sed vtique noluerunt. & propterea istis dormientibus illi proueniunt.] Et item in Homilia VI. Et cur, inquiens, non hoc Magis omnibus reuelauit? quia scilicet nec omnes fuerant credituri.] Et item in Homilia X. Et propterea subiunxit *in testimonium omnibus gentibus*, ostendens non se expectaturum vt omnes priùs credant, & ita ipse qui prædixerat veniat. Quod enim ait in testimonium omnibus gentibus, hoc est dicere, in accusationem ac redargutionem eorum qui Euangelio credere noluerunt.

Sic prædicauit sanctus Augustinus, in libro de Correptione & Gratia dicens, Quis magis dilexit infirmos quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex infirmitate crucifixus?] Et in libro VI. contra Iulianum. Illi sunt liberi à peccato, pro quibus mortuus est qui nunquam fuerat in peccato: & cùm semel sit mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quando in eius morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur. id est, tunc ei proderit mors eius qui fuit in peccato, quando in eius morte baptizatus mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.] Sic rugitus magni Leonis, Papæ scilicet Romanæ vrbis, quæ caput est Ecclesiarum omnium, atque totius orbis, per totum, vt præmisimus, intonat mundum. Effusio, inquiens, iusti pro iniustis sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum Diaboli vincula retinerent.] Sic sanctus Gregorius tenuit & prædicauit, in libro Moralium XIV. dicens, *Stulti quoque despiciebant me.* Ac si apertè diceretur, Ipsi etiam me despexerunt, pro quibus sanandis stultitiam prædicationis adsumpsi, id est, vt per carnem verbi sanarentur, & ab ipsis despectus sum, pro quibus stultus æstimari veritus non sum.] Et in Homilia Ezechielis prophetæ, Pro electorum vita vsque ad mortem se tradidit auctor vitæ.] Et in Homilia Euangelij XX. Illum Ioannes Baptista prædicare veniebat, qui quosdam ex Iudæa & multos ex gentibus saluare veniebat.] Et in XX. libro Moralium, Redemptor corpus passioni obtulit, quod pro electis as-

Cap. XVI.

Cap. V. versus finem.

Ep. XCVII. cap. 2.

Cap. XXII.

Iob 19. 18.

ſumpſerat.] *& item*, Interpellat pro nobis Dominus, non voce ſed miſeratione, quia quod damnari in electis noluit ſuſcipiendo liberauit.] Et item idem in libro XXIV. Moralium, Quia igitur Dominus verè natus, verè mortuus, verè reſuſcitatus, in omnibus tamen diſtat à nobis magnitudine potentiæ, ſed ſola concordat nobis veritate naturæ, bene dicitur, quia pro nobis iſte Angelus *vnum de ſimilibus* loquitur. Cùm enim in cunctis operationibus ſuis immenſa nos virtute tranſcendat, in vno tamen nobis, id eſt in formæ varietate, non diſcrepat. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod ſemetipſum nobis ſimilem oſtendit. Loqui quippe eius vel interpellare eſt, ipſum ſe pro omnibus hominem demonſtrare.] Quomodo autem id quod dictum eſt, ſe pro omnibus demonſtrare, manifeſtiùs intelligere valeamus, oſtendit Euangelica veritas dicens, *vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. qui verò non crediderit cōdemnabitur*, vt præfatus doctor in libro XXXVI. Moraliū dicit, Sed iniqui omnes æterno ſupplicio & quidē ſua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur, ſcilicet vt iuſti omnes, & in Deo videāt gaudia quæ percipiunt, & in iſtis reſpiciant ſupplicia quæ euaſerunt.]

Cap. 11. Iob 33. Ioan. 3. 15. Marc. 16. 16

Hanc diſcretam intelligentiam de redemptione quæ fit per ſanguinem Chriſti, cum ſupraſcriptis magiſtris catholicis intelligendam atque tenendam, & venerabilis Beda preſbyter intellexit & tenuit, dicens in expoſito Euangelij Lucæ, *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, vt vniuerſum latè terrarum orbem peccatis mortuum ſua morte innoxia cæleſtem reſuſcitaret ad vitā.] *Et item*, Quòd veſte alba induitur, immaculatæ dat indicia paſſionis, quoniam agnus Dei immaculatus totius mundi ſit peccata ablaturus. *Et cùm tetigiſſet auriculam eius ſanauit eum.* myſticè docens & ipſos ſi conuertantur poſſe ſanari, qui in ſua ſunt mortis conſenſione vulnerati.] *& item*, *Poſtquam venerunt ad locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum.* Propterea autem ibi crucifixus eſt Dominus, vt vbi priùs erat arca damnatorum, erigerentur vexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus eſt, & flagellatus & crucifixus, ſic pro omnium ſalute quaſi noxius inter noxios crucifigitur, vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundet & gratia.] *& item*, Velint nolint ergo Iudæi, omne mundi regnum, omnis mundana ſapientia, omnia diuinæ legis ſacramenta teſtantur, quia Ieſus rex Iudæorum eſt, hoc eſt Imperator credētium & confitentium Deum.] *& item*, Pulchrè autem paraturis Paſcha diſcipulis homo amphoram aquæ portās occurrit, vt oſtendatur huius Paſchæ myſterium pro abſolutione perfecta totius mundi eſſe celebrandum.] *& paulo pòſt*, Conſultè vel aquæ baiuli vel domini domus ſunt prætermiſſa vocabula, vt omnibus Paſcha celebrare volentibus, hoc eſt Chriſti ſacramentis imbui, Chriſtum ſuæ mentis hoſpitio ſuſcipere quærentibus, facultās danda ſignetur.

Sic & Caſſiodorus intellexit ac tenuit, dicens in Pſalmo CXLIX. *Lauda-*

te eum in firmamento virtutis eius, Firmitas virtutis eius est, quia exitium pro omnium salute suscipiens, mortem ipsam cum auctore nequissimo potentiæ suæ virtute superauit.] Et in Psalmo CXLII. Nemo autem requisiuit animam eius, dum ei nulla consolatio præberetur, sed solus ad passionem relictus est, qui erat pro omnium salute moriturus.] *& item.* Nam si illud deitatis suæ culmen mirabile non inclinasset sumpti corporis veritate, quemadmodum pro salute omnium crucifigi potuerat?] Et in Psalmo CX. *Virtutem operum suorum adnuntiauit populo suo.* Scilicet Christiano, quem redemit sanguine pretioso. Et in Psalm. CXXIX. *Et copiosa apud eum redemptio.* vt pretiosus ille sanguis tanta fuerit vbertate ditissimus, quatenus totius mundi peccata redimeret, & velut quodam diluuio salutari orbem terrarum à suis sordibus expiaret.] Et item in Psalmo CXLVII. Quis enim erit illius gaudij modus, conspicere illum dominum rerum, qui hîc mori creditus est pro salute cunctorum?] Et in Psalmo CXVIII. *Iudica iudicium meum, & redime me.* Quem redimere poterat nisi credentem, aut pro quo maximè sanguinem redemptionis effunderet, si fidelis famulus non fuisset? Addidit *Propter eloquium tuum viuifica me.* Illo scilicet, vbi promittit *Qui credit in me non morietur, sed habeat vitam æternam.* Tale est & illud Prophetæ querentis Domino de quibusdam, *Attriuisti eos*, inquiens, *& renuerunt accipere disciplinam*, &, *curauimus Babylonem & non est sanata.* Et Dominus dicit, *Interfeci & perdidi populum iustum, & tamen à viis suis non sunt reuersi.* Et rursus ait, *Populus non est reuersus ad percutientem se*, &, *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* & redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum & mundus redimi noluit. Et item scriptum est, *Noli timere paupercula tempestate conuulsa, quia in camino paupertatis excoxi te.* & item, *Loquimini ad cor Hierusalem, & auocate eam,* vsque dũ dicitur, *recepit duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis.* Et item scriptum est, *Liuor vulneris abstergit mala, & plagæ in secretioribus ventris.* & Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* quia tenebræ lucem recipientes, inluminatæ sunt, & credentes mundi pretio ad salutem redempti sunt. Et Prosper ex delegatione Apostolicæ sedis hanc catholicam intelligentiam demonstrat contra Gallos in recapitulatione IX. Qui, inquiens, dicit quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretiũ sit totius mundi.]

Psal.150. 1. | Psal.110. 6. | Psal.129.7. | Psal.118. 154. | Hier.5.3. | Hier.51.9. | Hier.15.7. | Esa.9 13. | Ioan.1 5. | Esa.54.11. | Esa.40.2. | Prou.20.30 | Ephes.5. 8.

Hanc ipsa sancta sedes Apostolica in arcanis cælestium mysteriorum, ex Apostolorum traditione, retinet dicens, Hæc hostia, quæsumus Domine, mundet nostra delicta, quæ in ara crucis immolata totius mundi tulit offensam. *& item,* Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mũdi tribuisti relaxari delicta. *&*, Respice omnipotens & misericors Deus super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Vnde

legem credendi, vt beatus Cæleſtinus ſcribit ad Venerium & Gallicanos Epiſcopos, lex ſtatuat ſupplicandi. Et item Proſper libro I. de vocatione gentium. Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ & ſuperbiæ nocte contractam, venit in mundum creator mundi, & mundus eum non cognouit, lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, Qui ſuper omnes eſt quod vidit & audiuit teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Sed quia non fruſtra Deus Dei filius venit in mundum, & dedit ſemetipſum pro omnibus, & pro omnibus mortuus eſt, non tantùm pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum, & vniuerſis dicit *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis*, & ſeruato ſibi incognoſcibilis arbitrio electionis, dat ſui patríſque notitiã quibus eam voluerit reuelare, omnes filij lucis, filij promiſſionis, filij Abrahæ, filij Dei, genus electum, regale ſacerdotium, viri Iſraelitæ, præcogniti & præordinati ad regnum Dei qui eos vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, teſtimonium eius qui de cælo venit accipiunt, ſignantes quia Deus verax eſt, id eſt expreſſè ſignificantes in ſui ſaluatione, quoniam Deus verax eſt, implens & perficiens quod promiſit Abrahæ omnium gentium Patri, qui pollicente Deo quòd heres futurus eſſet mundi, non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, & pleniſſimè ſciens, quoniam quod promiſit potens eſt & facere.] Et item cõtra Vincentianos & Gallos, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, liber à mortis debito, & ſolus abſque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortis mortuus eſt. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani; ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi.] A quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſeruitutem perſeueranter reuerſi.] A qua & à pœnis æternis eidem captiuitati ac ſeruituti debitis, atque à iuſto iudice præparatis, nos eripere & tueri atque inlæſos conſeruare dignetur, qui ſanguine ipſius mediatoris ac redemptoris noſtri eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum eiuſdem filij caritatis ſuæ. Cui cum eo in vnitate Spiritus ſancti eſt honor, & gloria, & imperium, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Cap. VI.

Matt. II. 28

Ad Vincẽt. Reſp. I.

Ad Capit. Gallorum ſentent. IX.

HINCMARI

CONTRA GOTHESCALCVM

DE TRINITATE.

QVOD TRINA DEITAS NON DICENDA.

Flodoardus libro III. Historiæ Remensis cap. XV.

Scripsit præterea Hincmarus librum collectum ex orthodoxorum dictis Patrum, ad filios Ecclesiæ suæ, quòd diuina Trinitatis deitas trina non sit dicenda, cùm sit ipsius summa Trinitatis vnitas, ad repellendas Gothescalci blasphemias.

HINC-

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS

COLLECTIO EX SANCTIS SCRIPTVRIS ET ORTHODOXORVM DICTIS,

DE VNA ET NON TRINA DEITATE, sanctæ videlicet & inseparabilis Trinitatis vnitate,

AD REPELLENDAS GOTHESCALCI BLASPHEMIAS eiúsque nænias refutandas.

PROLOGVS.

Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, dilectis Eclesiæ catholicæ filiis & comministris nostris.

DIV est quòd quidam, occasione accepta de finalitate hymni, cuius auctor penitùs ignoratur, in qua dicitur,

Te trina Deitas, vnáque poscimus,

delectabiliter vocum nouitatibus vt innotescerẽt incumbentes, cœperunt contendere, quòd sicut trinus & vnus Deus, ita trina & vna Deitas & debeat & catholicè valeat dici. vnde quique pro suo modulo scriptitarunt. Inter quos & Ratramnus Corbeiæ monasterij monachus, ex libris beatorum Hilarij & Augustini, dicta eorumdem detruncando, & ad prauum suum sensũm incongruè inflectendo, sicut & Macarium Antiochenum Episcopum de quamplurimis catholicorum libris fecisse in sexta Synodo legimus, ex hoc volumen quantitatis non modicæ scribens ad Hildegarium Meldensem Episcopum compilauit. Cuius peruersam intelligẽtiam ipsa eius collectio, scriptis authenticis collata, mendacio redarguit & reuincit, veluti qui legerit apertissimè peruidebit. Hæc autem

audiens Gothescalcus, Orbacensis monasterij Remensis Ecclesiæ pseudomonachus, tam inuidia meî, quem in Ecclesia cantari trinam deitatem vetuisse audierat, quàm more suo, qui noua & antea inaudita, canæque orthodoxorum intelligentiæ contraria adinuenire, ac proferre ab ineunte ætate suæ vitiosæ indolis delectabiliter studuit, & in eodem studio permansit, inde plurima scribere, & ad quoscumque potuit, primùm latenter, deinde quantum sibi licuit, apertè mittere procurauit. Nouissimè diebus istis hanc subiunctam schedulam, quæ ad nos communiter per complices ac satellites suos peruenit, inde conscripsit. De qua bonis vestris desideriis placuit, vt eam in hoc opere cum integritate ponerem, & pòst ad singula Catholicorum sententiis responderem: vt dum ipsius sententiæ fuerint de hac causa oribus catholicorum, gladio videlicet spirituali, peremptæ, ceterorum qui sensibus in illius currunt sententiam, muta fiant labia dolosa, sícque cooperante Domino omnis iniquitas oppilet os suum. Proponentes mihi verba beati Gregorij ex Homilia Euangelij qua dicit, Quid est, inquiens, quòd vigilantibus pastoribus Angelus apparet, eósque Dei claritas circumfulget, nisi quòd illi præ ceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solliciti sunt, dúmque ipsi piè super gregem vigilant, diuina super eos gratia largiùs coruscat? & quod ex sententia canticorum Cantici explanat, *Nasus tuus sicut turris Libani*, quia videlicet præpositorum discretio, & munita debet esse ex circumspectione, & altitudine vitæ consistere, id est in valle infirmi operis non iacere, & incursus malignorum spirituum longè prospicere, & commissas sibi animas per suam prouidentiam cautas reddere: vt iuxta beati Petri vocem Dominum Iesum Christum sanctificemus in cordibus nostris, & parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe reddere. Quapropter ministerio dignatione diuina indignitati meæ imposito, ad hanc sollicitudinis curam ac studium non modò vestris petitionibus sum inuitatus, verùm & tractus, & quantum ipsa deitas quæ Trinitatis est vnitas dederit, & occupatio multiplex, atque contumacia inertiáque sensus mei permiserit, exequi ea quæ petitis procurabo: ponens cum integritate suî in hoc opusculo nostræ seruitutis eiusdem Gothescalci schedulas. & per singulas sententias more veterum obelum — id est iacentem virgulam eis opponemus, vt quasi sagitta falsa illius dicta confodiat, his verò quæ opponentur ex orthodoxorum dictis eius sententiis figuram XP, quæ chresimon dicitur prænotabimus, vt per eam catholicorum testimonia, quæ resistunt venenosis eius sensibus, demonstrentur, & sana ac verè Christiana intelligentia, vt reuera à Christo contra antichristos tradita, euidenter simplicibus & deuotis mentibus ostendatur. cum aliis pestiferis, magis autem mortiferis venenis, quæ Gothescalcus sanam doctrinam

Hom. 8. in Euang.

Cant. 7. 4.

1. Pet. 3. 15.

non ſuſtinentibus, vocúmque nouitate delectantibus, & prurientes aures habentibus, qui iuxta voluntatem ſuam magiſtros ſibi coaceruare feſtinant, vt magiſtri demùm erroris fiant, qui noluerunt fieri diſcipuli veritatis, bibenda proponit, cogitans & loquens iniquitatem in excelſum, & ponens in cælum os ſuum, hæc etiam dicit.

SCHEDVLA GOTHESCALCI,

Quòd trina deitas dici poſſit.

QVISQVIS *eſt ille, qui dicit quòd nequaquam deitas trina dici catholicè poſſit, ſed ſolummodò deitas vna ſit, debet interrogari ſubtiliter, quomodo dicat vnam, vel qualiter, vtrum ſcilicet naturaliter, an perſonaliter. Si reſpondet & dicit vnam deitatem eſſe credendam & confitendam perſonaliter, niſi ſuum concitus corrigat ſenſum, reuera cum Sabellio audire meretur anathema ſic præſentialiter, vt mereatur illud etiam pati iure perpetualiter. Hinc enim hæretici Sabelliani dicti nuncupatique ſunt etiam Patripaſſiani, quia noluerunt nec omninò potuerunt negare Deum patrem paſſum, dum Deum perſonaliter ſomniauerunt vnum, non ſicut Eccleſia ſancta catholica & Apoſtolica credit & confitetur, Deum naturaliter vnum, & perſonaliter trinum. At ſi metuens anathemate ritè percelli, & illud cum Patripaſſianis pati, dixerit deitatem eſſe naturaliter vnam, credere conſequenter debet & confiteri, ſi tamen vult veniam mereri, prorſus eſſe perſonaliter trinam, ſicut ſcilicet Deum, naturaliter vnum, conſtat eſſe proculdubio perſonaliter trinum. Ac per hoc, ſicut non poteſt in hymnis, & in ſanctorum Patrum libris, vbi dicitur trinus & vnus Deus, immutari & dici ſanctus & vnus Deus: ita nimirum ſine mortis exitio immutari non poteſt, vbi dicitur trina & vna deitas, vt ibi dicatur ſancta & vna deitas. quia reuera cùm hoc nec ibi poſſit vllatenus fieri, vbi non eſt addita & vna, ſed ſolummodò dicitur deitas trina: multò minùs ibi poteſt fieri, vbi deitas trina dicitur & vna: quia ſcilicet ſimplicibus mox diceretur, ſicut & dicitur, Ecce nunc iam patet, quia non poterat nec poteſt reuera dici deitas trina, ſed tantùm deitas vna. Sed profectò iam tempus eſt, vt qui credunt atque dicunt, quòd non poſſit auctoritatiuè neque verè dici deitas trina, cernant & legant in libro de ſancta Synodo, qui ſcriptus eſt in græco, ſcilicet Conſtantinopoli ſub iuniore Conſtantino, à centum & quinquaginta Patribus iure damnatos & anathematizatos Arrianos colentes τειθεοτείας, id eſt tres deitates: & tamen in ipſo conſequenter continetur volumine, in edicto ſcilicet Conſtantini, conglorificandam trinam deitatem, nec addi tamen illic opus fuit vnam. quia ſcilicet, dum ſub numero ſingulari dicitur deitas trina, licèt non ſit dicta, ſubintelligitur tamen ſimul & vna. Sic enim dicta eſt à Proſpero trina maieſtas, à Prudentio trina pietas, ab Aratore bis trina poteſtas: ſic & à Græcis τεισάγιον, à Latinis autem ſatis propriè, regulariter, atque catholicè dicitur trina ſanctitas. Ac per hoc ſicut ab eis catholiciſſimè dicitur τειθεοτεία, ſic & à nobis catholiciſſimè trina deitas. Cùm tamen & illi, & Latini con-*

ſenſu pari, damnauerint & damnent, anathematizauerint & anathematizent Arrianos, qui colunt tres maieſtates, tres pietates, tres poteſtates, tres Deos, atque tres deitates. Necnon etiam ſimiliter, ſi non multo amplius, conſtat & claret rite damnatos atque damnandos Sabellianos, eoſdémque Patripaſſianos, qui colunt ſecundùm Iudaicam paupertatem ſingulariter ſolitariam & perſonaliter vnam maieſtatem, pietatem, poteſtatem, ſanctitatem, deitatem. Namque dum ſolus Pater ſic eſt Deus, vt non ſit ex Deo ſed genuerit Deum: & ſolus filius ſic eſt Deus, vt genitus ſit à Deo: & ſolus Spiritus ſanctus ſic eſt Deus, vt procedat ex ingenito ſimul & ex genito Deo: patet prorſus, quòd naturaliter vnus & perſonaliter trinus eſt Deus. Item dum Deus pater deitas eſt ingenita, innaſcibilis, & innata: & Deus filius deitas genita, naſcibilis, & nata: & Deus Spiritus ſanctus deitas eſt nec ingenita, innaſcibilis, & innata, neque genita, naſcibilis, & nata, ſed procedens à deitate ingenita, innaſcibili, & innata, & à deitate genita, naſcibili & nata: claret omnino, quòd ἁγία τριὰς, id eſt ſancta Trinitas, ſicut vna eſſentialiter atque naturaliter, ſic proculdubiò eſt perſonaliter trina deitas: ſicuti ſcilicet maieſtas, pietas, & poteſtas, ob id prorſus eſt vna ſimul & trina, quia reuera vnaquæque perſona per ſe eſt poteſtas prima, ſicut euidenter de Deo Dei filio dicitur in Michæa propheta: Et tu turris gregis nebuloſa filia Hieruſalem, ad te veniet, & vſque ad te veniet poteſtas prima. *Ergo quia non eſt pater maior filio, neque filius maior Spiritu ſancto, ſed omnino totæ tres perſonæ, ſibi ſunt inuicem coæquales & coæternæ, propterea profectò Deus trinitas poteſtas eſt prima, ac per hoc non ſecundùm Arrianos, quod abſit, tres poteſtates, nec ſecundùm Sabellianos, quod abſit, poteſtas perſonaliter eſt vna, ſed ſecundùm catholicos poteſtas eſt vna naturaliter, & perſonaliter trina. Reſtat igitur & supereſt, vt illi qui ſunt grammatici, ſi nolunt eſſe ſimul & hæretici, non præſumant fateri in Eccleſia veracis Dei, veritatis Dei, veri Dei, quòd τριθεοτεια, id eſt trina deitas, vlla ratione pluralis exiſtat numeri, cùm ſit vt claret vtique ſingularis, velut nouerunt vniuerſi, qui vel mediocriter artis grammaticæ ſunt periti. Sicut enim Deus Trinitas numeri ſingularis eſt, iuxta illud,* Benedicta ſit ſancta Trinitas:

ſic etiam numeri ſingularis eſt τριθεοτεία, trina deitas: cùm tamen conſtet è contra numeri pluralis Arrianorum eſſe τριθεοτείας, id eſt tres deitates, à catholicis iure damnatas. Igitur iure ſub numero ſingulari trinæ & vni deitati ſuppliciter, velut expedit, competit, congruit, dicimus,

Te trina deitas, vnáque poſcimus,
Vt culpas abluas, noxia ſubtrahas,
Des pacem famulis, nos quoque gloriam
Per cuncta tibi ſæcula. Amen.

Non enim dicimus, ſicut Arriani, vos tres deitates poſcimus, vt culpas abluatis, noxia ſubtrahatis, detis pacem nobis, nos quoque gloriam vobis. O deitas vigila, quæ trina vocaris & vna, crederis, aſſereris, cognoſceris, atque probaris, auxiliare tuis vt egenis ad omnia ſeruis. Iſtud attendat, appendat, & mente perpendat, cui ſemper adoranda, colenda, tremenda, trina

Mich. 4. 8.

& vna deitas dat, quod hîc inserendum pietas illius inspirat & donat. Quòd videlicet, sicut vnamquamque ex Trinitate personam quisquis est catholicus credit & confitetur integrum, plenum, perfectum penitùs Deum: sic vnicuique personæ suam propriam deitatem, integram, plenam, perfectam, penitùs inesse credat, confiteatur, & asserat, atque pro viribus collatis & conferendis deinceps diuinitùs contradicentes quoscumque conuincat. In hoc enim liquet luce clariùs, quin patet Sole splendidiùs, quòd inest vnicuique personæ sua propria deitas atque diuinitas. Quia reuera nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit, vllo modo tota Trinitas, sed sola tantummodò filij deitas. Hæc est semper inuicta victrix de trina & vna deitate catholicæ fidei veritas. Itaque sicut est ante sæcula, sic per sæcula, & in sæcula, benedicta sit trina & vna deitas, maiestas, potestas, pietas, veritas, charitas, & sic semper omnimoda ipsi soli laus, gloria, claritas, Amen. Da Deus vere ac viue, naturaliter vne, personaliter trine, tuis euidenter electis credere, intelligere, confiteri & asserere, quòd quemadmodum tu Deus qui interpretaris timor, & tu Deus charitas qui interpretaris amor, cùm vocaris personaliter trinus timor, & trinus amor, non (quod absit) tres naturaliter timores & amores, verùm naturaliter vnus & timor & amor: sic nihilominus cùm vocaris τριθεοτεία trina deitas, & trina charitas, non, quod absit, tres naturaliter deitates, & charitates, sed naturaliter vna es deitas, & vna tantummodò charitas. Quod profectò per prædicatorem veritatis, & doctorem gentium in fide & veritate, qui dixit verissimè, Non ergo possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate, *patenter possumus probare. Siquidem quando baptizamur, id est tinguimur, ter proculdubio mergimur, & tamen propterea trina ipsa mersio, & trinum baptisma, id est trina tinctio, non quod absit tres mersiones, & tres tinctiones, aut tria baptismata, sed vna est generaliter mersio, & vna tinctio, id est vnum baptisma, dicente Apostolo,* vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. *Pari etiam modo, cùm dicitur trina vel terna fides, vt est illud Sedulij fidelis poëtæ tui,*

2.Cor.13.

Ephes.4.5.

Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur vnam:

non tres quod absit fides, sed vna est fides, dicente Apostolo, vna fides. *Itaque qui nolunt cum Sabellianis hæreticis in æternum habere societatē, credant, confiteantur, colant, canant cum catholicis catholici τριθεοτείαν, trinam deitatem, τρισάγιον, trinam sanctitatem, trinam vitam, sapientiam, gloriam, trinum timorem, trinum amorem, trinam caritatem, trinam lucem, salutem, virtutem, pacem claritatem, trinam maiestatem, potestatem, pietatem. quippe cùm debeamus etiam ternam seu trinam amplecti fidem, quam negant peruersi Sabelliani per suam perfidam impietatem. Cuncta sic esse ceu dixi, in duobus probari potest patenter nominibus tantummodo singularis numeri, hoc est in luce pariter & pace. Lux enim & pax ingenita, & lux & pax genita, quin & lux atque pax procedens, non tres pluraliter luces aut paces dici sinuntur ab arte grammatica, neque tres naturaliter, vt latrat hæresis Arriana, neque personaliter vna, sicut somniat hæresis Sabelliana: sed proculdubio lux & pax est naturaliter vna, & personaliter trina, sicut amplectens trinam & vnam fi-*

dem, ac per hoc credens, confitens, colens, canens trinam & vnam lucem & pacem, maiestatem, potestatem, pietatem, trinam & vnam deitatem. Sed trinum & vnum Deum credit & confitetur Ecclesia magna, sancta, catholica, cui gratis data est, datur, & dabitur Dei gratia, & ob id prorsus ab ea vicissim suppliciter data est, datur, & dabitur, ipsi trinæ & vni deitati, tam per sæcula, quàm simul & in sæcula, iure laus, honor, gloria, Amen. Iuxta illam sententiam, dant mihi sapientiam, dabo gloriam Amen. Virtutibus plenus inuitus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.

XP. HACTENVS hæreseos, abhinc suæ inchoationis verba sunt Gothescalci. Quod hæreseos mortiferum virus, idololatriæ scilicet matris, qua plures Dij, immo dæmonia in simulacris coluntur, diabolus scindens se à caritatis vnitate, verba Dei dicentis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, malè vt solet interpretans adinuenit, & sua inuidia, qua mors in orbem terrarum intrauit, in succo pomi ligni vetiti primis hominibus propinauit dicens, *Eritis sicut dij*. cùm Deus qui est sancta Trinitas, vt Athanasius in libro De propriis personis, & de vnito nomine deitatis, & Hilarius atque Ambrosius in libris de Fide, & Augustinus in libris de Trinitate ostendunt, in creatione primi hominis dixerit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Singulari quippe numero dicens *ad imaginem & similitudinem*, ostendit non trinam sed vnam esse naturam, hoc est deitatem, ad cuius imaginem homo fieret: ad imaginem videlicet suam sancta Trinitas vnus Deus fecit illum, sicut sacra scriptura manifestè demonstrat. & dicens pluraliter, *faciamus & nostram*, ostendit Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam esse personam, sed tres esse personas. Sic & de eo quod Dominus in Euangelio dixerat, *Ego & pater vnum sumus*, idem diabolus in vasis sibi condignis loquens, vnionem in Trinitate personarum per Sabellium docuit, cui in dicto *sumus* mentis oculos clausit, & per Arrium vnius deitatis substantiam diuisit, cui veluti & primis hominibus mentiens oculos ad scientiam mali aperuit, & ad boni ac veri scientiam clausit, in eo quod dictum est *vnum*, ne fiat discretio potestatis. Cuius inspiratione Gothescalcus Arrium sensu sequens, quem verbotenus detestatur, post cognitam immanis sceleris vindictam in eodem Arrio iustissimè satis apertam, trinam deitatem dogmatizare non timet. Contra quos, Arrium videlicet, & Arrij imò ipsius diaboli filium Gothescalcum, beatus Ambrosius sancto Spiritu inspirante, in libro de Spiritu sancto exponens Apostolum, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis*, Aduertimus igitur, inquit, quòd pater & filius & Spiritus sanctus in vno eodémque templo per naturæ eiusdem maneant vnitatem. Ergo diuinæ est potestatis qui habitat in templo. Sicut enim patris & filij, ita & Spiritus sancti sumus templum, non multa templa sed vnum templum, qui vnius tem-

Gen. 1. 16.
Gen. 3. 5.
Ioan. 10. 30
Cap. XIII.
2. Cor. 15. 13

plum est potestatis. Vbi enim vna deitas intelligitur, vnus Deus dicitur: quia vnus Deus, vna diuinitas, & vnitas intelligitur potestatis: & tres Deos non asserimus, sed negamus, quia pluralitatem non vnitas facit, sed diuisio potestatis. Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis, cùm pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat diuina natura?] Hinc manifestum est, quia sicut vnitas numerum non habet, ita trina vel trinitas numerum habet. Ergo quod dicitur trinum, vel trina, quæ habent numerum, in sancta & inseparabili Trinitate deitatis non recipit vnitas, sed personarum proprietas. Prosecutus quoque peruersus interpres diabolus, loquens primis hominibus addidit *scientes bonum & malum.* quatenus sicut ipse ex prouectu auaritiæ supra modum altitudinem appetens, quando dixit *similis ero altissimo* cecidit, ita & homo immoderato sublimitatis ambitu caderet, sicut & fecit. nam cùm indebitè appetiuit diuinitatem, perdidit iustè immortalitatem. Huius viæ mediator, vt Augustinus dicit, homini diabolus, vt diximus persuasor peccati & præcipitator in morte extitit. Quam *mortem*, vt scriptum est, *Deus non fecit*, quia causa mortis ipse non fuit. sed per eius retributionem iustissimam, mors de qua scriptum est *Mors & vita à Domino Deo est*, irrogata est peccatori, sicut supplicium iudex irrogat reo. causa tamen supplicij non est iniustitia iudicis, sed meritum criminis. Hominem autem, miserum & mortalem sua suasione effectum, quem per consensionem seductum tanquam iure integro possidebat, & ipse nulla corruptione carnis & sanguinis septus, per ipsam corporis fragilitatem, nimis egenum & infirmum tanto superbior, quanto velut ditior & fortior, quasi pannoso & ærumnoso in sua etiam propagine dominatus, quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt, se in simulacris, videlicet in diuersis quasi numinibus, per mundum vniuersum quadam iustitia Dei sibi traditum, ad cõparationem perditorum, paucis exceptis electis, vsque ad aduentũ Domini coli fecit. In cuius aduentu videns templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum, hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ Christianæ resisterent, quasi possent indifferenter sine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis indifferenter habuit Philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes. Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauúmque sentiunt, si correpti vt sanum rectúmque sapiant resistunt contumaciter, suáque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Genus hominum callidum non spiritu sapientiæ, sed impatientiæ, quo solent hæreticorum feruere primordia, & pacem perturbare sanctorum.] Quæ B. Augustini verba in Gothescalco spiritu diabolico exagitato, potiúsque repleto, multoties sumus experti. Sed hoc, vt

Cap. XIV.

Gen. 3. 5.

Esa. 14. 14.

Sap. 1. 13.

De Ciuit. Dei lib. I. cap. 2.
I. Cor. II. 19

iſdem beatus Auguſtinus dicit, in vſum cedunt proficientium, iuxta illud Apoſtoli, *Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis.* Vnde etiam ſcriptum eſt, *Filius eruditus ſapiens erit, imprudente autem miniſtro vtetur.* Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum calida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur:] & multi qui optimè poterant ſcripturas dinoſcere & pertractare, latebant in populo Dei, nec aſſerebant ſolutiones quæſtionũ difficiliũ, cùm calumniator nullus inſtaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt antequam oblatrarent Arriani? Numquid enim perfectè de pœnitentia tractatum eſt antequàm obſiſterent Nouatiani? Sic non perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequàm contradicerent foris poſiti rebaptizatores: nec de ipſa vnitate Chriſti enucleatè dictum eſt, niſi poſteaquam ſeparatio illa vrgere cœpit fratres infirmos. Multos enim ſenſus ſanctarum ſcripturarum latent, & paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodiùs & acceptabiliùs, niſi cùm reſpondendi hæreticis cura impellit. Tunc enim etiam qui negligunt ſtudia doctrinæ, ſopore diſcuſſo, ad audiendi excitantur diligentiam, vt aduerſarij repellantur. Denique quàm multi ſcripturarum ſacrarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum? quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum? quàm multi de Trinitate contra Sabellium? quàm multi de vnitate Trinitatis aduerſus Arrianos, Eunomianos, Macedonianos? quàm multi de catholica Eccleſia toto orbe diffuſa, & de malorum commixtione vſque in finem ſæculi, quòd bonis in ſacramentorum eius ſocietate non obſint, aduerſus Donatiſtas, alióſque ſi qui ſunt qui ſimili errore à veritate diſſentiunt? Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs non defenderetur ſcriptura diuina, ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coëgit loca ſcripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs & enucleatiùs noſtro labore defendi, niſi quòd Pelagiani dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari? Hæc ergo vt ingrata Deo ſententia deſtruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea vſque in finem perſeuerantiam, ſecundùm ſcripturas, vnde multa iam diximus, dona Dei eſſe defendimus.] In qua fide multi contra prædictos & contra ceteros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis eſt & præſenti operi non neceſſarium, quorum tamen ſenſuum probati aſſertores aut prorſus laterent, aut non ita eminerent, vt eos eminere fecerunt ſuperborum contradictiones, qui nouerant hæc tractare atque diſſoluere ne perirent infirmi, ſollicitati quæſtionibus impiorum ſermonibus & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deduxerunt. Vnde Apoſtolus, quod etiam præmiſimus, *Oportet*, inquit, *& hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos*, qui cor-

De dono perſeuer. cap. 10.

I. Cor. II. 19.

corripiendi sunt à præpositis suis correptionibus de caritate venientibus, sed & quique subditi fratres, pro culparum diuersitate, diuersis vel minoribus vel amplioribus: quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die, aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne recipiat, & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati, ac cordis contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatúmque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, qui non pertineat, sic affici debemus caritatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur inflectere, vt iustificati ex fide pacem habeant ad Deum, quam prædicabat Apostolus etiam cùm dicebat, *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Quisquis autem à catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum: & quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia *vnusquisque* in ea *propriũ onus portabit*, sicut Apostolus dicit, & quicumque in ea corpus Christi manducauerit ac biberit sanguinem indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Cùm enim dicit *iudicium sibimanducat*, satis ostendit quia non alteri iudicium manducat, sed sibi. quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & persona sua non præiudicat alteri, quem in confessione mali operis socium non habet criminis. Hæc in præfatione de sanctorum Patrum verbis & sensibus interim dicta sufficiant. abhinc eorumdem nihilominus, sed & quamplurium aliorum catholicorum assertionibus ad singula pestiferi Gothescalci verba, letifera respondere singillatim fauente vna & inseparabili deitate incipiemus.

2. Cor. 5. 20.

Gal. 6. 5.

1. Cor. 11. 19

Sicut venefici & sortiariæ mel ad os vasculi virus celantis ponere solent, sic Gothescalcus in initio suprascriptæ suæ compilationis hæreticorum errores proponit, & verbotenus respuit, vt credibiliùs se catholicum mentiens, simplicibus illudere & se commendabilem reddere possit, & hæreticus loquens contra hæreticos, lupus ouis pelle palliare se volens dicit: I.

— *At si metuens anathemate rite percelli, & illud cum Patripassianis pati, dixerit deitatem esse naturaliter vnam, hoc consequenter debet & confi-*

teri, si tamen vult veniam mereri, prorsus esse deitatem personaliter trinam, sicuti scilicet Deum naturaliter vnum constat esse, proculdubio personaliter trinum. & post aliquanta. *Sicut vnamquamque ex Trinitate personam quisquis est catholicus credit & confitetur integrum, plenum, perfectum penitùs Deum, sic vnicuique personæ suam propriam deitatem integram, plenam, perfectam penitùs inesse credat & confiteatur & asserat.*

XP. HÆC est summa totius suæ blasphemiæ, quam hinc prolixo sermone confecit, in quo vt piscis, vel auis, aut quodlibet animal, per inquietudinem se voluens, ampliùs pessimis blasphemiarum maculis & nodis strictioribus inretiendo semet innexuit, volens proprij sensus assertionibus, sine scripturæ testimoniis, sinéque catholicorum sententiis, allegare quia sicut Deus naturaliter vnus & personaliter dicitur trinus, ita deitas naturaliter vna & personaliter trina dici debeat. Sed quòd dicit Deum personaliter trinum & naturaliter vnum, verum dicit. quòd autem dicit confiteri debere deitatem sic personaliter trinam, sicut naturaliter vnam, profectò mẽtitur. Quia deitas ipsa est natura pluralitate carens & numero, qua natura vel deitate, sancta & inseparabilis Trinitas, sicut scriptũ est, *Audi Israel Dominus Deus tuus Deus vnus est*, pater scilicet & filius & Spiritus sanctus, personaliter trinus, vnus est naturaliter Deus. Vnde filius Dei dicit, *Ego & pater vnum sumus*. Non dicit, vnus sumus, sed vnum sumus, quod naturæ vel deitatis vnitatem demonstrat. Vnde etiam dicit, *Ego in patre & pater in me est*, &, *pater in me manens ipse facit opera*, &, *qui videt me videt & patrem:* & de Spiritu sancto, *Cùm*, inquit, *venerit paraclitus quem ego mittam vobis à patre, Spiritum veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, &, *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. omnia quæcumque habet pater mea sunt. propterea dixi quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* De his dixit quæ ad ipsam patris diuinitatem pertinent, in quibus illi æqualis est omnia quæ habet pater habendo. Neque enim Spiritus sanctus de creatura quæ patri est subiecta & filio erat accepturus, quod ait *de meo accipiet*, sed vtique de patre, de quo procedit Spiritus, de quo natus est filius. Natura igitur, id est deitas patris, natura est filij, natura est Spiritus sancti, qui de patre & filio æqualiter procedit, & ineffabilis quædam patris filiíque communio est. Qui totus de patre procedit, & totus de filio, totus in patre manet, & totus in filio, qui sic manet vt procedat, sic procedit vt maneat. vnde naturaliter hanc habet cum patre & filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat totúmque filium, ipséque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio, qui etiam à patre & filio æqualiter datur, immò & à seipso datur, sicut filius de eo dicit, *Spiritus vbi vult spirat*. Itaque sicut pater

Deut. 6. 4. Ioan. 10. 30. Ioan. 10. 38. Ioan. 14. 10. Ioan. 14. 9. Ioan. 15. 26. Ioan. 16. 13. Ioan. 3. 8.

& filius plenus & perfectus est Deus, immò vnus est cum patre & filio Deus, atque vna substantia, vna deitas, vna diuinitas, vna essentia, vna natura, quæ, vt Athanasius & Ambrosius concorditer dicunt, non potest diuidi in personis, iuxta vocis dominicæ veritatem dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.* In nomine, inquit, non in nominibus, vt & vnum Deum per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret. Et sanctus Athanasius in libro octauo de Fidei vnitate; Qui tres, inquit, virtutes inducit, tres Deos confitetur. nos autem credimus tres personas, vnam deitatem. Si tres Deos inducimus, similes sumus gentibus: sed confitemur patrem in filio, & filium in patre, cum Spiritu sancto. non separatur vnitas, non diuiditur deitas.] Et sic idem ipse doctor catholicus, qui iam diaconus sacro Nicæno Concilio cum Archiepiscopo suo Alexandro interfuit, per octo libros hinc à se contra Arrianos confectos, non solùm per singulas paginas, verùm & per singulos vt ita dicamus versus ac periodos, scripsit & definiuit. Non ergo trina natura, vel trina deitas, sed vna natura, & vna deitas est patris & filij & Spiritus sancti, & hæc Trinitas vnus est Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens. ipse sibi vnitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia, & quicquid ad se substantialiter dicitur. & non ita in relatiuis vocabulis intelligendum est vel dicendum: quia dici non potest pater sibi pater, vel filius sibi filius, vel Spiritus sanctus sibi Spiritus sanctus, sed hæc relatiua vocabula ad aliam proculdubio personam referri debent. Dicente itaque Domino, *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, verbis ipsius Domini, & catholicorum sententiis, separata procúlque displosa est, & adhuc, vel si non potest longiùs, ipso tamen annuente qui aperit os mutum, & linguas infantium facit disertas, & dicit *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*, vel latiùs displodetur falsitas Gothescalci, quam inordinatè permiscuit veritati, tanquam leprosus in vno corpore diuersos habens permixtos colores. Vt enim tradunt magistri Ecclesiæ, leprosi hæreticos non absurdè significant, scientiam veræ fidei non habentes, & varias erroris doctrinas proferentes. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantiam sermonis ostentant. Nulla prorsus falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè permixta, in vna disputatione vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore, apparentia significant lepram, tanquam veris falsísque colorum locis, humana corpora variantem atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, vt si fieri potest longiùs remoti magno clamore Christum interpellent, sicut de leprosis legitur, quia *steterunt à longè & leuauerunt vocem.* Sed & necesse est Ecclesiæ præpositis, & cun-

Matt.28.19

Lib.x.

Hier.15.18.

Psal.80.11.

Luc.17.13.

ctis fidelibus, vt non modò fortiter hoſtibus Chriſti apertis reſiſtant, verùm & prudenter lupos rapaces ſe ouinis pellibus contegentes adtendant & vitent, ne eos fallere poſſint, ſicut hic Gotheſcalcus, qui non ſolùm religioſo habitu monachi, ſed & falſi nominis ſcientia aliquandiu ſe contegens plures decepit, donec quod corde confouerat erupit apertè in regulum. Cuius pellem ouinam, quia ſe inde non bene contexit, doctores catholici detrahentes, nudum lupum, apertúmque hoſtem ouilis dominici, quod eſt Eccleſia, eum eſſe demonſtrant. Hoc modo Athanaſius in libro primo de Trinitate, Hæc eſt, inquit, materia formulæ in colliſione hæreticorum, & hæc tituli victoria in abſolutione catholicorum, quam ſignificat principale mandatum Dei, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij, & Spiritus ſancti.* Audi in hoc admirabile & regale decretum, in quo omne ſacramentum in deitate Trinitatis vniter continetur. Qui dixit *in nomine*, euidenter vnam deitatem in Trinitate conſiſtere declarauit: & quod proſecutus eſt, *patris, & filij, & Spiritus ſancti*, per ſingula nomina, ſingulas perſonas ineſſe diſtinxit.] Et Hilarius in libro de Synodis, Caret igitur fratres ſimilitudo naturæ contumeliæ ſuſpicione: nec poteſt videri filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non eſſe, quia ſimilis eſt, cùm ſimilitudo nulla ſit niſi ex æqualitate naturæ. Æqualitas autem naturæ non poteſt eſſe niſi vna ſit, vna verò non perſonæ vnitate, ſed generis. Hæc fides pia eſt, hæc conſcientia religioſa, hic ſalutaris ſermo eſt, vnam ſubſtantiam patris & filij idcirco non negare, quia ſimilis eſt, ſimilem verò ob id prædicare, quia vnum ſunt.] Hoc & de Spiritu ſancto ſentiendum eſſe, idem in fine duodecimi libri de Fide demonſtrat orans, Dona mihi, inquiens, hanc conſcientiæ meæ vocem, vt quod in regenerationis meæ ſymbolo baptizatus in patre & filio & Spiritu ſancto profeſſus ſum, ſemper obtineam, patrem ſcilicet te noſtrum, filium tuum vnà tecum adorem, Spiritum ſanctum tuum, qui ex te per vnigenitum tuum eſt, promerear.] Et in hymno Euangelico pulcherrimè à ſe compoſito dicit, Spiritum Dei perfectum Trinitatis vinculum.] Et Gregorius Nazianzenus, cuius verba beatus Auguſtinus in libro de Bono perſeuerantiæ ad teſtimonium deuocat, dicit, Vnius deitatis quæſo vos, confitemini Trinitatem: ſi verò aliter vultis, dicite vnius eſſe naturæ.] Et ſanctus Ambroſius in hymno catholico dicit, Tu Trinitatis vnitas, orbem potenter qui regis. Quod beatus Auguſtinus, quaſi eius ſenſum exponens, in primo libro de Trinitate explicat, Diuinitatem, inquit, vel vt certiùs expreſſerim deitatem, quæ non eſt creatura, ſed eſt vnitas Trinitatis incorporea & incommutabilis, & ſibimet conſubſtantialis, & coæterna natura.] Et item ſanctus Ambroſius in primo libro de Fide, Vnum, inquit, Deum, non duos aut tres Deos dicimus, vt impia Arrianorum hæreſis dum

Sub initiũ.

Matt. 28. 19

Hilarius lib. 12. de Trinitate.

Cap. XIX.

Cap. VIII.

Cap. 1.

criminatur incurrit. Tres enim Deos dicit qui diuinitatem ſeparat Trinitatis, cùm Dominus dicendo, *Ite baptizate in nomine patris & filij & Spiritus ſancti*, vnius eſſe Trinitatem poteſtatis oſtenderit. Nos patrem & filium & Spiritum ſanctum confitemur, ita vt in Trinitate perfecta & plenitudo ſit diuinitatis, & vnitas poteſtatis. *Omne regnum in ſe diuiſum facilè deſtruetur*, Dominus hoc dicit. Non ergo diuiſum eſt regnum Trinitatis. Si autem diuiſum non eſt, vnum eſt. quod enim vnum non eſt, diuiſum eſt. Tale ergo regnum eſſe cupiunt Trinitatis, quod diuiſione ſuî facilè deſtruatur. immo quia non poteſt deſtrui, conſtat non eſſe diuiſum. Non enim diuiditur Trinitas, nec ſcinditur, & ideo nec corruptelæ ſubditur, nec ætati.] *& item*, Diuerſitas plures facit, vnitas poteſtatis excludit numeri quantitatem. quia vnitas numerus non eſt, ſed hæc omnium ipſa principium eſt.] Et Auguſtinus in libro VIII. de Trinitate, Tres, inquit, perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas vnam eſſentiam dicimus.] Et item in libro V. Quidquid ad ſe ipſum dicitur Deus, & de ſingulis perſonis ſimiliter dicitur, id eſt de patre & filio & Spiritu ſancto, & ſimul de ipſa Trinitate, non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur. Quoniam quippe non aliud eſt Deo eſſe, aliud magnum eſſe, ſed hoc idem illi eſt eſſe quod magnum eſſe, propterea ſicut non dicimus tres eſſentias, ſic non dicimus tres magnitudines, ſed vnam magnitudinē, & vnam eſſentiam. Eſſentiam dico, quæ græcè οὐσία dicitur, quam vſitatiùs ſubſtantiā vocamus.] tres autem perſonas confitemur. Et ſanctus Hieronymus ſcribens ad Damaſum Papam, Sufficiat, inquit, nobis dicere vnam ſubſtantiam, tres perſonas ſubſiſtentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypoſtaſes ſi placet, & vna teneatur.] *& item*, Si quis autem hypoſtaſim vſiam intelligens non tribus perſonis vnam hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt.] Sciendum quoque eſt, quoniam eſſentia, quam græci vſiam dicunt, & hypoſtaſis, quæ ſubſtantia interpretatur, & natura & diuinitas & deitas apud Latinos vnum idémque eſt in ſancta & inſeparabili Trinitate, ſicut catholici doctores oſtendunt. Ait enim Theophilus Alexandrinus Epiſcopus in epiſtola paſchali, Cum his qui Trinitatis vnam confitentur diuinitatem in cælis præmia recipiamus.] Et item in alia epiſtola paſchali, Pietas in Deum toto cordis timore ſeruetur, execrantéſque Deorum numerum, patris & filij & Spiritus ſancti vnam confiteamur indiſcretámque ſubſtantiam, in qua & baptizati vitam æternam ſuſcepimus, & ſi Dei tribuerit clementia, cum Angelis merebimur Dominicum paſcha celebrare.] & item in tertia paſchali epiſtola. Poſſeſſiones caſtitatis, & ſanctimoniam requiramus, adorantes Patris & Filij, & Spiritus ſancti diuinitatem.] Et ſanctus Cæleſtinus Papa in epiſtola ad Orientales Epiſcopos, Optaremus, inquit, quidem, ſicut eſt vna deitatis eſſentia, ita inter omnes qui vbique ſunt homines vnam rectæ fidei veritatem teneri.] Et magnus Leo Papa, ad

Matt. 28. | Matt. 12. 25 | Cap. eodē. | Cap. VI. ſub medium. | Cap. VIII. | Epiſt. LVII. | Paulo ſuperiùs. | Epiſt. I. in fine. | Epiſt. II. in fine. | Epiſt. III. ſub finem. | Epiſt. VI. ad Ioan. Antiō.

sancta synodus, quæ in vrbe Roma conuenit, in epistola ad Theodosium Augustum, Obsecramus, inquiunt, coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur.] & ad Palæstinos, Natura Vnigeniti natura est patris, natura Spiritus sancti, simúlque impassibilis, simul est incommutabilis sempiternæ Trinitatis indiuisa vnitas, & consubstantialis æqualitas.] & ad Leonem Rauennensem Episcopum, Apostolica reclamante doctrina, quæ nobis vnam prædicat in Trinitate deitatem, vnam in fide confessionem, vnum in baptismate sacramentum.] Et gloriosus Papa Gregorius in XVIII. Euangelij Homilia, Tunc quippe Abraham diem domini vidit, cùm in figura summæ Trinitatis tres Angelos hospitio recepit: quibus profectò susceptis, sic tribus quasi vni locutus est, quia & si in personis numerus Trinitatis est, in natura vnitas diuinitatis.] Et in vigesima quarta, Ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem Trinitatis agnoscit, vt & patrem & filium & eundem Spiritum sanctum vnius virtutis credat, vnius substantiæ esse fateatur.] *Et post aliquanta*, Vera nostra requies tunc est, cùm ipsam iam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in vnitate diuinitatis esse certum tenemus.] Et in Homilia XVI. Ezechielis, Ipsa, inquit, fides atque ipsum meritum tenuit corda præcedentium, quæ repleuit corda sequentium sub testamento nouo positorum, sicut & per Paulum dicitur, *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur.* Spiritales quippe illi patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eandem Trinitatem noui patres apertè locuti sunt. Esaias namque audiuit angelica agmina in cælo clamantia *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Vt enim personarum trinitas monstraretur, tertiò Sanctus dicitur: sed vt vna esse substantia Trinitatis appareat, non Domini Sabaoth, sed Dominus Sabaoth esse perhibetur. Quod Dauid quoque similiter sentiens ait: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Qui cùm tertiò dixisset Deum, vt vnum hunc esse ostenderet, subdidit, *& metuant eum omnes fines terræ.* Paulus quoque loquitur dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, videlicet ex patre, per ipsum, per filium, in ipso autem, in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum cùm tertiò dixisset, adiunxit *ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen.* Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum distinxit personas, & subiungendo *ipsi gloria* non diuisit substantiam.] Et S. Prosper in libro Epigrammatum dicit,

Omnipotens genitor natúsque & spiritus almus,
Vna in personis par tribus est deitas.

Et item,

Vna trium deitas vna est essentia.

Et venerabilis presbyter Beda in Homilia dicit, Nouerant tunc

Epist. 27. Epist. 87. Epist. 59. Sub mediũ. Non longè ab initio. Paulo ante medium. 2. Cor. 4. Esa. 6. 3. Psal. 66. 8. Rom. 11. 36. Epig. 64. Epig. vlt.

Apostoli Christum esse in patre per vnitatem indiuiduæ Trinitatis.] *& post aliquanta*, Non autem dubitandum, quia quibus gloria filij reuelabitur, eisdem quoque patris & filij & Spiritus sancti liceat adesse conspectui, quia quorum vna est diuinitas, vna vtique & inseparabilis visio est.] *& aliquanto superiùs*. Post dies decem assumptionis suæ, hoc est hodierna die, Spiritus illos de cælo chrismate donauit. Vbi ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctæ Trinitatis naturam, virtutem, & operationem esse cognouit.] Et in Homilia trigesima secunda. Quod adiunxit, *quia vos me amatis*, eadem ratione sentiendum est, quia quicumque filium rectè amat, hunc cum patre & amborum spiritu amat, quia quorum inseparabilis est natura diuinitatis, horum vna eadémque sunt dona virtutis.] His orthodoxorum testimoniis, qui suas sententias Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, & legis ac prophetarum oraculis confirmauerunt, sicut in memoratis eorum libris qui volet sine difficultate præualet inuenire, manifestissimè declaratur, quia deitas quæ trinitatis est vnitas, trina personaliter intelligi, credi, & dici non debet, vt blasphemat Gothescalcus, quia si deitas personaliter est trina, sicut tres sunt in sancta Trinitate personæ, diuisa quod absit erit deitas in tribus illis personis, & iam non erit indiuidua Trinitas, quæ propter vnam eandémque indiuisibilem deitatem, id est substantiam & naturam, inseparabilis etiam in personis sensu est intelligenda, sicut Augustinus & ceteri orthodoxi doctores dicunt. Vnde constantissimè catholica fides prædicat deitatis vnitatem in trinitate personarum, & trinitatem personarum in vnitate deitatis venerari debere. Quoniam sicut singillatim vnamquamque personam Deum & Dominum plenum ac perfectum, & quicquid substantialiter dici de Deo potest, propter vnam eandémque deitatem, quæ tota in singulis est personis, confiteri Christiana veritate compellimur, ita tres Deos vel Dominos dicere, propter vnam eandémque deitatem, sanctæ videlicet Trinitatis vnitatem, quæ tota & indiuisa atque inseparabilis simul est in tribus sanctæ Trinitatis personis, catholica religione prohibemur. Plura siquidem & horum & aliorum catholicorum doctorum hinc testimonia hîc possemus congerere, nisi hæc tantùm ad demonstrandam veritatem credidissemus sufficere. Nam & Leo sanctæ catholicæ & Apostolicæ sedis Pontifex istorum duntaxat, qui eum tempore & si non loco præcesserunt vel merito, pauca numerò, sed magna auctoritatis & rectæ fidei genio, testimonia Leoni Augusto ad confirmandam fidem catholicam credidit mittenda sufficere. Quapropter Gothescalci sententia dicentis, & vel quid dicat non intelligentis, vel scienter errantis, séque suis verbis apertissimè impugnantis, sic naturaliter vnam & personaliter trinam esse deitatem, sicut naturaliter vnus est Deus & personaliter trinus, tantorum & talium testium aucto-

Ioan. 16. 27.

Ep. XCVII.

ritate falsissima esse reuincitur, & iam secundùm sacros canones Africanos ipse ad alia falsiloquia proferenda, vel quæcumque sententia sua falsa ad audiendum non debet admitti, præsertim cùm scriptum sit, *In ore duorum vel trium testium omne verbum consistere debere.* Et sacri Nicæni canones neophytum Episcopum, si circa huiusmodi personam aliquod delictum animæ reperiatur, à duobus vel tribus testibus iuxta Apostolum redargutum à clero præcipiunt abstinere. Multo magis autem os hæretici, quem post *primam & secundam correptionem vitari iubet Apostolus*, debet modis omnibus oppilari. Hoc namque sacrum Nicænum Concilium, non adinuentione humana, sed inspiratione & auctoritate diuina constituit. Hoc omnia sancta concilia post illud habita, scilicet Antiochenum, Sardicense, Ephesinum primum, Chalcedonense, & vniuersa prouinciæ Africæ concilia confirmauerunt. Hoc omnium catholicorum sacræ noui ac veteris Testamenti scripturæ tractatorum, ex eisdem scripturis protestantur eloquia, vt quicumque vult saluus esse, tres sanctæ Trinitatis personas patrem, & filium, & Spiritum sanctum, ὁμοούσιον, id est, eiusdem essentiæ, substantiæ, deitatis, diuinitatis, naturæ, vel vnam essentiam, substantiam, deitatem, diuinitatem, naturam inseparabilem atque indiuisibilem credat & confiteatur, ita vt singillatim vnamquamque personam verum, plenum, perfectúmque Deum, & totas tres simul personas vnum, verum, plenum, perfectúmque Deum credat & confiteatur, quia patris & filij & Spiritus sancti vna est deitas, quæ trinitatis est vnitas. & hac vnitate, id est deitate, quæ trina esse non potest, quoniam pluralitate & numero qui in personis est caret, vnus Deus, sancta Trinitas inseparabilis etiam in personis distinctis sensu est intelligenda. In hac fide secundùm traditionem Domini omnes fideliter baptizantes baptizant, & omnes fideles baptizantur, & fiunt Christiani per vniuersum mundum. Sola pseudosynodus Ariminensis hanc Trinitatis consubstantialitatem Arrij secuta dementiam fraude abiecit, & ob id ex tunc & nunc, & vsque in æternum, sententiam damnationis promeruit. Ergo quia, vt sanctus Cælestinus dicit, non est agentium causa solorum, vniuersa Ecclesia quacumque nouitate pulsatur, oportet vt & aduersum eos, qui hanc vetustissimam & perniciosissimam hæresim, multorum fortissimorum bellatorum sudore deuictam, & cælesti mucrone peremptam, rediuiuo furore conantur resuscitare trinam deitatem dogmatizantes, non nouo sed sempiternæ deitatis, quæ est vnitas trinitatis, æterno iudicio proferatur primi capituli sententia sessionis octauæ quintæ Synodi centum & quinquaginta trium Episcoporum, sub Iustiniano Imperatore, & Vigilio Papa, Constantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos habitæ: qui in principio decem & octo capitulorum à se subscriptorum posuerunt decernendo dicentes, Si quis non confitetur patris

Matt. 18. 16

Conc. Nic. can. 2.

Tit. 3. 10.

patris & filij & Spiritus ſancti vnam naturam ſiue ſubſtantiam, & vnam virtutem & poteſtatem, trinitatem conſubſtantialem, vnam deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſiue perſonis adorandam, talis anathema ſit. Vnus enim Deus eſt pater ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia, & vnus Spiritus ſanctus in quo omnia.] Et in epiſtola ſancti Sophronij Hieroſolymitani Epiſcopi ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, à ſexta Synodo receptiſſima, ita ſcriptum eſt, Trinitatem itaque in vnitate credimus, & vnitatem in Trinitate glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentiis, vnitatem autem propter ſingularitatem deitatis. Sicut igitur ſancta Trinitas numerabilis perſonalibus eſt ſubſiſtentiis, ſic ſancta vnitas extra omnem eſt numerum: & hæc quidem indiuiſibilem habet diuiſionem, & inconfuſam gerit coniunctionem. Cùm diuiditur namque numerabilibus ſubſiſtentiis, & numeratur perſonalibus alternitatibus, identitate eſſentiæ atque naturæ coniungitur, & omnimodam partitionem non recipit. Vnitas enim ſingularis & incomputabilis omnem refugit ſecundùm eſſentiam numerum. Vnus enim Deus à nobis enixiùs creditur, quoniam & deitas vna flagranter prædicatur, licèt in Trinitate perſonarum agnoſcatur: & vnus Dominus à nobis enuntiatur, quoniam & dominatio vna firmiter agnoſcitur, licèt in tribus ſubſiſtentiis demonſtretur. neque ſecundùm quod vnus eſt Deus, & vna eſt deitas, eſt diuiſibilis & in tres Deos partibilis, vel in tres deitates producendus: neque ſecundùm quod vnus eſt Dominus, diſtans eſt, & in tres dominos expandendus eſt, ac in tres dominationes dilatandus eſt. Arrianorum hæc eſt impietas, quæ in inæquales deos vnum concîdit Deum, & in diſſimiles deitates vnam partitur deitatem, & in alterigenas tres dominationes vnam diſtinguit dominationem.] *& item*, Quemadmodum igitur vnum Deum didicimus ſapere, ita vnam deitatem confiteri percepimus: & ſicut tres ſubſiſtentias exorare didicimus, ita & tres glorificare perſonas inſtruimur. non alium vnum Deum præter tres cognoſcentes perſonas, neque præter tres perſonas conſubſtantiales Trinitatis, quæ ſunt pater & filius & Spiritus ſanctus, alteras præter vnum Deum agnoſcimus. Et idcirco vnum hæc tria in quibus eſt deitas prædicamus, & tria vnum quorum eſt deitas annuntiamus, ſiue quod eſt accuratiùs ac manifeſtiùs dicere, quæ Deus eſt atque cognoſcitur. Hoc ipſum quippe & vnum eſt, & tria creditur, & tria prædicatur, & vnum veraciter annuntiatur: & neque vnum quatenus vnum eſt, tria recipitur, neque tria ſecundùm quod tria ſunt, vnum aduertitur, quod eſt & mirabile, & omni certè plenum ſtupore eſt. Hoc ipſum namque & numerabile eſt, & refugit numerum. Numerabile quidem tribus ſuis ſubſiſtentiis, refugit autem numerum ſingularitate deitatis. Vnitas quippe eius eſſentiæ atque naturæ numerari penitùs non admittit, vti non & differen-

Synodi V. Act. VIII. cap. I.

Synodi VI. Act. XI.

Poſt alia.

Post aliquanta.

tiam deitatis introducat, & ex hoc essentiæ & naturæ, & Deorum multitudinem vnum principium faciat.] *& item*, Deus quidem est pater, Deus verò est filius, similiter & Deus est & Spiritus sanctus, eo quòd indiuisè & indiminutè eædem tres personæ vnâ impleantur deitate, & in vnaquaque earum funditus tota est. Nam deitas diuisionem non sustinet, & in tribus ipsis personis plenificè atque perfectè est, non partibiliter siue ex parte easdem implens personas, sed in vnaquaque existens plenissima, & vna permanens, licèt in tribus personis monstretur, & ad Deorum multitudinem non excurrens, licèt in tribus sit subsistentiis, vt non corporalem quandam sustineat sectionem, quæ certè est impassibilis, & incorporea, & pati nesciens quæ creaturæ sunt propria.] De hac epistola sextum sanctum Concilium in actione decima tertia dicit, Pertractauimus, inquiens, & Synodica venerabilis memoriæ quondam Archiepiscopi sanctæ Dei Hierosolymorum ciuitatis, & hæc reperientes cum vera fide conuenientia, Apostolicísque sanctorum atque probabilium Patrum doctrinis paria, vtpote quæ sunt orthodoxa, recepimus, & vt salubria sanctæ catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ suscepimus, & nomen eius inseri in sanctis dypticis sanctarum Ecclesiarum iustum esse iudicauimus.] Similiter & in epistola Agathonis Papæ ad iuniorem Constantinum Imperatorem missa scriptum est, Vt, inquit, vestræ diuinitùs institutæ pietati quid Apostolicæ nostræ fidei vigor contineat breuiter intimemus, quam percepimus per Apostolicam Apostolicorúmque Pontificum traditionem, & sacrarum quinque generalium Synodorum, per quas fundamenta catholicæ Christi Ecclesiæ firmata atque stabilita sunt. Hic igitur status est Euangelicæ atque Apostolicæ nostræ fidei regularísque traditio, vt confitentes sanctam & inseparabilem Trinitatem, id est patrem & filium & Spiritum sanctum, vnius esse deitatis, vnius naturæ & substantiæ siue essentiæ, vnius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis, & gloriæ. & quicquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur, singulari numero tanquam de vna natura trium consubstantialium personarum comprehendamus regulari ratione hoc instituti.] Sed & in Synodica ipsius Agathonis Papæ, confirmata in Romana Synodo à centum viginti quinque Episcopis, & per vicarios eius ad sextam Synodum centum quinquaginta Episcoporum Constantinopolim missa, scriptum est, Sola est, inquit, nostra substantia fides nostra, cum qua nobis viuere summa est gloria, pro qua mori lucrum æternum est. Hæc est perfecta nostra scientia, vt terminos catholicæ atque Apostolicæ fidei, quos vsque hactenus Apostolica sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis custodia conseruemus, credentes in Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, & in filium eius vni-

Non longè à principio

Synodi VI. Act. IV.

Synodi VI. Act. IV.

genitum, qui ante omnia sæcula ex eo natus est, verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum non factum, consubstantialem patri, id est eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cælo & quæ in terra: & in Spiritum sanctum dominum & viuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio coadorandum & conglorificandum: trinitatem in vnitate, & vnitatem in trinitate, vnitatem quidem essentiæ, trinitatem verò personarum, siue subsistentiarum. Deum patrem confitentes, Deum filium, Deum Spiritum sanctum. Non tres Deos sed vnum Deum, patrem & filium & Spiritum sanctum: non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum vnam substantiam, quorum vna essentia, siue substantia, vel natura, id est vna deitas, vna æternitas, vna potestas, vnum imperium, vna gloria, vna adoratio, vna essentialis sanctæ & inseparabilis Trinitatis voluntas & operatio, quæ omnia cõdidit, dispensat, & continet.] Quæ ita, vt verbis vtamur ipsius sextæ Synodi, cum quinque antè habitis sanctis Conciliis prædicabiliter receptissima, & inrefragabiliter credenda atque tenenda, in actione XVIII. confirmata sunt. Excitauit igitur, inquiens sexta Synodus, Christus Deus noster fidelissimum Imperatorem, nouum Dauid virum secundùm cor suum inueniens, qui non dedit iuxta quod scriptum est, *somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem*, donec per hunc nostrum à Deo congregatum sacrúmque conuentum, ipsam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem. (secundùm enim à Domino editam vocem, *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*) Quæ præsens sancta & vniuersalis Synodus, fideliter suscipiens & expansis manibus amplectens suggestionem, quæ à sanctissimo ac beatissimo Agathone antiquæ Romæ facta est ad Constantinum piissimum ac fidelissimum nostrum Imperatorem, quæ nominatim abiecit eos qui docuerunt vel prædicauerunt, sicut superiùs dictum est, vnam voluntatem & vnam operationem in incarnationis dispensatione domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri adæquè amplexa est & alteram synodalem suggestionem, quæ missa est à sacro Concilio, quod est sub eodem sanctissimo Papa centum viginti quinque Deo amabilium Episcoporum, ad eius à Deo instructam tranquillitatem, vt pote consonantes sancto Chalcedonensi concilio, & tomo sacratissimi & beatissimi Papæ eiusdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus est ad sanctum Flauianum, quem & columnam rectæ fidei huiusmodi Synodus appellauit. Ad hæc & synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt à beato Cyrillo aduersus impium Nestorium & ad Orientales Episcopos. adsecuti quoque sancta quinque vniuersalia Concilia, & sanctos atque probabiles Patres, consonantérque confiteri diffinientes dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum nostrum vnum de sancta & consubstantiali & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in

Synodi VI. Act. XVIII.

Psal. 131.4.

Matt. 18.20

deitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum verè & hominem verè eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem patri secundùm deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem.] Et sic catholicè vsque ad finem percurrentem sermonem confirmauerunt & subscripserunt centum quinquaginta Episcopi, dicentes, His igitur cum omni vndique cautela atque diligentia à nobis formatis, diffinimus aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, componeréve aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui verò præsumpserint fidem alteram vel componere, vel proferre, vel docere, vel tradere, aut symbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis ex gentilitate, vel ex Iudaismo, aut ex qualibet hærese, aut qui nouitatem vocis vel sermonis adinuentionem, ad subuersionem eorum quæ nunc à nobis determinata sunt introducere, hos, si quidem Episcopi fuerint aut clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, clericos verò à clero: si autem monachi fuerint vel laici, etiam anathematizari eos.] *Et subscriptiones*, Theodorus humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi vniuersalis Papæ vrbis Romæ subscripsi. & deinceps per ordinem singuli. & per acclamationem more suo, sicut & in Conciliis aliis legimus, anathematizauerunt omnes hæreticos, & omnes qui suffragantur hæreticis. Inter quos omnes anathematizati sunt & Prædestinatiani, quorum hæresis, auctoritate Papæ Cælestini ex delegatione ipsius, per sanctum Prosperum in Galliis est reuicta. Et in Edicto Constantini Imperatoris, quod petentibus Episcopis ad confirmationem istius sextæ Synodi fecit & confirmauit, ita scriptum est, Credimus in Patrem, & filium, & Spiritum sanctum: Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, vnam substantiam in tribus subsistentiis. Vnitatem quidem propter naturalem vnionem ac dominationem: Trinitatem verò propter trium subsistentiarum perfectionem, & diuitias superexistentis bonitatis. Vnitas quippe verè est Trinitas, quia vnita est deitate, & Trinitas verè est vnitas, diuisa proprietatibus, & non dispertita æternitate: Ipsa enim sibimet consempiterna est, & essentia æqualis honoris est. Nec enim extitit sæculum, quando cum patre non erat & filius. cuius vtique vocabatur pater, si non simul cum eo erat sine principio filius? Nec erat quando non erat cum vtrisque Spiritus sanctus. Vnus igitur hæc tria Deus, quæ inuicem cum sola singillatim differentia in communitate essentiæ inseparabiliter discernente vnamquamque personam intelliguntur. Solus proinde pater pater est, solus filius filius, solus Spiritus sanctus Spiritus sanctus. His etenim differentiis non conuertuntur ad inuicem. Sed in his quidem inseparabiliter diuiduntur: communicant autem essentiæ vnitate, Trinitas simplex, & impartita atque incomposita. ex tribus perfectis, ex seipsa perfecta & superperfecta, vna natura atque deitate, & vna volun-

Sextæ Synodi Act. XVIII.

tate vnáque operatione glorificanda. Quorum enim vna natura est, horum & voluntas & operatio vna est, sicut nos docuit Dei cultor Basilius.] *& in fine ipsius edicti*, Vnus, inquit, Dominus, vna fides, vnum baptisma, vna in Deo nunc est Ecclesia. Si quis igitur Christi amator est, & metuit Dominum, optatámque salutem desiderat, hanc fidem orthodoxam teneat. nec enim erit per aliam fidem saluatus. Si quis verò hominum quidem personis gratiam exhibet, caritatis autem in Deum æmulatorem se non demonstrat, præsentémque piam nostram constitutionem non recipit, si quidem Episcopus est, vel clericus, aut monachico circumdatus est habitu, depositionis pœnam persoluet: si verò in ordine dignitatum insertus est, supplicio proscriptionis multetur, eíque cingulum adimatur: sin autem idioticæ sortis est, ex hac regia omnique penitus ciuitate exteris addicatur, & super hæc omnia terribilis atque inexpiabilis iudicij non effugiet cruciatum.] Quapropter his quæ Gothescalcus, alter videlicet pro modulo suo Simon magus, in scriptis suis frequenter posuit spiritu furioso exagitatus, exaltato corde, & elatis oculis, se mendaciter promittens in mirabilibus super se ambulaturum, petendo vt sibi tria dolia parentur, vnum videlicet dolium plenum feruenti adipe, & aliud plenum feruenti oleo, & tertium plenum bullienti pice, & cùm vicissim in vnumquodque dolium vsque ad collum intrans de illis tribus doliis illæsus exierit, credatur ab omnibus assertio illius esse verissima, qua dicit, præter istam blasphemiam quòd deitas sic personaliter sit trina vt est naturaliter vna, quia sicut Deus electos ad regnum æternum, ita reprobos ad interitum prædestinauit æternum, & non vult omnes homines saluos fieri, nisi tantùm eos qui saluantur, & non est passus nisi tantummodo pro electis, & nullus de iis periet, pro quibus fusus est sanguis Christi, nemo fidelis ac sobrius sensum debet accommodare, præsertim cùm Dominus hinc verbo & exemplo in congressione contra diabolum, dixerit, *Non tentabis dominum Deum tuum*, qui vt omnipotens agere poterat quod diabolus postulauerat, & iste implere non possit quod falsò & inuerecundè confingit. sed Apostolico zelo succensus, contra huiusmodi mortiferas suggestiones, velut antidotum salubre debet corde & ore proferre, Si quis, inquiens, aliter euangelizauerit, præter id quod euangelizatum est à sancto Spiritu per ora supradictorum doctorum & sanctorum Episcoporum in sex præfatis Conciliis, de vnitate deitatis, quæ est vnitas trinitatis, & de omnibus capitulis ad orthodoxam fidem specialiter pertinentibus, quæ catholica & Apostolica prædicat & tenet Ecclesia, anathema sit. Et de his quæ secundùm tramitem scripturarum traditionémque maiorum diffinita sunt, contra Gothescalcum, vel contra quemcumque alium, in quamcunque disputationem intrare nemo debet præsumere, sed damnatus, vt spuria vitulamina in ipsa radice amaritudi-

Matt. 4. 7.

nis, vel exilio, vel ergastulo, separatus à consortio fidelium, ne aliis nocere valeat qui sibi prodesse non volet, sine retractatione malè pertinaciter sentiens debet retrudi, & in ipsa exilij vel retrusionis alligatione perpetua permanere, nisi fortè Deo respiciente resipiscat à diaboli laqueo à quo captus tenetur, ad ipsius misericordissimi & omnipotentissimi domini voluntatem, sicut ex auctoritate Epistolæ magni papæ Leonis ad Pulcheriam Augustam percepimus, in qua scriptum est, De Eutyche, inquit, totius scandali & prauitatis auctore hoc clementia vestra præcipiat, vt ab eo loco qui Constantinopolitanæ vrbi nimis vicinus est longiùs transferatur, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxit, vtatur. monasterio quoque ipsius, cui perniciosè indignéque præsedit, catholicum Abbatem iubete præponi, qui illam seruorum Dei congregationem, & à prauo dogmate liberare, & institutis veritatis possit imbuere.] Quia verò de huiusmodi tanquam de dubiis disputare non debeamus, idem Leo ad Martianum Augustum, Per ipsum, inquiens, dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, vt in præsenti Synodo fidem, quam beati patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicauerunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & quæ olim maiorum sunt auctoritate damnata, rediuiuis nunc non permittatis conatibus excitari, illúdque potiùs iubeatis, vt antiqua Nicænæ synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant.] Et item ad Leonem Augustum dicit, Prænoscat, inquiens, pietas tua venerabilis Imperator, hos quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra illos, à sede Apostolica profecturos: qui de rebus & apud Nicæam & apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, diffinitis, nullum inire audemus tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem paruulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerij nostri præsidium non negamus, & sicut simpliciores non spernimus, ita à rebellibus hæreticis abstinemus, memores præcepti dominici dicentis, *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos.* Nimis quippe indignum, nimísque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus sanctus per Prophetam dicens, *filij alieni mentiti sunt mihi.* qui etiam si Euangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent, de quibus scriptum est, *Deum se profitentur scire, factis autem negant.*] & item ad eundem Augustum dicit, Quæ patefacta sunt quærere, quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?] Beatus quoque Ambrosius in libro primo de Fide ad Gratianum Impera-

Epist. 47

Epist. 45.

Leo ep. 84.

Matt. 7. 6.

Psal. 17. 46.

torem, & ſanctus Auguſtinus in libro contra quinque hoſtium genera, & Agatho Papa, ac Sophronius Hieroſolymorum Epiſcopus, ſimiliter ſentientes, atque Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus dicens, Fugiamus turbulentos & cœnoſos fallaciæ riuos, ſectas Deum impugnantes, Arrij dico furorem, diuidentem indiuiduam Trinitatem in quinta ſynodo ſcribentes, & ſanctus Athanaſius in libris ſuis demonſtrat hæc quæ Gotheſcalcus didicit, videlicet quia ſicut Deus perſonaliter eſt trinus, ſic deitas perſonaliter eſt trina, ſenſiſſe præfatum Arrium & complices eius in ſacra Nicæna ſynodo condemnatos: quos cum omnibus qui contra Symbolum Nicænum ſentire præſumunt, omnia Concilia catholica damnauerunt & damnant. Vnde S. Gelaſius ad vniuerſos Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos, Patres, inquit, noſtri catholici videlicet doctíque Pontifices in vnaquaque hæreſi quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apoſtolica, ſecundùm ſcripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmúmque conſtare, nec in hac eadem cauſa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerunt, ſapientiſſimè peruidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuique liceret iterare, nullum contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iiſdem furoribus recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam ſi limitibus etiam præfixis poſitarum ſemel ſynodalium regularum, non ceſſant eliſæ peſtes reſumptis certaminibus contra fundamentum ſeſe veritatis attollere, & ſimplicia quæque corda percutere, quid fieret ſi ſubinde fas eſſet perfidis inire concilium? cùm quamlibet illa manifeſta ſit veritatis, nunquam deſit quod perniciosa depromat falſitas, & ſi ratione vel auctoritate deficiens, ſola tamen intentione non cedens. Quæ maiores noſtri diuina inſpiratione cernentes, neceſſariò præcauerunt, vt quod acta ſemel ſynodus pro fidei communione, & veritate catholica atque Apoſtolica promulgaſſet, non fineret poſt hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi: ſed auctore cuiuſlibet inſaniæ ac pariter errore damnato ſufficere iudicarũt, vt quiſquis aliquando huiuſmodi erroris cõmunicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus: quoniam manifeſtè quilibet vel profeſſione ſua vel communione poſſet agnoſci.] *& poſt aliquanta*, Quoniam idem ipſe error cum ſuo auctore damnatus in participe quolibet prauæ communionis effecto execrationem ſuî geſtat & pœnam.] His Apoſtolicæ ſedis auctoritatibus conſtat, de hac, ſicut & de omni hæreſi olim reuicta, atque cum ſectatoribus ſuis damnata, non debere iterum diſputari: nec damnatum canonicè Gotheſcalcum ad iudicium reuocari. Qui etiam ſi non ſolùm cum certo & decreto numero Epiſcoporum in cauſa

Epiſt. XI. in principio.

presbyteri vel diaconi, verùm & si pro manifesta hæresi à solo suo Episcopo fuisset damnatus, non deberet de eo refricari iudicium, sicut Gelasius Papa in Commonitorio Fausto Magistro militum Constantinopolim fungenti officio legationis delegato, ostendens rationabiliter à Felice Papa Acacium Constantinopolitanum Episcopum fuisse damnatum dicit, Decessorem, inquiens, meum executorem fuisse veteris constituti, non nouæ constitutionis auctorem, quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed & cuicumque Pontifici.] Et huiusmodi præsumptores, vt Nicænum dicit Concilium, anathematizat catholica & Apostolica Ecclesia. & Constantinopolitanum Concilium, fidem non violandam Patrum trecentorum decem & octo, qui apud Nicæam Bithyniæ conuenerant, & manere eam firmam & stabilem, & anathematizandam omnem hæresim. & sacrum Chalcedonense Concilium, Statuit sancta & vniuersalis Synodus alteram fidem nulli licere proferre, vel conscribere, aut componere, aut sentire, aut docere aliter, eos autem qui ausi sint componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Symbolum volenti vel conuerti, vel ex gentilibus ad cognitionem veritatis venire, vel ex Iudæis, vel hæresi quacumque, eos, si Episcopi fuerint aut clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu & clericos à clero, si verò monachi aut laïci fuerint, anathematizari.] Et hæc omnia venerunt super Gothescalci caput, & nec sic est ad se percutientem reuersus. Bene facient igitur venerabiles fratres nostri monachi viri religiosi, si ita vt scriptum habetur in beati Benedicti regula, quam iureiurando se obseruaturos professi sunt, obedientiam dependentes eidem patri sanctissimo, immo sancto Spiritui qui per eum locutus est, relictis non necessariis superstitiosorum compositionibus, sancti Ambrosij, sicut ipse sanctus Benedictus præcepit, vel nominatissimorum atque orthodoxorum Hymnos, de quibus sufficienter habent, in diurnis ac nocturnis laudibus vsi fuerint, in quibus & catholica fides redolet, & piæ sunt preces, & mirabilis est compositio, ne pro talibus, sicut ex hymni, cuius initium est *Sanctorum meritis inclyta gaudia*, cuiúsque compositorem hactenus inuenire nequiuimus, finalitate, vbi à quibusdam cantatur, vel potiùs blasphematur, *Te trina deitas*, aut scienter aut nescienter scandalum in Ecclesia moueant, quæ aliis multis perturbationibus concutitur & vexatur. scientes quid mereatur, qui suo vitio vnum scandalizauerit. de pusillis credentibus, docente Paulo, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* & necesse sit eos canonica seueritate percelli magnæ Chalcedonensis Synodi, sexcentorum triginta & eo ampliùs Episcoporum, quæ de huiusmodi diffiniuit, qui debentes studere silentio & quieti, interdum etiam zelum Dei habentes sed non secundùm scientiam, Ecclesiastica vel

Ante ep. IX.

Non longè à princip.

Concilium Chalced. Actione V. sub finem.

1. Cor. 8. 12.

ciuilia negotia commouent. præsertim quia ipsa sacra auctoritas canonum, spiritu Dei condita, & totius mundi reuerentia consecrata, in Africano Concilio ducentorum octo Episcoporum, capite septuagesimo primo præcipit, vt non preces aliæ celebrentur, nisi illæ quæ in Concilio cum prudentioribus collatæ fuerint, ne fortè contra fidem, quod absit, in eisdem precibus, quibus fidelis quisque debet Deo conciliari, ab aliquo proferatur, vt audientibus scandalum fiat. Legant etiam horis sibi ad legendum regulariter deputatis orthodoxorum libros, & ab omnibus inuenient contradici vt trina deitas nunquam credatur, nunquam à fideli vt videatur credibile proferatur. Inuenient nihilominus in dictis catholicorum ineptè imperitos quasi ad auctoritatem sumpsisse, quia sicut trinus Deus dicitur, ita & deitas trina dicatur. Pater quippe & filius & Spiritus sanctus idcirco vnus Deus dicitur, quia vna est deitas, quæ Trinitatis est vnitas patris & filij & Spiritus sancti, vt sancta catholica & Apostolica Ecclesia per beatum & magnum Papam Leonem ad Turibium Asturicensem Episcopum breuiter confirmando explanat, & explanando confirmat dicens, Hanc catholicæ fidei esse confessionem, quæ Trinitatem deitatis sic ὁμοούσιον confitetur, vt patrem & filium & Spiritum sanctum sine confusione indiuisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat æquales, quia vnitatem in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia.] Qui autem non solùm absurdè, sed & infideliter dicunt, quia trina dicenda est deitas, eo quòd singulus quisque in tribus personis, pater videlicet sit Deus, filius sit Deus, Spiritus sanctus sit Deus, ac per hoc in patre pleno & perfecto Deo plena & perfecta sit deitas, in filio pleno & perfecto Deo plena & perfecta sit deitas, in Spiritu sancto pleno & perfecto Deo plena & perfecta sit deitas: inueniant si possunt quo nomine illa trina deitas dici valeat vna. Si dixerint trina deitas in personis, vna in deitate, non constat: si dixerint, trina deitas in personis vna in substantia vel essentia, siue diuinitate aut natura, nec hoc constare constat esse certissimum. Vnum enim idémque in Deo est natura, substantia, essentia, diuinitas, deitas. Fateantur ergo necesse est, trinum Deum dici in personis, vnum in deitate: & fateantur quòd non trina sed vna sit deitas, quæ Trinitatis est vnitas. Vnde sanctus Ambrosius, sicut in libris suis latiùs, ita breuiter in hymno suo dicit,

Tu Trinitatis vnitas, orbem potenter qui regis.

Et item in alio hymno,

O lux beata Trinitas, & principalis vnitas.

Quod quasi exponens Augustinus in primo libro de sancta Trinitate dicit, Trinitatis enim vnitas est deitas incorporea & incommutabilis, & sibimet consubstantialis, & coæterna natura.] Et Athanasius hanc dixit esse fidem catholicam, vt credatur quia alia

Conc. Afr. cap. LXX.

Leo epist. IV. cap. I.

Cap. VIII.

est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti, sed patris & filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.] Vnde item S. Ambrosius in alio hymno euidenter ostẽdit, quomodo Deus trinus & quomodo vnus credi & intelligi debeat, dicens, *Summe Deus clementiæ, mundique factor machinæ, vnus potentialiter*, quod Augustinus exponit substantialiter, *trinúsque personaliter*. Et S. Gregorius in Homilia Ezechielis, Veteris & noui testamenti spiritales patres tres sanctæ Trinitatis personas vnius deitatis credidisse & prædicasse, & Angelica in cælo agmina incessabiliter clamare fatetur.] His ergo perpensis, discernant honorabiles fratres nostri monachi, vtrum melius sit blasphemare cum Gothescalco & Ratramno, dicendo *Te trina deitas* in Hymmo, cuius auctorem nesciunt, an credere & cantare cum summis cælorum virtutibus, & cum beatorum spiritibus, & cum omnibus sanctis viris catholicis, in tribus personis vnam deitatis substantiam, id est deitatem. Videant etiam vtrum debeant sequi blasphemias Gothescalci, quas de corde suo, vel potiùs maligno spiritu inspirante, mendacissimè protulit, & figmenta Ratramni, quæ falsò composuit de libris beati Hilarij & sancti Augustini, impugnando veritatem, vt deitas trina dicatur, an veritatem Spiritus sancti, qui locutus est per sanctos prophetas, & Apostolos Apostolorúmque successores, dicentes & confirmantes, quia tres sunt sanctæ Trinitatis personæ, & vna deitas, quæ trinitatis est vnitas. Nam sanctus Augustinus in primo libro de Trinitate, quasi ad Ratramnum specialiter confutandum, qui de eius libris suum mendacium quòd Trina dicenda sit deitas compilando voluit solidare, ipsum fidei lapidem posuit, super quem Christus videlicet manu fortis suam fundauit Ecclesiam, & quo Goliam designantem diabolum, cuius insania omnes antichristi, id est hæretici, repleti loquuntur, in fronte percussit, pro se & pro omnibus catholicis, quorum libros de fide sanctæ Trinitatis legerat, contra istum protulit dicens, Omnes, inquit, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quæ Deus est, diuinorum librorum veterum & nouorum catholici tractatores hoc intenderunt secundùm scripturas docere, quòd pater, & filius, & Spiritus sanctus vnius eiusdémque substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem, ideóque non sint tres dij, sed vnus Deus.] Attendant igitur venerabiles fratres nostri monachi viri religiosi, quod idem B. Augustinus in IX. libro de Trinit. dicit, De credendis, inquiens, nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus: in illis est auctoritas tenẽda, in his veritas exquirenda.] Exquirant ergo per catholicos doctores hanc veritatẽ qualiter sentire debeãt de Trinitatis deitate, videlicet de sanctæ Trinitatis vnitate, & catholicam teneant auctoritatem, & non sequantur malè sentientium prauitatem, nec defendant pertinaciter, siquid hactenus non senserunt fideliter, sed audiant & exaudiant B. Augustinum, quem-

Hom. XVI.

Lib. I. de Trin. cap. 4

Cap. I.

cumque nostrûm monentem in tractatu psalmi centesimi trigesimi, In fine. Si fortè, inquit, erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? quia si non extollimini, quia si non exaltatis cor vestrum, quia si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed seruatis humilitatem, reuelabit vobis Deus quod aliter sapitis. si autem hoc ipsum quod aliter sapitis defendere vultis, & pertinaciter adstruere, & contra pacem Ecclesiæ, fit vobis maledictum hoc quod dixit *super matrem* cùm estis, vt foris à lacte separemini, foris à visceribus matris fame moriamini. Si autem perseueraueritis in pace catholica, si quid fortè aliter sapitis quàm oportet sapere, Deus vobis reuelabit humilibus. Quare? quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.] Et quia de cetero nescienter errare non poterunt, timeant quod idem egregius doctor in quarto libro de baptismo dicit, Cap. v. Cùm manifestum sit, inquit, multo grauiùs peccare scientem quàm nescientem, vellem mihi aliquis diceret, si quis in hæresim incurrat nesciens quantum malum sit, & alius ab auaritia non recedat sciens quantum malum sit, quis eorum sit peior. Possum etiam ita proponere, si alius nesciens in hæresim irruat, & sciens alius ab idololatria non recedat, quia & Apostolus dicit, *auaritia quæ est idolorum seruitus:* Ephes. 5. 5. quæro ergo quis peccet grauiùs, qui nesciens in hæresim incurrit, Post pauca. aut qui sciens ab auaritia, id est ab idololatria non recesserit. Secundùm quidem illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantiæ præponuntur, auarus cum scientia vincit in scelere. Sed ne fortè hoc fiat facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio, vt hæreticus nesciens auaro scienti coæquetur, amborum peccata æqualiter appendantur, ignorantis blasphemia, & scientis idololatria, & eadem sententia iudicentur, ille qui Christum quærendo in verisimilem sermonem falsitatis incurrit, & ille qui nesciens Christo resistit loquenti per Apostolum, *Quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.*] Ephes. 5. 5. Nemo igitur catholicus contra auctoritatem, nemo pacificus contra Ecclesiæ pacem certare audeat, ne schismaticus & non catholicus inueniatur, & à Christi corpore separetur. Admonendi sunt ergo subditi ab Ecclesiæ sanctæ præpositis, vt sacræ legis verba rectè intelligant, & si per se intelligere non potuerint, iuxta præceptum diuinæ auctoritatis, *interrogent patres suos & adnuntiabunt illis, maiores suos & docebunt illos.* Deut. 32. 7. & qui sacræ legis verba non rectè intelligunt, admonendi sunt, secundùm regulam pastoralem B. Gregorij, Parte III. cap. 25. vt perpendant quoniam saluberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere se mortali feriunt, dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscindere sauciata debuerunt. Admonendi sunt vt perpendant, quòd scriptura sacra in nocte præsentis vitæ quasi quædam nobis lucerna sit posita, cuius nimi-

rum verba, dum non rectè intelligunt, de lumine tenebrescunt. quos videlicet ad intellectum prauum intentio peruersa non raperet, nisi priùs superbia inflaret. Dum enim se præ ceteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad meliùs intellecta despiciunt: atque vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere, & ab aliis rectè intellecta destruere, & sua peruersa roborare. Vnde bene per prophetam dicitur, *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* Galaad namque aceruus testimonij interpretatur. Et quoniam cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem seruit testimonio veritatis, non incongruè per *Galaad* Ecclesia exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæque sunt vera testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex diuino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum verò suum dilatare est, opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum: quoniam nimirum hæretici mentes fidelium, quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, peruersa prædicatione perimunt, & scientiæ sibi nomen extendunt. Paruulorum corda, iam de verbi conceptione grauida, erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt. Hos ergo cùm conamur instruere, ne peruersa sentiant, admoneamus priùs necesse est, ne inanem gloriam quærant. Si enim radix elationis abscinditur, consequenter rami prauæ assertionis arefiunt. Admonendi sunt etiam, ne erroris discordias generando legem Dei, quæ idcirco data est vt sacrificia Satanæ prohibeat, eandem ipsam in sacrificium Satanæ vertant. Vnde per prophetam Dominus queritur, dicens, *Dedi eis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui eis & aurum, quæ fecerunt Baal.* Frumentum quippe à Domino accepimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ, per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum nobis Dominus præstat, cùm scripturæ suæ attenta prædicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cùm præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat, cùm nobis luce veritatis plena eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt, quoniam apud auditorum suorum corda corruptè omnia intelligendo peruertunt, & de frumento Dei, vino atque oleo, argento pariter & auro, Satanæ sacrificium immolant, quoniam ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Vnde admonendi sunt vt perpendant, quia dum peruersa mente deceptis pacis discordiam faciunt, iusto Dei examine ipsi de verbis vitæ moriuntur.] Docendi sunt etiam, vt non ignorent neque contemnant decreta magni Leonis Papæ ad Anastasium Antiochenum Episcopum, in quibus scriptũ est quod Apostolica &

Amos 1. 15.

Osee 2. 8.

Epist 62. cap. 6. ad Maximum Antioch.

generalis Synodi auctoritate constituit, Illud inquiens dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos qui sunt domini sacerdotes, nullus sibi docendi & prædicandi ius audeat vindicare, siue ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. quia & si optandum est, vt omnes Ecclesiæ filij quæ recta & sana sunt sapiant, non tamen permittendum est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat, cùm in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.] Debent ergo fratres ac filij nostri monachi, viri religiosi, attendere professionis suæ regulam, in qua scriptum est, Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla: &, Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens, vsque ad interrogationem non loquatur. Si autem necessitas docendi parrochiam exegerit vt per sacerdotes monachos verbum fiat ad populum, Episcopus & sanitatem sensus, & catholicam fidem, atque religionis disciplinam, & humilitatis virtutem, ac sanctæ conuersationis soliditatem, in eis probare debet, & sic ad doctrinæ officium prouocare. Non prouocati autem, nullatenus hoc quod sibi non iniungitur non debent assumere, & si deprehensi fuerint aut praua docere, aut nociua monstrare, aut de doctrina in aliquo superbire, debent ab eodem officio remoueri, vsque dum per humilitatis satisfactionem inueniantur correcti: quia sic & Spiritus sanctus per os beati Benedicti in regula ab eo constituta, de artificibus monasterij cuiuslibet artis præcipit agere: & si, quod absit, quique reperti fuerint, quoniam, vt scriptum est, & in Angelis reperta est nequitia, qui in contemptus culpa ex consilio ligari maluerint, admonendi sunt ex regula pastorali beati Gregorij, quatenus prouida consideratione perpendant, quia dum mala ex iudicio faciunt, districtiùs contra se iudicium accendunt, vt tanto eos durior sententia feriat, quanto illos in culpa arctiùs vincula deliberationis ligant. Citiùs fortasse delicta pœnitendo abluerent, si in his sola præcipitatione cecidissent. Nam tardiùs peccatum soluitur, quod per consilium solidatur. Nisi enim mens omnimodo æterna despiceret, in culpa ex iudicio non periret. Hac ergo præcipitatione lapsi, per consilium pereuntes differunt, quia cùm hi ab statu iustitiæ peccando concidunt, plerumque simul & in laqueum desperationis cadunt, & à radice spei funditus euelluntur. Hinc est quòd per Prophetam Dominus, non tam præcipitationum praua quàm delictorum studia reprehendit, dicens, *Ne fortè ingrediatur vt ignis indignatio mea & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum.* Hinc iterum iratus dicit, *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.* Quoniam igi-

Parte III. cap. 33.

Hier. 4. 4.

Hier. 21. 14.

tur à peccatis aliis differunt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam praua facta Dominus, quàm studia prauitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia delinquitur, in studiis verò malitiosa semper intentione peccatur. Quo contrà rectè beati viri expressione per Prophetam dicitur, *& in cathedra pestilentiæ non sedit.* Cathedra quippe iudicis esse vel præsidentis solet. In cathedra autem pestilentiæ sedere est ex iudicio praua committere, & ex ratione mala discernere, & tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in peruersi consilij cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, vt implere malum etiam per consilium conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Admonendi sunt ergo, vt hinc colligant qui in culpa se etiam per consilium ligant, quanta tunc vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socij sed principes fiunt.] Denique si quod absit aliquis de fratribus nostris hinc pro finalitate Hymni, vnde absque vlla necessitate exorta est ista ceruicosa contentio, trinam deitatem defendendo, vel de prædestinatione sanctorum & relictione reproborum, vel quòd Deus non vult omnes homines saluos fieri, & non sit pro omnibus Christus passus, cùm dicat Paulus Apostolus, *Deus omnes homines vult saluos fieri*, & Petrus, quia *neminem vult perire.* & ipse Dominus per Prophetam, *Viuo ego, quia nolo mortem peccatoris*, cùm iuxta Apostolum omnes peccauerint. & ad Hierusalem Dominus, *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* & item Paulus, *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* & contra doctrinam Apostolicam de baptismatis sacramento, in quo nulla est discretio renatorum, pro quibus capitulis contra catholicam fidem, & doctrinam beati Augustini in libro de Correptione & Gratia, & de Prædestinatione sanctorum, ac Bono perseuerantiæ, atque Hypomnesticon, & contra decreta sancti Cælestini Papæ; ex cuius delegatione beatus Prosper hinc exortam hæresim per auctoritatem scripturarum & doctrinam beati Augustini reuicit & compressit in Galliis, contráque ceterorum orthodoxorum traditionem sentiens condemnatus est Gothescalcus, vel de omnibus, quæ Apostolicæ sedis & sex generalium Synodorum auctoritate diffinita sunt, deinceps dogmatizare, & inreuerentiùs in sua obstinatione permanere præsumpserit, vindictæ canonicæ subiacebit. Nemo ergo plus sibi arroget sapere quàm oportet sapere, cùm scriptum sit, *Sicut qui mel multùm comedit non est ei bonum, ita qui scrutator est maiestatis opprimitur gloria.* &, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et quia valdè est difficile, vt beatus exponit Gregorius, vt omne sacrum eloquium à nobis mortalibus possit intelligi, &

Psal.1.1.
1.Tim.2.4.
Matt.23.37
2.Cor.5.14
Prou.25.27

omne eius mysterium penetrari, restat vt quod de mysterio diuini verbi penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reseruemus, vt non superbè quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare quod non intelligit, sed hoc igni tradat, cùm sancto Spiritui reseruat. Credat tamen indubitanter, vt Augustinus explanat, quod sermo diuinus dicit, ad cuius mysterium penetrare intelligendo non sufficit: quoniam, vt beatus Cælestinus in decretis suis dicit, profundiores, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.] At si quis hanc commonitionem nostram, auctoritate scripturarum & orthodoxorum Ecclesiæ præpositorum fultam, non obaudierit, quoniam sacri Antiocheni canones, spiritu Dei conditi, & vt Leo dicit, totius mundi reuerentia consecrati, decernunt perfectum esse Concilium, vbi Metropolitanus cum suis Suffraganeis interfuerit.] & item S. Leo ad Maximum Antiochenum Episcopum scribit, Quidquid inquiens præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest habere diiudicandi rationem, si nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.] Et sacri Nicæni canones, eósque sequentes Antiocheni & Chalcedonenses, huiusmodi quæstiones, quæ per prouincias oriuntur, iubent discutere, & si quæ fortassis emerserint in prouincialibus Synodis singula quæque corrigere. Agathense Concilium capite trigesimo octauo decreuit, dicens, Monachos, quos verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coërceri.] Quod & sancta regula, eodem Spiritu sancto, quo & sacri canones in venerandis Conciliis, per os beati Benedicti promulgata, secundo capitulo iubet. indisciplinatos scilicet & inquietos duriùs arguere, & improbos, & duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërcere, sicut scriptum est, Stultus verbis non corrigitur, & percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Memores igitur promissionis suæ doctrinam communis patris nostri beati Benedicti sequantur, qui in sexto regulæ capitulo ex prophetico testimonio dicit, Si inquiens à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Quid enim peius potest dici, quàm fidei symbolum à Christo traditum, & ab Apostolis Apostolorúmque successoribus prædicatum, in magno Nicæno Concilio mystico sacerdotum numero confirmatum, pestilentissimè, pertinaciter, & ex studio violare atque conuellere, cùm scriptura dicat, *Sine fide impossibile est placere Deo?* Et quia in tam maxima causa, quæ illa magni Petri rectæ confessionis petra est, supra quam Dominus fundauit Ecclesiam suam, cui

Post epist. VIII. in fine

Can. XVI.

Epist. LXVI. sub finem.

Can. 31.

dedit claues regni cælorum, omniúmque bonorum est fundamentum, ignoranter non valent offendere, si per contemptum deinceps offenderint, quod dicimus satis inuiti, quem non correxerint verba, suscipient verbera, & cum gradus priuatione, atque à corporis & sanguinis Christi separatione, vt Gothescalcus pertinacissimus damnatus est, condemnabitur exilij vel ergastuli relegatione. quatenus sicut Apostolicæ sedis statuta decernunt, qui contra statuta tenere tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinæ, & cum eo habeat partem cuius sequi delegit errorem. Sed & regula sanctæ professionis monachorum capitulo vigesimo sexto decernit, vt talibus se quolibet modo inconsultè coniungens sortiatur excommunicationis vindictam. Vnde scire fideliter quisquis fidelis debet, quoniam licèt aut præpositorum Ecclesiæ scientiam latens, aut desidiam vel negligentiam, seu eludens, aut potestatem modo quolibet subterfugiens, ab his iudicialibus sententiis à Spiritu sancto, qui scrutatur etiam profunda Dei & replet orbem terrarum, decretis ante oculos humanos euaserit, in conspectu tamen Dei, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, & qui fecit quæ futura sunt, per eorum iudicia quibus dixit, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*, &, *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, quíque in cælo cum eo regnant, & in terris miraculis coruscant, & vt beatus Leo scribit, adhuc nobiscum in suis constitutionibus viuunt, permanens in pertinacia sua ligatus exibit de isto sæculo, nisi per dignos pœnitentiæ fructus Ecclesiasticæ communioni Episcopali auctoritate fuerit restitutus. Pontificalis verò auctoritas, & regia potestas, necnon & quique præfecti Ecclesiæ, id est presbyteri & monasteriorum rectores, pro certo sicut credimus sciunt ex sacra lectione, vbi inter alia desidiam Heli sacerdotis erga peccatores filios suos terribiliter multatam legunt, & scriptum de quodam rege inueniunt, *Quia dimisisti*, videlicet sine vltione debita, *virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* sicut sanctus Gregorius ad Eusebium Archiepiscopum scribit, Qui non corrigit resecanda, committit.] Et sanctus Augustinus ex sententia beati Pauli Apostoli, qua dicit, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite*, in sermone de verbis Euangelij eodem sensu explanat, Non inquiens negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscumque modis potestis agite, ne cùm inuenitis in scripturis & in exemplis sanctorum, siue qui antè, siue qui post aduentum in hac vita fuerunt, quòd mali bonos in vnitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigen-

Matt. 10. 20
Ioan. 20. 22
3. Reg. 20. 42.
Lib. VII. epist. 6.
Ephes. 5. 11
Serm. XVIII

rigendos malos. Duobus modis non te maculat malus, si non consentias & redarguas, hoc est non communicare, non consentire & quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, *Magis autem*, inquit, *& redarguite*. Non ergo consentientes sitis malis, vt non approbetis: neque negligentes, vt non arguatis: neque superbientes, vt insultanter arguatis.] Et item ex Sermone de verbis Euangelij, exponens Apostolum dicentem, *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus*, Quid est, inquit, exire inde, nisi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro vniuscuiusque gradu atque persona salua pace fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccauit, non tetigisti immundum: redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exegit congruam & quæ vnitatem non violet disciplinam, existi inde.] Et ex Sermone de generalitate eleemosynarum, exponens sententiam, *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem*, Duo, inquit, ista nomina, cùm dicimus homo peccator, non vtique frustra dicuntur. Quia peccator est, corripe: & quia homo est miserere. nec omninò liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio omnis inuigilat disciplina, sicut cuique regenti apta & accommodata est, non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti prouinciam suam, regi regenti gentem suam. Omnes hi, cùm boni sunt, eis quos regunt bene vtique volunt. Et serui iuxta impertitam ab vniuersorum Domino potestátem, qui etiam regentes regentes regit, dant operam vt iidem ipsi quos regunt, & conseruentur homines, & pereant peccatores. Ita implent quod scriptum est, *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem*, ne hoc in illo saluum quod peccator est velint. *Et impiis & peccatoribus redde vindictam*. Et hoc ipsum quòd impij & peccatores sunt, deleatur in eis. *Benefac humili*, propter hoc quod humilis est, *& ne dederis impio*, propter hoc quod impius est, *quoniam & altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam*. Qui tamen, quia non solùm peccatores & impij verùm etiam & homines sunt, facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ita nulli homini claudenda est misericordia, nulli peccatori impunita peccata relaxanda sunt.] Et in Tractatu Psalmi centesimi vigesimi noni, Quisquis consenserit peccatori, non alienis sed suis grauatur. Consentis enim, & peccatum alterius tuum fit peccatum, & non est quare queraris quòd te peccata aliena premant. premunt te, sed tua.] Et in libro de Correptione & Gratia, Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum est, tunc potiùs malum pro malo reddi, si corripiendus non corripiatur, sed praua dissimulatione negligitur. Dicit enim, *Peccantes coram omnibus corripe, vt ceteri timorem habeant*. Quod de his

2.Cor.6.17.

Incipit; Sunt qui existimant.

Eccli.12.4.

In fine lib.

1.Tim.5.20

peccatis accipiendum est quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Verumtamen & ipse seueritatem correptionis eo vsque perducit, vt dicat, *Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*] Quia pastoralis necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil impossibile ipsa forsitan separatione sanandam. Vnde etiam formam regiæ potestati sanctus Leo ad Leonem Augustum scribens hoc modo demonstrat, Cùm, inquiens, clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui inluminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non ad solum mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata restituas. Sacerdotalem namque & Apostolicum tuæ pietatis animum etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere, quod Constantinopolitanæ Ecclesiæ puritatem pestilenter obscurat, in qua inueniuntur clerici quidam hæreticorum sensui consonantes, & intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis hæreticos adiuuantes. In quibus deturbandis, si frater meus Anatolius cùm nimis benignè parcit segnior inuenitur, dignamini pro fide vestra etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt tales non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur, ne vlteriùs sancti Dei populi peruersorum hominum contagio polluantur.] Nos quoque pastores & doctores nobis commissarum plebium, & Episcopi ac gubernatores Ecclesiæ, atque monasteriorum rectores, qui vocantur Abbates, ad nosipsos redire debemus, & diligenter attendere, quia si inebriatus est gladius Dei in cælo, & vt magnus Petrus dicit, *Si Angelis peccantibus Dominus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reseruari*, nec nobis parcet fide & actibus à se apostatantibus, sicut nec sacra Concilia, vt in eis valemus relegere, pepercerunt Episcopis etiam nominatissimarum sedium, videlicèt Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, Constantinopolitanæ, Nicomediæ. Insuper & Honorium magnæ Romæ Papam, quia contra fidem sensisse, & prauè sentientibus consensisse detectus ac euidentissimè comprobatus est, sicut in sexta Synodo inuenitur, etiam post mortem anathematizauerunt, in hoc sæculo manifestata culpa, iusto Dei concordantes iudicio, quod iam egerat in occulto. Nam si idem Honorius hoc in præsenti sæculo non meruisset, & cum ipso merito de hoc sæculo non exisset, sibi potiùs quàm illi nocerent maledictum iaculantes, non iudicio iustitiæ, sed liuore, vel temeritate. sicut bona facta pro defunctis suis potiùs eis prosunt qui illa faciunt, quàm illis pro quibus fiunt: si tamen ipsi defuncti in hac vita non meruerunt, vt eis in illa vita

Matt. 18. 15.
Leo ep. 81.
Post alia.
2. Pet. 2. 4.
Synodi VI. Act. XIII.

ſuorum viuentium benefacta prodeſſe præualeant. Legite beatum Auguſtinum in ſententiis Apoſtoli epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, & ſanctum Gregorium hinc Apoſtolicè diſſerentem, Sed & pia mater Eccleſia pro omnibus in Chriſto, id eſt in vnitate catholicæ pacis ac fidei, & in communione corporis ac ſanguinis redemptoris ac ſaluatoris noſtri quieſcentibus, verum & ſingulare ſacrificium offert. quorum derogationem non patitur, vt ſanctus Cæleſtinus ad Gallicanos ſcribit Epiſcopos dicens, Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoque conuenit macerari, quamuis maneat his beatitudo promiſſa, quicumque probantur perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere, quibus quid promittat Dominus in futurum ſequens ſermo declarat.] quoniam ipſorum eſt, inquit, regnum cælorum. Vnde conſtat, vt Felix Papa dicit, & ex epiſtola ſancti Auguſtini ad Bonifacium diſcimus, periculoſum eſſe de eorum meritis iudicare, qui nos iam ad Dominum præceſſerunt, niſi quorum manifeſta ſunt ſcelera, vel à recta fide apoſtaſia, id eſt à Deo diſceſſio, & in eis vſque in finem perſeuerantia.] Illum enim tantùm, ſi etiam non iudicetur ab homine, ſequetur anathema, id eſt à Deo alienatio, qui perſeueranter in vita iſta fide vel operibus manet apoſtata. Quapropter attendentes ſanctæ ſcripturæ ſententias, quibus dicunt, *Medice cura temetipſum*, &, *qui prædicas non furandum furaris*, qui abominaris idola ſacrilegium facis, caueamus qui alios corrigere & docere debemus, vt non ſacrilegè ſacras ſcripturas interpretemur, ſicut Arrius, Macedonius, Neſtorius, & Eutyches agere præſumpſerunt, vnde vltione diuina & cenſura canonica, Arrius in Nicæna, Macedonius in Conſtantinopolitana, Neſtorius in prima Epheſina, Eutyches apud Chalcedonam, cum omnibus eorum complicibus & fautoribus ſunt damnati. Caueamus vt ſcripturas non detruncemus, nec quiddam in eis, ad concinnandum confirmandúmque mendacium, propter noſtram ſtatuendam ſententiam, contra catholicam fidem interponamus, & inueniamur contra Paulum Apoſtolum adulterantes verbum Dei. Reuereamur etiam ne veniat ſuper nos quod dicit Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi, *Conteſtor*, inquiens, *omni audienti verba prophetiæ libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Hæc propter infalſatores dixit, non propter eos qui ſimpliciter quod ſentiunt dicunt, in nullo prophetia mutilata vel vitiata. Apocalypſim quippe Ieſu Chriſti tradunt doctores catholici recapitulationem & clauſulam eſſe totius ſanctæ ſcripturæ, & per hoc nomen omnem canonicam intelligi debere ſcripturam, ſicut & hoc quod ibidem ſcriptum eſt *teſtimonium Ieſu* interpretantur ſpiritum prophetiæ veteris ac noui Teſtamenti. Quidquid enim

Epiſt. VIII.

Luc. 4. 27.

Rom. 2. 21.

Apoc. 22. 18

ſpiritus prophetiæ dixit, teſtimonium eſt Ieſu, qui ſicut ſcriptum eſt, *teſtimonium habet à lege & prophetis.* Et ipſe dicit Apoſtolis, ac per hoc omnibus Apoſtolicis viris, qui vel verbo, vel ſcripto, vel etiam recta operatione, aut pro eius nomine paſſione, illi teſtimonium perhibent, *Et vos*, inquiens, *mihi teſtimonium perhibebitis, qui ab initio mecum eſtis.* Sicut & promiſſio illius veridica de omnibus ſuis eſt ritè intelligenda, qua dixit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Cuius teſtimonium, id eſt ſacræ ſcripturæ explanationum ipſiúſque explanatorum, Theodorus in quinta Synodo, & Macarius in ſexta Synodo detractores, & falſitatum appoſitores inuenti atque conuicti, ab Epiſcopali gradu depoſiti, atque cum ſuis complicibus condemnati, & perpetuo exilio ſunt relegati. Timeamus etiam ſententiam ſancti Cæleſtini Papæ, Neſtorio Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcriptam, cui dixit, Itaque, inquiens, quamuis iam frater Cyrillus te epiſtolis ſuis aſſerat conuentum, intelligas volo, poſt primam & ſecundam illius, & hanc correptionem noſtram, quam conſtat eſſe iam tertiam, ab vniuerſitate collegij & conuentu Chriſtianorum prorſus eſſe diſiunctum, niſi mox quæ maledicta ſunt corrigantur, & niſi in eam viam redeas, quam ſe Chriſtus eſſe teſtatur. Malè in hunc arma deſperatione mouiſti, qui te ſuper familiam ſuam velut fidelem prudentémque ſeruum permiſerat antè conſtitui. Periit tibi huius officij beatitudo promiſſa, qui non ſolùm non das cibum in tempore, verùm etiam veneno interficis, quos ille ſuo ſanguine & ſua morte quæſiuit.] Et de his quidem ſatis ſit dictum. Reſtant autem adhuc plura de Gotheſcalci blaſphemiis, contra quæ non diſputatoris officio, ſed ſimplicium prouidentes auxilio, ſicut præcedentia, ſic & hæc quæ ſequuntur de patrum catholicorum dictis collegimus, ne videremur à neſcientibus in reſponſione ad omnes Gotheſcalci nænias defuiſſe: cùm S. Petrus iubeat nos paratos eſſe, quolibet modo pulſemur, ad ſatisfactione omni poſcenti. Denique poſt præmiſſas ſuas in Deum blaſphemias, contra quas ex catholicorum doctorum ſententiis, & generalium Synodorum iudiciis, ſuprà reſpondimus, Gotheſcalcus ſubnexuit dicens,

Ioan. 15. 17. — Epiſt. v.

II.

—*Qui credunt atque dicunt quòd non poſſit auctoritatiuè neque verè dici deitas trina, cernant & legant in libro de ſancta ſynodo, qui ſcriptus eſt in Græco, ſcilicet Conſtantinopoli ſub iuniore Conſtantino, à centum quinquaginta patribus iure damnatos & anathematizatos Arrianos colentes τριθεότητας id eſt tres deitates, & tamen in ipſo conſequenter continetur volumine, in Edicto ſcilicet Conſtantini, conglorificandam trinam deitatem.*

XP. HIC & ipſe ſe redarguit, & compilatorem eſſe oſtendit, quia illum ipſum librum & tres deitates reſpuere, & profiteri trinam deitatem conglorificandam, quaſi receptibiliter dicit. Nam in epiſtola Agathonis Papæ ad præfatum Conſtantinum & conſortes imperij

Synodi VI. Act. IV.

ſui directa, & in eadem Synodo recitata, ita habetur, Hic igitur ſtatus eſt Euangelicæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei, regulariſque traditio, vt confitentes ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, id eſt patrem & filium & Spiritum ſanctum, vnius eſſe deitatis, vnius naturæ & ſubſtantiæ, ſiue eſſentiæ, vnius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maieſtatis, poteſtatis & gloriæ, & quidquid de eadem ſancta Trinitate eſſentialiter dicitur, ſingulari numero tanquam de vna natura trium conſubſtantialium perſonarum comprehendamus regulari ratione hoc inſtituti.] Et item in alia epiſtola eiuſdem Papæ, ad locum eiuſdem Epiſtolæ ita habetur, Trinitatem in vnitate & vnitatem in trinitate, vnitatem quidem eſſentiæ, trinitatem verò perſonarum ſiue ſubſiſtentiarum, Deum patrem confitentes, Deum filium, Deum Spiritum ſanctum non tres Deos, ſed vnum Deum Patrem & filium & Spiritum ſanctum, non trium nominum ſubſtantias, ſed trium ſubſiſtentiarum vnam ſubſtantiam, quorũ vna eſſentia, ſiue ſubſtantia, vel natura, id eſt vna deitas, vna æternitas, vna poteſtas, vnum imperium, vna gloria, vna adoratio, vna eſſentialis eiuſdem ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis voluntas, & operatio, quæ omnia condidit, diſpenſat, & continet.] Et in Epiſtola Sophronij Hieroſolymitani Epiſcopi, ab Apoſtolica ſede & ab eadem Synodo receptiſſima, Trinitatem, inquit, in vnitate credimus, & in vnitate trinitatem glorificamus: trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentiis, vnitatem autem propter ſingularitatem deitatis.] *& item*, Ideo bene à deiloquis ſancitum eſt, vnitatem quidem nos ſapere, vna & ſingulari deitate & identitate eſſentialis atque naturalis dominationis, trinitatem autem tribus inconfuſis ſubſiſtentiis, & diuerſitatem ter numerandæ perſonalis alternitatis.] *& paulo pòſt*, Hoc ipſum quippe & vnum eſt, & tria creditur, & tria prædicatur, & vnum veraciter annunciatur: & neque vnum quod erga vnum eſt tria recipitur, neque tria ſecundùm quod tria ſunt vnum aduertitur.] Et hoc modo pluraliter in eadem Epiſtola idem catholicus doctor explanauit. Et in Edicto ſupraſcripti Conſtantini, quod ad ſuam confirmandam ſententiam Gotheſcalcus commemorauit, ita ſcriptum habetur, Credimus in patrem & filium & Spiritum ſanctum, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, vnam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentiis, vnitatem quidem propter naturalem vnionem ac dominationem, Trinitatem verò propter trium ſubſiſtentiarum perfectionem & diuitias ſuperexiſtentis bonitatis. Vnitas quippe verè eſt Trinitas, quia vnita eſt deitate, & Trinitas verè eſt vnitas diuiſa proprietatibus, & non diſpertita æternitate. ipſa etenim ſibi conſempiterna eſt, & eſſentia æqualis honoris eſt. Nec enim extitit ſæculum, quando cum patre non erat & filius. cuius vtique vocabatur pater, ſi non ſimul cum eo erat ſine principio filius? nec erat

Synodi vi. Act. iv.

Synodi vi. Act. xi.

Synodi vi. Act. xviii.

cum vtrisque Spiritus sanctus. Vnus igitur hæc tria Deus, quia cùm in inuicem intelliguntur, sola singillatim differentia in communitate essentiæ inseparabiliter discernente vnamquamque personam, solus proinde pater pater est, solus filius filius, solus Spiritus sanctus Spiritus sanctus. His etenim differentiis non conuertuntur ad inuicem, sed in his quidem inseparabiliter diuiduntur, communicant autem essentiæ vnitate. Trinitas simplex & impartita atque incomposita ex tribus perfectis, ex seipsa perfecta & superperfecta, vna natura atque deitate, & vna voluntate, vnáque operatione glorificanda. Quorum igitur vna natura est, horum voluntas & operatio vna est, sicut nos docuit Dei cultor Basilius.] Et post plura ipsius Edicti, ita scriptum in nouo codice habetur, Amplectimur sanctas & vniuersales quinque synodos, quæ in Nicæa trecentorum decem & octo patrum, qui aduersus Arrianam consederunt insaniam, qui cooperante trina & conglorificanda deitate sacrum fidei symbolum terminarunt.] Hoc nomen feminini generis adiectiuum ac mobile, quod hîc est impositum *Trina*, à Gothescalco quando præfatus liber in monasterio Altiuillaris, vbi ipse morabatur, ex authentico, quem mihi Petrus Episcopus Aretinus commodauerat, scriptus fuit, adulteratum credimus, sicut multoties ab aliis hæreticis factum legimus. Quoniam alibi ter conglorificanda deitate reperimus, quod idem est ac si Trinitatis conglorificanda deitate dicatur, sicut & in huius libri superioribus demonstratur. Dat quoque nobis certum indicium Gothescalcum falsasse hunc librum, quia per idem tempus quando hic codex in monasterio Altiuillaris scriptus fuit, Ratramnus Corbeiæ monachus, sicut iam longè superiùs diximus, ad Hildegarium Meldensem Episcopum, ex libris sanctorum Hilarij & Augustini de Trinitate, non modicæ quantitatis volumen compilauit, volens asserere trinam esse deitatem, cuius compilatio euidenter compilatoris sui demonstrat mendacium. Sed & liber sancti Augustini contra quinque hostium genera, sicut idem in eodem libro dicit, id est contra Paganos, Iudæos, Manichæos, Sabellianos, & Arrianos, à quodam, qui hinc videlicet quia trina deitas catholicè potest dici contendebat, tunc temporis regi datus fuit, quem comperimus falsatum hoc modo. Nam cùm quadam die haberemus sermonem de vnitate deitatis, patris & filij & Spiritus sancti, inter alia diximus beatum Augustinum multoties in libro quinto de Trinitate dicere, Quod quidquid ad se id est substantialiter de Deo dicitur, singulari numero & de singulis & de tribus simul personis sit efferendum. Quo contra vnus ex his cum quibus inde sermonem habuimus, non contentiosa intentione, sed fortè putans Augustinum ita dixisse, de hoc libro testimonium protulit, dicens quòd veritas essentiale sit nomen, dicente Domino, *Ego sum veritas.* vnde idem Augustinus scripsit, vna & trina veritas. Quod audiens, librum domino regi

Augustini liber falsatus.

Sub finem libri.

datum ab eo accepi, & perlegens inueni, ab eo loco ipsius libri, vbi sanctus Augustinus dicit, Gratias tibi Deus virtus, gratias tibi Deus pater, qui & filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti, interpositum esse ab adulterante, Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & trina veritas, trina & vna vnitas: & post hæc quod posuit Augustinus subiunctum, Gratias tibi Deus pater, qui & filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Quod relegens valdè miratus fui, quoniam talia in eodem libro, nec vsquam in cuiusquam catholici opere, minimè autem in beati Augustini inueneram. Quapropter de pluribus ciuitatibus ac monasteriis vetustissimos codices in vnum afferri feci, per quos falsitatis sacrilegium, & sacrilegum manifestissimè deprehendi. Inter quos vetustissimos libros, de quibusdam monasteriis allati sunt etiam mihi nouiter scripti quaterniones, in quibus hanc falsitatem insertam inueni, & diligentiùs ac sollicitiùs perscrutatus comperi, omnes illos quaterniones de eodem fonte cœnoso, de quo & domno regi datus liber falsatus fuerat transcriptus, riuulo fraudulento manasse. Et quia in proximo futura erat Synodus quinque prouinciarum, videlicet Remorum, Rotomagorum, Turonum, Senonum, & Lugdunensium, apud Suessorum ciuitatem, in præsentia domni Caroli regis gloriosi & Episcoporum qui ad eandem Synodum conuenerant, & librum falsatum & authenticos ac veros & vetustissimos codices protuli, & vnicuique Episcopo, sed & illi qui simpliciter falsatum codicem regi dederat, librum authenticum ad inspiciendum dedi, & hoc diploma coram omnibus in eadem Synodo relegi feci, sicut hîc sequitur scriptum. Augustinus in libro tertio de doctrina Christiana dicit, Cùm verba propria faciunt ambiguam scripturam, primò videndum est, ne malè distinxerimus, aut pronunciauerimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum esse peruiderit, quomodo distinguendum, aut quomodo pronunciandum sit, consulat regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ auctoritate percepit. Quòd si ambæ, vel etiam omnes si plures fuerint, partes ambiguitatis secundùm fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, vt videamus cuinam sententiæ de pluribus quæ se ostendunt ferat suffragium, eámque sibi contexi patiatur.] Obediamus ergo consilio & doctrinæ beati Augustini, & primò videamus quæ hîc in hoc libro interposita sunt, & tunc demum præcedentia & subsequentia inspiciamus. Hîc interpositum est, *Gratias tibi, vera vna Trinitas, vna & trina veritas, trina & vna vnitas.* in præcedentibus scriptum est, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, non diuisoribus sanctæ vnitatis, sed hominibus bonæ voluntatis. *& item*, Æternitas vna est, atque substantia. dico quia pater & filius Deus, dico quia vnum sunt,

Cap. 1. & 2.

dualitas in prole, vnitas in deitate. alterum facit vnius natiuitas, ſed vnum oſtendit diuinitas: cùm dico filius, alter eſt, cùm dico Deus, vnus eſt. Erubeſcite Arriani. Tunicam hominis iam iudicati in cruce pendentis carnifices Pilati non ſunt auſi conſcindere, & vos conamini caritatem Dei in cælo ſedentis, immo ipſam caritatem Deum diuidere. Sed conamini, quantum poteſtis, conamini: vos in infernum ruiſtis, iam non eam rumpetis. Et in ſubſequentibus ſcriptum eſt, Homo iſte modò venit, mundum ſubuertit, & fidei vnitatem ſcindit, Trinitatem diuidit.] *& item*, Qui Spiritum ſanctum à patre & filio æternitate, ſubſtantia, vel communione ſeparat, cúmque negat Spiritum eſſe patris & filij, plenus eſt ſpiritu immundo, vacuus eſt Spiritu ſancto. Ideo enim dicitur Deus caritas, quia non partibus diuidit vnitatem, ſed ineffabiliter coagulat Trinitatem. Ipſa eſt enim Trinitas vnus Deus, turris fortitudinis à facie inimici, qui credentes in ſe cuſtodit.] Hæc præcedentia & ſubſequentia catholica beati Auguſtini verba, omnibus catholicis & rectæ fidei concordantia, euidenter oſtendunt, iſta verba, quæ hìc ſunt interpoſita, ab Auguſtino non fuiſſe prolata, ſed ab adulterante verbum Dei & catholicam fidem hìc per impoſturam immiſſa. Et iterum, ſecundùm eiuſdem beati Auguſtini conſilium & doctrinam, fidei regulam conſulamus. Fides, inquit Athanaſius, catholica hæc eſt, vt vnum Deum in trinitate ſcilicet perſonarum, & trinitatem videlicet perſonarum in vnitate deitatis veneremur, neque confundentes perſonas, vt tres non ſint, neque ſubſtantiam ſeparantes, vt trina ſit, quia alia eſt perſona patris, alia filij, alia Spiritus ſancti, ſed patris & filij & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, id eſt deitas, quæ vt idem Athanaſius & Ambroſius & idem Auguſtinus dicunt, Trinitatis eſt vnitas. Inquiramus etiam, ſecundùm edicta Imperatorum, per anteriores & veraciores teſtes quos tenetis in manibus, ſi quid ambiguitatis reſiduum eſt de hac re certiſſima veritatem. Et quoniam lex dicit, quod & Dominus in Euangelio firmat, *in ore duorum vel trium teſtium ſtare omne verbum*, & Apoſtolus in accuſatione presbyteri totidem teſtes requirit, & Nicænum Concilium aduerſus neophytum Epiſcopum iuxta Apoſtolicam doctrinam eiuſdem numeri teſtes quærit, & lex publicæ rei ſeptem poſtulat, donec plures producamus, horum non modò ſeptem, verùm & ampliùs quatuordecim veterum & anteriorum teſtium adſtipulatione, in quibus de iſta ſuper interpoſita beato Auguſtino falſitate nihil habetur, his quæ præmiſimus beati Auguſtini verbis fidem adhibeamus, & ab hoc falſitatis næuo patefacta veritate innoxium eſſe credamus. Et hac perlecta ſchedula, & inſpectis veris libris & antiquiſſimis, qui de hac falſitate inuenti ſunt nihil habere, probatum eſt adulteratum fuiſſe hunc quem prædiximus beati Auguſtini librum. Et poſt hæc idem qui falſatum librum regi dederat dixit, Vos quæ dico patienter

ter audietis. & protulit testimonium beati Ambrosij de deitate Trinitatis, ad confirmandam quæ inuenta est in beati Augustini libro imposturam. Quod testimonium catholicissimum eidem imposturæ manifestissimè contradixit. & omnes mirati fuimus, cur tale protulerit testimonium, quod eandem sententiam non solùm non confirmauerit, verùm vt falsitatem veritatis infirmauerit. Deinde dixit in præstito sibi libro beati Augustini, qui titulatur De verbis Domini, inuenisse superscriptionem Sermonis eius *De vna Trinitate, trináque vnitate.* Itémque mirati fuimus superscriptionem tantummodò illum attendisse, & non quæ in eodem Sermone à beato Augustino catholicè dicta sequerentur intelligenter legisse. Nam vulgò loquens contra Sabellianos & Arrianos dicit in eodem Sermone, Habemus, inquit, distinctam Trinitatem. & si consideremus loca, audeo dicere, quamuis timidè id dicam tamen audeo, quasi separabilem Trinitatem.] *& paulo pòst*, Tria hæc quasi separantur locis, separantur officiis, separantur operibus.] Et hoc modo, siue hoc sensu, tropo illo qui metonymia id est transnominatio dicitur, titulus huius Sermonis sonat *De vna Trinitate, trináque vnitate.* Et post præmissa, beatus Augustinus mox in eodem Sermone subiunxit, Dicat mihi aliquis, ostende inseparabilem Trinitatem.] *& post paulum*, Ipsa tamen fide rectissimè ac robustissimè retinemus, patrem & filium & Spiritum sanctum, inseparabilem esse Trinitatem, vnum Deum non tres Deos: ita tamen vnum Deum, vt filius non sit pater, vt pater non sit filius, vt Spiritus sanctus nec pater sit nec filius, sed patris & filij Spiritus. Hanc ineffabilem diuinitatem apud seipsam manentem, omnia innouantem, creantem, recreantem, mittentem, reuocantem, iudicantem, liberantem, hanc ergo Trinitatem ineffabilem simul nouimus & inseparabilem] *& item*, Vbi est inseparabilis Trinitas? Quando ergo istum sensum à multis extraho, & ad vnum Deum Trinitatem inseparabilem colligo, vt aliquid videam quod dicam.] *& post multa*, Vltra locos corporales est diuinitas. nemo eam tanquam in spatio requirat. vbique inuisibilis & inseparabiliter adest, non in parte maior, non in parte minor, sed vbique tota, nusquam diuisa. Quis videt hoc? quis capit hoc? Compescamus nos, meminerimus qui vnde loquimur. illud & illud, quidquid est quod Deus est, piè credatur, sanctè cogitetur, & quantum datur, quantum potest, ineffabiliter intelligatur.] *& item post aliquanta*, Tria hæc sunt in te, quæ potes numerare, & non potes separare. Hæc ergo tria, memoriam, intellectum, voluntatem, hæc, inquam, tria animaduerte separatim pronunciari, inseparabiliter operari.] *& item post plurima*, Credo patrem & filium & Spiritum sanctum, per signa quædam visibilia, per species quasdam assumptæ creaturæ, posse & separabiliter demonstrari, & inseparabiliter operari. Sufficit hoc, non dico pater memoria est, filius intellectus est,

Serm. LXIII de verbis Domini cap. 1. 2.

Cap. 2.

Cap. eodē.

Cap. eodē.

Cap. eodē.

Cap. 5.

Cap. 7.

Cap. 10.

Spiritus voluntas, non dico quomodolibet intelligatur, non audeo. Seruemus maiora sapientibus, infirmis infirmi quid possumus? Non ista dico illi Trinitati velut æquanda, quasi ad analogiam, id est ad rationem quandam comparationis dirigenda. Non hoc dico, sed quid dico? Ecce in te inueni tria inseparabiliter demonstrata, inseparabiliter operata, & eorum trium vnumquodque nomen à tribus factum, quod tamen non ad tria, sed ad trium horum vnum aliquid pertineret.] Ecce quo sensu beatus Augustinus demonstrat intelligi debere superscriptionem sui Sermonis, qui inscribitur *De vna Trinitate, trináque vnitate.* Simili sensu & in libro De duabus animabus adhuc presbyter scripsit dicens, Trina vnitas quam catholica Ecclesia colit, volens intelligi, sicut & ipse intellexit, vt vnitas sit in substantia, trinitas in personis. Quem librum in decimo quarto loco Retractationum librorum suorum se scripsisse commemorat: & in vigesimo quinto loco librum De diuersis quæstionibus, scilicet octoginta tribus, se egisse demonstrat, indéque in quadragesimo primo loco, librum de Trinitate, quem multo tempore & multo labore, multáque examinatione composuit, se scripsisse demonstrat. Vnde in libro quæstionum octoginta trium capitulo vigesimo quarto, de Trinitate substantiæ ac deitatis dicit quod sibi ad dicendum probabilius & tutius visum fuit. Verùm & de hac quæstione in præfato Retractationum libro scribit quòd meliùs in libro de Trinitate postea inde tractauerit, in quo dicit capite quarto libri primi, Omnes inquiens catholici tractatores hoc intenderunt secundùm scripturas docere, quòd pater & filius & Spiritus sanctus vnius substantiæ inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem, ideóque non sint tres Dij sed vnus.] Quod & per omnia & in omnibus, in cunctis suis libris apertissimè & constantissimè sine vlla retractatione confirmat, & in præfatione Retractationum librorum suorum dicit, Quapropter quicumque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inueniet enim fortasè quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea ordine quo scripta sunt legerit: quod vt possit, hoc opere quantum potuero curabo vt eundem ordinem nouerit.] Et hoc sensu Pelagius Episcopus vrbis Romæ postulanti Childeberto regi per Rufinum virum magnificum, vt ei scriberet si beatæ recordationis Papæ Leonis tomum reciperet, & scandalum suspicionis, quod de eo per Gallias fuerat disseminatum, à se purgaret, in sermone de fide eidem regi directo trinam vnitatem & vnam Trinitatem hoc modo dicit, Credo inquiens in vnum Deum patrem & filium & Spiritum sanctum. *& post pauca,* Hoc est tres personas, siue tres subsistentias vnius essentiæ siue naturæ, vnius virtutis, vnius operationis, vnius beatitudinis, atque vnius potestatis, vt trina sit vnitas, & vna sit Trinitas, iuxta vocis Dominicæ veritatem

Pelagij Papæ ep. XVI.

dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* In nomine, inquit, non in nominibus, vt & vnum Deum per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret: quia dum tribus vnum deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum, & rursus æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accidens in eis permittit intelligi. ita vt vnusquisque eorum verus perfectúsque sit Deus, & omnes tres simul vnus, verus, perfectúsque sit Deus: videlicet vt ex plenitudine diuinitatis, nihil minùs in singulis, nihil ampliùs intelligatur in tribus.] Et in his verbis, sicut & in suprascriptis B. Augustini sententiis, manifestissimè peruidetur, quia deitas, quæ trinitatis est vnitas, trina credi & dici non debet, sed propter inseparabilitatem & æqualitatem trium personarum, quæ vnum sunt deitate, inseparabilis in eisdem singulis personis tota plena & perfecta credi & dici. ac præfato intellectu superscriptio sermonis sancti Augustini, sicut ipse exposuit, debet intelligi. Et quia de his verbis, quæ catholicè à catholicis & intelliguntur & proferuntur, ab hæreticis, sicut & de pluribus sanctæ scripturæ verbis, visa feri sunt scandala, orthodoxi doctores & magistri Ecclesiæ in totum taceri voluerunt trinam vnitatem, sicut & trinam deitatem, & tres apud Latinos substantias, dicentes hoc modo, Trinitas appellatur quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quasi Triunitas, videlicet trium vnitas, vt memoria, intelligentia, & voluntas, in quibus mens habet in se quandam imaginem diuinæ Trinitatis. Nam dum tria sunt, vnum sunt, quia & singula in se manent, & omnia in omnibus. Pater igitur & filius & Spiritus sanctus, Trinitas & vnitas. Idem enim vnum, idem & tria, vnum propter maiestatis communionem, tria propter personarum proprietatem. Nam alius pater, alius filius, alius Spiritus sanctus, sed alius quidem non aliud, quia pariter simplex pariterque incommutabile bonum & coæternum. Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur ingenitus: filius solus de patre est natus, ideo solus dicitur genitus: solus Spiritus sanctus de patre & filio procedit, ideo solus amborum nuncupatur Spiritus. Et in hac Trinitate alia sunt nomina appellatiua, alia propria sunt. Propria sunt essentialia, vt Deus, dominus, omnipotens, immutabilis, immortalis, & inde propria, quia ipsam substantiam significant, quia vnum sunt. Appellatiua verò, pater & filius & Spiritus sanctus, ingenitus & genitus & procedens: eadem & relatiua, quia ad se inuicem referuntur. Cùm enim dicitur Deus, essentia est, quia ad seipsum dicitur: cùm verò dicitur pater, & filius, & Spiritus sanctus, relatiuè dicuntur, quia ad se inuicem referuntur. Nam pater non ad seipsum, sed ad filium relatiuè dicitur, quia est ei filius: sic & filius relatiuè dicitur, quia est ei pater: sic & Spiritus sanctus relatiuè dicitur, quia est patris filiíque spiritus. His enim appellationibus hoc signi-

ficatur, quòd ad se inuicem referuntur. Nam ipsa substantia qua vnum sunt, proinde Trinitas in relatiuis personarum nominibus est. Deitas non triplicatur, sed in singularitate est, quia si triplicatur, deorum inducimus pluralitatem. Nomen autem deorum in Angelis & sanctis hominibus ideo pluraliter dicitur, propter quod non sint merito æquales, de quibus Psalmus, *Ego dixi dij estis*. de patre autem & filio & Spiritu sancto, propter vnam & æqualem diuinitatem, non nomen deorum sed Dei esse ostenditur, sicut ait Apostolus, *Nobis tamen vnus Deus*, vel sicut voce diuina dicitur, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est*, scilicet vt & Trinitas sit, & vnus Dominus Deus sit. Fides apud Græcos de Trinitate hoc modo est: Vna οὐσία, ac si dicat vna natura, aut vna essentia, tres hypostases, quod resonat in Latinum, vel tres personas, vel tres substantias. Nam Latinitas propriè non dicit de Deo nisi essentiam: substantiam verò non propriè dicit, sed abusiuè, quoniam verè substantia apud Græcos persona intelligitur, non natura. Et hinc sanctus Hieronymus scribens ad Damasum Papam dicit, Sufficiat nobis dicere vnam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas: taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur. non bonæ suspicionis est, cùm in eodem sensu verba dissentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas. aut si rectum putatis tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus: sed mihi credite, venenum sub melle latet, transfigurauit se angelus Satanæ in Angelum lucis.] *& paulo superiùs*, Et quomodo commune nomen essentiæ proprium sibi vindicat Deus? Sed quia illa sola natura est perfecta, & in tribus personis deitas vna subsistit, quæ est verè, & vna natura est, quisquis tria esse, hoc est tres esse hypostases id est vsias dicit, sub nomine pietatis tres naturas conatur adserere, & si ita est, cur ab Arrio parietibus separamur perfidia copulati? Iungatur cum beatitudine tua Vrsicinus, cum Ambrosio societur Auxentius. absit hoc à Romana fide, sacrilegium tantum religiosa populorum corda non hauriant.] *& item aliquanto superiùs*, Clamamus, Si quis tres hypostases, aut tria enhypostata, id est tres subsistentes personas confitetur, anathema sit. & quia vocabula non ediscimus, hæretici iudicamur. Siquis autem hypostasim vsiam intelligens, non in tribus personis vnam hypostasim dicit, alienus à Christo est: & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio vnionis inurimur. Discernite si placet obsecro, non timebo tres hypostases dicere. si iubetis, condatur noua post Nicænam fides, & similibus verbis cum Arrianis confiteamur orthodoxi. Tota sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi vsiam nouit, & quisquam rogo ore sacrilego tres substantias prædicabit? Vna est Dei & sola natura quæ verè est, id enim quod subsistit non habet aliunde sed suum est. cetera quæ creata sunt etiamsi videntur esse non sunt, quia aliquando

Psal. 81. 6.

1. Cor. 8. 6.
Deut. 6. 4.

Epist. LVII. Damaso.

non fuerunt, & poteſt rurſus non eſſe quod non fuit. Deus ſolus qui æternus eſt, hoc eſt qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. idcirco & ad Moyſem de rubo loquitur, *Ego ſum qui ſum,* & rurſum, *qui eſt miſit me.*] Et Hilarius in libro de Synodis, Has, inquit, ſimilitudines, quæ non ex vnitate naturæ ſunt metuo. Vereor enim, fratres, Orientis hæreſes in tempora ſingula pullulantes.] Cauentes quippe Arrij veſaniam, noluerunt viri catholici trinam dici à quolibet vnitatem, ſed vnam ſanctæ Trinitatis deitatem, diuinitatem, naturam, eſſentiam, atque ſubſtantiam. In quo etiam dicto, quo vna ſubſtantia prædicatur, Sabelliani inſidias poſuerunt, ſicut item ſanctus Hilarius in præfato libro de Synodis monſtrat, Multi inquiens ex nobis, fratres cariſſimi, ita vnam ſubſtantiam patris & filij prædicant, vt videri poſſint non magis id piè quàm impiè prædicare. Habet enim hoc verbum in ſe & fidei conſcientiam & fraudem paratam. Nam ſi ſecundùm naturæ proprietatem ac ſimilitudinem, vt ſimilitudo non ſpeciem ſolam afferat, ſed genus teneat, religioſè vnam ſubſtantiam prædicamus, dummodò vnam ſubſtantiam proprietatis ſimilitudinem intelligamus, vt quod vnum ſunt, non ſingularem ſignificet, ſed æquales. æqualitatem dico, id eſt indifferentiam ſimilitudinis, vt ſimilitudo habeatur æqualitas. Æqualitas verò vnum idcirco dicitur eſſe, quia par ſit. vnum autem in quo par ſignificatur, non ad vnicum vindicetur. Vna igitur ſubſtantia, ſi non perſonam ſubſiſtentem perimat, nec vnam ſubſtantiam partitam in duos diuidat, religioſè prædicabitur, quæ ex natiuitatis proprietate & ex naturæ ſimilitudine ita indifferens ſit, vt vna dicatur. At verò ſi idcirco vnius ſubſtantiæ pater & filius dicatur, vt hic ſubſiſtens ſub ſignificatione licèt duorum nominum vnus ac ſolus ſit, confeſſum nomine filium conſcientia non tenemus, ſi vnam ſubſtantiam confitentes, ipſum ſibi vnicum ac ſingularem & patrem eſſe dicimus & filium.] *& poſt aliquanta*, Caret igitur, fratres, ſimilitudo naturæ contumeliæ ſuſpicione, nec poteſt videri filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non eſſe quia ſimilis eſt, cùm ſimilitudo nulla ſit niſi ex æqualitate naturæ. æqualitas autem naturæ non poteſt eſſe niſi vna ſit, vna verò non vnitate perſonæ ſed generis. Hæc fides pia eſt, hæc conſcientia religioſa, hic ſalutaris ſermo eſt, vnam ſubſtantiam patris & filij idcirco non negare quia ſimilis eſt, ſimilem verò ob id prædicare quia vnum ſunt. Expoſita, cariſſimi, vnius ſubſtantiæ, quæ Græcè ὁμοούσιον dicitur, & ſimilis ſubſtantiæ, quæ ὁμοιούσιον appellatur, fideli ac pia intelligentia, & vitiis, quæ ex verborum vel breuitate ſubdola vel periculoſa nuditate accedere poſſent, abſolutiſſimè demonſtratis, reliquus mihi ſermo ad ſanctos viros Orientales Epiſcopos dirigendus eſt, vt quia iam de fide noſtra nihil inter nos ſuſpicionis relictum eſt, ea quæ adhuc in ſuſpicionem ex verbis veniunt purgen-

Exod. 3. 14.

In fine lib.

Multò ante ſuperiora.

tur.] Propter has ergo fraudulentias, & laqueorum scandala, quæ Arriani in sancta Trinitate deitatis vnitati detrahentes, & Sabelliani personarum proprietati derogantes, rectis sensibus iuxta iter ponebant, patres & magistri nostri, viri catholici & doctores ac rectores Ecclesiæ, quia sicut scriptum est pertransibunt plurimi & multiplex erit scientia, vnum Deum patrem, & filium, & Spiritum sanctum, videlicet Trinitatem, ὁμοούσιον, id est vnius substantiæ, vel consubstantialem, & inseparabilem atque indiuiduam, potiùs quàm trinam vnitatem & vnam Trinitatem, dicere & scribere, suísque posteris dicendam & scribendam decernendo tradere maluerunt: ne dicendo trinam vnitatem, eidem vnitati numerum qui in trina est apponentes, eandem vnitatem numerabilem facere, & vt Arriani deitatem, id est Trinitatis vnitatem diuidere viderentur, vt ex præmissis verbis sancti Hieronymi, & in hoc opusculo ex epistola Gregorij Papæ ad Leandrum Spalensem Episcopum, cuius partem in suo loco positam lector sagax inueniet, qui volet valet colligere: & vnam Trinitatem dicendo, proprietatem trium personarum in eadem sancta & inseparabili Trinitate auferri, vt Sabelliani calumniarentur, sicut ex præcedentibus verbis sancti Hilarij qui aduertit potest cognoscere. Vnde & idem ipse sanctus Augustinus, cuius Sermo de vna Trinitate trináque vnitate dicitur titulatus, in libro septimo de Trinitate, ac si vngue censorio, sicut de multis aliis fecerat, scribit, Nec sic inquiens Trinitatem dicimus tres personas vel subsistentias, vnam essentiam & vnum Deum, tanquam ex vna materia tria quædam subsistant, etiam si quidquid illud est in his tribus explicatum sit. non enim aliquid aliud eius essentiæ est præter istam Trinitatem. tamen tres personas eiusdem essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona.] Et in libro decimo quinto, Numquid possumus dicere Trinitatem esse in Deo, vt aliquid Dei sit nec ipsa sit Deus? nullatenus. Sed Trinitas illa nihil aliud est tota quàm Deus, nihil aliud est tota quàm Trinitas, nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem.] Et tres illæ personæ sunt vnius substantiæ, vnius sunt essentiæ, viámque regiam atque tutissimam in recto huius sanctæ Trinitatis intellectu, inter insidias horum latronum, Arrianorum scilicet & Sabellianorum, tenendam atque terendam. Et beatus Athanasius, sicut suprà ostendimus, & sanctus Augustinus in libro ad Laurentium Papam de Symbolo aptissimè monstrat, dicens, Hæc est, inquit, Trinitas, vbique latens & vbique apparens, vocabulis personísque discreta, inseparabilis substantia deitatis.] Et in sermone de Spiritu sancto, quòd eiusdem sit substantiæ atque deitatis cuius est pater & filius. Ipse, inquit, Dominus noster Ie-

Lib.1.ep.41

Cap.VI.

Cap.VII.

ſus Chriſtus, cùm iam glorificatus reſurrexit à mortuis, in cælum adſcenſurus ad patrem hoc ſacramentum fidei diſcipulis id eſt Apoſtolis dereliquit. Ait enim, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Rerum ipſarum dictat effectus, vt trium in vna deitate perſonarum potentiam credamus.] Et in Sermone de myſterio baptiſmatis, Nemo, inquit, cùm audit patrem, aut filium, aut Spiritum ſanctum, tres Deos nos æſtimet confiteri, quod ſacrilegium abſit longè à fide noſtra, quia vnum Deum eſſe ipſo atteſtante cognouimus, *Ego*, inquit, *Deus, & non alius præter me, iuſtus & ſaluator non eſt præter me. conuertimini ad me, & ſalui eritis, quia ab extremo terræ ego ſum Deus, & non eſt alius præter me.* & in alio libro, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* & rurſus, *Dominus Deus hic eſt in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & non eſt alius præter ipſum.* Tres ergo perſonas tenemus & credimus, id eſt patrem & filium & Spiritum ſanctum, vnius potentiæ, vnius ſubſtantiæ, vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius etiam deitatis, & totam Trinitatem vnius Dei appellatione veneremur. Credere autem plures Deos gentilis impietatis eſt. *& iterum*, Non credere tres perſonas vnius ſubſtantiæ in vna deitate, atque æqualitate vel coæternitate, hæretica dementia eſt, cùm manifeſta hæc ſit quam diximus auctoritas Chriſti, *Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti.*] Et item Auguſtinus in libro quinto capite octauo de Trinitate dicit, Illud verò præcipuè tenendum eſt, quod quidquid ad ſe dicitur præſtantiſſima illa ac diuina ſublimitas, ſubſtantialiter dicitur: quod autem ad aliquid, non ſubſtantialiter ſed relatiuè: tantámque vim eſſe eiuſdem ſubſtantiæ in patre & filio & Spiritu ſancto, vt quidquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur, non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipiatur.] *Et item in libro quinto capite decimo*, Deo non eſt aliquid maius. Ea igitur magnitudine magnus eſt, qua ipſe eſt eadem magnitudo. & ideo ſicut non dicimus tres eſſentias, ſic nec tres magnitudines. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum ſit, omnibúſque omninò prædicamentis quæ de Deo poſſunt pronunciari, quod ad ſeipſum dicitur.] *Et in libro ſexto*, Deo hoc eſt eſſe quod eſt omnipotentem eſſe, aut iuſtum eſſe, aut ſapientem eſſe, & ſi quid de illa ſimplici multiplicitate, & multiplici ſimplicitate dixeris, quo ſubſtantia eius ſignificetur.] *& in libro octauo*, Pater igitur & filius vna eſſentia, & vna magnitudo, & vna veritas, & vna ſapientia, à quibus non ſeparetur Spiritus ſanctus, de quo dicit filius in Euangelio, *Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Dominus dicit in Euangelio, *Ego ſum veritas.* In Deo igitur ſubſtantiale nomen eſt veritas. Et quis magis eſt, vt Auguſtinus libro v. de Trinitate dicit, quàm ille qui dixit famulo ſuo, *Ego ſum qui ſum, &*

Matt.28.19
Eſa.45.21.
Deut.6.4.
Deut.4.39.
Cap.VIII.
Cap.X.
Cap.IV.
Ioan.14.16
Ioan.14.6.
Cap 2.

dices filiis Israel, qui est misit me ad vos?] Non ergo trina veritas, vt impostor verbis B. Augustini interposuit, sed vna veritas, pater & filius & Spiritus sanctus, quia substãtia diuidi non potest. Sicut in eodem libro contra quinque hostium genera idem B. Augustinus dicit, æternitas vna est atque substantia. Et in libro VI. de Trinitate, Et eadem Dei est bonitas quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omninò ipsum esse.] Ergo vt non trina essentia, vel trina natura, ita non trina deitas, nec trina veritas est. Et Boëtius, in libro ad Ioannem Romanum diaconum, postea autem Episcopum, quem beatus Gregorius in libro Dialogorum persecutione Theodorici regis Arriani martyrio glorificatum esse ostendit, ex verbis beati Augustini sicut ipse fatetur, dicit, Vna igitur substantia trium, nec separari vllo modo aut disiungi potest, nec velut partibus in vnum coniuncta est, sed est vna simpliciter. Quæcumque igitur de diuina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia.] *& paulo pòst*, Si igitur eorum vna deitas vna substantia est, licet Dei nomen de diuinitate substantialiter prædicari. ita pater veritas est, filius veritas est, Spiritus sanctus veritas est, pater, filius, Spiritus sanctus non tres veritates, sed vna veritas est. Si igitur vna in his substantia, vna est veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari de bonitate, de incommutabilitate, de iustitia, de omnipotentia, ac de ceteris omnibus, quæ tam de singulis, quàm de omnibus singulariter prædicamus, manifestum est substantialiter dici.] *& iterum*, Nam qui pater est, hoc vocabulum non transmittit ad filium, neque ad Spiritum sanctum. Quo fit vt non sit substantiale nomen hoc inditum. Nam si substantiale esset, vt Deus, vt veritas, vt iustitia, vt ipsa quoque substantia, de ceteris diceretur. Item filius solus hoc recipit nomen, neque enim cum aliis iungitur, sicut in ceteris quæ superiùs dixi. Spiritus quoque sanctus non est idem qui pater ac filius. Ex his igitur intelligimus, patrem & filium ac Spiritum sanctum non de ipsa diuinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Si enim substantialiter prædicaretur, & de singulis & de omnibus singulariter diceretur. Hæc verò ad aliquid dici manifestum est.] *& paulo pòst*, Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, vnitas verò in substantiæ simplicitate.] *& item*, Trinitas igitur non pertinet ad substantiam. quo fit, vt neque pater, neque filius, neque Spiritus sanctus, neque Trinitas de Deo substantialiter prædicetur, sed vt dictum est ad aliquid. Deus verò, veritas, iustitia, bonitas, omnipotentia, substantia, immutabilitas, virtus, sapientia, & quidquid huiusmodi excogitari potest, substantialiter de diuinitate dicuntur.] *& item De Trinitate*, Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.] *& item*, Quoniam verò pater

Cap. VII.

In principio libelli

Ad Symmachum in fine libri.

ter Deus, & filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, Deus verò nullas habet differentias quibus differat à Deo, à nullo eorum differt. Differentiæ verò vbi absunt, abest pluralitas: vbi abest pluralitas, adest vnitas.] *& item*, Vbi verò nulla est differentia, nulla est omninò pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm.] *& item*, Non igitur si de patre ac filio & Spiritu sancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, vt dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. catholicis verò nihil in differentia constituentibus, ipsámque formam vt est esse ponentibus, neque aliud esse quàm est ipsum quod est opinantibus, rectè repetitio de eodem, quàm enumeratio diuersi, videtur esse cùm dicitur Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas vnus Deus.] Et Ambrosius in libro primo de Spiritu sancto, Veritas Christus, veritas Spiritus. Habes enim in epistola Ioannis, *quoniam Spiritus est veritas.* Non solùm ergo veritatis, sed etiam veritas dicitur Spiritus, sicut & filius veritas prædicatur, qui ait, *Ego sum via, & veritas, & vita.* Vnum sunt ergo pater & filius & Spiritus sanctus. vnum nomen est Trinitatis, & vna inseparabilísque essentia.] Et in libro primo de Fide, Crede quia à Deo exiuit filius, vt ipse testatur dicens, *ex Deo processi & veni.* & alibi, *A Deo exiui.* Qui ex Deo processit, & à Deo exiuit, nihil aliud potest habere nisi quod Dei est. vnde non solùm Deus, sed etiam verus Deus, verus à vero, & adeò verus, vt ipse sit veritas. Ita si nomen quærimus, veritas est, si maiestatem quærimus naturalem, eo vsque filius Deus verus est, vt & proprius. Scriptum est enim, *Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Tradidit vtique secundùm carnem. Proprietas diuinitatis est veritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis.] Non igitur constare potest, quod per fraudem mendaciter interpositum est in verbis beati Augustini, trina veritas, sicut & Boëtius in præfato libro demonstrat dicens, Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.] Quam Trinitatis substantiam ostendit Ambrosius cantans in Hymno catholico, *Tu Trinitatis vnitas.* quámque veluti exponens Augustinus dicit in libro primo de Trinitate, Deitas quæ Trinitatis est vnitas.] Cui etiam concordat beatus Ambrosius in alio Hymno dicens, *O lux beata Trinitas,*

Et principalis vnitas.

Sed & illud quod in eadem compilatione interpositum est, trina & vna vnitas, constare non potest, demonstrante beato Ambrosio in libro primo de Fide capite secundo, vbi dicit, Est plenitudo diuinitatis in patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans sed vna diuinitas, nec confusum quod vnum est, nec multiplex quod indifferens est. Etenim si omnium credentium, sicut scriptum est, *erat anima vna & cor vnum*, si omnes *qui adhærent Do-*

Non longè à principio libri. Post pauca. Cap. 15. 1. Ioan. 5. 6 Ioan. 14. 6. Lib. 1. cap. 7 Ioan. 8. 42. Rom. 8. 32. Ad Ioannē diaconum. Non longè à princip. Act. 4. 32. 1. Cor. 6. 17

Matt. 19. 3. *mino, vnus ſpiritus eſt.* vt Apoſtolus dixit, ſi vir & vxor in carne vna ſunt, ſi omnes homines, quantum ad naturam pertinet, vnius ſubſtantiæ ſumus, ſi hoc de humanis ſcriptura dicit, *quia multi vnum ſunt*, quorum nulla poteſt eſſe cum diuinis comparatio, quanto magis pater & filius diuinitate vnum ſunt, vbi nec ſubſtantiæ nec voluntatis vlla eſt differentia? Namque aliter quomodo vnum Deum dicimus? diuerſitas plures facit, vnitas poteſtatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non eſt, ſed hæc omnium principium eſt.] Et Boëtius in ſupraſcripto libro, Vbi, inquit, nulla eſt differentia, nulla eſt omninò pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm.] *& item idem*, Etenim vnum res eſt, vnitas qua vnum dicimus.] Et Arithmetici dicunt, Vnum ſemen numeri eſſe, non numerum, & ſimplices numeros, qui nullam partem aliam habent niſi ſolam vnitatem, vt ternarius ſolam tertiam, quinarius ſolam quintam, ſeptenarius ſolam ſeptenam, his enim vna pars ſola eſt.] Et item Ambroſius in præfato primo libro dicit, Neceſſe eſt negent Arriani aut patris aut filij diuinitatem, niſi eiuſdem diuinitatis crediderint vnitatem.] *& item*, Operationis vnitas non facit pluralem diuinitatem.] *& item*, Quæ enim poteſt eſſe alia æſtimatio, vbi deitatis vnitas eſt?] *& item*, Aderat in ſpecie Angeli, qui muniebat, vt in numero Trinitatis vnius eſſet laudatio poteſtatis.] Et hinc plurima teſtimonia in eiuſdem libris reperiuntur, quæ oſtendunt non poſſe in Deo catholicè dici trinam vnitatem, trinámque deitatem, trinam naturam, trinam ſubſtantiam: quia vnitas, deitas, natura, ſubſtantia, in Deo pluralitate caret, & numero qui in trina & in Trinitate eſt. Et quod in eadem falſa interpoſitione habetur vna vnitas, quod ibidem dicitur trina veritas, & trina vnitas deſtruit: quia quando dicitur vnum vel vna, ſi non dicatur quid vnum vel quid vna, intelligatur vna ſubſtantia, & ſubſtantiæ vnitas non habet pluralitatem, quare nec numerum, qui in trina & in Trinitate eſt. Vnde Auguſtinus in tractatu Pſalmi trigeſimi octaui exponens ſententiam Apoſtoli, *Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens.* Vnum, inquit, hoc eſt illud vnum, Domine *oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Vnum autem, quæ & vna dicitur in alio Pſalmo, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.* Propter quid? vt contempler delectationem Domini.] Et in libro contra Maximinum, Legimus enim, qui plantat & qui rigat vnum ſunt, ſed ambo homines erant, eiuſdem ſubſtantiæ fuerant, non diuerſæ. Item legimus ipſo Chriſto dicente, *Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Non dixit, vt ipſi & nos vnum, ſed vt ipſi ſint vnum in natura ſua & in ſubſtantia ſua, concordiæ qualitate quodam modo vniti & conflati: & pater & filius & Spiritus ſanctus vnum propter indiuiduam eandémque naturam. Aliud eſt enim vnum ſunt, & aliud vnum ſumus. aliud

De Trinit. ad Symmachum.
Ibidem.
Cap. 2.
Ibidem.
Ibidem in fine.
Philip. 3. 13.
Ioan. 14. 8.
Pſal. 26. 4.
Ioan. 17. 21.

vnus est. Quando dicitur vnum sunt, & si non dicatur quid vnum, intelligitur vna substantia: quando dicitur vnus est de duabus diuersis substantiis, necesse est vt quæratur quid vnus. Verbi gratia, diuersa substantia est anima & corpus, tamen vnus homo: diuersa substantia est spiritus hominis & spiritus Dei, tamen cùm Domino adhæret vnus spiritus est. Addidit spiritus, non dixit vnum sunt: vbi autem dicitur vnum sunt, vna substantia significatur. Sic & cùm dicit Apostolus, *Scimus quia nihil est idolum.* &, *quod nullus Deus nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicuntur dij multi, & domini multi, siue in cælo, siue in terra, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia & nos in illum, vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum*, addendo quis vel quid vnus. Cùm dicit vnus Deus pater, & vnus dominus Iesus, personas distinxit nominando patrem & filium, substantiam vnam ostendit cùm Deus dicit. Vnde alibi loquens trinitatem personarum vnius deitatis demonstrat cùm dicit, *Ex ipso*, videlicet ex patre, *per ipsum*, per filium, *in ipso*, scilicet in Spiritu sancto, *sunt omnia, ipsi gloria*, & non ipsis gloria subiunxit: quia alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti: sed in deitate vnitas creditur & prædicatur, quia patris & filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Impostor verò falsitatis, & verbis sancti Augustini insultator, quiscumque ille fuerit, non ausus apertè imponere trina & vna deitas, ne perciperetur, immisit quod tantumdem valeret, quatenus per substantiale nomen, quod est veritas, dicendo trina & vna veritas, cùm pater & filius & Spiritus sanctus, vt Augustinus dicit, non tres veritates, nec trina veritas, sed vna sint veritas, sicut vna essentia, & vna vita. & addendo trina & vna vnitas, probare posset quòd dici deberet trina & vna deitas. Et noluit mittere Gothescalci verba, vt diceret deitas trina est personaliter, & vna naturaliter, ne recognoscerentur, & ex eo respuerentur. Immisit tamen absolutè trina & vna vnitas, ne sua verba à Gothescalci verbis sensu discordarent. Sed, vt scriptum est, *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum.* Videtur namque fraus sacrilega, vt patenter ostensum est & adhuc ostendetur, quia non solùm ratione & auctoritate, verùm & sua ipsa impugnatione interpositio ista destruitur. Ratione quippe, quia, vt Augustinus dicit, deitas Trinitatis est vnitas, & vnitas qua tres personæ vnum sunt trina esse non potest. Natura enim, deitate, id est essentia, tres personæ vnum id est vnus Deus sunt, & non vna persona pater & filius & Spiritus sanctus. Auctoritate quidem, quia vt Boëtius in libro De Trinitate dicit, In numero quo numeramus repetitio vnitatum facit pluralitatem: in rerum verò numero non facit pluralitatem vnitatum repetitio.] veluti cùm pater & filius & Spiritus sanctus tertiò prædicatur Deus.] *& item*, Vnum res est, vnitas quo vnum dicimus.] Et Ambrosius in libro primo De fide, Vnitas numerus

1.Cor.8.4.
1.Cor.8.5.
Rom.11.36
Prou 1.17.
Non longè à princip.
Cap.2.

non est, sed hæc omnium ipsa principium est.] Sua quoque impugnatione interpositio ista destruit quæ dicit trina & vna vnitas, quia vnitas in eo quo vna est trina esse non potest, sicut Trinitas in eo quo trina est vna esse non potest. Trinitas scilicet in personis vna esse non potest, sicut Sabellius voluit: & vnitas Trinitatis, id est deitas, trina esse non potest, sicut Arrius dixit. Fides autem catholica est, vt Athanasius sentit, & omnis catholicorum vnanimitas consentit, vt vnum Deum in trinitate personarum contra Sabellium, & trinitatem personarum in vnitate deitatis, contra Arrium veneremur: neque confundentes personas, vt Sabellius, quasi tres non sint, neque substantiam separantes, vt Arrius, quasi trina sit. Vnde si quod impostor inconuenienter posuit vna vnitas etiam sic intelligatur, quoniam aliter rectè non potest intelligi, quia est super omnia in quibus vnitas dici potest, in tribus sanctæ Trinitatis personis patris & filij & Spiritus sancti vna id est singularis est vnitas, quorum est vna diuinitas, vel si expressiùs dicitur deitas, destruit quod antè positum est, vt trina sit vnitas, id est patris & filij & Spiritus sancti deitas, quæ Trinitatis est vnitas. Exterminandum est igitur prauum dogma, & sequendum quod docent catholici, quia Trinitas pater & filius & Spiritus sanctus ad aliquid, id est relatiuè dicuntur, vnde & pluralitas est in personis: veritas verò, essentia, deitas, quæ, vt Augustinus dicit, Trinitatis est vnitas, de Deo ad se id est substantialiter ac per hoc singulariter dicitur, & vnus Deus pater & filius & Spiritus sanctus, in eo quo trinus est, vnus non dicitur, & in eo quo vnus est, trinus non dicitur. Sed vt beatus cantat Ambrosius, Vnus est potentialiter, id est substantialiter, sicut Augustinus dicit, & trinus personaliter. Manifestum & manifestatum est ergo compilatum, & adulteratum atque falsatum esse librum beati Augustini contra quinque hostium genera, in quo hæc hæretica prauitas à quocumque falsatore interposita comprobatur. sicut in quinta Synodo ex catholicorum libris quædam testimonia ab hæreticis ad suam confirmandam prauitatem detruncata, & quædam falsa catholicis catholicorum verbis interposita fuisse vigilantia catholicorum detexit. Sic enim deprehensum Macarium Antiochenum Episcopum in sexta Synodo legimus: sic Donatus, vt Augustinus in libro Retractationum dicit, de sententia *Qui baptizat à mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius*, ad suam confirmandam hæresim, *& iterum tangit illum* subtraxit: & Arriani de Euangelio eraserunt quod Saluator ait, *Quia Deus Spiritus est.* Nolebant enim credere quod Spiritus sanctus Deus esset omnipotens. Sic & illi qui ex Deo non erant, & prauo dogmate separare volebant ab hominis dispensatione diuinitatem Christi, versiculum quo dicitur, *& omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est*, ex epistola Ioannis eraserunt, ne per auctoritatem eius conuincerentur erroris.

Eccli.34.30.

1.Ioan.4.3.

Denique Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideo soluere non timuit Iesum, ac se pro hoc reddere extraneum, dicens beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantùm extitisse genitricem, vt aliam personam hominis, aliam faceret deitatis, neque vnum Christum in Verbo Dei & carne atque anima credens, sed separatim alterum filium Dei alterum hominis prædicans. & Felix Orgellitanæ quondam ciuitatis Episcopus infelix, in libro beati Hilarij, vbi idem sanctus dixerat, carnis humilitas adoratur, tempore Caroli Magni Imperatoris, quoscumque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulterauit, carnis humilitas adoptatur, vt quia per veritatem non poterat, de mendacio suam adstipularetur sententiam. Sic & iste adulterator verborum beati Augustini, iuxta quod scriptum est, *qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit*, de proprio mendacium, vt gloriari posset aduersus veritatem, veritati inseruit: quomodo Gothescalcus veritatem quantum ex ipso est in mendacium commutauit, trina pro ter vel Trinitatis deitate, in sextæ Synodi edicto immutans. Nam & si ita vt ab eo adulteratum credimus, ex Græca interpretatione in eodem haberetur Edicto, vel si in aliis libris vetustis ita ab aliquibus haberi contenditur, nec sic quiddam suffragij ex hoc Gothescalci vel eius complicum adinuentio potietur, quia Græcitas idiomate suæ linguæ quædam rectè potest efferre, quæ Latina lingua maximè de his quæ pertinent ad fidem non recipit. Nam in sancta Trinitate patris & filij & Spiritus sancti Græci vnam dicunt essentiam & tres suatim substantias, pro subsistentiis id est personis, quod Latina lingua non recipit, & interpretatio ex verbo ad verbum, sicut sæpe propriam consonantiam perdere, ita intelligentia solet carere, & sensum fidei perturbare. Vnde etiam potest fieri, vt interpres ipsius Edicti verbum ex verbo interpretans, sanum sensum interpretatus non fuerit. Nos autem, vt Leo scribit ad Rusticum Narbonensem Episcopum, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum, quibus vnam eandémque deitatem plenam atque perfectam in tribus sanctæ & inseparabilis Trinitatis personis credere & confiteri debere accepimus. Quapropter damnationem prolatam ab eadem sacra sexta Synodo Gothescalcum incurrisse atque perferre nullatenus dubitamus, quam præfata sancta Synodus iudicio sancti Spiritus omnibus contra illa quæ diuinitùs inspirata decreuerat sentientibus intulit, His inquiens cum omni vndique cautela atque diligentia à nobis formatis, diffinimus aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere, componeréve, aut sapere, vel etiam aliter docere. Qui verò præsumpserint fidem alteram, vel componere, vel proferre, vel docere, vel tradere, aut symbolum volentibus conuerti ad agnitionem veritatis, ex gentilitate, vel ex Iudaismo, aut

Ioan. 7. 18.

Epist. 95. in proœm.

Synodi VI. Act. XVIII. in fine.

ex qualibet hæreſi, aut qui nouitatem vocis, vel ſermonis adinuentionem, ad ſubuerſionem eorum quæ nunc à nobis determinata ſunt introducere, hos, ſi quidem Epiſcopi fuerint aut clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, clericos verò à clero, ſi autem monachi fuerint aut laici, anathematizari eos. & ſubſcripſerunt centum quinquaginta Epiſcopi.] Deinde proſequitur Gotheſcalcus,

III.

— Sic enim dicta eſt à Proſpero trina maieſtas, à Prudentio trina pietas, ab Aratore bis trina poteſtas, ſic & à Græcis τρισάγιον, à Latinis autem ſatis propriè, regulariter, atque catholicè, trina ſanctitas: ac per hoc ſicut ab eis catholiciſſimè dicitur τριθεοτεία, ſic & à nobis catholiciſſimè trina deitas.

XP. QVOD ad teſtimonium ſuæ aſſertionis dicit, quoniam Arator trinam poteſtatem, & Prudentius trinam pietatem dicunt metri neceſſitate, quæ non præiudicat liberæ fidei ſimplicitati, Auguſtinus & Athanaſius, atque Boëtius, ſicut in hoc opere ex dictis illorum lector inueniet, contradicunt. Sed & idem Prudentius ſcribit,

Per Chriſtum genitum ſumme Pater tuum,
Per quem ſplendor, honor, laus, ſapientia,
Maieſtas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuat numine triplici,

vel ſicut in quibuſdam codicibus inuenitur, *nomine triplici.* Quod ſanctus Ambroſius, videlicet quia nec numen, nec nomen, in Deo qui trinus eſt in perſonis & vnus in deitate, trinum vel triplex dici debeat, in initio primi libri de Fide refutat dicens, Dominus, inquit, & Deus, vel quòd dominetur omnibus, vel quòd ſpectet omnia, & timeatur à cunctis. Si ergo vnus Deus, vnum nomen, vna poteſtas, vna eſt trinitas. denique dicit, *Ite baptizantes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti.* In nomine vtique non in nominibus, vt vnius eſſe Trinitatem poteſtatis oſtenderet.] *& item*, Nos patrem & filium & Spiritum ſanctum confitemur, ita vt in Trinitate perfecta, & plenitudo diuinitatis ſit, & vnitas poteſtatis.] quod tantundem valet, ac ſi diceret, vnitas numinis. Et ſanctus Auguſtinus in libro ſexto de Trinitate dicit, Cùm tantus ſit ſolus pater, vel ſolus filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, quantus eſt ſimul pater & filius & Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicendus eſt, quia non eſt quo creſcat illa perfectio, perfectus autem ſiue pater, ſiue filius, ſiue Spiritus ſanctus, & ideo Trinitas potiùs quàm triplex dicenda eſt.] Verùm & ipſe Prudentius fortaſſe metri lege coactus, ad demonſtrandum tres perſonas vnius ſubſtantiæ alibi ſcribit dicens,

Eſt tria ſumma Deus, trinum ſpecimen, vigor vnus.

Sed quoniam, vt Priſcianus dicit, à ſpecie deducitur ſpecimen, in Deo trinum ſpecimen catholicè non poteſt dici, vt Auguſtinus in libro ſeptimo de Trinitate dicit, quia non ſunt tres

Cap.I.

Matt.28.19

Cap.2.

Cap.VIII.

Cap.VI.

ſpecies vnius eſſentiæ, pater & filius & Spiritus ſanctus.] Sed & Gotheſcalcus teſtimonium beati Hieronymi, vt compilationis ſuæ dicta confirmaret, ex Commentario ipſius in Matthæi Euangelio hoc modo contra ſe protulit dicens, Mulierem iſtam Eccleſiam interpretantur, quæ fidem hominis farinæ ſatis tribus commiſcuerit, credulitatem patris & filij & Spiritus ſancti, cúmque in vnum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, ſed ad vnius diuinitatis perducit notitiam. farinæ quoque ſata tria, dum non eſt in ſingulis diuerſa natura, ad vnitatem trahunt ſubſtantiæ.] *& item*, Baptizantur in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, vti quorum eſt vna diuinitas, ſit vna largitio & nomen, quia Trinitas vnus Deus eſt.] In libris quoque B. Proſperi vnam Trinitatis deitatem, eſſentiam, atque ſubſtantiam, & naturam, maieſtatem quoque, & poteſtatem, & vnum lumen, vnúmque principium frequentiſſimè legimus. Ait enim in libro ſententiarum, Quod pater cum Chriſto facit, Chriſtus facit, & quod Chriſtus cum patre facit, pater facit, nec ſeorſim aliquid agit inſeparabilis caritas, maieſtas, poteſtas, ſicut ipſe Dominus dicit, *Ego & pater vnum ſumus.*] *& item*, In Trinitate diuina tanta eſt ſubſtantiæ vnitas, vt æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat.] *& item*, In patre & filio & Spiritu ſancto æterna & incommutabilis vnitas manet, vbi indifferens Trinitas vnus Deus eſt, vnum lumen, vnum principium.] Et in libro Epigrammatum, Vera æternitas & vera immortalitas non eſt, niſi in deitate Trinitatis, cui quod eſt eſſe perfectum eſt.

Sent.314. Ioan.10.30 Sent.227.

Hoc pater, hoc Verbum patris, hoc & Spiritus almus,
Quorum natura eſt vna eadémque trium.

Epig.III.

Et item, Nulla differentia eſt in deitate Trinitatis, quoniam quod Deo minus eſt, Deus non eſt.

Natura omnipotens vna eſt, quæ cuncta creauit,
Et propriè quod ſunt omnibus eſſe dedit.
Quódque Deo minus eſt, non eſt Deus, à Patre natum
Verbum, & qui amborum Spiritus eſt, Deus eſt,
Vna eadémque trium quoniam eſt eſſentia, quæ ſe
Numquam vel maior vel minor eſſe poteſt.]

Epig.LV.

Et item,

Omnipotens genitor, natúſque, & ſpiritus almus,
Vna in perſonis par tribus eſt deitas.

Epig.LXIV.

Et item,

Vna trium deitas, vna eſt eſſentia, ab vno
Idem eſt & Verbi Spiritus atque Patris.

Epig.VIII.

Quòd dicit, dictum à Græcis τελσάγιον propriè & regulariter atque catholicè interpretatum, trina ſanctitas, ac per hoc ſic trina deitas, ſicut trina ſanctitas catholicè debeat dici, non eſt verum. Sanctus quippe Quintianus Aſculitanus Epiſcopus ad Petrum Antiochenum

loquens de sancta Trinitate, τρισάγιον non trinum sanctum, sed ter sanctum, interpretatus est: & in offerenda missæ Græcorum compositæ à beato Basilio, in qua dicitur τρισάγιον ὕμνον, non trinum sanctum, sed ter sanctum hymnum sapientes interpretes transtulerunt. Et aliquanto inferiùs Gothescalcus praua prauis superadiciens, dicit,

IV.

—*Claret omninò, quod ἁγία τριὰς id est sancta Trinitas, sicut vna essentialiter atque naturaliter, sic proculdubio est personaliter trina deitas, sicut scilicet sanctitas, maiestas, pietas, & potestas:*

XP. Hoc quod dictum est à Deo in creatione primi hominis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, diabolus malè interpretans, assumpta parabola, primis parentibus dixit, *eritis sicut Dij.* Quem secutus Arrius, gradus in sancta Trinitate faciens, contra præceptum Domini in lege dicentis, *Non adscendatis per gradus ad altare meum*, tres deitates in sancta Trinitate dogmatizauit. Nunc Gothescalcus è diuerso vnam deitatem in tribus personis sanctæ Trinitatis partitur, dicens, Sicut sancta Trinitas vna est essentialiter atque naturaliter, sic proculdubio est personaliter trina deitas, quæ vt catholici doctores dicunt, & verum est, Trinitatis est vnitas, qua naturaliter vnus Deus est Trinitas; quæ videlicet deitas si personaliter trina foret vnitas Trinitatis, quod esse non potest, quia quod vnum est in eo in quo vnum est diuisionem non recipit, in tribus personis diuisa vel partita fuisset. Vnum, inquit Boëtius ex beati Augustini verbis, vt & ipse fatetur, res est vnitas, quo vnum dicimus, & vbi nulla est differentia, nulla est omninò pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm. nam quod tertiò repetitur Deus cùm pater & filius & Spiritus sanctus nuncupatur, tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, id est in deitate, essentia, atque natura.] Et Ambrosius in libro primo de Fide, Diuersitas plures facit, vnitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est.] Vnde sunt Arrius atque Gothescalcus, iuxta Poëtam,

Gen. 1. 26.
Gen. 3. 5.
Exod. 20. 26.
Cap. 2.

Ambo errore pares, quanquam diuersa loquantur.

Si enim quando hic nouus ariolus, perniciosior fortè quàm quilibet ariolus, dixit, sicut sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est vna, subiunxisset sic personaliter est trina, constaret sententia. Quod autem subiunxit, ita *deitas personaliter est trina*, non solùm contra catholicam fidem est, verùm & hoc quod præmisit impugnat, sicut & præmissa subsequentia destruunt. Nam quod dixit, sicut sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est vna, si ita intelligatur sicut debet intelligi, scilicet quia Trinitas vna est essentia atque natura, id est deitate, Trinitatis videlicet vnitate, personaliter deitas trina esse non potest, ac per hoc illud quod præmisit sancta Trinitas essentialiter atque naturaliter est vna, destruit quod subiunxit,

deitas

deitas personaliter est trina, quod esse non potest, quoniam deitas id ipsum est quod substantia & natura, quæ semper vna est, & trina esse non potest, quia deitas vt Athanasius, Ambrosius, & Augustinus dicunt, Trinitatis est vnitas. & quod subiunxit, *deitas personaliter est trina*, impugnat quod præmiserat, Trinitas essentialiter atque naturaliter est vna. Non enim in eo quo vna est Trinitas, id est in essentia atque natura, trina esse potest, sicut Arrius dementauit: & in eo quo vnus Deus Trinitas vel trinus dicitur, id est in personarum proprietate, non vnus, sicut Sabellius blasphemauit, sed vnum est, sicut Christus in Euangelio dicit. Contra quos cantat Ambrosius, Deus *vnus potentialiter, trinúsque personaliter.*] Et Athanasius, Fides catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate personarum, & trinitatem personarum in vnitate deitatis veneremur, neque confundentes personas vt tres non sint, neque substantiam separantes, vt trina sit: quia alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti, sed patris & filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.] Et Augustinus in libro septimo de Trinitate, Sicut, inquit, substantia patris ipse pater est, non quo pater est, sed quo est, ita & persona patris non aliud quàm ipse pater est. Ad se quippe dicitur persona, non ad filium, vel ad Spiritum sanctum: sicut ad se dicitur Deus & magnus, & bonus, & iustus, & si quid aliud huiusmodi. Et quemadmodum hoc illi est esse quod Deum esse, quod magnum esse, quod bonum esse, ita hoc illi est esse quod personam esse. Neque cùm quislibet audierit patrem solum Deum, separet inde filium, aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus est, cum quo & vnus Deus est. quia & filium cùm audiuimus solum Deum, sine vlla separatione patris & Spiritus sancti oportet accipere, sicut in Euangelio scriptum est, *Ego & pater vnum sumus.* Et *vnum* dixit & *sumus.* vnum secundùm essentiam, quod idem Deus: sumus secundùm relatiuum, quòd ille pater, hic filius.] Propter quod etiam pluralem numerum admittunt. Cur ergo non hæc tria simul vnam personam dicimus, sicut vnam essentiam & vnum Deum, sed dicimus tres personas, cùm tres Deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel vnum aliquod vocabulum seruire huic significationi qua intelligitur Trinitas, ne omninò taceremus interrogati quid tres, cùm tres fateremur, quia tres in sancta Trinitate personæ relatiuè dicuntur, quæ essentialiter, id est naturaliter, vnum non vnus sunt: quia vna & non trina est deitas, diuinitas, essentia, substantia, & natura patris & filij & Spiritus sancti. Fides quippe catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in vnitate deitatis veneremur, neque confundentes personas, vt tres non sint, neque substantiam separantes, vt trina sit. quæ vna substantia, id est deitas, quæ Trinitatis est vnitas, etiam in personis non valens diuidi ipsa separabilitate sua,

Cap. VI.

Post alia.

Ioan. 10. 30

tres inſeparabilis Trinitatis perſonas oſtendit eſſe, & ab inuicem ſeparari non poſſe, quia cuiuslibet perſonæ nomen ſemper ad alteram reſpicit perſonam. Si patrem dicis, filium oſtendis: ſi filium nominas, patrem prædicas: ſi Spiritum ſanctum appellas, alicuius eſſe ſpiritum neceſſe eſt intelligas, id eſt patris & filij, quorum vna eadémque ſubſtantia, id eſt deitas quæ Trinitatis eſt vnitas, in ſingulis eſt tota perſonis, & tota in tribus ſimul perſonis: vel ſi rectiùs dicitur, ne putentur aliud eſſe in ſancta Trinitate perſonæ, & aliud deitas, tota perfectáque eſt deitas ſingulæ in ſancta Trinitate perſonæ, & tota perfectáque, eſt deitas tres ſimul in ſancta Trinitate perſonæ. & idcirco inſeparabilis eſt ſancta Trinitas etiam in perſonis ſenſu intelligenda, quamuis in voce ſeparabilia habeat nomina, quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipit. In perſonis namque Trinitas conſtat, in natura id eſt in deitate vnitas, quæ diuidi non poteſt, quoniam natura, id eſt deitas Trinitatis eſt vnitas. Hoc enim verè inſeparabile dicitur, quod nullatenus ſeparationem poteſt recipere. Nam quod non ſeparatur, ſed ſeparari poteſt, inſeparabile non eſt. Inſeparabilis eſt ergo ſancta Trinitas etiam in perſonis ſenſu intelligenda, quoniam patris & filij & Spiritus ſancti non trina ſed vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Mentitur igitur Gotheſcalcus vt ſolet, dicens,

V.

—Quia ſicut ſancta Trinitas vna eſſentialiter atque naturaliter, ſic procludubio eſt perſonaliter trina deitas, ſicuti ſcilicet maieſtas, pietas, poteſtas.

XP. QVOD refellit catholica fides, per omnium orthodoxorum ora prædicans & confirmans, quia Trinitas ad perſonas patris & filij & Spiritus ſancti refertur, vnitas ad naturam æternæ deitatis pertinet. Vnde Auguſtinus in libro ſeptimo de Trinitate dicit, Hoc eſt Deo eſſe quod ſubſiſtere, & ideo ſi vna eſſentia Trinitas, vna etiam ſubſtantia, & idcirco commodiùs dicuntur tres perſonæ, quàm tres ſubſtantiæ. Non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omninò idem. nam eſſe ad ſe dicitur, perſona verò relatiuè, videlicet pater ad filium, filius ad patrem, Spiritus ſanctus ad patrem & filium, quorum eſt Spiritus, ſicut idem doctor exponit.] Et in libro XV. Aliud eſt itaque Trinitas res ipſa, aliud imago Trinitatis in re alia.] Tanta eſt enim in ea inſeparabilitas, vt illa vnus Deus & dicatur & ſit, nec in vno Deo ſit illa Trinitas, ſed vnus Deus. Non igitur deitas perſonaliter trina eſt, ſed trium ad quas refertur trinitas perſonarum ſubſtantia vna eſt, id eſt deitas: quæ, vt Auguſtinus in primo libro de Trinitate dicit, Trinitatis eſt vnitas, ſcilicet qua eſt inſeparabilis Trinitas, quoniam vna eadémque eſt tota in ſingulis, tota in tribus ſimul perſonis. Dicendum ergo eſt, ſicut Auguſtinus dicit, Trinitas vna eſſentia, & vna ſubſtantia tres perſonæ, vel Tri-

Cap. VI.

Cap. XXII.

nitas ſubſtantialiter vnus Deus, non ſicut Gotheſcalcus abſolutè dicit, Trinitas eſſentialiter atque naturaliter eſt vna, ne induci putetur perſonarum confuſio, vnde paulo ſuperiùs quantum cauſa popoſcit præmiſimus. Nec in hoc etiam vllo modo ſequendus eſt Gotheſcalcus, vt credatur vel dicatur deitas perſonaliter trina. Qui enim credit & dicit trinam perſonaliter deitatem, nihil differt ab Arrio, ad cuius prauam intelligentiam refellendam, ſancti catholici patres, non humana adinuentione, ſed diuina inſpiratione, in ſacro Nicæno Concilio ὁμοούσιον, id eſt conſubſtantialitatem, videlicet vnam ſubſtantiam, eſſentiam, naturam, & deitatem trium perſonarum, patris & filij & Spiritus ſancti, credi & teneri firmiſſimè decreuerunt, & ab hac regula deuiantes anathematizauerunt. Gotheſcalcus autem mel plùs comedere volens quàm ſufficit, id eſt plùs ſapere quàm oporteat ſapere, & ſcrutari maieſtatem vltra ſuæ infirmitatis capacitatem, hoc intelligentiæ dicto, ſicut clauſis oculis ad ignem, ita ſciens & videre nolens in prauè ſentientium, Sabellij videlicet & Arrij, quos cùm nominat deteſtatur, & ſenſu cùm diſputat ſequitur, ſententias videtur currere cum ſuis complicibus, de quibus ſcriptum eſt, *Deſcendant in infernum viuentes*, id eſt labantur in blaſphemiæ peccatum ſcientes. Nam ſi deitas perſonaliter trina eſt, tres deitates ac per hoc tres Dij erunt, aut vna deitas in tribus perſonis erit partita, & iam Trinitas non inſeparabilis, ſed ſeparata, & ſicut in perſonis, ita & in ſubſtantia numerabilis erit, & in nulla de tribus perſonis deitas perfecta erit, ſícque Deus, quod & ſtultum & nefas eſt dicere, imperfectus erit. Quapropter non ab re computamus, illum ipſum ſpiritum nos per huius, ſicut & per Arrij, os audire, qui per ſerpentem primis parentibus ſibilauit, *Eritis ſicut Dij*. Contra cuius impietatem ſanctus Auguſtinus in ſeptimo libro de ſancta Trinitate inter alia dicit, Nec ſic ergo Trinitatem dicimus tres perſonas, vel ſubſiſtentias, vnam eſſentiam & vnum Deum, tanquam ex vna materia tria quædam ſubſiſtant, etiamſi quidquid illud eſt in his tribus explicatum ſit. Non enim aliud eius eſſentiæ eſt præter iſtam Trinitatem. tamen tres perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas vnam eſſentiam dicimus: tres autem perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, aliud quod perſonæ, ſicut tres ſtatuas ex eodem auro poſſumus dicere. aliud enim illis eſt eſſe aurum, aliud eſſe ſtatuas. Et cùm dicantur tres homines vna natura, vel tres homines eiuſdem naturæ, poſſunt etiam dici tres homines ex eadem natura, quia ex eadem natura & alij tales homines poſſunt exiſtere. In illa verò eſſentia Trinitatis, nullo modo alia quælibet perſona ex eadem eſſentia poteſt exiſtere. Non enim maior eſſentia eſt pater & filius ſimul, quàm ſolus pater aut filius: ſed tres ſimul illæ ſubſiſtentiæ, ſiue perſonæ, ſi ita dicendæ ſunt, æquales ſunt ſinguli, quod animalis homo non percipit.] & reliqua, quæ

Cap. vi.

Poſt pauca.

latiùs ibidem idem ſagaciſſimus doctor exequitur.] *Et in Sermone trigeſimo ſexto* Euangelij ſecundùm Ioannem, Trinitas vnus Deus, Trinitas vna eſt æternitas, vna poteſtas, vna maieſtas. quid ergo tres? ſi enim tres ait, oportet dicas quid tres. reſpondeo, pater & filius & ſpiritus. id enim quod pater in ſe eſt Deus eſt, quod ad filium eſt pater eſt, quod filius ad ſeipſum Deus eſt, quod ad patrem eſt filius eſt.] *& poſt paululum*, Non eſt quid dicam tres niſi patrem & filium & Spiritum ſanctum, vnum Deum, vnum omnipotentem, ergo vnum principium.] *Et in ſermone trigeſimo ſeptimo*, Si enim quod pauci intelligunt, ſimplex eſt natura veritatis, hoc eſt filio eſſe, quod noſſe. *Et in Sermone quadrageſimo quarto*, Arriani dicunt, aliud eſt pater, aliud filius, quaſi non ſint eiuſdem ſubſtantiæ pater & filius.] *In Sermone quadrageſimo quinto*, Si manum intelligamus poteſtatem, vna eſt patris & filij poteſtas, quia vna diuinitas.] *& poſt pauca*, Ergo nemo rapit de manu patris mei, hoc eſt, nemo rapit mihi.] *In Sermone ſeptuageſimo quarto*, Cùm ergo ſit omninò inſeparabilis Trinitas, nunquam Trinitas eſſe ſciretur, ſi ſemper inſeparabiliter doceretur. Nam cùm dicimus patrem & filium & Spiritum ſanctum, non eos vtique diceremus ſimul, cùm ipſi non poſſint eſſe non ſimul.] *In Sermone octogeſimo octauo*, Chriſtus namque cum patre & Spiritu ſancto, non ſunt tres Dij, ſed vnus Deus, de quo ſcriptum eſt, *Benedictus dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus.*] *In Sermone nonageſimo primo*, Vbi eorum quilibet vnus, pater videlicet filius, aut Spiritus ſanctus, ibi Trinitas Deus vnus. Oportebat autem ita inſinuari Trinitatem, vt quamuis nulla eſſet diuerſitas ſubſtantiæ, ſingillatim tamen cœpit diſtinctio perſonarum, vbi eis qui rectè credunt nunquam videri poteſt ſeparatio naturarum.] *Item in Sermone nonageſimo ſecundo*, Sæpè autem diximus inſeparabilia eſſe opera Trinitatis, ſed ſingillatim commendandas fuiſſe perſonas, vt non ſolùm ſine ſeparatione, verùm etiam ſine confuſione, & vnitas intelligatur, & Trinitas.] Et magnus Leo Papa contra hæreticos loquens ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum dicit, Quod enim de Deo patre eſt, hoc eſt quod ipſe eſt, neque id aliud eſt quàm filius & Spiritus ſanctus. Præter hanc autem ſummæ Trinitatis vnam conſubſtantialem & ſempiternam atque incommutabilem deitatem, nihil omnium creaturarum eſt, quod non in exordio ſuî ex nihilo creatum ſit.] *& item*, Ab eiſdem, inquit, hæreticis, contra verum veri Dei cultum, Trinitas deitatis negata perſonarum proprietate confunditur.] Et item ſanctus Gregorius in ſexta decima Homilia Ezechielis, Iſaias, inquit, audiuit angelica agmina in cælo clamantia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Vt enim perſonarum Trinitas monſtraretur, tertiò Sanctus dicitur: ſed vt vna eſſe ſubſtantia Trinitatis appareat, non Domini Sabaoth, ſed Dominus eſſe perhibetur. Quod Dauid quoque ſimiliter ſentiens

Pſal.71,18.

Cap.v.

Cap.xvii.

Sub med.

Eſa.6.

ait, *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* qui cùm tertiò dixisset Deum, vt vnum hunc esse ostenderet, subdidit *& metuant eum omnes fines terræ.* Paulus quoque loquitur dicens, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso videlicet ex patre, per ipsum, per filium, in ipso autem, in Spiritu sancto. Cùm ergo ipsum tertiò dixisset, adiunxit, *ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas, & subiungendo ipsi gloria, non diuisit substantiam.] Et beatus Paulinus Aquileiensis patriarcha in libro contra Felicem, Sancta, inquit, catholica atque Apostolica Ecclesia, quæ licèt in toto sit orbe terrarum diffusa, vna tamen est amica sponsi, proxima, & columba, quæ pennis deargentatis sacri eloquij refulget pulchritudine, & in pallore auri posteriora eius per rectæ fidei puritatem clarescit, confitetur sanctam & ineffabilem Trinitatem in vnitate. Salua scilicet inconfusibiliter proprietate personarum, inseparabilem substantiam confitetur. Ita sanè vt alius credatur pater, quia pater est, qui genuit coæternum sibi sine tempore & omni initio filium, & alius credatur filius, quia filius est, qui genitus est sine initio à patre, non putatiuè, sed verè, & alius credatur Spiritus sanctus, quia Spiritus sanctus est, & à patre filióque procedit: & non est aliud pater, & aliud filius, & aliud Spiritus sanctus, sed vnum sunt inseparabiliter pater & filius & Spiritus sanctus. Non vnus sed vnum, quia alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti: sed vna & æqualis, & consubstantialis, & coæterna est patris filiíque & Spiritus sancti inenarrabilis diuinitatis maiestas, quia vnus est Deus. Vnionem namque in essentia confitemur, trinitatem verò in personarum discretione prædicamus.] Et sanctus Alcuinus ex verbis beati Augustini in libro ad Carolum Magnum Imperatorem dicit, Quidquid inquiens ad seipsum dicitur Deus, & de singulis personis dicitur, patre & filio & Spiritu sancto, & simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicendum est. Quoniam quippe non aliud est Deo esse, & aliud magnum esse, vel aliud esse, & aliud bonum esse, sed hoc idem illi est & esse & magnum esse, & esse & bonum esse, propterea sicut non dicimus tres Deos, nec tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, nec tres bonitates, sed vnum Deum, vnam essentiam, & vnam magnitudinem, & vnam bonitatem.] Et quod Apostolus ait, *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, non ita intelligendum est, quòd pater dici non possit virtus vel sapientia, sicut dici non potest filius vel Verbum, quia hæc relatiua sunt nomina, illa verò, id est virtus & sapientia, substantialia sunt. Ideo pater virtus & sapientia, & filius virtus & sapientia, & Spiritus sanctus virtus & sapientia: non tamen tres virtutes, nec tres sapientiæ, sed vna virtus & sapientia, pater & filius & Spiritus sanctus, sicut vna substantia & vna omni-

Psal.66. Rom.11. Lib.1.de Trin.cap.8 1.Cor.1.24

potentia, & alia quæ de ſubſtantia diuinitatis dicuntur. Et ita intelligatur filius ſapientia patris, quomodo dicitur lumen patris, id eſt, vt quemadmodum lumen de lumine, & vtrumque vnum lumen, ſic intelligatur ſapientia de ſapientia, & vtrumque vna ſapientia: quia in illa ſimplicitate diuinæ naturæ non eſt aliud ſapere quàm eſſe, nec aliud eſſe quàm poſſe, nec aliud poſſe quàm viuere. Eadem ibi ſapientia quæ eſſentia, eadem vita quæ & eſſentia, & hæc omnia vnum, & vnus Deus. ſic & de maieſtate, & pietate, & poteſtate, de omnibus quæ ſubſtantialiter in Deo dicuntur, intelligendum atque fatendum eſt. Et item hæc praua atque peruerſa Gotheſcalcus contexuit.

VI.

— *Sicut enim, inquiens, Deus Trinitas numeri ſingularis eſt, iuxta illud, benedicta ſit ſancta Trinitas, ſic etiam numeri ſingularis, & τεἰθεοτεία trina deitas.*

XP. Hinc liber ſextæ Synodi, per quem ſe Gotheſcalcus falsò reclamauit, & ſuam falſam voluit confirmare ſententiam, eum falſitatis redarguit, & falſarium comprobat in ſua falſa interpretatione, qui volens vomere quod non glutiuit, τεἰθεοτείαν trinam deitatem interpretatus eſt. Nam illud tri, in vnitate deitatis, quæ eſt vnitas Trinitatis, non recipit numerum, nec quamcumque adiectionem demonſtrantem pluralitatem. Non ita vt interpretatur Gotheſcalcus, intellexit Victorinus rhetor vrbis Romæ, & magiſter beati Hieronymi, ſcribens ad Candidum Arrianum, per concluſiones & extenſiones dialecticæ ac rhetoricæ diſciplinæ, quæ quodammodo ſibi cognatæ ſunt, ſuam hæreſim confirmare nitentem, eodem modo cum verborum ſenſibus Græcæ linguæ, de patre & filio & Spiritu ſancto ipſius impietatem refellens, [& deſtruens inter cætera. Sic, inquit, iſtorum trium vnum & idem exiſtentium vna diuinitas, & non multifida maieſtas, & tria vnum, & vnum tria, & ter vnum tria, & idem & vnum & ſolum eſt.] Et veri Græcæ linguæ interpretes epiſtolam ab Apoſtolica fide, & à præfata ſancta ſexta Synodo receptiſſimam, vt diximus, ſancti Sophronij Hieroſolymitani Epiſcopi interpretantes, non trina ſed ter interpretati ſunt, & anathematizant illos, qui illud ter non recto ſenſu intelligunt, & trinam deitatem dicunt, ſicut in eadem ſexta Synodo continetur, vbi dicitur, Numeratur ergo beata Trinitas non eſſentiis, non naturis, nec diuerſis deitatibus, triníſve dominationibus, abſit, ſicut inſaniunt Arrij, & ſicut noui τεἰθεοτείας, id eſt ter deitatis latratores, eſſentias tres, & naturas tres, & tres dominationes, & tres ſimiliter vaniloquentes deitates.] *& paulo pòſt*, Diuiditur itaque indiuisè ſancta Trinitas, & diuisè rurſus coniungitur. In perſonis namque diuiſionem habens indiuiſa permanet, & inſeparabilis per eſſentiam [& naturam, ſimilitérque & deitatem.] Et Boëtius in libro de Trinitate ex beati Auguſtini ſcriptis, ſicut & ipſe fatetur, In numero, inquit,

Non longè ab initio.

quo numeramus, repetitio vnitatum facit pluralitatem, in rerum verò numero non facit pluralitatem vnitatum repetitio. Velut ſi de eodem dicam, Gladius vnus, mucro vnus, enſis vnus, poteſt enim vnus tot vocabulis gladius agnoſci, hæc vnitatum repetitio iteratio potiùs eſt quàm numeratio. velut ſi ita dicamus, Enſis, mucro, gladius, repetitio quædam eſt eiuſdem, non numeratio diuerſorum. velut ſi dicam, Sol, ſol, ſol, non tres ſoles effecerim, ſed de vno toties prædicauerim. Non igitur ſi de patre, filio & Spiritu ſancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina numeratio numerum facit.] Videlicet quia patris & filij & Spiritus ſancti vna eſt deitas, quæ Trinitatis eſt vnitas. In perſonarum ergo proprietate ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis, cùm pater ad filium, filius ad patrem, & Spiritus ſanctus ad patrem filiúmque refertur, relatiuè & quodammodo ſeparabiliter dicitur apud Græcos trias Trinitatis, vt ſi quæratur ad quid dicitur Trinitas, reſpondeatur perſonarum, vel ad perſonas, quin patris & filij & Spiritus ſancti, ideóque Trinitas à catholicis dicitur, quòd fiat totum vnum ex quibuſdam tribus, quaſi Triunitas, id eſt ter vnitas, & non trina vnitas, conſtans tribus quæ numerantur perſonis vnius deitatis, quæ vt diuiſione ita pluralitate caret ac numero, quia vbi nulla eſt differentia, nulla eſt, vt Boëtius dicit, omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm, & vnitas in ſe trina eſſe non poteſt. Quapropter catholici & veri interpretes ſemper in ſancta & inſeparabili Trinitate, illud τρὶς ter de Græca in Latinam linguam interpretari viderunt, quia trina repetitio vnius Dei, cùm dicitur pater & filius & Spiritus ſanctus, non facit in eſſentia pluralitatem, ſed vnus Deus toties perſonaliter prædicatur. A numero autem quo numeramus, in quo pluralitatem oſtendimus, ſicut τριπλόος triplex, τρίγωνος triangulus, τριάκοντα triginta, τριακόσια trecenta, τριετία triennium, τριέτης trimus vel trima, τριετηρικὸς triennalis dicitur, & plura his ſimilia quæ rebus ſubiiciuntur, quærunt nominationem rerum quibus ſubiecta ſint, & cùm ſubiiciuntur materiis, accidentium varietas vel multitudinem ſignificáns, quæ diuiſè in rebus numerabilibus conſtat ex diuerſitate vel pluralitate quam in ſe habet, oſtendit etiam in eis quibus ſubiicitur quandam pluralitatem & numeri differentiam. verbi gratia, vt trimus vitulus, triennalis iuuenca, triplex funiculus, triangulus lapis, triginta viri, trecenta ſcuta. Ex his orthodoxorum dictis & vera Græcæ linguæ interpretatione, manifeſtiſſimè claret, Gotheſcalcum in ſua interpretatione & in ſua expoſitione mentitum fuiſſe. Nobis autem Latinis, & Græcæ linguæ ignaris, non eſt hinc neceſſe diutiùs laborare, cùm ſatis in orthodoxorum libris, qui vtriuſque linguæ fuêre periti, inueniamus qualiter ſecundum catholicam fidem credere & confiteri, tenere quoque ac prædicare, de ſancta & inſeparabili vnius deitatis Trini-

tate debeamus. Nec nobis aliquis inde ſcrupulus, ex Gotheſcalci & aliorum imperitorum atque malè ſentientium verbis, qui Græcæ linguæ penitùs expertes fuerunt, ineſſe debet, cùm in maiorum noſtrorum ſcriptis legamus, multos qui ſibi interpretationem Græci ſermonis vſurpauerunt, & vim notarum ac punctorum, quin immo accentuum ſuperpoſitorum ad tollendam ambiguitatem, quæ apud eos ex quibuſdam illorum fit literis, & ad intelligentiam ſermonum, atque ad pronunciationem diſtinguendam, plurimùm valere dicuntur, non intellexerunt, erraſſe & alia pro aliis, vt pro viſione montem, pro filio porcum, pro ter trina, & his ſimilia, & interdum ſingularia pro pluralibus, & pluralia pro ſingularibus tranſtuliſſe. Poſt prædicta, inueteratum antiquiſſimi ſcriptoris venenum, à ſanctis patribus, & in Nicæna Synodo, & in aliis catholicis Conciliis atque orthodoxis ſcripturis execratum ac prædamnatum Gotheſcalcus eructat, dicens,

VII.

— Sicut vnamquamque ex trinitate perſonarum, quiſquis eſt catholicus credit & confitetur, integrum, plenum, perfectum penitùs Deum, ſic vnicuique perſonæ ſuam propriam deitatem integram, plenam, perfectámque penitùs ineſſe credat, & confiteatur, & aſſerat, ac pro viribus collatis & conferendis deinceps diuinitùs contradicentes quoſcumque conuincat. In hoc enim liquet luce clariùs, quin patet ſole ſplendidiùs, quòd ineſt vnicuique perſonæ ſua propria deitas, atque diuinitas, quia reuera nequaquam aſſumpſit humanitatem, quod abſit, vllomodo tota Trinitas, ſed ſola tantummodò filij deitas.

XP. HINC quiſque cordatus percipiat quantum ſit arrogantiæ vitium, quod non ſolùm veritatem, ſed nec ſeipſum quem præoccupat permittit cognoſcere hominem. Vnde Dominus loquens ad Moyſem, inter cetera iuſſit vt albuginem habens in oculo non offerat panes Deo ſuo, nec accedat ad miniſterium eius. Albuginem verò habet in oculo, vt exponit Gregorius, qui veritatis lucem videre non finitur, quia arrogantia ſapientiæ ſeu iuſtitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem tolerans nihil videt: quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis, ſi ſtultum ſe peccatorémque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem ſibi iuſtitiæ ſeu ſapientiæ tribuit, à luce ſe ſupernæ cognitionis excludit, & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat: ſicut de quibuſdam dicitur, & de hoc ſingularis amentiæ homine intelligi ritè poteſt, *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*] Paulo namque ſuperiùs vnam naturaliter deitatem diuiſit, trinam eſſe illam perſonaliter dicens: deinde vt ſcriptum eſt ſub meretricis mulieris ſpecie, quod catholici viri interpretantur de hæreſi, quia non valet conſiſtere pedibus ſuis quin de peſſimis ad peiora labatur, ſuî ipſius oblitus, vnicuique perſo-

Leuit. 21. 20

Paſtor. Part. 1. cap. 11.

Rom. 1. 22.

Prou. 7. 11.

personæ in sancta Trinitate propriam deitatem, integram, plenam, perfectam, ac per hoc tres deitates, quod à catholicis iure damnatur, penitùs inesse credi & asseri atque defendi debere dicit. De quo ait secundùm Septuaginta translationem Esaias propheta, *Stultus stulta loquitur, & cor eius vana intelligit, & consummat inimica: & loquitur ad Deum errorem, ad disperdendas animas esurientes, & animas sitientes* inanes faciat. Consilia enim malorum iniqua cogitauerunt disperdere humiles in sermonibus iniquis, & dissipare verba humilium in iudicio. Nam pij sapientiam cogitauerunt, & hoc consilium manebit, videlicet quod contra eum redarguens & reuincens illum ad Corinthios scripsit Apostolus Paulus dicens, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus, cum omnibus vobis.* Hîc caritas Dei, hoc est patris intelligenda est, de quo dicit Ioannes Apostolus, *Deus caritas est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam vnigenitum filium suum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Gratia, domini nostri Iesu Christi, de quo ad Hebræos dicit Apostolus, *Gratia Dei pro omnibus gustauit mortem.* Communicatio sancti Spiritus, sicut Augustinus dicit, intelligēda est, quoniam in eadem vnitate substantiæ & æqualitate cum patre & filio consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue caritas, siue ideo vnitas quia caritas, & ideo caritas quia sanctitas, nequaquam minor est illis in aliquo ex quibus procedit, sic manens vt procedat, sic procedens vt maneat. Proinde totus de patre procedit, & totus de filio: totus in patre manet, & totus in filio. Quamobrem naturaliter hanc habet cum patre & filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat, totúmque filium, ipséque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio: qui etiam à patre & filio æqualiter datur, immo & à seipso datur.] Et Athanasius hanc Apostoli exponens sententiam dicit, Nónne apertè per singula nomina singulas personas inesse distinxit? Nomina singula tantùm in personis perfectè ostenduntur, deitatis vsiæ iudicium vniter per hæc ipsa indicatur? Sic pater in filio, & filius in patre, Spiritus autem sanctus coniunctio deitatis virtus & vnitas Trinitatis. Qui tres virtutes inducit, tres Deos confitetur. Nos autem credimus tres personas, vnam deitatem: confitemur patrem in filio, & filium in patre cum Spiritu sancto: non separatur vnitas, non diuiditur deitas, Deus ex Deo, non duo Dij, virtus ex virtute, sed vna virtus, lumen de lumine, veritas de veritate, sed vnum lumen & vna veritas.] Et item exponens sententiam Apostoli, *Omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso*, Ex ipso, inquit, ex patre est dictum, & per ipsum per filium, & in ipso in Spiritu sancto, est vniter consummatum. Itaque quod ait ex ipso, & per ipsum, & in ipso, quia identidem hæc ipsa est diuinitas patris, quæ & filij & sancti Spiritus, ideo cuncta ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt facta: ipsi Trini-

2.Cor.13.13

1 Ioan.4.9.
1.Ioan.4.16.

Hebr.2.9.

Lib IV. in principio.

Rom 11.36.
Lib.4. post medium.

tati vnitæ inenarrabili honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.] Et Ambrosius in libro tertio de Spiritu sancto, Manet, inquit, cum patre & filio & Spiritu sancto. Vnde & Apostolus cum gratia Iesu Christi, & caritate Dei, communicationem Spiritus sancti copulauit dicens, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Spiritus sancti cum vobis omnibus.*] Aduertimus igitur quod pater & filius & Spiritus sanctus in vno eodémque templo per naturæ eiusdem maneant vnitatem. Si enim, vt Gothescalcus dicit, & fides catholica contradicit, vnicuique personæ propria & specialis inest deitas, & non vnius deitatis, quæ communis est simul tribus personis, est Trinitas, tres sunt deitates, sicut tres sunt personæ, quibus singulis inest specialis proprietas. Proprium enim est patris qui à nullo est, vt pater sit. proprium est filij, qui de substantia patris genitus est, vt filius sit. proprium est Spiritus sancti, qui ex patre filióque procedit, vt amborum patris scilicet & filij Spiritus sit. & si tres, quod absit, sunt propriæ personarum deitates, vt vnicuique personæ sit propria id est specialis deitas, tres Dij erunt, & iam non erit inseparabilis Trinitas, quoniam separabilis, immò separata est deitas, quæ Trinitatis est vnitas, & qua est inseparabilis Trinitas. Et dicens,

2.Cor.13.13

VIII.

—Superest vt illi qui sunt grammatici, si nolunt esse simul & hæretici, non præsumant fateri in Ecclesia veracis Dei, veritatis Dei, veri Dei, quòd τριθεοτεία *id est trina deitas vlla ratione pluralis existat numeri, cùm sit vt claret vtique singularis, velut nouerunt vniuersi qui vel mediocriter artis grammaticæ sunt periti.*

XP. Oblitus, vel potiùs propter arrogantiam videre non valens rudimenta artis Grammaticæ, id est Donati doctrinam, quam sicut alphabetum initia videlicet elementorum in schola discunt pueruli, vbi scriptum est eodem Donato docente, Sunt alia nomina sono singularia, intellectu pluralia, vt gens, populus, concio, plebs, multitudo, sicut & quædam sunt nomina mobilia & adiectiua, sono numeri singularis, intellectu in se pluralitatem habentia, & adiuncta singularis numeri fixis nominibus pluralitatem monstrantia, vt tertia, trina, trima, trigama, & alia huiusmodi, de quibus quædam ponimus exempli gratia, tertia hora, trina repetitio, trima iuuenca, trigama mulier, in quibus omnibus fixis nominibus, ex adiectiuis in se pluralitatem habentibus, quodammodo quædam pluralitas demonstratur. Nam cùm dicimus hora tertia, horarum multiplicatio designatur: cùm dicimus trina repetitio, pluralitatem repetitionis ostendimus: cùm dicimus trima iuuenca, annorum in ea pluralitatem signamus: cùm dicimus trigama mulier, plures eam habuisse viros manifestamus. Inuenitur quoque dictum ab Augustino in libris de Trinitate, trinitas anulorum, trinitas personarum, trinitas in mente hominis, vbi ad imaginem Dei factus est. Vnde vt putamus

non inconuenienter etiam dici poteſt trina Trinitas. Sed cùm inconuenienter à Gotheſcalco dicitur trina deitas, pluralitas & numerus, quæ vt dicit Boëtius fiunt ex differentia, illi naturæ ſimplici & indiuiſibili, quæ nec in perſonis habet quamcumque differentiam, quod eſt dicere nefas imponitur, & in hoc mobili & adiectiuo nomine quod eſt *trina*, & in fixo nomine cui adiicitur, quod eſt *Trinitas*, continetur pluralitas, quam in ſe non recipit deitas. Qua de re *trina deitas* à nullo catholico intellecta, vel credi aut dici debere dicta eſt, vt Boëtius in libro ad Ioannem dicit, Si igitur interrogem, an qui dicitur pater ſubſtantia ſit, reſpondetur eſſe ſubſtantia. Quòd ſi quæram an filius ſubſtantia ſit, idem dicitur. Spiritum quoque ſanctum ſubſtantiam eſſe nemo dubitauerit. Et cùm rurſus colligo patrem filium Spiritum ſanctum, non plures ſed vna occurrit eſſe ſubſtantia. Vna igitur ſubſtantia trium, nec ſeparari vllo modo aut diſiungi poteſt, nec velut partibus in vnum coniuncta eſt, ſed eſt vna ſimpliciter. Quæcumque igitur de diuina ſubſtantia prædicantur, ea tribus oportet eſſe communia. Si dicimus pater Deus eſt, filius Deus eſt, Spiritus ſanctus Deus eſt, pater filius ac Spiritus ſanctus vnus Deus. Si igitur eorum vna deitas, vna ſubſtantia eſt.] Et in libro de Trinitate, Quòd tertiò repetitur Deus cùm pater & filius & Spiritus ſanctus nuncupatur, tres vnitates non faciunt pluralitatem in eo quod ipſæ ſunt, id eſt in deitate, quæ natura & eſſentia eſt, quæ ab eo quod eſt eſſe eſſentia dicta eſt. Non igitur, inquit idem Boëtius, ſi de patre ac filio & Spiritu ſancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis vt dictum eſt imminet, qui inter eos diſtantiam faciũt meritorum: catholicis verò ita indifferentia conſtituentibus, ipſámque formam vt eſt eſſe ponentibus, neque aliud eſſe quàm eſt ipſum quod eſt opinantibus, rectè repetitio de eodem quàm enumeratio diuerſi videtur eſſe, cùm dicitur Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus ſanctus: atque hæc Trinitas vnus Deus, velut enſis, mucro atque gladius, vnus gladius, velut ſol, ſol, ſol, vnus ſol. Sed hoc interim in eam dictum ſit ſignificationem demonſtrationémque, qua oſtenditur non omnem vnitatum repetitionem numerum pluralitatémque perficere. Non verò ita dicitur pater ac filius & Spiritus ſanctus, quaſi multiuocum quiddam. Nam mucro & enſis & ipſe eſt & idem, pater verò ac filius & Spiritus ſanctus idem equidem eſt, non verò ipſe.] Hinc manifeſtum eſt Gotheſcalcum non dicere verum, Sicut, inquit, Deus Trinitas numeri ſingularis eſt iuxta illud, Benedicta ſit ſancta trinitas, ſic etiam numeri ſingularis eſt trina deitas. Quia trina & Trinitas ſono ſingularis ſunt numeri, & intellectu pluralis. Deitas autem, qua patrem Deum dicimus, filium Deum dicimus, Spiritum ſanctum Deum dicimus, & ſono & intellectu ſingularis eſt numeri, & adiectionem pluralitatem ſignificantem non recipit: quoniam ſancta

In principio libelli.

Lib. de Trinitate ante mediũ

& inseparabilis in personis intelligitur & dicitur Trinitas & in substantia, essentia, natura, diuinitate, deitate, intelligitur & dicitur vnitas, quia deitas Trinitatis est vnitas, vt omnes doctores catholici, sed & Boëtius in præfato librò de Trinitate vt præmisimus dicit. Vbi inquiens nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm. Nam quod tertiò repetitur Deus, cùm pater & filius & Spiritus sanctus nuncupatur, tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt.] id est in essentia, videlicet deitate. Vnde dixit Deus ad Moysem, *Ego sum qui sum*, &, *dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.* Regula igitur fidei, secundùm auctoritatem sacræ scripturæ, in qua legitur *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, &, *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*, &, *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria*, catholicè dicitur, *Benedicta sit sancta Trinitas, atque indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Sed non sicut catholicè dicitur, benedicta sit sancta Trinitas, videlicet personarum, atque indiuisa vnitas, quæ intelligitur deitas, quæ Trinitatis est vnitas, non potest ita, vt Gothescalcus desipit, catholicè dici trina deitas, quæ vt Augustinus sicut præmisimus dicit, Trinitatis est vnitas, de qua dicit Ambrosius, Tu Trinitatis vnitas, orbem potenter qui regis, & Athanasius in libro sexto de Fide, Deus, inquit, pater, Deus & filius, Deus & Spiritus sanctus. Vides Trinitatis indicium in tribus esse personis, & tres has personas nominibus tantùm esse discretas: vnde nec vnitas potest ostendi sine personis, nec hæ personæ sine vnito nomine deitatis.] Hoc, vt Augustinus dicit, animalis homo non percipit, hoc Gothescalcus videre non valet, quia sicut in literis diuinitùs inspiratis legimus, scilicet quatuor esse arrogantium species, id est, cùm quisque arrogans quod habet, aut à se habere, aut sibi pro meritis suis datum computat, aut quod non habet habere se simulat, aut id quod habet singulariter præ cæteris sibi habere arrogat, in isto manifestè videmus. Nam de duabus prioribus arrogantium speciebus ipse viderit, duas posteriores in eo fuisse & adhuc permanere, qui illum ab infantia cognouerũt, & manifestè conspiciunt, & conspexerunt. Non enim potest sustinere, vt audiat quod illius sensui non concordat, multò minus autem vt illum aliquis doceat, & omnium sensus suo sensui incomparabiles computat, & neminem sibi in scientia æquiparabilem putat, & nõ suum sensum ad scripturas, sed scripturas ad suum sensum inflectere curat. quas quia malo voto legit, veritatem in eis videre non valet. *Excæcauit enim eum*, sicut scriptum est, *malitia eius. Quoniam in maliuolam animam non introibit sapientia*, &, *Spiritus sanctus*, quo ipsæ scripturæ sunt inspiratæ, *disciplinæ effugit fictum, & aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Requiescit enim super humilem & quietum, & vt sanctus dicit Gregorius, quam non inuenit humilem

Non longè à princip.
Exod.3.14.
Esa.6.3.
Psal.66.8.
Rom.11.36.
In principio.
Sap.1.21.
Sap.1.4.
Sap.1.5.

veritas fugit mentem. De quo & eius similibus item beatus dicit Gregorius, Hæretici in inquisitionibus suis non veritatem conantur assequi, sed victores videri: cúmque foris ostendi sapientes appetunt, intus per stultitiam elationis suæ vinculis ligantur. Vnde fit vt contentionum certamina exquirant, & de Deo, qui pax nostra est, loqui pacificè nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inuentores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*] Propterea non est mirum, si cum Pharisæo de templo Domini, id est sancta Ecclesia, iustè eiectus habetur iniustus, in quo plures sua praua conuersatione atque doctrina iniustificans diu mansit perniciosè iniquus, & adhuc, sicut sanctus Hilarius de Osio dicit, idcirco est reseruatus, ne iudicio humano ignoraretur qualis antè vixisset. Contra cuius mortifera venena, quibus expuit quòd vnicuique personæ sua propria, integra, plena, perfectáque sit deitas, & sola tantummodò filij deitas humanitatem assumpserit, sanctus Athanasius dicit in capite libri primi de Trinitate, Tu vnus Deus pater, & vnigenitus Dei filius, Deus Spiritus sanctus, qui vnam deitatem nobis declarasti, & sacrosanctæ solius diuinitatis indiuisam gloriam reuelasti, & perfectam gloriam Trinitatis tuam sempiternam plenitudinem demonstrasti. ideo optimum duxi, vt tua veritas patefacta clarescceret, & hæreticorum detecta cæcitas innotesceret.] Et hoc catholicè per totum libri corpus contexens ad locum dicit, Vnde quamuis in hoc loco copiosè sint significationes dictæ, tamen ad vnitam diuinitatem Trinitatis euidentiùs sunt approbatæ.] *& post aliquanta*, An ignoras, inquit, quia pater vnus Deus est, & filius vnus Deus est, & Spiritus sanctus vnus Deus est? Nonne vnus Deus est, dum vnitum nomen est in natura vsiæ? Sic & vnus spiritus est, quia vnita est eiusdem deitas. Nam si tu per singula nomina personarum vnitum nomen spiritus ter designasti, numquid tres spiritus dicere oportet? Absit. Quòd si hoc potuerat dici, tale erat vt & hoc in confessione deberet introduci, tres Deos plurali numero nuncupari: vt iam non esset in his personis vnita natura diuinitatis, sed vnusquisque in propria vel diuersa natura sua consisteret, quod absit.] *& item paulo pòst*, Nos vnitatem deitatis vniter non pluraliter in Trinitate consentire sciamus.] *& item*, Ideo vnus est Deus, quia vnita est deitas, sicut per singulas personas scriptum est. Et quia nullus Deus nisi vnus, vel hoc, *Audi Israel, dominus Deus tuus Deus vnus est.*] *& item*, Memento vnitum nomen diuinitatis esse singulis personis. quod in eodem libro scripturarum auctoritate confirmat, & post illa testimonia dicit, Vides in his personis vnitum esse nomen Trinitatis in natura. & item post plura scripturarum testimonia, Vides per singulas significationes, videlicet personas, vnitum nomen deitatis ter indicatum?] *& post aliquanta* scri-

Lib VIII. Moral. c.2.

1.Cor.11.16

De vnito nomine Trinitatis.

Deut.6.4.

Matt.28.19 ptum est, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine*, & sic prosecutus est, *patris & filij & Spiritus sancti.* Vnde in his personis per omnia in deitate diuinitatis vnitum nomen est, & per ipsa nomina Trinitatis tantùm personæ distinctæ sunt.] *& post pauca*, Vt in baptismo vnitum diuinitatis nomen priùs confitearis, vt remissam peccatorum in his personis consequi merearis.] *& item*, Vides quia in deitate & in substantia plenitudinis per omnia vnum sunt, & in nominibus personarum tres sunt.] Et in secundo libro de propriis personis, & de vnito nomine diuinitatis, *Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis.* Scito alium ab alio, siue alterum ab altero in persona tantùm differre, & non in vnita plenitudine diuinitatis vsiæ. Nam si secundùm nomina singula personarum alter in altero sine dubio dici potest, numquid sic & in vnita deitate alter Deus potest pernuntiari pater, quasi sit in natura diuersus à filio, & alter Deus potest dici filius à patre, quasi sit in deitate alter, & alius Deus potest profiteri Spiritus sanctus, quasi sit in substantia discrepante à patre & filio? Absit. dum vnitum nomen sit in eis in vna vera natura, ac per hoc vnus verus est Deus.] *& post pauca.* Sanè deitas eorum cùm sit vnita, alter hic Deus ab illo alio Deo verbo tenus dici non potest, quia vnitum nomen est, & in plenitudine diuinitatis, & ideo vnus est Deus.] *& item.* Præterea vbi nullus nec numerus, sed nec aliqua differentia in vnita plenitudine deitatis patris & filij & Spiritus sancti inuenitur, dum vnus in alterius nomine distinctè in diuinitate & tamen vniter continetur. *Interrogatio.* Pande itaque mihi quomodo tres vnum sunt, aut vnum tres sunt. *Responsio.* Memento quia pater & filius & Spiritus sanctus tres vnum sunt, qui in natura Trinitatis consistunt. ideo tres vnum sunt, siue vnum tres. *Interrogatio.* Nimirum diuisa est hæc Trinitas, an indiuisa est, dicito mihi. *Responsio.* Planè diuisa est in nominibus tantùm personarum, in deitate autem indiuisa est. *Interrogatio.* Edicito mihi quomodo interpretatur vnitas. *Responsio.* Nescis quia vna est patris & filij & Spiritus sancti diuinitas? *Interrogatio.* Quid significatur vel intelligitur in hoc loco natura? *Responsio.* Hoc quod sentitur veritas ac dealitas siue substantia, de qua Græci dicunt vsia, quæ est manifestè vnita plenitudo diuinitatis. *Interrogatio.* Quid est vna Trinitas? *Responsio.* Vtique quia vna est in ipsa Trinitate plenitudo diuinitatis: ita & vnitatis naturæ nomen vniter in Trinitate consistere declaratur, & in ipsa Trinitas æquè per singula nomina personarum perfectè demonstratur.] Et sanctus Hilarius in Commento Matthæi, Duo autem sunt in lecto eandem passionis Dominicæ requiem prædicantes, circa quam & hæreticorum & catholicorum eadem atque vna confessio est. Sed quia vnitatem patris & filij, & communem eorum theoteiam, quam deitatem nuncupamus, catholicorum veritas prædicabit, & eandem rursum plurimis

Sub libri medium. Ioan.14.16

Canone XXVI.

contumeliis hæreticorum falsitas impugnabit, idcirco ex duobus in lecto alius relinquitur & alius assumitur, quia fidem confessionis vtriusque in vno assumendo & alio relinquendo diuini arbitrij iudicium comprobabit.] Et Ambrosius in primo libro de Fide, Scriptum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Deus enim & Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit, Dominus Deus nomen est mihi: & sicut alibi propheta asserit, *Dominus Deus omnipotens nomen est ei.* Dominus ergo & Deus, vel quòd dominetur omnibus, vel quòd spectet omnia, & timeatur à cunctis. Si ergo vnus Deus, vnum nomen, vna potestas, vna est Trinitas. Denique dicit, *ite baptizantes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* in nomine vtique, non in nominibus. Ipse etiam dicit, *Ego & pater vnum sumus.* vnum dixit, ne fiat discretio potestatis: sumus addidit, vt patrem filiúmque cognoscas, quòd perfectus pater perfectum filium genuisse credatur, & pater ac filius vnum sint, non personarum confusione, sed vnitate naturæ.] *& item,* Vnum ergo Deum, non duos aut tres Deos dicimus, vt impia Arrianorum hæresis dum criminatur incurrit. Tres enim Deos dicit, qui diuinitatem separat Trinitatis.] Et Augustinus in libro contra quinque hæreses, Dic doctor meus, sancte Paule, doce diuini iuris perite, sponsi amice. Homo iste modò venit, mundum subuertit, & fidei vnitatem scindit, Trinitatem diuidit.] *& item post aliquanta.* Diximus de patre & filio quod potuimus, & quantùm potuimus, si tamen aliquid dignè potuimus, de Spiritu sancto tacuimus, sed non eum separauimus. Quidquid enim de patre & filio diximus, etiam de Spiritu sancto diximus. Est enim in illis & cum illis æqualis, vnus non minor aut tertius Deus. Quid adhuc dicam fatigatus? Qui Spiritum sanctum à patre & filio, æternitate, & substantia, vel communione separat, & qui negat spiritum esse patris & filij, plenus est spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto. Ideo enim Deus dicitur caritas, quia non partibus diuidit vnitatem, sed ineffabiliter coagulat trinitatem. Ipsa est enim Trinitas vnus Deus, turris fortitudinis à facie inimici, qui credentes in se custodit in sæcula sæculorum.] Et item idem sanctus Augustinus in Sermone de fide contra hæreticos, Dicamus aliquid de scripturis, non rationem sequentes, sed auctoritatem Domini saluatoris. Christus dicit ascensurus ad cœlos, ad Apostolos loquens, quibus prædicat vt magister & Dominus. Nemo sic nouit de natura sua dicere, quomodo ipse qui Deus est. nobis autem sufficiat scire de Trinitate quod Dominus exponere dignatus est. Quid ergo dicit ad Apostolos? *Ite baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* Tria nomina audio, & vnum dicitur nomen. Non enim dixit in nominibus, sed in nomine. Tria nomina dicit, & quomodo vnum ponit, in nomine patris & filij & Spiritus sancti? Nomen patris & filij & Spiritus sancti vnum est, sed Trinitatis est

Lib.1.c.1. Deut.6.4. Exod.15.3. Matt.28.19 Ioan.10.30 Cap.2. Sub finem. Matt.28.19

nomen. Quòd dicitur in nomine patris Dei, in nomine filij Dei, in nomine Spiritus sancti Dei, pater & filius & Spiritus sanctus vnum nomen est diuinitatis. Sed requiris à me quomodo vno nomine tres appellatur, nescio, & liberè me nescire profiteor quod Christus noluit indicare. hoc solùm scio, quia & in hoc sum Christianus, quia vnum Deum in Trinitate cõfiteor. Si autem dixero, vnã personam esse patris & filij & Spiritus sancti, Sabellianus appellabor, & incipio non esse Christianus, sed Iudæus. Quia Iudæus vnũ Deum dicit, & qui a patrem nescit & filium & Spiritum sanctum, propterea mysterium non tenet Trinitatis. Ergo si sic dicimus vnum Deum, vt patrem & filium & Spiritum sanctum excludamus à mysterio Trinitatis, Iudæi efficimur. Ego liberè dico, non ex me sed sententia Saluatoris, scandalum quod in animo nascitur auditoris, quomodo tres vnum sint, quomodo pater & filius & Spiritus sanctus non diuidantur in diuinitate, sed in personarum qualitate. Quandocumque personas appello, rogo vos, non me reputetis personas hominum dicere. ego personas in patre & filio & Spiritu sancto non dico quasi personas hominum. Patris personam dico, quia pater est, & filij quia filius est, & Spiritus sancti quia Spiritus sanctus est. Non est pater filius, nec filius pater, nec Spiritus sanctus pater aut filius. Diuiduntur enim proprietatibus, sed natura sociantur.] *Item in alio Sermone* de Fide contra Arrianos & Sabellianos, Nec est prorsus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius specialiúsve dici potest: ita tota deitas sua perfectione æqualis est, vt exceptis vocabulis quæ proprietatem personarum indicant, quidquid de vna persona dicitur, de tribus dignissimè possit intelligi. atque vt confutantes Arrium vnam eandémque dicimus Trinitatis esse substantiam, & vnum in tribus personis fatemur Deum: ita impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas suî proprietate distinguimus. non ipsum sibi patrem, ipsum filium, ipsum Spiritum sanctum esse dicentes. sed aliam patris, aliam filij, aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim nomina tantummodò, sed etiam nominum proprietatem, id est personas confitemur: nec pater filij aut Spiritus sancti personam aliquando excludit, nec rursus filius aut Spiritus sanctus patris nomen personámque recipit, sed pater semper pater, filius semper filius, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Itaque substantia vnum sunt, personis ac nominibus distinguuntur.] Et item sanctus Augustinus in libro primo de Trinitate, Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate quæ est Deus, diuinorum librorum veterum & nouorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundùm scripturas docere, quòd pater & filius & Spiritus sanctus vnius eiusdémque substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem. ideóque non sint tres Dij, sed vnus Deus, quamuis pater filium genuerit, & ideo filius non sit qui pater est, filius à patre sit genitus,

Cap. IV.

ſit genitus, & ideo non ſit pater qui filius eſt, Spiritus ſanctus nec pater ſit, nec filius, ſed tantùm patris & filij ſpiritus patri, & filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem.] Et ſanctus Sophronius in catholica ſua epiſtola, quam ſexta Synodus ad catholicæ fidei confirmationem produxit, Nos inquiens vnum principium vnius nouimus deitatis, vnum imperium, vnam poteſtatem, vnam virtutem, vnam operationem, vnum conſilium, vnam voluntatem, vnam dominationem, vnum motum, tam omnium quæ poſt eam ſunt creatricem, quámque prouidam & ſtabilientem atque conſeruatricem, vnam dominationem, vnam ſempiternitatem, & quæque ſunt talia ſingularia & incompoſita vnius eſſentiæ atque naturæ in tribus perſonalibus ſubſiſtentiis. neque ſubſiſtentias confundentes, & in vnam eas ſubſiſtentiam deducentes, neque eandem vnam eſſentiam partientes, & in tres eam eſſentias diſcerpentes, & vnam ex hoc diuidentes deitatem. Sed eſt vnus Deus, vna deitas, in tribus ſubſiſtentiis fulgens, & tres ſubſiſtentiæ & perſonæ in deitate vna cognoſcuntur. Propterea perfectus Deus eſt pater, perfectus Deus eſt filius, perfectus Deus eſt Spiritus ſanctus, idcirco quòd vnam eandémque ſingula quæque perſona inſeparabilem, indiminutam, atque perfectam habet deitatem. Et iuxta quod Deus quidem eſt, idipſum exiſtit vnumquodque, dum ſeorſim conſideratur, ipſa intelligentia quod non eſt ſeparabile ſeparante, vt pater tamen & filius & Spiritus ſanctus, aliud, & aliud, & aliud dicantur. & idcirco hæc à Dei capacibus prædicantur Deus, & Deus, & Deus, ſed vnus eſt hæc tria Deus. Non enim alius Deus pater, nec alius Deus filius, neque alius iterum Deus Spiritus ſanctus, quia nec alia natura eſt pater, nec alia natura eſt filius, neque alia iterum natura eſt Spiritus ſanctus. Hoc enim etiam multos atque diuerſos Deos officinatur, multáſque & varias generat deitates. ſed Deus quidem eſt pater, Deus verò eſt filius, ſimiliter & Deus eſt Spiritus ſanctus, eo quòd indiuiſæ & indiminutæ eædem tres perſonæ vna impleantur deitate, & in vnaquaque earum funditùs tota eſt. Nam deitas diuiſionem non ſuſtinet, & in tribus ipſis perſonis plenificè atque perfectè eſt, non partibiliter, ſiue ex parte eaſdem implens perſonas, ſed in vnaquaque exiſtens pleniſſima, & vna permanens, licèt in tribus perſonis monſtretur, & ad deorum multitudinem excurrens, licèt in tribus ſit ſubſiſtentiis, vt non corporalem quandam ſuſtineat ſectionem, quæ certè eſt impaſſibilis & incorporea, & pati neſciens quæ creaturæ ſunt propria.] Hæc Spiritus ſanctus per ſanctos dicit Athanaſium, Hilarium, & Ambroſium, atque Auguſtinum: & ſpiritus immundus exhalat per immundiſſimum Gotheſcalcum dicens, Sicut vnamquamque ex Trinitate perſonarum « quiſquis catholicus credit & confitetur, integrum, plenum, perfe- « ctum penitùs Deum: ſic vnicuique perſonæ ſuam propriam deitatem «

Synodi VI. Act. XI.

» integram, plenam, perfectam penitùs inesse credat & confiteatur, cùm, vt sanctus Ambrosius scribit, Dominus dicendo, *Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti*, vnius esse Trinitatem potestatis ostenderit. Nos patrem & filium & Spiritum sanctum confitemur, ita vt in Trinitate perfecta, & plenitudo sit diuinitatis, & vnitas potestatis. *Omne regnum in se diuisum facilè destruetur*, Dominus hoc dicit. Non ergo diuisum est regnum Trinitatis. Si ergo diuisum non est, vnum est. Quod enim vnum non est, diuisum est. Tale ergo regnum esse cupiunt Trinitatis, quòd diuisione suî facilè destruatur. Immo quia non potest destrui, constat non esse diuisum. Non enim diuiditur vnitas, nec scinditur.] *& post aliquanta*, Est enim plenitudo diuinitatis in patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepans, sed vna diuinitas. nec confusum quod vnum est, nec multiplex quod indifferens.] *& paulo pòst*, Necesse est negent Arriani aut patris aut filij diuinitatem, nisi eiusdem diuinitatis crediderint vnitatem.] *& item*, Vt autem vna deitas patris & filij, & vna dominatio probaretur, ne gentilis aut Iudaicæ impietatis incurreremus errorem, prouidens Apostolus quid sequi deberemus ostendit dicens, *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.*] *& post pauca*, Quæ enim potest esse alia æstimatio, vbi deitatis vnitas est?] Et in libro primo de Spiritu sancto, Numquid est alia offensa filij, alia Spiritus sancti? Sicut enim vna diuinitas, sic vna iniuria. Si igitur vna pax, vna gratia, vna caritas, vna communicatio est patris & filij & Spiritus sancti, vna certè operatio est, & vbi vna operatio est, vtique non potest virtus esse diuisa, & indiscreta substantia. Scriptum est enim, *Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen est patris, aliud nomen filij, aliud nomen Spiritus sancti, Quia vnus Deus, non plura nomina, quia non duo Dij, non tres Dij. Et vt aperiret quia vna diuinitas vna maiestas est, quia vnum nomen patris & filij & Spiritus sancti, non in alio nomine venerit filius, in alio nomine Spiritus sanctus, ait ipse Dominus, *Ego veni in nomine patris mei.*] *& paulo pòst*, Scriptum est, *Paracletus autem spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Qui autem venit in nomine filij, vtique etiam in nomine patris venit, quia vnum nomen patris & & filij est. Sic fit vt vnum patris & filij nomen sit, & Spiritus sancti. Nec enim est aliud nomen sub cælo vllum, in quo oporteat nos saluos fieri. Simul docuit vnitatem diuini nominis esse credendam, non disparilitatem.] Et in libro tertio, capitulo decimo quarto, Vbi enim vna deitas intelligitur, vnus Deus dicitur. Sed excusemus vos ab inscientia, & si non excusamus à culpa. Etenim secundùm nostram sententiam, quia vnus Deus, vna diuinitas, & vnitas intelligitur potestatis, sicut vnum Deum dicimus, & patrem veræ

Lib.1.de fide cap 2.
Matt.28.19
Cap.codē.
1.Cor.8.6.
Cap.codē.
Cap.13.
Cap 14.
Matt.28.19
Ioan.5.43.
Cap.codē
Ioan.14.26.

deitatis nomine confitentes, nec filium denegantes, ita etiam Spiritum ſanctum à deitatis non excludimus vnitate, & tres Deos non aſſerimus, ſed negamus, quia pluralitatem non vnitas facit ſed diuiſio poteſtatis. Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis, cùm pluralitas numeri ſit, numerum autem non recipiat diuina natura? Vnus ergo Deus ſalua maieſtate trinitatis æternæ, ſicut propoſito declaratur exemplo. Nec eo tamen ſolo loco Trinitatem videmus nomine diuinitatis expreſſam: ſed cùm pleriſque locis, ſicut & ſuprà diximus, tum maximè in his Epiſtolis quas ad Theſſalonicenſes Apoſtolus ſcripſit.] *& item*, Ergo ſicut pater Deus & filius Dominus, ita & filius Deus & pater Dominus. Alternatur pia ſignificatio, non alternatur diuina natura, ſed immutabilis manet gratia. Non enim largitatis conlatiua, ſed naturalis placita caritatis ſunt, quia & vnitas proprietatem habet, & proprietas vnitatem.] *& item.* Aut dicant igitur quid ſit quod ſine patre & filio & Spiritu ſancto ſit creatum, aut Spiritum quoque vnius cum patre & filio deitatis eſſe fateantur.] Et ſanctus Auguſtinus in libro quarto de Trinitate capitulo vigeſimo primo dicit. In ſua quippe ſubſtantia qua ſunt, tria vnum ſunt pater & filius & Spiritus ſanctus, nullo temporali motu ſuper omnem creaturam id ipſum ſine vllis interuallis temporum vel locorum, & ſimul vnum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipſa æternitas, quæ ſine veritate & caritate non eſt. In meis autem vocibus ſeparati ſunt pater & filius & Spiritus ſanctus, nec ſimul dici potuerũt, & in litteris viſibilibus ſua ſeparatim locorum ſpatia tenuerunt.] Et in libro de vera Religione. Quare ipſum donum Dei cum patre & filio æquè incommutabile colere & tenere nos conuenit, vnius ſubſtantiæ Trinitatem.] Et in libro contra Maximinum. Tres enim perſonæ ſunt pater & filius & Spiritus ſanctus, & hi tres, quia vnius ſubſtantiæ ſunt, vnum ſunt & ſummè vnum ſunt, vbi nulla naturarum, nulla eſt diuerſitas voluntatum. Si autem natura vnum eſſent, & conſenſione non eſſent, non ſummè vnum eſſent. Si verò natura diſpares eſſent, vnum non eſſent. Hi ergo tres, quia vnum ſunt propter ineffabilem coniunctionem deitatis qua ineffabiliter copulantur, vnus Deus eſt.] Et item ex libro contra Maximinum. Satis apparet patris & filij & Spiritus ſancti vnam eſſe virtutem, vnam eſſe ſubſtantiam, vnam deitatem, vnam maieſtatem, vnam gloriam, qua ipſa Trinitas eſt vnus Dominus Deus noſter, de quo dictum eſt, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus, vnus eſt.*] & Leo ad Turibium Aſturicenſem Epiſcopum. Catholica fides eſt, quæ Trinitatem deitatis ſic ὁμοούσιον confitetur, vt patrem & filium & Spiritum ſanctum ſine confuſione indiuiſos, ſine tempore ſempiternos, ſine differentia credat æquales, quia vnitatem in Trinitate non eadem perſona, ſed eadem implet eſſentia.] Et ſanctus Gregorius multoties ita in libris ſuis de Trinitate vnius deitatis ſcribit, ſicut & ſuprà in

Cap 15. Cap. 17. Cap. 19. Cap. LV. Lib. III. cap. 10. Lib. III. in fine. Deut. 6. 4. Epiſt. 4. c. 12

Homilia sexta decima Ezechielis prophetæ eum dixisse ostendimus. Similiter quoque Prosper & ceteri catholici doctores sancto inluminati spiritu senserunt atque dixerunt, & suis scriptis nobis legenda atque tenenda immutabiliter tradiderunt. Et hinc sanctus Athanasius in libro professionis fidei catholicæ super Gothescalcum & eius complices dicit, Maledictus qui patris & filij & Spiritus sancti vnitam sempiternam substantiam diuinitatis esse non confitetur. fiat fiat. Maledictus qui secundùm tres personas tres diuersas substantias in his esse confitetur. fiat fiat. Maledictus qui vnitum nomen secundùm deitatem Trinitatis esse non confitetur. fiat fiat. Maledictus qui indiuisam deitatem patris & filij & Spiritus sancti non confitetur. fiat fiat. Maledictus qui vnitam deitatem patris & filij & Spiritus sancti ex caritate concordiæ tantùm esse profitetur, & non magis per hanc ipsam vnitam diuinitatem. fiat fiat. Maledictus qui vnitam deitatem in tres has personas esse non confitetur. fiat fiat. Maledictus qui vnitatem vel plenitudinem diuinæ Trinitatis indiuisam esse non confitetur. fiat fiat.] Hinc mille testimonia sacrarum scripturarum & ex orthodoxorum scriptis dari possunt. Immo non aliter vnquam vel vsquam in sanctis scripturis vel orthodoxorum dictis inuenitur, nisi quia in sancta Trinitate tres sunt personæ & vna est diuinitas, deitas, natura, essentia atque substantia. Ceterùm contra id quod idem dementissimus potiúsque amentissimus Gothescalcus dicit,

Extant in libro VI.

VIII.

— *In hoc inquiens liquet luce clariùs, quin patet sole splendidiùs, quòd inest vnicuique personæ sua propria deitas, atque diuinitas, quia reuera nequaquam assumpsit humanitatem, quod absit, vllo modo tota Trinitas, sed sola tantummodò filij deitas.*

XP. EXTOLLENS vocem Ecclesia catholica tonitruo fortiùs, tuba sonoriùs, ostendit Gothescalci mendacium nocte opacius, tenebris tenebrosius. Quæ dicit quia non inest, vt mendax isdem mentitur, vnicuique personæ sua propria, id est specialis, deitas atque diuinitas: sed est vna eadémque trium simul personarum deitas atque substantia, qua omnes tres simul personæ vnus verus perfectúsque est Deus ex plenitudine vnius eiusdémque diuinitatis, qua nihil minus in singulis, nihil ampliùs intelligitur esse in tribus. Et hinc indiuidua atque inseparabilis sancta Trinitas dicitur. sicut Leo de vrbe orbis capite, non solùm contra eum, sed & per totum mundum contra omnes hæreticos, dulcisono rugitu intonat, ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens, Quia vnitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.] Et Augustinus exponens Ambrosium dicentem, *Tu Trinitatis vnitas*, diuinitatem, inquit, vel si expressiùs dici potest deitatem, quæ Trinitatis est vnitas.] Athanasius exponens quid interpretetur vnitas dicit, quia vna est patris & filij & Spiritus sancti diuinitas, ac per hoc non so-

Epist. 4. c. 1.

la tantummodò filij deitas, vt Gothescalcus dicit, sed sola filij persona assumpsit humanitatem, vt B. Augustinus in supradicto Sermone de fide contra Sabellianos & Arrianos dicit, Quamuis inquiens propriè persona filij, id est Dei Verbum, susceperit passibilem hominem, ita tamen eius inhabitatione secundùm suam substantiam deitas Verbi nihil passa est, vt tota Trinitas, quam impassibilem esse necesse est confiteri. De cuius Trinitatis, scilicet patris & filij & Spiritus sancti, vnitate substantiæ, in libro contra Pascentium idem beatus Augustinus dicit. Ecce ὁμοούσιον rectè probamus positum, & in assertionem fidei, qua Trinitas vnitas à catholicis creditur, à Græcis patribus dictum.] Et post pauca. Ὁμοούσιος ergo exponitur vnius substantiæ pater & filius & Spiritus sanctus.] & item in eodem libro. Absurdum igitur non est, vt in Conciliis Patrum Græco verbo patris & filij & Spiritus sancti vna substantia firmaretur, cùm super Apostolos primitùs sancti Spiritus propria largitate linguarum varietas funderetur.] *& paulo pòst.* Sicut enim Græca lingua, quod est ὁμοούσιον, vna dicitur vel creditur à fidelibus Trinitatis omnino substantia, sic vna rogatur vt misereatur à cunctis Latinis & Barbaris vnius Dei natura.] Quæ vnius substantiæ tota sancta Trinitas, cuius inseparabilis est operatio, sicut & deitas ac voluntas, in vtero perpetuæ virginis beatæ & gloriosæ MARIÆ humanitatem, quam in vnitate personæ suæ assumpsit Dei filius, vna ex eadem sancta Trinitate persona, ineffabiliter & incomprehensibiliter fabricauit, sicut sanctus Athanasius in libro de fide dicit, Quod est inquiens maius in tota creatura, hoc est corpus Domini, ex Spiritu sancto esse creditur, sicut Euangelista Matthæus tradidit, *Christi generatio sic fuit. Cùm desponsata esset* MARIA *mater eius ab Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset homo iustus & nollet eam detegere, voluit eam occultè dimittere. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis visus est ab Ioseph dicens illi, Fili Dauid, ne timeas recipere* MARIAM *vxorem tuam. quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est.* Et licèt sapientia Salomonis in Prouerbiis de corpore Saluatoris diceret, *Sapientia ædificauit sibi domum*, & hìc profitetur vnigenitum creatorem corporis sui, hìc tamen Angelus ex Spiritu sancto illud esse dixit, & sic omnis Christianus cùm instruitur credit. Neque enim scriptura circa Trinitatem discrepat, vnam eandémque operationem eius factam vbique docens. Denique Deum paritura beata Virgo Maria, cùm Gabrielem audisset dicentem, *Ecce in vtero habebis, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*, & cetera, & cùm interrogasset, *Quomodo erit istud quia virum non noui?* statim docetur ab eo dicente, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quòd si virtus altissimi est vnigenitus secundùm Paulum dicentem, *Christus Dei virtus & sapientia*, Spiritus verò sanctus Pa-

Epistola CLXXVIII.

Libro XI. in mediū.

Matt. I. 18.

Prou. 9. 1.

Luc. I. 31.

I. Cor. I. 24.

racletus spiritus veritatis, hísque obumbrantibus paritura Deum MARIA creatum est dominicum templum, Angelus autem ex Spiritu sancto creatum illum dixit, cur non operationem esse Trinitatis erudimur?] Et sanctus Ambrosius in libro secundo de Spiritu sancto dicit, Etenim, inquit, sicut legimus quia creauit pater dominicæ incarnationis sacramentum, creauit & Spiritus sanctus, ita & legimus quòd & ipse Christus suum corpus creauit. Creauit enim pater secundùm quod scriptum est, *Dominus creauit me.* & alibi, *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Creauit & Spiritus illud omne mysterium secundùm quod legimus, quia *inuenta est Maria in vtero habens de Spiritu sancto.* Habes quia creauit pater, creauit & Spiritus sanctus, accipe quia creauit & filius Dei, dicente Salomone, *Sapientia sibi fecit domum.*] Beatus nihilominus Augustinus in Sermone de Trinitate hæc eadem scripturarum testimoniis confirmat. Et memorandus vir Alcuinus, in libro ad magnum Imperatorem Carolum de fide, collecto ex sancti Augustini libro primo de Trinitate, & aliorum catholicorum patrum dictis & sensibus, quorum verba qui in suis locis legerit in hoc opere recognoscere poterit, ita dicit, Quanquam inquiens vna sit natura sanctæ Trinitatis, non tamen tota Trinitas incarnata est, sed sola filij persona humanam misericorditer suscepit naturam. Nec tamen ita Dei filius incarnatus est, vt vna esset in eo natura diuinitatis & carnis. Neque enim ex Christo hoc deitas potuit esse quod caro, aut caro quod deitas, quia vtraque natura, id est diuinitatis & humanitatis, in sua permansit proprietate. Propterea vtique humanam naturam, id est carnem rationabilémque animam, non à tota Trinitate, sed à solo filio confitemur susceptam, in vnitatem quippe personæ, non in vnitatem naturæ. Vtique persona filij non est eadem quæ patris est aut Spiritus sancti. Vnitas ergo personæ, manente duntaxat vtriusque proprietate substantiæ, sicut in Christo personam non fecit duplicem, sic humanæ naturæ susceptionem non fecit sanctæ Trinitati communem. Ad personam quippe Dei Verbi tantummodò acceptio illa seruilis formæ pertinet: sed nihil diuinæ plenitudinis abstulit, nihil dominationis ademit in Christo humanitatis susceptio. Hinc est quòd in vno eodémque Christo & humanæ naturæ veritas claruit, & diuinæ naturæ incommutabilitas permansit æterna. Hoc tamen sciendum est, quòd hanc seruilem formam, quam solus Dei filius accepit, tota Trinitas fecit. quam tamen certum est à tota sancta Trinitate factam ad solam filij Dei pertinere personam. Non enim pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed filius tantùm, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine matris Virginis filius, ne filij nomen in alteram transiret personam, qui non esset natiuitate filius. Dei ergo filius hominis factus est filius, natus secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei fi-

Cap. VIII.

Gal. 4. 4.

Matt. 1. 18.

Prou. 9. 1.

Lib. 3. de fide S. Trin. cap. 10.

lius: & ſecundùm veritatem naturæ ex homine hominis filius in vtraque natura, non appellatione tantùm vel adoptione, ſed veritate Dei filius.] Ideo non ſunt duo Chriſti filij, nec duo filij. ſed vnus Chriſtus, & vnus filius, Deus & homo. quoniam Deus Dei filius humanam aſſumpſit naturam, non perſonam. in æternum ſuſcipiens perſonam diuinitatis, temporalem humanitatis ſubſtantiam. Homo tranſiuit in Deum, non verſibilitate naturæ, ſed propter diuinæ vnitatem perſonæ, ne in ſancta Trinitate quaternitas eſſet non trinitas. Ecce quomodo oſtendunt catholici mentitum fuiſſe Gotheſcalcum hæreticum, quia non ita vt ipſe dixit, ineſt vnicuique perſonæ in ſancta Trinitate propria deitas atque diuinitas, ſed vnius eiuſdémque ſubſtantiæ deitatis atque diuinitatis, id eſt naturæ vel eſſentiæ, ſunt tres in ſancta Trinitate perſonæ. quoniam ſi vnicuique in ſancta Trinitate perſonæ ſua propria id eſt ſpecialis ineſſet deitas, ſicut prædiximus & ſemper contradicendo hæreticis contradicere debemus, non eſſet indiuidua & inſeparabilis ſancta Trinitas, & tres Dij eſſent. & non, ſicut idem imitatione filius patris ſui diaboli, qui eſt mendax & pater mendacij, falsò dicit, ſola tantummodò filij deitas carnem aſſumpſit. ſed ſola perſona filij, cui proprium eſt, quia de patris ſubſtantia coæternus filius ſine vllo initio natus eſt, & vnius eiuſdémque ſubſtantiæ, id eſt deitatis, quæ eſt vnitas Trinitatis, cum patre & Spiritu ſancto eſt, carnem aſſumpſit, quam ſimul tota ſancta Trinitas ſibimet coeſſentialis & coæterna ac coomnipotens in vtero ſemper Virginis fabricauit. Denique ſubiungit,

IX.

— *Siquidem quando baptizamur, id eſt tinguimur, ter proculdubio mergimur, & tamen propterea trina ipſa merſio, & trinum baptiſmum, id eſt trina tinctio, non quod abſit tres merſiones, & tres tinctiones, aut tria ſunt baptiſmata: ſed vna eſt generaliter merſio, & vna tinctio, id eſt vnum baptiſma, dicente Apoſtolo,* Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Epheſ. 4. 5.

XP. MORE ſuo nouitates vocum, quibus ſemper delectatus eſt, & exquiſiuit vt ſapiens videatur ad eludendam fidei ſimplicitatem, & in hac cauſſa, vt ſuam prauam confirmare poſſet ſententiam adinuenit. Sicut ad hoc confirmandum quod dixerat, quia Iudas & Simon magus & falſi fratres de quibus dicit Apoſtolus, & omnes baptizati Chriſti baptiſmate qui non ſunt ſaluandi, non fuerunt Chriſti ſanguine redempti, cùm oſtenſa ei fuit ſententia Apoſtoli Petri dicentis de hæreticis, *Eum qui emit eos Dominum negantes*, anguſtia coartatus ſuam in eadem ſententia expoſitionem adinuenit, docens duas eſſe redemptiones. vnam qua redempti ſunt, ſed non in Chriſti ſanguine baptizati illi qui non ſunt ſaluandi, & aliam qua ſunt in Chriſti ſanguine baptizati illi qui ſunt ſaluandi, dicens quia perire nullus poterit qui ſanguine Chriſti redemptus fuerit, videre non valens quod dicit Petri coapoſtolus Paulus, *Quicum-*

2. Petr. 2. 1.

Rom. 6.

que baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c.

1.Cor.8.11 *Peribit in tua scientia frater propter quem Christus mortuus est.* Mira sunt quæ dicit, noua sunt quæ dicit. Quapropter sicut Augustinus contra Iulianum scribens dicit. Mira stupemus, noua cauemus, falsa conuincimus. Hinc in alio libro, quem ex authenticis scripturis, & orthodoxorum dictis, contra eius & complicum ipsius dicta peruersa collegimus, eum falsum dixisse conuincimus, quod & cunctis sapientibus patet. De hoc verò quòd dicit quia trina mersio & trinum baptismum, id est trina tinctio, non sunt quod absit tres mersiones & tres tinctiones, id est tria baptismata, sed vna est generaliter mersio & vna tinctio, id est vnum baptisma, dicente Apostolo, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, dicat illi fides catholica, *Ex ore tuo te iudico serue nequam.* Si credis & confiteris tres mersiones in nomine sanctæ Trinitatis patris & filij & Spiritus sancti vnum esse baptisma, quia vnus est Deus pater & filius & Spiritus sanctus, vnius videlicet essentiæ, vnius deitatis, vnius naturæ, in cuius nomine baptisma catholicum celebratur, cur sic excors existis, vt vnitatem deitatis, qua pater & filius & Spiritus sanctus vnus est Deus, diuidas trinam asserens deitatem. Et quia more diaboli patris tui veris falsa permisces, & melli virus commisces, vt de veris & dulcedine mellis falsa & mortifera commendare possis, in hoc quod dixisti tres mersiones vel tinctiones vnum esse baptisma, quia vnus Dominus, vna fides, probamus. Sed quia & dixisti non esse in baptismate tres mersiones & tres tinctiones, reprobamus & mentiri te comprobamus. Volumus tamen interrogare te, quare illæ tres mersiones & tres tinctiones non sunt tria baptismata, sed vnum baptisma. Ad quæ si tacueris, dicimus ideo tres mersiones vnum esse baptisma, quoniam in vnito, immo in vno nomine patris & filij & Spiritus sancti, quorum est vna diuinitas, deitas, atque substantia, catholicè celebratur, sicut Athanasius in libro de propriis personis & de vnito nomine diuinitatis dicit, Ioannes inquiens testatur de Domino, quia *in sua venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Disce ergo hoc vnitum nomen esse sempiternum in deitate patris & filij & Spiritus sancti,] sicut & vnum baptisma est fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit: quia sicut vnitum nomen est in natura Trinitatis, ita & vnum donum per baptismum diuinitatis. Apostolus ait, *vna fides, vnum baptisma.* idcirco quod nomen patris sit in diuinitate, hoc nomen sit & filij in natura deitatis, sic & Spiritus sanctus identidem hoc nomen sit in substantia claritatis. quoniam *tres sunt*, sicut dicit Ioannes Apostolus, *qui testimonium dant, spiritus, aqua & sanguis, & tres vnum sunt.* Spiritus, inquit Leo, sanctificationis, & sanguis redemptionis, &

Marginal notes: Ephes.4.5. Luc.19.22. — Lib.11.sub finem. — Ioan.1.11. — Ephes.4.5. — 1.Ioan.5.7.

& aqua baptiſmatis, quæ tria vnum ſunt, & indiuidua manent, nihilque eorum à ſua connexione ſeiungitur. quia, vt Auguſtinus, & poſt eum Leo in epiſtolis ſuis dicit, nec ſine vera diuinitate humanitas, nec ſine vera credenda eſt humanitate diuinitas. Sed & in nobis hæc vnum ſunt, non natura, ſed eiuſdem operatione myſterij. Nam ſicut beatus Ambroſius ait, Spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, ſanguis ſpectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, ſacri fontis vnda nos abluit, ſanguis Domini nos redemit. Quod autem ſubiungit, ſed vna eſt generaliter merſio & vna tinctio, id eſt vnum baptiſma, ille ipſe neſcit quid loquitur, manifeſtum tamen faciunt doctores catholici quia mentitur. Illæ quippe tres merſiones ſingillatim tres ſunt, & non generaliter vna merſio eſt, ſicut tres ſunt diſtinctæ, ſuáque proprietate ſubſiſtentes, atque inſeparabiles in ſancta Trinitate perſonæ, & non generaliter vna perſona eſt. Tres quidem ſunt ſingillatim merſiones propter perſonarum ſanctæ Trinitatis proprietatem: vnum autem eſt baptiſma, quia vnus eſt Deus, vnius videlicet eſſentiæ, vnius deitatis, vnius naturæ, ac per hoc vnius nominis, quod eſt Deus, ſancta Trinitas, pater & filius & Spiritus ſanctus, in cuius nomine baptizamur, & filij Dei efficimur, gratia renati, qui eramus filij diaboli per traducem maledicti ſeminis generati. Et ſicut interior homo in fide ſanctæ Trinitatis ad imaginem ſui conditoris reformandus eſt: ita & exterior trina merſione abluendus eſt, vt quod inuiſibiliter ſpiritus operatur in anima, hoc viſibiliter ſacerdos imitetur in aqua. Nam originale peccatum tribus modis actum eſt, delectatione, conſenſu, & opere. Itaque & omne peccatum aut cogitatione, aut locutione, aut operatione efficitur. Ideóque triplici generi peccatorum trina videtur ablutio conuenire, vel propter originale peccatum, quod in infantibus valet ad perditionem, vel propter illa quæ in prouectioris ætatis hominibus voluntate, verbo, vel facto adduntur. Et rectè homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus eſt, per inuocationem ſanctæ Trinitatis ad eandem reuocatur imaginem, vt qui tertio gradu peccando cecidit in mortem, tertiò eleuatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Et hinc ſanctus Hieronymus in ſecundo libro tractatus epiſtolæ ſancti Pauli ad Epheſios in expoſitione ſententiæ, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*, de trina merſione & vno baptiſmate ita dicit, Si enim inquiens, vt exiſtimant Arriani, Deus pater ſolus eſt Deus, eadem conſequentia ſolus erit Dominus Ieſus Chriſtus, & nec pater erit Dominus, nec filius Deus. Sed abſit, vt non ſit vel in dominatione deitas, vel in deitate dominatio. Vnus eſt Dominus, & vnus eſt Deus. quia patris & filij dominatio vna diuinitas eſt. Propterea & fides vna dicitur, quia ſimiliter & in patrem & in fi-

Epheſ. 4.

lium & in Spiritum sanctum credimus, & baptisma vnum. Eodem enim modo in patrem & in filium & in Spiritum sanctum baptizamur & ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat sacramentum. & non baptizamur in nominibus patris & filij & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in vno vocabulo, eodem opere, & eodem sacramento, naturæ diuersitatem Arrius, Macedonius, & Eunomius suspicentur, concordante in impietate discordia, & creaturæ in filio & Spiritu sancto cœnosum fontem tenentes, diuersos hæreseon riuulos duxerunt. Vnum baptisma, & contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, & contra omnes hæreticos, vt sciant se non habere baptisma, sed in vna Christi Ecclesia fontem esse vitalem. Potest vnum baptisma & ita dici, quòd licèt ter baptizemur propter mysterium sanctæ Trinitatis, tamen vnum baptisma reputetur. Vnum quoque baptisma est in aqua, & spiritu, & igni, & de quo Dominus loquitur, *Baptisma habeo baptizari.* & alibi, *Baptismate meo baptizabimini.*] His sanctorum Hieronymi, & Athanasij, ceterorúmque doctorum verbis, præcipuè verò Ambrosij, & Augustini, Leonis, atque Gregorij, de quorum dictis hæc quæ sequuntur excerpsimus, euidenter ostenditur, non verè dixisse Gothescalcum tres mersiones vnam generaliter esse mersionem. sed verum esse, quoniam sicut in sancta Trinitate sunt tres sua proprietate subsistentes inseparabiles personæ, & vna deitas atque natura, voluntas, potestas, & operatio, & in Domino Iesu Christo sunt è diuerso duæ naturæ diuinitatis & humanitatis, & vna persona, qui vt dicit Ioannes Apostolus, *venit per aquam & sanguinem, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine,* vt corpus eius, quod est Ecclesia, lauacro rigaretur & poculo: ita in vno baptismate, quod in remissionem peccatorum in sola catholica sub tribus mersionibus contra fraudem Sabellianorum, sicut in quibusdam prouinciis in nomine sanctæ Trinitatis sub vna mersione contra fraudem Arrianorum celebratur ab Ecclesia traditione fideli, quoniam in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa, tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt, non natura, sed mysterio & indiuiduo sacramento, nihílque eorum à suî connexione seiungitur. Et sicut quidquid à singulis sanctæ Trinitatis personis legitur operatum, indubitanter credere debemus ipsam sanctam Trinitatem inseparabilis substantiæ & deitatis inseparabiliter operari, quamuis certissimum sit patrem esse solum qui dixit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* & filium esse solum, super quem illa vox solius patris sonuit, quando in Iordane secundum hominem baptizatus est idem vnigenitus Deus qui carnem solus accepit: & Spiritum sanctum patris & filij solum esse, qui in specie columbæ super eundem baptizatum ascendentem de aqua de-

Luc. 12. 50. Marc. 10. 39.

1. Ioan. 5. 6.

Matt. 3. 17.

ſcendit, & quinquageſimo die poſt reſurrectionem Chriſti fideles in vno loco poſitos in linguarum ignearum viſione adueniens repleuit. illam tamen veriſſimè vocem, qua ſolus locutus eſt Deus pater, & illam carnem qua ſolus homo factus eſt vnigenitus Deus, & illam columbam in cuius ſpecie Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcendit, illáſque linguas igneas, in quarum viſione fideles vno loco conſtitutos repleuit, opera eſſe totius ſanctæ Trinitatis, id eſt vnius Dei, qui fecit in cælis & in terra viſibilia & inuiſibilia, veriſſimè credendum eſt. Ita in vno catholico baptiſmate, quamuis ſpiritus mentem hominis renouet, ſanguis ſpectet ad pretium, aqua proficiat ad lauacrum, quæ non tantùm carnem, depoſitione ſordium mundat, ſed fidé & bonæ conſcientiæ interrogatione in Deum ſordes peccatorum omnium purgat: tamen nec redemptio ſanguinis fit ſine ſanctificatione ſpiritus, vel ablutione vitalis fontis, nec ſanctificatio ſpiritus ſine redemptione viuifici ſanguinis, & emundatione aquæ regeneratricis, nec ablutio aquæ ſanctificatæ in verbo, ad quam cùm accedit verbum ſicut ad elementum, efficitur ſacramentum, fit ſine ſanguinis redemptione, & ſpiritus regenerantis ſanctificatione. Et Leo Papa ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos de trina merſione & vno baptiſmate dicit, quod in ſuo loco pleniùs lector inueniet. Baptiſmatis, inquit, regula & mors interuenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro.] Et ſanctus Gregorius in Epiſtola ad Leandrum Spalenſem Epiſcopum ſcribit. De trina, inquit, merſione baptiſmatis nihil reſponderi veriùs poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis, quia in vna fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Nos autem quòd tertiò mergimus triduanæ ſepulturæ ſacramenta ſignamus, vt dum tertiò ab aquis infans educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizandum ſemel in aquas mergere, quia dum in tribus ſubſiſtentiis vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed ſi nunc vſque ab hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: ne dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant, dúmque quod faciebant facitis, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.] Quia Dominus iuſſerat diſcipulis ſuis, *Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti.* hanc in baptiſmate fraudem tunc temporis hæreticorum ſanctus Athanaſius in libro ſeptimo detexit dicens, Cur tu, hoc nomine deitatis ſublato patris & filij & Spiritus ſancti, baptizas dicendo, Baptizo te in patre & filio & Spiritu ſancto, & non in vno nomine, vt hoc modo artificioſè poſſis vnitum nomen taci-

Epiſt.5 c.3.

Lib.1.ep.41.

Matt.28.19

Sub mediũ.

tè in deitate non nominare vel abnegare, ſed & nomina in perſonis tantummodo velis aſſignare? Quia ſi ſic erat celebrandum baptiſma, obtinuerat Arrianorum aſſertio, qui ſic ſentiunt, vt vbi nomina in perſonis indicant, ibi ſimul in ipſis nominibus & ſingulas vel diuerſas ſubſtantias eſſe pronuntient. vt vnitatem in concordia tantùm caritatis eſſe aſſignent, & non potiùs in vnita plenitudine diuinitatis. Et quid amplius ad hæc? Vt vnitatis Dei patris nomen & filij & ſanctiSpiritus quaſi adoptiuum nuper acceſſiſſe profiteantur, vt hoc nomen videatur eſſe ex nihilo, aut ex altero vel tempore, quod abſit. Nam verum nomen deitatis vbi nominant, ad vnam tantummodo perſonam patris hæc dicendo adſcribunt, vt veram vnitatem diuinitatis diuidant. Qui vbi nomina tantùm in perſonis deberent diſcernere, ibi ſimul cum ipſis nominibus & tres naturas diſtinguunt. quod abſit à nobis ne iſtam blaſphemiam admittamus: cùm vnum nomen deitatis in Trinitate vniter dictum accipiamus, per quod & remiſſa peccatorum baptiſmo operante ſuſcipimus, nomina verò tantummodo ſingula in perſonis perfectè diſtinguamus. Rogo, vbi vinculum fidei inuenitur apud eos, ſi ſubſtantiæ vnitatis nomen in Trinitate non tenetur? Rogo, quomodo tres vnum ſunt, ſi diuerſa in vtriſque eſt natura diuinitatis? Rogo, quemadmodum ſeptiformem hunc ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & virtutis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis, ſpiritum timoris Domini conſequi merentur, quem de vnita plenitudine diuinitatis conſiſtere non confitentur?] Dicente Domino, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti*, verè in hoc ego ſatis admiror, & ſtupore mentis diutiùs intentus conlaudo tantam ſacratiſſimæ Trinitatis gloriam in duodecim penitus verbis diſtinctionum vel ſyllabis breuiter fuiſſe expoſitam. Verè in hoc edicto vnitum deitatis nomen patris & filij & Spiritus ſancti miſſum eſt. Verè in hac ſacratiſſima Trinitate nomina in perſonis tantùm diſtincta ſunt. Verè nec lex, nec Prophetæ, tam abſolutè hoc arcanum myſterium reuelauerunt. Super omnem cuſtodiendam diuinitùs diſpoſitionem hoc maximè cuſtodiendum eſt. Verè ſuper hoc non eſt quod addi, & ab hoc non eſt quod minuere. Verè in hoc donum baptiſmi præceptum addere vel minuere blaſphemum eſt. Cur indicatur vnitas, ſi in patre & filio & Spiritu ſancto non eſt vna atque eadem ipſa æqualis plenitudo diuinitatis?] Et in ſecundo libro Apoſtolos miſſos fuiſſe inquit, vt baptizarent omnes gentes in vnito vel communi nomine deitatis. *Ite, baptizate omnes gentes in nomine*, & ſic proſecutus eſt per ſingulas perſonas, *patris & filij & Spiritus ſancti.* Numquid poteſt contra regulam traditionis Euangelicæ cenſuræ, de hoc vnito Trinitatis nomine ſancti Spiritus ſublata vel tacita perſona, baptiſma in Eccleſia perfectum celebrari? abſit. Diſce ergo hoc vnitum nomen eſſe ſempiternum in deitate pa-

Matt. 28. 19.

Lib. VIII. eodem in principio.

Lib. 2. poſt med. verſus finem.

Matt. 28. 19

Poſt alia.

tris & filij & Spiritus ſancti.] ſicut vnum & baptiſma eſt fidei, quod vitam æternam credentibus tribuit, quia ſicut vnitum nomen eſt in natura Trinitatis, ita & vnum donum per baptiſmum diuinitatis. Apoſtolus ait, *Vna fides, vnum baptiſma*, idcirco quòd nomen patris ſit in diuinitate, hoc nomen ſit & filij in natura deitatis, ſic & ſancti Spiritus identidem hoc nomen ſit in ſubſtantia claritatis. quæ hîc breuiter collecta lector latiùs in ſuis locis inueniet. His catholicorum doctorum verbis & ſenſibus comprobatur non eſſe ratum Gotheſcalci teſtimonium, quod de ſuo à ſemetipſo loquens, & gloriam propriam quærens, & non de catholicorum ſcripturis ad ſuam confirmandam ſententiam protulit dicens, Trina merſio, & trinum baptiſmum, id eſt trina tinctio, vna eſt generaliter merſio & vna tinctio, id eſt vnum baptiſma. quoniam catholicum baptiſmum, vt beatus oſtendit Gregorius, vna merſione, ſed in nomine ſanctæ Trinitatis fieri poteſt. Vnde item Athanaſius in primo libro de fide dicit, Numquid gentes, quibus introitus ianuæ credentibus ad vitam æternam patens eſt, tantummodo in perſonam patris baptizantur, & non in tres, quorum nomina hæc ſunt in perſonis diſtincta, patris & filij & Spiritus ſancti, quibus eſt vna natura diuinitatis, ſicut ſcriptum eſt, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine*, & ſic proſecutus eſt, *patris & filij & Spiritus ſancti?* Vnde in his perſonis per omnia in deitate diuinitatis vnitum nomen eſt, & per ipſa nomina Trinitatis tantùm perſonæ diſtinctæ ſunt.] *& paulo pòſt*, Spes fidei noſtræ hæc eſt, vt in baptiſmo vnitum diuinitatis nomen priùs confitearis, vt remiſſa peccatorum in his perſonis conſequi merearis.] Quod autem in hiſtoria ſacra actuum Apoſtolorum legimus, Apoſtolos in nomine Ieſu Chriſti gentiles baptizari iuſſiſſe, ita idem Athanaſius in libro decimo ſoluit, Non enim ſcriptum eſt, inquit, quia baptizauerunt in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, ſed tantùm in nomine Ieſu, ſed non ſunt præuaricati, abſit. Nam licèt filij nomen tantummodo dicatur, habet tamen patrem & Spiritum ſanctum pronunciatum, ſicut ſcripturis ſanctis probamus. Itaque & Spiritus ſanctus Sabaoth dicitur, & eſt cum Deo & cum filio à Seraphin adoratus, propter quod hæc ter dicebant, *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, vt Trinitatem pronuntiarent.] Et beatus Ambroſius in libro de fide, quia per vnitatem inquit nominis impletum myſterium ſit. Qui ſiue Chriſtum dicas, & Deum patrem à quo vnctus eſt filius, & ipſum qui vnctus eſt filium, & Spiritum quo vnctus eſt deſignaſti. Scriptum eſt enim, *Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto.* ſiue patrem dicas, & filium eius & ſpiritum oris pariter indicaſti, ſi tamen id etiam corde comprehendas. quæ latiùs in ſuis locis lector inueniet. Nunc autem Eccleſia catholica cuniculos hæreticorum oppilans, ipſa verba Domini ſaluatoris, de quo ſcriptum eſt, *Ipſe eſt enim qui*

Epheſ. 4. 5.

De vnito nomine Trinitatis ſub mediũ.

Matt. 28. 19.

Lib. XI. poſt medium verſus finẽ.

Act. 10. 38.

baptizat, in consecratione sacri baptismatis, corde credendo ad iustitiam, & ore confitendo ad salutem pronuntiat. Tandem Gothescalcus subnectit, X.

—Pari etiam modo cùm dicitur trina vel terna fides, vt est illud Sedulij fidelis poëtæ tui, Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur vnam, *non tres quod absit fides, sed vna est fides, dicente Apostolo* vna fides.

XP. Hoc quòd quasi nouiter, vnde miremur videlicet, fidem numero plurali enuntiatam nobis proponere voluit, sanctus Hilarius antiquus & venerabilis pater in libro de Synodis nobis recto sensu monstrauit; quod iste præsumptiosus sensu prauissimo monstrauit. Nihil, inquit sanctus Hilarius, mirum videri vobis debet, fratres carissimi, quòd frequenter exponi fides cœptæ sunt. Necessitatem hanc furor hæreticus imposuit.] Propter stilos plures à sancto Hilario dictæ sunt plurali numero fides, & propter pluralitatem scriptionum, non propter credulitatis diuisionem. quia vt Hieronymus in secundo libro Commenti epistolæ Pauli ad Ephesios dicit, Propterea & fides vna dicitur, quia similiter in patrem & in filium & in Spiritum sanctum credimus.] Et Augustinus in decimo tertio libro de Trinitate, Non enim fides numero est vna, sed genere. Propter similitudinem tamen, & nullam diuersitatem, magis vnam dicimus esse quàm multas: & tamen qui dicit, *O mulier magna est fides tua*, & alteri, *modicæ fidei quare dubitasti?* suam cuique esse significabat: sed ita dicitur eadem fides vna, quemadmodum eadem volentium voluntas vna.] Et sanctus Gregorius in quarto libro Dialogorum dicit, quia sine fide nec infidelis viuit.] Fides autem, de qua Apostolus dicit, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, catholica est, à qua vna Dei columba, videlicet sancta Ecclesia, nuncupatur catholica, id est vniuersalis. Quæ est vna domus, de qua præcipit Dominus per Moysem nihil efferri de Paschali agno, sed in ea illum comedi: & arca, extra quam diluuij tempore quisque repertus non potuit viuere. Hæc inquam vna fides est, non numero, sed genere generalis generaliter omnium in vnitate sanctæ Ecclesiæ consistentium. Quæ sicut in Apostolico symbolo continetur, sanctis Apostolis à Christo est tradita, & ab eorum successoribus, viris scilicet Apostolicis, in sex generalibus synodis, id est Nicæna tempore sancti Siluestri Papæ ac Constantini, Constantinopolitana temporibus Damasi & Gratiani, Ephesina sub Cælestino & Theodosio, Chalcedonensi temporibus Leonis & Martiani, item Constantinopolitana sub Vigilio & Iustiniano, itémque Constantinopolitana sub Agathone & Constantino iuniore, atque in ceteris catholicis Synodis à sede Apostolica confirmatis prolata. quam nisi quisque integram inuiolatámque seruauerit, saluus esse non poterit, sed in æternum peribit. Vnde sanctus Augustinus in Commento epistolæ Ioannis dicit, Fides cum dilectione fides est Christiani,

Cap. 11.
Matt. 15. 28.
Matt. 14. 31.
Cap. 2.
Ephes. 4. 5.
Exod. 12. 46.

fides ſine dilectione fides eſt dæmonis. Qui autem non credunt peiores ſunt quàm dæmones. Neſcio quis non vult credere in Chriſtum: adhuc nec dæmones imitatur. Iam credit Chriſtum, ſed odit Chriſtum. Habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides de qua dicit Apoſtolus Paulus, *Fides quæ per dilectionem operatur*, inueniſti Chriſtianum, inueniſti ciuem Hieruſalem. Et in Euangelio Ioannis,] Quis ſaluberiter eſt fidelis, niſi ea fide quæ per dilectionem operatur?] Et Proſper ex Auguſtini verbis, Non ſunt bona opera, niſi quæ per fidem & dilectionem fiunt, quia alterum ſine altero nullius virtutis fructum parit.] Eapropter Gotheſcalcus hæreticus, qui vnam fidem ſecundùm Apoſtolum verbo tenus prædicat, ſe fidem veram in præmiſſis ſuis ſcriptis non habere demonſtrat: quia dicit Paulus Apoſtolus, *Fides quæ per dilectionem operatur.* Dilectio autem Latinè, caritas Græcè dicitur. de qua dicit idem Apoſtolus Paulus, *Si tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Vnde ſanctus Gregorius in libro decimo octauo Moralium dicit, Alij quippe praua de Deo ſentiunt, alij recta de auctore tenent, ſed vnitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, iſti verò ſchiſmatis perpetratione diuiſi ſunt. Vnde & in ipſa prima parte Decalogi vtrarumque partium culpæ reprimuntur, cùm diuina voce dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*, atque mox ſubditur, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Qui enim de Deo peruerſa ſentit, liquet profectò quia Deum non diligit. qui verò de Deo recta ſentiens à ſanctæ Eccleſiæ vnitate diuiſus eſt, conſtat quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat. Quiſquis ergo ab hac vnitate matris Eccleſiæ ſuæ, per hæreſim de Deo peruerſa ſentiendo, ſeu errore ſchiſmatis proximum non diligendo diuiditur, caritatis huius gratia priuatur.] Et item præfatus Apoſtolus dicit, *Finis enim legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Vnde Auguſtinus, Et quidem finis, inquit, Chriſtus, quia Chriſtus Deus eſt finis præcepti caritatis, & Deus caritas, qua & pater & filius & Spiritus ſanctus vnum ſunt. Miramur etiam, quando miſit de Sedulio ternam fidem, quare ponere omiſerit de Aratore trinam fidem, qui figuratè loquens in libro primo dicit,

Trina fides vocat hunc, quo nomine fonte lauatur.

Et de nomine trino in ſecundo libro dicit,

——Non cogit ad vndam
Noſtra fides hunc ire iterum, qui nomine trino.

Et de fide iterum in primo libro figuratè loquens,

Nona fuit tunc hora magis, qua rectius hora
Prodiret iam trina fides & tertia ſimplex.

Cùm ad ſuam confirmandam ſententiam ad teſtimonium deuocauerit dixiſſe illum trinam poteſtatem, ſicut & Prudentium trinam

Gal. 5. 6.
Gal. 5. 6.
1 Cor. 13. 3.
Cap. XIV.
Deut. 6. 5.
Matt. 22. 36
Matt. 28. 39.
Rom 10. 4.

pietatem, de quo quiddam suprà respondimus, vbi & hæc quæ de Sedulio, Aratore, & Prospero subiungemus congruentiùs poneremus, nisi hoc sollicitiùs attenderemus, vt ad singulas suas tergiuersationes, & inordinatas repetitiones obuias illi sententias ex simplicis & catholicæ fidei doctorum dictis opponeremus. Denique ad hoc quod dixit Arator, metrica necessitate coactus,

Trina fides vocat hunc quo nomine fonte lauatur.
&, ——— *non cogit ad vndam*
Nostra fides hunc ire iterum, quia nomine trino
Dogmata praua trahunt.

Sufficientissimè catholici doctores & in præcedentibus & in subsequẽtibus referunt, non trinum, sed vnum vnius Dei nomen esse, in quo in vnitate catholicæ fidei à Domino baptizari iubentur, & credentes vno Christi baptismate, in quo solo fit remissio omniũ peccatorũ, à catholicis baptizantur. Vnde Ambrosius in libro 1. de Fide, Si, inquit, vnus Deus, vnum nomen, vna potestas, vna est Trinitas. Denique dicit, *Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* In nomine vtique ait, non in nominibus. Ipse etiam dicit, *Ego & pater vnum sumus.* Vnum dixit, ne fiat discretio potestatis: sumus addidit, vt patrem filiúmque cognoscas, quòd perfectus pater perfectum filium genuisse credatur, & pater ac filius vnum sint, non confusione personæ, sed vnitate.] Quod dixit Arator in secundo libro,

Libro 1.c.1.
Matt.28.1
Ioan.10.30

Ipse, quin Ioannes, *viam memorans, cunctis baptisma futurum*
Post aliud, quod iure datur, quod trina potestas
Inlustrare solet. ——

& in primo figuratè loquens, similiter metri necessitate,

——— *nam trina potestas*
Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum.

Et omnes catholici apertissimè de scripturis sacris ostendunt, non partitam, sed vnam & indiuiduam esse operationem, vnam & inseparabilem potestatem sanctæ & inseparabilis Trinitatis, patris & filij & Spiritus sancti. vt Ambrosius in libro primo capite sexto, Cùm enim, inquiens, eadem faciat filius opera quæ pater facit, & quos vult viuificet filius, sicut scriptum est, nec differens potestate, & liber est voluntate. Ita & vnitas seruatur, quia & virtus Dei in diuinitatis proprietate est, & libertas, non in aliqua differentia, sed in vnitate est Trinitatis.] Et item secundo libro capite quarto, Didicimus vnam patris & filij esse imaginem, vnam similitudinem, vnam sanctificationem: didicimus vnam operationem, vnam gloriam, vnam quoque diuinitatem. Vnus ergo & solus Deus, quia scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Vnus Deus, non vt ipse sit pater & filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia patris & filij Spiritúsque sancti vna diuinitas sit: vbi autem vna diuinitas, vna voluntas & vna præceptio. Deni-

Lib.1.c.6.
Ante medium cap.
Matt.4.
1.Thess.1.

que vt ſcias & patrem eſſe, & filium eſſe, & vnum opus patris & filij eſſe, Apoſtolum ſequere qui dixit, *Ipſe autem Deus & pater noſter, & Dominus Ieſus dirigat viam noſtram ad vos.* & patrem loquitur, & filium loquitur: ſed vnitas directionis eſt, quia vnitas poteſtatis eſt.] Verùm & ille ipſe Arator euidentiùs ſe non propriè, ſed figuratè in hoc fuiſſe locutum, in eodem libro capite decimo euidenter oſtendit, cùm dicit,

——Deus arbiter orbis
Perſonis tribus eſt, in quo ſimul vna poteſtas.

Et capite nono,

Ecce tot egregiis vnum cor viuere turmis
Incipit, atque animam populus nanciſcitur vnam.
Quis dubitare queat myſteria dogmatis, vnum
Perſonas tres eſſe Deum, cùm millia vulgi
Conueniunt ſub mente pari, numeríque frequentis,
Portatura crucem, Dominúmque ſecuta fidelem?

Et capite tertio,

Tertia ſidereis inclaruit hora loquelis.
Hunc numerum Deus vnus habet, ſubſtantia ſimplex
Perſonis diſtincta tribus,——

Et item capite vigeſimo primo,

Ter ſonuit Domini vox, quæ dictata ſaluti eſt.
Hoc genitor natúſque ſimul, ſanctúſque peregit
Spiritus. hinc fidei pugnax cadit Arrius, vnum
Perſonas tres eſſe negans, Sabellius vnum.

Proſper quoque in libro Promiſſionum & Prædictionum dicit, Caritatem Dei, trinæ maieſtatis vnitatem, ſupereminentem viam duce gratia ſequemur.] Et quia impropriè dixerit trinam maieſtatem, ipſe in eodem libro demonſtrat dicens, Paulus Apoſtolus dicit, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, quemadmodum Sancti vident Deum Trinitatem, patrem & filium, filium in patre, Spiritum ſanctum in patre & filio. Si ergo filius in patre, Spiritus ſanctus in patre & filio, quia vnus ſunt Deus, horum eſt & vna maieſtas, ſicut idem Proſper in libro Sententiarum dicit, Quod pater cum Chriſto facit Chriſtus facit, & quod Chriſtus cum patre facit pater facit, nec ſeorſum agit aliquid inſeparabilis caritas, maieſtas, poteſtas, ſicut ipſe Dominus dicit, *Ego & pater vnum ſumus.*] Sunt etiam plures verſus beati Ambroſij de ternarij numeri excellentia nobiliſſimi, in quibus dicit,

De gloria Sanct.c.8.

1.Cor.13.12

Sent.324.

Omnia trina vigent ſub maieſtate Tonantis.
Tres pater, & Verbum, ſanctus quoque Spiritus vnum.

Qui in multis locis, immo in omnibus vbicumque hinc loquitur, vnam maieſtatem dicit eſſe patris & filij & Spiritus ſancti. Vnde pauca exempli gratia hîc ponere dignum duximus. Ait enim in libro tertio de Spiritu ſancto capite XXII. Nunc vnitatem maieſtatis

licet in patre, filióque, & Spiritu sancto cognoscere.] Et post aliquanta. Vna igitur visio, vna præceptio, vna maiestas.] Et Athanasius, Patris & filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.] Et Augustinus frequentissimè hoc idem in libris de Trinitate dicit, Nam & quòd venerandus Sedulius, sicut coactus metri necessitate, trinam fidem & in eodem Paschali opere posuit dicens,

Quod simplex triplicet, quódque est triplicabile simplet,

Cap. VIII. Beatus Augustinus in libro sexto de Trinitate improbat dicens, In ipso igitur Deo, cùm adhæret æquali patri filius æqualis, aut Spiritus sanctus patri & filio æqualis, non fit maior Deus quàm singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio summæ Trinitatis. Perfectus autem siue pater, siue filius, siue Spiritus sanctus, & perfectus Deus pater & filius & Spiritus sanctus. & ideo Trinitas potiùs quàm triplex dicenda est. Quapropter non succurrit prauo sensui Gothescalci testimonium fidelis poëtæ Sedulij, qui rectum fidei sensum lege metri constrinxit, quæ non præiudicat veræ fidei simplicitati. Quæ videlicet fides, non per oratores, sed per piscatores sibi subiugauit Imperatores. Vnde quia Gothescalcus non voluit & non valuit, deuotus lector intelligere debet, hæc à Sedulio, Aratore, & Prospero tropicè per metonymiam, id est per transnominationem cuius species multæ sunt, dicta. Qui tropus non solùm in metro, & in sæculari litteratura, atque in communi locutione, sed etiam in authentica scriptura sacra, & in catholicorum dictis sæpiùs reperitur ornatus aut causa necessitatis, vnde hîc de singulis testimonia ponere non necessarium duximus. Hoc tantùm dixisse sufficiat, quia trinam pietatem Prudentius, trinam potestatem Arator, trinam maiestatem Prosper, pro personis patris & filij & Spiritus sancti, qui relatiuè in sancta Trinitate dicuntur, substantialia nomina, pietatem, potestatem, maiestatem posuerunt, quæ non plurali, sed semper singulari numero in singulis & in tribus simul personis propriè dicuntur, quorum est vna pietas, vna potestas, vna maiestas, & quidquid ad se, id est de Deo, substantialiter dicitur, sicut & illi ipsi in iisdem opusculis suis ostendunt. De qua figurata vel translatiua locutione sanctus Athanasius in libro primo de Trinitate dicit, Ergo inquiens postulo à te, qui legis hanc istius scripturæ meæ fidei catholicæ professionem, ne hinc superflua vel profusa verba perquiras: sed strictim capaciter, immo spiritaliter, cum summo studio dicta ad stylum sacræ scripturæ conferas, & secundùm regulæ æquitatem iustitia moderante perpendas.] Vnde iam accipe non diserta, sed fortia, neque terrena figmenta, sed vera cælestia documenta, neque philosophorum hæretica praua commenta, sed perfecta Apostolica arcana sacramenta, neque grammatica quæ superflua est doctrinæ sapientiæ, sed ex Euangelicis scripturis super melle & fauo dulciora & meliora diuina

De vnito nomine Trinitatis.

præcepta. Disce itaque, quia in hoc Sophistæ huius mundi stulti vel muti facti sunt, quoniam sapientiam veram non cognouerunt, & ideo reprobi facti sunt.] Hæc manifestum de ipsius scriptis est legisse improbum & pertinacissimum Gothescalcum: sed sicut sanctus Hilarius reprobam plebem de resurrectione Christi fecisse dicit inquiens, Hæc vidit Iudæa mendax, hæc negat cùm viderit, sic & Gothescalcus de his quæ hinc legerat, aut in totum dimisit, aut prauè interpretando negauit, aut sicut facere solent hæretici, quia malo voto legit quod legit, ex retributione iustitiæ intelligere bene non valuit, ídque ad prauitatem sui sensus inflectens, sicut voluit posuit. Quod autem apertissimè bene dictum inuidit, etiamsi oculo corporis vidit, oculo mentis videre non voluit, & idcirco ac si non visum transiliit, iuxta prouerbium Gothicum, Capra lusca hortum videt, sepem nusquam. Et in sua conclusione, quinimmo fidei rectæ concussione, Gothescalcus dicit,

XI.

— *Itaque qui nolunt cum Sabellianis hæreticis in æternum habere societatem, credant, confiteantur, colant, canant cum catholicis catholici tritheoteiam, trinam deitatem, trisagium, trinam sanctitatem, trinam vitam, sapientiam, gloriam, trinum timorem, trinum amorem, trinam caritatem, trinam lucem, salutem, virtutem, pacem, claritatem. trinam maiestatem, potestatem, pietatem. quippe cùm debeamus etiam ternam, seu trinam amplecti fidem, quam negant peruersi Sabelliani per suam perfidam impietatem.*

X P. Cui primò referimus, quia secundùm suam sapientiam, non sibi à Deo datam, sed vel à malo spiritu sibi inspiratam, vel à se stultam inuentam, debuerat cognoscere differentiam esse inter ternam & trinam, sed dicens se esse sapientem stultus factus est. Notum quippe est quoniam duplex est numerus. Vnus quidem, in quo vnitatum repetitio pluralitatem quare & numerum facit. alter verò, qui in rebus numerabilibus constat, in quo repetitio atque pluralitas vnitatum non facit numerabilium rerum numerosam diuersitatem. & terna, non inter compositos, sed inter simplices numeros, qui nullam partem aliam habent nisi solam vnitatem, ab his qui de numeris disputant computatur: & non ab eo numero, quo numeramus cùm tres dicimus, sed ab eo cùm ter dicimus venit, habens collectiuam significationem. Vnde Beda in compoti lectione, Quatuor Idus capiunt ternos. Et Hilarius in hymno, Et refert fragmenta cœnæ ter quaternis corbibus. Et cùm dicimus semel, bis, teri, quater, & his similia motum exprimimus: & cùm dicimus vnum, duo, tria, quatuor, & cetera, non motum exprimimus, sed repetitione vnitatum pluralitatem ostendimus. Et à ter aduerbialiter prolatum terna, & cetera in hunc modum, vt à quater quaterna dicuntur: à numero autem, quo numeramus cùm dicimus tres vel tria, trinus dicitur. Vnde in personis dicitur Deus trinus, qui in deitate est vnus. Sed &

ab eodem numero, vnde trinus dicitur, etiam trina deducitur, ex vnitatum repetitione, ſicut & trinus, exprimens pluralitatem quam vnitas deitatis non recipit. Verùm & quia tres vel tria, primus ſcilicet impar numerus, quo trinitas ex monade & primo pari numero conſtat, ſignatur, quia quiſquis hîc dilectionem Dei & proximi ſeruare ſtuduerit, ipſe ad æternam vitam pertinget, & omnis noſtra perfectio in illius vnius veri Dei, qui eſt ſancta Trinitas, contemplatione erit, in cuius nobis viſione iam minus aliquid ſalutis & gaudij non erit. Et ita ex hoc numero quædam diuiſio in eo quod dicitur trina, veniens à numero quo numerantur tres vel tria, monſtratur, & quamcumque diuiſionem vel pluralitatem vnitas deitatis, tota in ſingulis tota in tribus ſimul ſanctæ Trinitatis conſiſtens perſonis, non patitur. Liquet profectò quia trina deitas catholicè dici non valet. Legat qui volet quod de numero dicimus in ſanctorum Auguſtini, Gregorij, Boëtij, & Bedæ dictis. & quod ſanctus Auguſtinus in Sermone trigeſimo ſexto Euangelij Ioannis dicit loquens de diuinitate. Eſt ibi, inquit, aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poſſit, vt & numerus ſit, & numerus non ſit. Videte enim, ſi non quaſi apparet numerus pater & filius & Spiritus ſanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus numerus recedit à numero, nec capitur numero, quia tres ſunt tanquam numerus, ſi quæris quid tres, non eſt numerus. Vnde dictum eſt, Magnus dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Hoc ſolum numero inſinuant, quod ad inuicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.] Et ſanctus Gregorius in libro trigeſimo Moralium Iob, de ſententia Euangelij Ioannis, *Palàm*, inquit, *de patre annuntiabo vobis*. Palàm quippe de patre annuntiare ſe aſſerit, quia per patefactam tunc maieſtatis ſuæ ſpeciem, & quomodo ipſe gignenti non impar oriatur, & quomodo vtriuſque ſpiritus vtrique coæternus procedat oſtendit. Apertè namque tunc videbimus, quomodo hoc quod oriendum eſt, ei de quo oritur ſubſequens non eſt, & quomodo is qui proceſſione producitur à proferentibus non præitur. Apertè tunc videbimus, quomodo & vnum diuiſibiliter tria ſunt, & indiuiſibiliter tria vnum. Lingua ergo tunc narrantis Dei eſt viſa claritas ſubleuantis.] Et ſanctus Sophronius Hieroſolymitanus Epiſcopus, cuius catholiciſſima epiſtola in ſexta Synodo acceptiſſima fuit, in ea ad locum dicit, Neque vnum quatenus vnum eſt tria recipitur, neque tria ſecundùm quod tria ſunt vnum aduertitur. quod eſt mirabile & omni certè plenum ſtupore. Hoc ipſum namque & numerabile eſt, & refugit numerum: numerabilis quidem tribus ſuis ſubſiſtentiis, refugit autem numerum ſingularitate deitatis. Vnitas quippe eius eſſentiæ atque naturæ numerari penitus non permittit, vti non & differentiam deitatis introducat, & ex hoc eſſentiæ & naturæ & deorum multitudinem vnum principium

Cap. v. Ioan. 16. 25.

Synodi VI. Act. XI.

faciat. Omnis itaque numerus contubernalem habet differentiam, & omnis differentia atque discretio numerum superinducit vt insitum. Numeratur ergo beata Trinitas, non essentiis, non naturis, nec diuersis deitatis ternísve dominationibus. Absit, sicut insaniunt Arriani, & noui tritheiæ, id est, trinæ deitatis latratores.] Beatus etiam Ambrosius in secundo libro de Spiritu sancto, demonstrans quoniam trina pluralitatem habet quam non recipit deitas, inter alia dicit, Quia tertiò repetita figura mysterij operationem Trinitatis expressit, & ideo in mysteriis interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur.] Et in libro secundo de Fide, Quid sibi vult sub vno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur vna laudatio? si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia pater & filius & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt?] *& item*, Quia diuisionem quam trina demonstrat non patitur vnitas deitatis, sicut multoties & in libro secundo de Spiritu sancto dicit, Abraham tres vidit & vnum adorauit, quia vnus Deus, vnus Dominus, & vnus Spiritus. & ideo vnitas honoris, quia vnitas potestatis.] *& item*, Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis, cùm pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat diuina natura?] Vnde putamus venerandum Sedulium, non trinam, sed ternam fidem in lege metri ponere voluisse, vt demonstraret quasi quodam inseparabili sed non locali motu, qui in terna est à ter deriuata, quia filius de patre sit natus, & de patre ac filio Spiritus sanctus procedat. Singula videlicet quæque persona plenus & perfectus Deus, vnúsque plenus & perfectus Deus, tres simul vnius Deitatis in hac sancta Trinitate personæ, quas denegabat Sabellius dicens, Idem Deus quando vult pater est, quando vult filius est, quando vult Spiritus sanctus est, idem verò vnus est. Et noluit dicere trinam fidem, ne pluralitatem signando, numerabilem faceret vnam indiuiduæ atque inseparabilis Trinitatis deitatem, quam Arrius denegabat. Contra hos quippe in Paschali carmine scripsit. Propter vnam enim eandémque deitatem, quæ tota est in singulis, tota in tribus simul personis, indiuidua atque inseparabilis sancta Trinitas dicitur. Hoc quippe inseparabile verè dicitur, quod nullatenus separationem potest recipere. Nam quod non separatur sed separari potest, inseparabile non est. Quòd si quisquam separari posse putat tres vnius deitatis personas, quæ vna deitas separari non potest in tribus personis, non Trinitas inseparabilis est dicenda, sed vnitas. Ne quis verò mihi fortè succenseat, quòd dixi voluisse demonstrare Sedulium, non locali motu filium à Deo patre genitum, Spiritum sanctum à patre filióque procedere, in eo quod ternam & non trinam fidem dixit, satisfacio meo Lectori hoc me inde intellexisse, cùm dixi non locali motu, quod Dominus dicit, *qui me misit verax est.* tanquam diceret, inquit Augustinus, ideo verum dico, quia filius veracis ve-

Cap. xi. versus fine.

Lib. 3. c. 14.

ritas ſum, pater verax eſt, filius veritas, ſicut à patre filius, ita à veraci veritas, & hoc eſt *qui miſit me.* Scriptura etenim ſacra ſuæ profunditatis altitudinem nobis pandere nequiret, ſi non ita ſe nobis contemperaſſet, vt nos ad ſuam intelligentiam ſubleuaret, & interiora ſua per ea quæ circa nos ſunt, noſtróque more loquendo demonſtrans, velut ſi vrbanus & quidam doctiloquus, puerulo blandiens & applaudens, de induſtria verba molliat, & quodammodo infringendo balbutiat. Hinc ergo *miſit* cùm dicitur, quaſi quidam motus videtur. Sed hic localis motus non eſt intelligendus, ſicut nec in eo quod dixit, *Dedit*, quin pater, *filio habere vitam in ſemetipſo*, quod eſt, genuit filium vitam habentem in ſemetipſo. & miſſio Spiritus ſancti ipſa proceſſio eſt, qua ex patre ſimul procedit & filio, ſicut omnes catholici doctores de ſanctis ſcripturis manifeſtiſſimè docent. Multo minùs autem quàm terna, immo nullomodo propriè in Deo eſt trina fides intelligenda, ſed ſicut dicit Apoſtolus, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* quia licèt, vt beatus dicit Gregorius, nec infidelis ſine fide viuat, ſola tamen eſt catholica quæ humanum genus ſanctificat, ſola viuificat. Et licèt ſint varia baptiſmata & hæreticorum lauacra, quæ ſicut in lege iuxta Apoſtolum non poterant perfectum facere ſeruientem, ita nunc proficere non valent ad perfectæ purgationis lomentum. Tamen vnum eſt baptiſma catholicum, quod ſolum in catholica celebratur Eccleſia, & in vna fide collatum & acceptum ad perfectam purgationem credentibus proficit, ſicut ſanctus Ambroſius in primo libro de Spiritu ſancto dicit, Vnum inquiens baptiſma. Vbi autem non eſt plenum baptiſmatis ſacramentum, nec principium, nec ſpecies aliqua baptiſmatis æſtimatur. Plenum autem eſt, ſi patrem & filium Spiritúmque ſanctum fatearis, ſi vnum neges, totum ſubrues. Et quemadmodum ſi vnum in ſermone comprehendas, aut patrem, aut filium, aut Spiritum ſanctum, fide autem nec patrem nec filium nec Spiritum ſanctum abneges, plenum eſt fidei ſacramentum: ita etiam, quamuis patrem & filium & Spiritum ſanctum dicas, & aut patris aut filij aut Spiritus ſancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium.] *& poſt pauca*, Vnum eſt enim opus, quia vnum eſt myſterium: vnum baptiſma, quia mors vna pro mundo. vnitas ergo operationis, vnitas prædicationis, quæ non poteſt ſeparari.] Quapropter credentes vnum Deum tres perſonas vnius deitatis, tenentes vnam fidem catholicam quæ ſola ſanctificat, ſola viuificat, habentes & celebrantes vnum baptiſma, in quo ſolo plenum eſt fidei ſacramentum, non obaudiemus Gotheſcalcum, ne cum hæreticis partem habeamus, vt credamus & dicamus trinam deitatem, trinam ſanctitatem, trinam lucem, & cetera quæ ſuprà dixit. ſed ſuademus ei, vt ſi non vult cum Arrianis hæreticis in æternum habere ſocietatem, credat, confiteatur, colat, canat cum catholicis catholicus patrem & filium & Spi-

Ephes. 4. 5.

Cap. III.

ritum sanctum, sanctam scilicet & inseparabilem Trinitatem vnum esse Deum, vnius eiusdémque deitatis, ac per hoc vnam deitatem, vnam sanctitatem, vnam vitam, vnam sapientiam, vnam gloriam, vnum timorem, vnum amorem, vnam caritatem, vnam lucem, vnam salutem, vnam virtutem, vnam pacem, vnam caritatem, vnam maiestatem, vnam potestatem, vnam pietatem. Sicut Athanasius in capite libri octaui de Fidei vnitate dicit, Fides vnius substantiæ Trinitatis hæc est, patris & filij & Spiritus sancti sine initio temporum, super omnem sensum & sermonem & spiritum, vna virtus vnus Deus, tria verò vocabula, vna potestas.] Et hæc omnia ideo, quia vt Augustinus & ceteri catholici doctores dicunt, de quorum verbis & sensibus hæc in præfato libro vir venerandus Alcuinus collegit, vna est natura, essentia, substantia, diuinitas, deitas patris & filij & Spiritus sancti, & omnia nomina, quæ substantiam vel potentiam, vel essentiam Dei significant, vel quidquid propriè ad se dicitur Deus, omnibus personis æqualiter conueniunt, vt Deus magnus, bonus, æternus, omnipotens, sanctus, & omnia quæ naturaliter de Deo dicuntur. Non est igitur aliquod naturæ nomen, quod sic patri conuenire possit, vt filio vt Spiritui sancto æqualiter conuenire nequeat.] Propriè quidem Deus dicitur substantia vna summa & ineffabilis, quæ semper idem est quod est, cui nihil accidens vel recedens inesse poterit, quæ semper est quod est, quia semper immutabilis. Item Deus magnus dicitur, non alia magnitudine, nisi qua ipse magnus est & immensus. Ea igitur magnitudine magnus est, qua ipse est eadem magnitudo, & ea bonitate bonus est, qua ipse est. Nec Deo aliud est esse, aliud magnum esse, aliud bonum esse: sed eo quo est, magnus & bonus est. Ideo nec tres substantias, nec tres magnos, nec tres bonos de Deo dicere fas est.] Et ille est summa existentia, summa intelligentia, summa vita, à quo est omnis vita, omnis intelligentia, & omnis existentia. Dei enim idem ipsum est & potentia, & substantia, & diuinitas, & hæc omnia vnum, vt hoc vnum simplex.] quia vnum opus est patris & filij & Spiritus sancti, & personarum proprietatem ostendens.] Inseparabilis igitur naturæ vnitas non potest separabiles habere personas. Hæc verò summæ Trinitatis atque indiuiduæ vnitatis natura, quæ est sola vbique tota, sicut vbique inseparabilem habet vnitatem naturæ vel operis, sic separationem non potest recipere personarum.] Ipsa itaque operatio Dei, id est sanctæ Trinitatis, voluntas est Dei, & voluntas Dei simplex est, & semper in requie beatitudinis. Nec aliud est Deo operari, aliud velle, sed idem est illi velle & operari, quia voluntas Dei effectiua potentia est. Nec Deo aliud est esse aliud velle, sed vnum atque idem, & hoc totum simplex, totum vnitas, totum trinitas, totum ὁμοούσιον. quia esse quod substantiale est vnum est in patre & filio & Spiritu sancto, & horum vna

Lib. 1.

Lib. 1. de Trin. c. 14.

Lib. 1. de Trin. c. 15.

Lib. 2. c. 2.

Lib. 2. c. 14.

Lib. 2. c. 15.

Lib. 2.c.14. actio est, sicut vna voluntas.] Quod ait Apostolus, *Christum Dei* 1.Cor.1.4. *virtutem & Dei sapientiam*, non ita intelligendũ est, quòd pater dici non possit virtus vel sapientia, sicut dici non potest filius vel Verbum: quia hæc relatiua sunt nomina, sicut superiùs dictum est, illa verò, id est virtus & sapientia, substantialia sunt. Ideo pater virtus & sapientia, filius virtus & sapientia, Spiritus sanctus virtus & sapientia: non tamen tres virtutes, nec tres sapientiæ, sed vna virtus & vna sapientia, pater & filius & Spiritus sanctus, sicut vna substantia, & vna omnipotentia, & alia quæ de substantia diuinitatis dicuntur. Et ita intelligatur filius sapientia patris, quomodo dicitur lumen patris. id est vt quemadmodum lumen de lumine & vtrumque vnum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, & vtrumque vna sapientia: quia in illa simplicitate naturæ diuinæ non est aliud sapere quàm esse, nec aliud esse quàm posse, nec aliud posse quàm viuere. eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem vita quæ essentia, & hæc omnia vnum, & v- Lib.2.c.11. nus Deus.] Et sicut pater vita, ita & filius vita, & Spiritus sanctus vita, quia vnum opus est patris & filij & Spiritus sancti, sicut vna substantia atque essentia. Pater vita in semetipso, non ab alio, filius vita in semetipso, sed à patre, qui eum talem genuit vt vitam haberet in semetipso. Dictum quippe est, sicut ipse Ioan.5.26. filius ait, *Sicut pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso*, id est genuit filium vitam in semetipso habentem. Hoc solum interest, quòd pater vita est non nascendo, filius vita est nascendo, pater de nullo patre, filius de Deo patre, pater propter filium pater est, filius verò & quòd filius est propter patrem est, & quod est à patre est, & à vita vita est. Pater, qui est vita in semetipso, genuit filium qui esset vita in semetipso. Ideo & ipse filius Ioan.6.58. ait, *Sicut viuit pater, & ego viuo propter patrem.* Non ita dictum est, quasi in semetipso filius propriam non haberet vitam, sed participatione paternæ vitæ vitam haberet, sicut oculus carnalis participatione lucis alterius lumen accipit, quod non haberet in seipso nisi aliunde mutuasset: sed iam iámque talis à patre genitus est filius, qui in seipso viueret. Sicut pater non est indigens vita, sic filius non indiget alterius vitæ vt sit. Pater vita, sic & filius vita, vtrumque tamen vna vita, non duæ, quia vnus Deus, non duo dij.] Similiter & de Spiritu sancto est sentiendum, quòd vitam habeat in semetipso, procedens à Lib.2.c.18. patre & filio, coæternus & consubstantialis patri & filio. Et vbicumque in scriptura sancta legitur solus Deus, non de vna qualibet persona in sancta Trinitate intelligendum est, sed de tota sancta Trinitate, quæ æqualiter operatur omnia quæcumque operanda esse iudicat. Quæ sancta Trinitas est vnus, solus, beatus, potens, inuisibilis, & verus Deus, quia vna potentia est totius sanctæ Trinitatis. Neque enim, quia ipse filius alibi loquens voce sapientiæ, ipse est enim sapien- Eccli.24.8. tia Dei quæ ait, *Gyrum cœli circuiui sola*, separauit à se patrem, quanto

ma-

magis ergo non est necesse vt tantummodò de patre præter filium vel Spiritum sanctum intelligatur quod dictum est, *Solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem?*] Et Spiritus sanctus, qui in scripturis legitur donum Dei, vel paraclitus, vel caritas Dei, in eadem vnitate substantiæ & æqualitate cum patre & filio consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue caritas, siue ideo vnitas quia caritas, & ideo caritas quia sanctitas, nequaquam minor est illis in aliquo ex quibus procedit. Et hæc est summa caritas, qua genitus à gignente diligatur, genitorémque suum diligat, & ideo non ampliùs quàm tria sunt. Vnus diligens eum qui de illo est, & vnus diligens eum à quo est, & ipse dilectio de qua dicitur quia Deus caritas est. & hæc summa & ineffabilis Trinitas, non vnius Dei dici debet, sed vnus Deus. Et ista caritas non tenetur nisi in vnitate Ecclesiæ Christi, nec illam habent qui se diuidunt ab vnitate catholicæ pacis.] Hæc de catholicorum patrum dictis ab Alcuino in vnum collecta posuimus. Sanè vt omnem scrupulum vtentes verbis beati Athanasij legentibus amputemus, Adhuc, inquit, breuiter dilucidabo, multifariè approbans hoc vnitatis nomen esse verissimum Trinitatis, quæ tamen referatur ad multifariam sapientiam Dei, quæ vniter in patre & in filio & Spiritu sancto consistit, de qua si significes sapientiæ deitatem, & deitatem sapientiæ, nonne hæc ipsa est vnitas sapientiæ, quæ & diuinitas Trinitatis? Ergo vt compendio hæc adsignemus, siue sapientiæ gloria, seu deitas gloriæ, aut summitas, aut dominatio, aut dignitas, aut claritas, aut maiestas, aut imperium, aut potestas, aut sempiternitas nominetur, nonne hæc, multifariè quamuis sint dicta, tamen ad vnitam deitatem incomparabilem patris & filij & Spiritus sancti vniter sunt declarata? aut putas quot significationes dicuntur ad glòriam deitatis, totidémque sint & species diuersitatis? Absit, dum hæc vniuersa ad vnitam substantiam dicta referantur. Nam si hæc vna atque eadem ipsa est multiplex præsaga sapientia patris & filij & Spiritus sancti, quæ est vna virtus, siue vna forma magnitudinis æqualitatis eius, siue vna maiestas, siue vna claritas, quæ in hanc vnitam deitatem plenitudinis secundùm scripturæ regulam in hoc loco collecta reperiuntur, numquid sic in eadem deitate Trinitatis potest aduersus scripturas referri, vt tres sapientias, aut tres virtutes, aut tres imagines, aut tres substantias, aut tres claritates, aut tres plenitudines diuinitatis, vel cetera huiusmodi pluraliter Arriomanitarum more dicamus? Absit. sicut tu, Osi, iam in ætate prolixa, quin per rudimenta in Synodo Sirmiensi catholice, auctor fuisti. vbi fidem tuam, quam in Nicæa conscripseras, irritam fecisti dum regiæ potestati famularis. Præterea qui morti esses perquàm vicinus, sic in laqueum voraginis baratri incidisti, vt excideres tanquam mortuus à corde, vt diceres, Quis ignoret patrem maiorem esse honore, dignitate, claritate,

1.Tim.6.16
Lib.2.c.10
Lib.2 c.11.
Lib.1.De vnito nomine Trin.

& maieſtate? quaſi duæ vel certè tres eſſent claritates, aut maieſtates, in ſingulis his perſonis patris & filij & Spiritus ſancti, quod abſit. Nam ſi hæc eorum ſic ſe blaſphemia ita vt aiunt haberet, quare etiam non tres Deos plurali numero nuncupant, ac publica voce circa proprias vel diuerſas ſubſtantias ſuas pollicentur? quod abſit, dum perfectè vnitum nomen diuinitatis, multifariè quamuis dictum, vniter in Trinitate conſiſtat.] Et ſanctus Ambroſius in ſecundo ac tertio libro de Spiritu ſancto, ex ſcripturarum auctoritate manifeſtè demonſtrat, ſicut deuotus lector facilè inuenire valebit, quia pater & filius & Spiritus vna eſt virtus, & vnum eſt conſilium patris & filij & Spiritus ſancti, & vna vita pater & filius & Spiritus ſanctus, & creator omnium pater & filius & Spiritus ſanctus, & vnum regnum patris & filij & Spiritus ſancti, & vna voluntas patris & filij & Spiritus ſancti, & vna viſio, vna præceptio, atque vna maieſtas, & omnipotentia, ac vna ſanctitas patris & filij & Spiritus ſancti. Etenim ſicut ſcriptum eſt, *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens autem differt & reſeruat in poſterum*, vt plenius ſuam ſtultitiam Gotheſcalcus oſtenderet, nihil voluit reſeruare, quin totum ſpiritum ſtultitiæ ſuæ proferret. Vnde & quaſi clauſulam prædictis adiecit,

Prou. 29. 11

XII.

— *Cuncta inquiens ſic eſſe ceu dixi, in duobus probari poteſt patenter nominibus ſingularis tantummodò numeri, hoc eſt in luce pariter & pace. Lux enim & pax ingenita, & lux & pax genita, quin & lux atque pax procedens, non tres pluraliter luces aut paces dici ſinuntur ab arte grammatica, neque tres naturaliter, vt latrat hæreſis Arriana, neque perſonaliter vna, ſicut ſomniat hæreſis Sabelliana. ſed proculdubio lux & pax eſt naturaliter vna, & perſonaliter trina, ſicut amplectens trinam & vnam fidem, ac per hoc credens, confitens, colens, canens trinam & vnam lucem, & pacem, maieſtatem, poteſtatem, pietatem, trinam & vnam deitatem*, & reliqua quæ ibi eſt perſecutus.

X P. Ad quem parumper conuerſi loqui cenſuimus. Stulte, impie, crudelis, & Dei tyranne, quod non ſolùm ſenſus, ſed & artis litteratura penitùs denegat, & tu ipſe priùs cum arte negas, cùm artis littera errorem non habeat, & apices ſint ſine crimine, cur prauè interpretando ſenſum maculas prauæ intelligentiæ crimine, lucem & pacem naturaliter vnam perſonaliter in Deo dicens trinam? Nam de luce tuæ impietati contradicit Pſalmiſta dicens, *Apud te eſt Domine fons vitæ*, &, *in lumine tuo videbimus lumen*. In lumine tuo, inquit Hieronymus, videbimus lumen. Lumen patris Chriſtus eſt. In Chriſto patris lumine lumen Spiritum ſanctum videbimus. Et lumen tuum Chriſte pater eſt, cuius voluntatem faciens veniſti illuminare occulta tenebrarum, vt in te qui es lux mundi mereremur illud lumen cernere in gratia mentis puræ. Sic enim ait ad Philippum,

Pſal. 35. 10.

Qui videt me videt & patrem meum. In lumine eius, id est in Christo, videbimus lumen, id est Spiritum sanctum, qui super Apostolos, id est in specie ignis illuminantis apparuit. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id est à Christo illuminabimur, vt ait in Euangelio, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Apostolica quoque sedes superexaltata Petri confessione, & Pauli ornata prædicatione, verùm & ipsius traditione Ecclesia catholica, in vigilia sacra Pentecostes, quasi huius expositionem versiculi syllabis paucis, sensu permaximo, orando melius quàm tradendo sibi obtinere & aliis commendare posse cognoscens, inter sacra Missarum solemnia deprecari canendo instituit dicens, *Præsta quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum qui per gratiam tuam sunt renati, sancti Spiritus inlustratione confirmet*, Si recolis hæretice scriptum, *Vobis qui timetis Deum orietur sol iustitiæ*, & item, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*, & item, *Ipse est enim candor lucis æternæ*, vnde & ipse, dicit, *Ego sum lux mundi*, &, *Qui videt me videt & patrem, quia ego in patre & pater in me est*, & item scriptum, *Deus noster ignis consumens est*, & purgaueris gratia Dei oculum mentis à puluere vel albugine arrogantiæ, poteris hanc orationem catholicam intellectu videre. Et quoniam scriptum est, *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, intende solem, & separa ab eo aliquo modo splendorem vel calorem si potes, & cùm tria inseparabilia in vna creaturæ substantia videbis, intellige lucem & pacem, sicut & in arte grammatica singularis numeri esse, ita & sensu intellige vnam & non trinam esse lucem ac pacem, omnium quæ sunt creatorem, patrem & filium & Spiritum sanctum. Quia sicut Deus pater, Deus filius, Deus & Spiritus sanctus, & tamen non tres dij sed vnus est Deus, ita lux pater, lux filius, lux Spiritus sanctus, & non tres luces vel trina lux, sed vna lux est pater & filius & Spiritus sanctus. Et sicut dicitur pater & filius & Spiritus sanctus trinus in personis, & vnus Deus in potentia & deitate, vt beatus dicit Ambrosius, *Summæ Deus clementiæ, mundique factor machinæ, vnus potentialiter, trinúsque personaliter*, non potest catholicè dici, sicut deliras, lux & pax ac deitas naturaliter vna & personaliter trina. Vnde idem in alio hymno dicit Ambrosius, *Tu Trinitatis vnitas, orbem potenter qui regis*, de qua non dixit, vna potentialiter, trináque personaliter, quia in Deo ad se, id est essentialiter & naturaliter, sicut Deitas & substantia, lux & pax & vita, ac virtus, & alia his similia dicuntur, & non relatiuè, ac per hoc singulariter proferuntur, & non recipiunt neque habere pluralitatem vel numerum possunt. Personæ autem, quibus constat sancta & inseparabilis vnius deitatis trinitas, relatiuè dicuntur ad inuicem, & idcirco pluralitatem id est numerum habent, quæ habere non possunt essentialia nomina

Ioan.14.9. Psal.35.10. Ioan.1.9. Malac.4.2. Hebr.1.3. Sap 7.26. Ioan.8.12. Ioan.14.9. Heb.12.29. Rom.1.20.

deitas, pax, & lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum pater & filius & Spiritus sanctus: quia sicut inseparabilis est substantia, id est deitas patris & filij & Spiritus sancti, ita & inseparabilia sunt opera eiusdem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, inseparabiliterque operatum esse intelligendum est, quidquid à singulis personis legimus operari. Quamuis certissimum sit, esse patrem solum in paternitatis persona, qui dixit, *Hic est filius meus, in quo mihi complacui:* & filium esse solum filium, super quem illa vox sola patris sonuit, quando in Iordane secundùm hominem baptizatus est idem vnigenitus Deus qui carnem solus accepit: & Spiritum sanctum patris & filij personaliter solum esse, qui in specie columbæ super eundem baptizatum ascendentem de aqua descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in vno loco positos in linguarum ignearum visione aduenieus repleuit, in quo habent omnes fideles remissionem peccatorum omnium, siue in baptismo, siue in pœnitentia. Illam tamen verissimè vocem qua solus locutus est Deus pater, & illam carnem qua solus homo factus est vnigenitus Deus, & illam columbam in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illásque linguas igneas in quarum visione fideles in vno loco positos repleuit, & in quo datur credentibus remissio peccatorum, opera esse totius sanctæ Trinitatis, id est vnius Dei qui fecit in cælis & in terra visibilia & inuisibilia, verissimè credendum est. De pace siquidem, vnde hæretice quasi sapienter & conclusiuè vna cum luce prædicare te iactas, & reuera perniciosissimè blasphemas dicens, Pax ingenita, & pax genita, & pax procedens, naturaliter vna, personaliter trina, sicut suprà dixisti de deitate. Sufficere poterant quibus sufficit quæ latiùs de omnibus quæ substantialiter de Deo dicuntur ex catholicorum verbis suprà ostendimus. Sed ne dicas, quia in his duobus nominibus nos concluseris, & in responsione defecerimus, iuxta prouerbium antiquum, tibi malæ arboris nodo fortissimum cuneum opponimus, auctoritate sancti Ambrosij, & ipsam veritatis rationem. Veritas quippe loquitur per Ambrosium, dicit & per Apostolum, *Ipse est pax nostra,* &, *Deus lux est.* Quid ergo aliud datur intelligi, nisi quia ipsum sit pax & lux quod Deus est? Neque enim illa natura simplex quæ Deus est, aliud in se habere potest nisi quod ipsa est, cui hoc est scire, quod posse, hoc est posse, quod esse & nosse. Vnde & hoc pacis & lucis præcelsum vocabulum sanctæ Trinitati conuenientissimè coaptatur. nimirum quod ex tribus litteris constat, & pluralitatis numerum sicut Deus ignorat. Cùm enim dicimus pax, lux, per tres litteras tres in Deo personæ intelliguntur, & quia pax, sicut nec lux, numerum pluralem non recipit, per singularem numerum substantia, id est deitas ipsius vnius Dei accipitur, sicut sanctus Ambrosius in primo libro de Spiritu sancto,

Matt.3.17.
Ephes.2.14
1.Ioan.1.5.

capite vndecimo dicit, Vna pax, vna gratia patris & filij & Spiritus sancti. Denique scriptum est, *Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.* Ecce habes quia patris & filij vna gratia est, & patris & filij vna pax est. Sed & gratia & pax fructus est Spiritus, sicut ipse Apostolus docuit dicens, *Fructus autem Spiritus caritas, gaudium, pax, patientia.* Et bona pax & necessaria, vt nemo ad disputationum turbetur incertum, neque passionum corporalium tempestate quatiatur: sed in simplicitate fidei & tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perseueret affectus.] Et capite decimo tertio, Si igitur vna pax, vna gratia, vna caritas, vna communicatio est patris & filij & Spiritus sancti, vna certè operatio est, & vbi vna operatio est, vtique non potest virtus esse diuisa, discreta substantia. Nam quomodo operationis eiusdem gratia conueniret? Quis igitur vnitatem separare audeat nominis, cùm operationis videat vnitatem? Sed quid ego vnitatem nominis argumentis adstruo, cùm diuinæ vocis euidens testimonium sit.] *& capite decimo quarto,* Vnum nomen est patris & filij & Spiritus sancti. Scriptum est enim, *Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* In nomine dixit, non in nominibus. non ergo aliud nomen patris, aliud nomen filij, aliud nomen Spiritus sancti, quia vnus Deus non plura nomina, quia non duo Dij, nec tres Dij. & vt aperiret quia vna diuinitas, vna maiestas est, quia vnum nomen patris & filij & Spiritus sancti, & reliqua.] *& capite decimo sexto,* Deus enim lux est, sicut dixit Ioannes, quia *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Lux autem & filius, quia *vita erat lux hominum.* Et vt ostenderet se de Dei filio Euangelista dixisse, ait de Ioanne Baptista, *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo quia Deus lux est, lux autem vera est Dei filius, sine dubio Deus verus est Dei filius. Habes & alibi quia Deus lux est, *Populus qui sedebat in tenebris & vmbra mortis, lucem viderunt magnam.* Quid autem hoc euidentius quod ait, *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen?* hoc est, quod apud te est, Deus omnipotens pater, qui fons vitæ es, in lumine tuo filio videbimus lumen. Videbimus lumen Spiritus sancti, sicut ipse Dominus ostendit dicens, *Accipite Spiritum sanctum.* & alibi, *& virtus exiebat de eo.* Ipsum autem patrem quis dubitet lucem esse, cùm lectum sit de filio eius, quia *splendor sit lucis æternæ.* Cuius enim nisi patris splendor est filius, qui & cum patre semper est, nec dissimili sed eadem claritate præfulget? Et Isaias significat non solùm lucem, sed etiam ignem Spiritum sanctum, dicens, *Et erit lux Israel in ignem* Itaque Prophetæ eum ignem ardentem dixerunt, quia in tribus istis generibus propensiùs maiestatem diuinitatis aduertimus, quoniam & sanctificare diuinitatis esse aduertimus, & illuminare lucis & ignis est proprium, & in specie ignis exprimi vel videri di-

Lib.1.c.11. Gal.1.3. Gal.5.22. Matt.28.19 1.Ioan.1.5. Ioan 1.4. Ioan.1.8. Esa.9.2. Psal.35.10. Ioan.20.22 Luc.19. Sap.7.16. Esa.10 17.

Deut.4.24. uinæ eſt conſuetudinis. *Deus enim eſt ignis conſumens*, ſicut Moyſes dicit.] Ecce habes quia pater & filius & Spiritus ſanctus non perſonaliter trina, ſed naturaliter & eſſentialiter vna pax, vna lux eſt. Vnde ſicut & de deitate, ac de omnibus quæ de Deo ſubſtantialiter dicuntur, reuictus es mendax, Gotheſcalce, quia non pluraliter ſed ſingulariter de ſingulis ſicut & de tribus perſonis debent efferri.] Sicut & ſanctus Auguſtinus in libro quinto de Trinitate dicit, Cap.VIII. & tuo mendacio contradicit, Illud inquiens præcipuè tenendum eſt, quidquid ad ſe dicitur præſtantiſſima illa & diuina ſublimitas, ſubſtantialiter dici, tantámque vim eſſe eiuſdem ſubſtantiæ in patre & filio & Spiritu ſancto, vt quidquid de ſingulis ad ſeipſos dicitur, non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipiatur.] Quod autem ad aliquid, non ſubſtantialiter, ſed relatiuè ac per hoc pluraliter dicitur. Plura denique horum, ſed & aliorum orthodoxorum hinc potuiſſemus ponere teſtimonia, quæ in ſuis locis lector poterit inuenire: ſed ſcimus quoniam quantacunque poſuerimus, æmulorum inuidiam & Gotheſcalci perfidiam, & ſi per rationem & auctoritatem ſuperare, non tamen penitus ſedare valebimus. Quapropter adhibemus etiam illi ſacrum Nicænum Concilium, in quo cum Arrio ſequipes illius damnatus eſt, licèt verbotenus illum deteſtetur qui ſenſu ſequitur, Cuius Concilij inuiolabilis confeſſio, & inrefragabilis conſtitutio dominum noſtrum Ieſum Chriſtum natum ex patre vnigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, & non duo lumina, adeo credi & confiteri cum Spiritu ſancto vnum lumen perdocuit, vt ſecus ſentientes ab Eccleſia catholica anathematizandos decreuerit. Et de his contra eum iſta dicta ſufficiant. nunc de aliis eius dictis ad narrationis ordinem redeamus. In alia etiam compilatione ſua, in qua plura teſtimonia ex nomine catholicorum falsò ponit, & nomina librorum ex quibus illa ſumpſerit penitus tacet, & quædam quæ nobis nota ſunt ibidem contra ſe peruersè more ſuo interpretans interponit, quæ à ſe dicta fortiter vt ſibi videtur adſtruunt, fortiter verò & catholicè deſtruunt. ponit etiam ibidem teſtimonium Synodi VI. Action.X. prope finē. de epiſtola Petri Nicomedienſis Epiſcopi, quam in ſexta Synodo ne damnaretur porrexit, in qua trinum lumen fuiſſe poſitum, & ab Epiſcopis approbatum in eadem Synodo iactat. Neſciens ſæpe idioma linguæ, in interpretatione quæ fit verbo ex verbo, dubitationem vel intelligentiæ difficultatem afferre, ſicut & beatus Auguſtinus manifeſtè demonſtrat, & in Synodo ſæpe aliqua, quæ non adeo ad rem pertinent, propter plurimas occupationes, dum multorum verba & ſententiæ intercedunt, neceſſariò minùs diſcuſſa præteriri ſolere, maximè illa de quibus ſpecialiter non agitur ratio, & plus ſtatui nutantium intenditur à Synodo conſuli, quàm deiectioni fraternæ incumbi. Vnde Leo, vt de pluribus vnum proferamus exemplum, Epiſt.12. ſub finem. ad Flauianum ſcribit dicens, Miror tam abſurdam támque

perfidam eius, quin Eutychetis, professionem nulla iudicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum, cùm tam impiè duarum naturarum ante incarnationem vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur, quod Eutyches ideo vel rectè vel tolerabiliter æstimat dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum.] Et cùm hæc ita se habeant, necessarium tamen duximus, Gothescalcum non verum dixisse patenter ostendere. Non enim in omni libello satisfactionis Petri Nicomediensis Episcopi de trino lumine quidquam habetur, sed vnitas deitatis in eo manifestissimè & catholicè demonstratur, qui ita incipit, Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, qui ex patre natus est ante omnia sæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum sanctum, dominum & viuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio coadorandum & conglorificandum, Trinitatem consubstantialem, vnam deitatem, essentiam, virtutémque & potestatem, dominationem, Deum vnum, quem cùm singulariter contemplatur, sensu diuidente quæ indiuisa sunt, vnitatem in trinitate, trinitatem in vnitate adorandam. vnitatem quidem secundùm essentiæ siue deitatis rationem, trinitatem verò secundùm subsistentias siue personas.] Habetur autem quiddam de tribus luminibus, sed non eo sensu quo Gothescalcus dicit, in professione Synodo porrecta Macarij hæretici & Antiocheni Episcopi, qui de duabus voluntatibus & operationibus in vno domino Iesu Christo non sensit catholicè, & orthodoxorum dicta falsasse conuictus & degradatus est, post alia præmissa hoc modo, Trinitatem perfecta gloria, & imperio, & consilio non diuisam, vnam deitatem & dominationem. Nihil enim seruile in Trinitatem vel subiectum & introductitium, tanquam priùs quidem non extitisset, pòst verò intromissum. Neque enim defuit filius patri, neque filio Spiritus, sed inconuertibilis semper & consubstantialis sancta Trinitas Deus noster. Deum verum cùm dico, vno lumine illustror. Et tribus quidem secundùm proprietates siue substantias, & personas: vno verò secundùm essentiæ rationem, id est deitatis. Diuiditur quippe indiuisibiliter, vt ita dicam, & coniungitur diuisibiliter. Vnum nempe in tribus ipsa deitas, & ipsa tria vnum in quibus deitas, siue vt expressiùs dicatur, quæ est deitas. & neque ipsam vnitatem confusionem operemur, neque ipsam diuisionem alienationem.] Et hinc sanctus Augustinus in libro septimo de Trinitate, Lumen pater, lumen filius, lumen Spiritus sanctus, simul autem non tria lumina, sed vnum lumen.] Et beatus Ambrosius sanctam Trinitatem vnius deitatis, non

Synodi VI. Act. X. sub finem.

Synod. VI. Act. VIII.

Cap. III.

secundùm Gotheſcalci peruerſitatem, ſed ſecundùm fidei catholicæ vniuerſalem credulitatem atque confeſſionem, vnam lucem catholicè credi & dici demonſtrat in hymno veſpertinali, quem Gotheſcalcus ab ipſis rudimentis infantiæ, in monachorum monaſterio, in quo ſecundùm regulam oblatus & tonſus extitit, & vſque ad ætatem adultam manſit, cum monachis labiis cecinit, ſed ſenſum eius percipere corde non potuit, quoniam in maliuolam animam non introiuit ſapientia, nec habitauit in corpore ſubdito peccatis. cuius hymni initium eſt,

O lux beata Trinitas, & principalis vnitas,
Iam ſol recedit igneus, infunde lumen cordibus.

Tandem hac ſchedula completis ſuis in Deum blaſphemiis, Gotheſcalcus in vituperationem ipſius Domini ſacerdotum, vt ſcientia & meritis illi impares noſceremur, ac per hoc indigni ſacerdotio notaremur, nobis noto & ſibi conſuetudinario blaſphemiarum ſigillo, poſt ſolitum ſuum *Amen*, verba ponens beati Gregorij, quatenus eius derogationes in nos iaculatæ, qui ſua dogmata execramur, maioris haberentur virtutis, ſubſcribendo ſignauit dicens,

X.III.

— *Virtutibus plenus inuitus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.*

XP. Quas ſententias beati Gregorij, vt à ſancto Spiritu promulgatas, reuerenter ſuſcipimus, ſed malo voto à Gotheſcalco prolatas non reueremur: quia non Gotheſcalcus hæreticus, ſed ſicut ſcriptum eſt, *Spiritalis homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur.* id eſt, vt beatus Auguſtinus dicit, à nullo homine, ſed à ſola ipſa lege, ſecundùm quam iudicat omnia. Quoniam & illud veriſſimè dictum eſt, *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti.* Omnia ergo iudicat, quia ſuper omnia eſt, quando cum Deo eſt. cum illo autem eſt, quando puriſſimè intelligit, & tota caritate quod intelligit diligit. Ita etiam quantum poteſt lex ipſa etiam ipſe fit, ſecundùm quam iudicat omnia. De qua iudicare nullus poteſt, præſertim nemo illorum, de quibus item beatus Auguſtinus dicit, Quia multi non ſolùm in catholica, ſed in diuerſis hæreſibus, ſi aliqua ingruente perſecutione, tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide quam pariter confitentur, tamen quia ſeparati hæc agunt, non ſufferentes inuicem in dilectione, neque ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, caritatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus quæ nihil eis proſunt, ad æternam ſalutem peruenire non poſſunt, quia præter vnitatem & qui facit miracula nihil eſt. Præter vnitatem erant magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moyſi. & diſcipuli glorianſtes dixerunt Domino, *Ecce in nomine tuo etiam nobis dæmonia ſubiecta ſunt.* Bene quidem confeſſi ſunt, detulerunt honorem nomini Chriſti, & tamen quod ait eis, *Nolite in hoc gloriari*

1.Cor.2.15.
2.Cor.5.10.
Luc.10.17.
Luc.10.20.

gloriari quia dæmonia vobis subiecta sunt: sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo. Petrus dæmonia excludit, nescio quæ anicula vidua, nescio quis homo qualiscumque laicus, habens caritatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc. Petrus in corpore oculus est, ille in corpore digitus est, in eo tamen corpore est in quo Petrus, & si minùs valet digitus quàm oculus, non est tamen præcisus à corpore. Melius est esse digitum & esse in corpore, quàm esse oculum & euelli de corpore. Deo gratias, qualescumque sacerdotes & in Ecclesiastico regimine positi, catholicam fidem seruantes in Christi corpore, de quo euulsus est Gothescalcus, non vsquequaque virtutibus vacui manemus. quia vt idem beatus Augustinus dicit, virtus est vel recta vel perfecta ratio. Et hæc est verè perfecta virtus, ratio perueniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio intellectus est ille qui in anima est, adspectus animæ ratio est. Sed quia non sequitur, vt omnis qui adspicit videat, adspectus rectus atque perfectus is est quem visio sequatur, & virtus vocatur. Quam & si perfectè necdum adepti sumus, quia necdum culmen perfectionis attingimus, in via tamen Dei quotidie sancti desiderij gressus ponere desudamus. Quapropter, vt beatus dicit Gregorius, consolatur nos veritas, quæ per Psalmistam dicit, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* (Psal. 138. 16.) Non omninò erit nobis noxia nostra imperfectio, si in Dei itinere constituti, & ad transacta non respicimus, & ad ea quæ restant transire festinamus. Nam qui imperfectorum desideria dignanter inflammat, hæc quodammodo ad perfectionem roborat per Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen. Et quoniam idem Gothescalcus plures scedulas blasphemiarum suarum compilauit. ad quas omnes propter multas occupationes nobis longum respondere fuit, de his scribendum tantummodò vidimus, de quibus quosdam scandalizari didicimus. Scripsit enim inter alia, in quadam næniarum suarum scedula.

XIV.

— *Siquidem inde dicitur in Deo persona, quòd per se sit vna. Quapropter cùm Dei natura nihil aliud sit, quàm generalis, communis, atque vniuersalis omnium trium substantia. & vnaquæque in Trinitate persona nihil sit aliud, quàm propria, specialis, & indiuidua singulorum substantia & essentia, patefacta est, Deo gratias, luce clariùs inter vnam Dei naturam & tres personas differentia. eo videlicet, quòd in natura demonstratur omnium trium substantialis generalitas, communitas, vniuersalitas, vnitas: at in personis declaratur indiuidua singulorum specialitas atque proprietas, & ita his quoque consequenter manifestetur Trinitas, & sicut superiùs vna scilicet natura, sic & in his trina deitas.*

¶. X P. Quo contrà beatus Augustinus, quod & suprà posuimus, in libro VII. de Trinitate dicit, Nec sic inquiens Trinitatem dicimus (Cap. I.)

tres personas vel subsistentias, vnam essentiam & vnum Deum, tanquam ex vna materia tria quædam subsistãt, etiam si quidquid illud est in his tribus explicatũ sit. non enim aliquid aliud eius essentiæ est præter istam Trinitatem. Tamen tres personas eiusdẽ essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus, tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod personæ. sicut tres statuas ex eodẽ auro possumus dicere: aliud enim illic est esse aurum, aliud esse statuas. Et cùm dicuntur tres homines vna natura, vel tres homines eiusdẽ naturæ, possunt etiam dici tres homines ex eadem natura, quia ex eadem natura & alij tales homines possunt existere. In illa verò essentia Trinitatis, nullo modo alia quælibet persona ex eadem essentia potest existere.] Non enim maior essentia pater & filius simul, quàm solus pater aut filius: sed tres simul illæ subsistentiæ, siue personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis, quod animalis homo non percipit.] Et in Sermone trigesimò sexto Euangelij Ioannis, Trinitas vnus Deus, Trinitas vna est æternitas, vna potestas, vna maiestas. Quid ergo tres? Si enim tres ait, oportet dicas quid tres? Respondeo, pater & filius & Spiritus sanctus. Id enim quod pater in se est Deus est, quod ad filium est pater est: quod filius ad se ipsum Deus est, quod ad patrem est, filius est.] *& post paululum,* Quia illa diuinitas est, est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus pater & filius & Spiritus sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus numerus recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt tanquam numerus, si quæris quid tres? non est numerus. Vnde dictum est, *Magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.*] & item post paululum, Hoc solum numerum insinuat quòd ad inuicem sunt, non quòd ad se sunt.] Ex his verbis beati Augustini demonstratur contra catholicam fidem dicere Gothescalcus, vt solet, trinam prædicans deitatem. Et in hoc etiam ex his verbis sancti Augustini malè dogmatizare probatur, quod in eadem sua compilatione subsequitur dicens,

Psal. 146. 5.

XV.

—Illud etiam patet, & absque nubilo claret, quòd nomina personalia non sunt vllo modo relatiua, sed potiùs essentialia, siue substantialia, sicut sunt & naturalia. Hoc tamen inter se tantummodò differunt, quòd nomina naturalia totis tribus personis æqualiter sunt communia, siue generalia: at personalia singulis tantummodò personis probantur esse propria, siue specialia. Quemadmodum verbi gratia, cùm dicitur Dei natura, totius Trinitatis communis cognoscitur essentia: cùm verò dicitur persona, non nisi vnius ex Trinitate specialis dignoscitur esse substantia. Reuera enim naturale nomen Dei, quando generaliter ponitur, totas tres pariter complectitur personas, personale verò solummodò singulas.

XP. Repetamus singula, & distinctè ac viritim respondeamus, catholicorum dictis & sensibus, his execrandis blasphemiis. Claret " inquit, quòd nomina personalia non sunt vllo modo relatiua, sed " potiùs essentialia, siue substantialia, sicut sunt & naturalia. Ad quæ " interrogamus eum, quæ sunt in sancta Trinitate nomina personalia. Si dixerit, quia aliud non habet quid dicat, pater & filius & Spiritus sanctus, dicentem quòd nomina personalia non sunt relatiua sed naturalia, mentiri comprobat sanctus Augustinus in multis locis, tum in quinto & septimo libro de Trinitate, in quibus ostendit quòd nomina naturalia in Deo ad se, id est substantialiter dicuntur, nomina verò personalia ad aliquid, id est relatiuè dicuntur. sicut pater ad filium, filius ad patrem, & Spiritus sanctus ad patrem & filium, quorum est Spiritus sanctus. Et illud præcipuè tenendum esse confirmat, vt quidquid ad se dicitur præstantissima illa & diuina sublimitas, substantialiter dici, & quicquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur. Quod autem ad aliquid, non substantialiter sed relatiuè dicitur. Vnde & Boëtius, ac si beatum Augustinum exponens, in libro ad Ioannem Romanum diaconum, postea autem Episcopum, dicit, Intelligamus patrem & filium ac Spiritum sanctum non de ipsa diuinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Si enim substantialiter prædicaretur, & de singulis & de omnibus singulariter diceretur, hæc verò ad aliquid dici manifestum est.] *& paulo pòst*, Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, vnitas verò in substantiæ simplicitate.] *& item*, Trinitas igitur non pertinet ad substantiam. quo fit vt neque pater, neque filius, neque Spiritus sanctus, neque Trinitas, de Deo substantialiter prædicetur, sed vt dictum est ad aliquid: Deus verò, veritas, iustitia, bonitas, omnipotentia, substantia, immutabilitas, virtus, sapientia, & quicquid huiusmodi excogitari potest, substantialiter de diuinitate dicuntur.] Et item idem in libro de Trinitate, Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat trinitatem.] Quapropter si forent, vt mentitur Gothescalcus, in sancta Trinitate tria nomina naturalia vt personalia, esset in sancta Trinitate trina natura, id est trina deitas, & vnicuique naturæ proprium nomen, sicut est vnicuique personæ quædam proprietas sua in vna eadémque hac communi sanctæ Trinitati deitatis natura. Patri videlicet, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non solus in deitatis essentia. Vnigenito verò filio Dei proprium est, quòd ex solo, id est patre, consubstantialiter & coëssentialiter solus est genitus. & in hoc personæ suæ proprietas, vt solus sit in filij persona, & non solus in deitatis substantia. Spiritui sancto est proprium, quòd ex patre & filio æqualiter procedit, & est amborum spiritus, eiusdémque substantiæ & æternitatis cum patre & filio. Si inquam tria in sancta

Lib. v. cap. VIII.

Sub medium libelli.

Sub finem.

Trinitate forent naturalia nomina, tres vtique essent naturæ, & trina deitas esset, sicut mendaciter laborat Gothescalcus adstruere vt trina sit personaliter, ac per hoc tres dij essent. cui falsitati à diabolo, qui primis hominibus dixit, Eritis sicut dij, per Gothescalcum prolatæ contradicit Dominus dicens, *Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* Vnde Athanasius in libro primo de fide, Qui, inquit, in nomine dixit, euidenter vnam deitatem in Trinitate consistere declarauit; & quod prosecutus est, patris & filij & Spiritus sancti, per singula nomina singulas personas inesse distinxit. In qua sententia, quòd & vnius Dei nomen sit pater & filius & Spiritus sanctus, & catholicè vt catholicissimus per singula nomina singulas personas inesse distinxit, quoniam alia est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti, cùm non sit aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus, sed id ipsum sit pater quod filius & quod Spiritus sanctus, non autem idem ipse sit pater, qui filius, & qui Spiritus sanctus, sicut beatus Ambrosius in libro primo de Fide dicit, Si ergo vnus Deus, vnum nomen vna potestas, vna est Trinitas, denique Dominus dicit, *Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. in nomine*, inquit, *non in nominibus.*] Et hinc idem Athanasius consonanter, In nomine, inquit, non in nominibus, vt & vnum Deum per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.] Deinde subsequitur Gothescalcus, Hoc tamen inter se tantummodò differunt, quòd nomina naturalia totis tribus personis æqualiter sunt communia, siue generalia: at personalia singulis solummodò personis probantur esse propria, siue specialia. Videndum quàm contraria sibi ipsi & amenter loquitur, videlicet vt hæresis, de qua scriptum est quia non valet consistere pedibus suis. Paulo superiùs dixit, quòd nomina personalia non sunt vllo modo relatiua, sed naturalia, & mox subiungit, quòd nomina naturalia sunt communia Trinitati & generalia, & personalia singulis personis sunt propria. Contra quæ non latiùs scribendum censuimus, cùm manifestum sit, quàm contraria catholicæ fidei, & catholicorum verbis, & sibi ipsi loquatur, & in hoc opere plurima sint catholicorum testimonia posita, quæ illius falsitatem reuincunt, licèt ipse iis non credat, nisi ea dixerint quæ suo prauo sensui congruunt. Non enim, vt scriptum est, recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius. Ceterùm quicumque à dogmate illius dissentiunt, sine vlla reuerentia reprehendit. sicut in hac eadem compilatione reprehendit Paulum, quia non regulariter dixit, *Fides, spes, caritas, tria hæc: maior autem his est caritas*, dicens quia maior horum dicere debuerat. & Priscianum denotat, asseuerans quia illum hæc regula præterierit. Sed & Hieronymum, & Augustinum, & Bedam, toto ore & buccis inflatissimis de quibus sibi visum est repre-

Matt. 28. 19

Cap. 1.

Matt. 28. 19.

1. Cor. 13. 13.

hendit. Verumtamen Augustinus, quem suum multoties vocat, illum prauè sentire in hac compilationis suæ astutia comprehendit dicens, Sciendum est, quòd quædam de Deo substantialiter dicuntur, vt est Deus, magnus, omnipotens, & quicquid ad se dicitur, id est substantiam diuinitatis significantia. Quædam itaque relatiuè dicuntur, vt pater ad filium, & filius ad patrem, & Spiritus sanctus relatiuè ad patrem & filium: ad se autem, siue pater, siue filius, siue Spiritus sanctus dicitur.] *& item*, Quicquid ergo ad se dicuntur pater & filius, non dicitur alter sine altero. id est quicquid dicuntur quod substantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Si hæc ita sunt, iam ergo nec pater est Deus sine filio, nec filius Deus sine patre, id est non ita dicitur pater Deus quasi filius non sit Deus, nec filius ita dicitur Deus quasi pater non sit Deus, sed ambo simul Deus & vnus Deus. Quocirca quicquid secundùm substantiam vel æternitatem de eis dici potest, ambo simul sunt. quamuis de filio dicatur Deus de Deo, lumen de lumine, ambo sunt Deus, ambo simul lumen. sed non pater Deus de Deo, nec lumen de lumine, sed filius Deus de Deo, & lumen de lumine. ambo tamen simul & semper simul vnus Deus & vnum lumen. Sic etiam & de aliis appellationibus quæ secundùm substantiam dicuntur, id est, quod simul ambo sunt dici debet. hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt, sicut Verbum de Verbo dici non potest, quia non simul ambo Verbum, sed solus filius, nec imago de imagine, nec filius de filio, nec pater de patre.] Et item, Sicut enim relatiuè pater & filius dicuntur, ita & Spiritus sanctus ad patrem & filium quodammodo relatiuè dicitur, quia patris & filij spiritus est, sed ipsa relatio Spiritus sancti non ita reciprocatione conuerti poterit sicut pater & filius. Possumus quippe dicere, Spiritum sanctum patris & filij spiritum: sed conuerso ordine non possumus dicere, patrem Spiritus sancti, sicut dicimus patrem filij, ne duo filij in sancta Trinitate æstimentur. Ita non possumus dicere filium Spiritus sancti, sicut dicimus filium patris, ne duo patres in sancta Trinitate intelligantur. Dicimus itaque Spiritum sanctum patris & filij sine reciprocatione conuersionis nominum relatiuorum. Personæ autem etymologiam, vel definitionem Boëtius, cùm in libro contra Eutychem & Nestorium multipliciter sapientum vtriusque linguæ, Græcæ videlicet Latinæ, sensum inde protulerit, talem non inuenit, sicut Gothescalcus hìc adinuenit, Inde inquiens dicitur in Deo persona, quòd per se sit vna. cùm tres vnius deitatis in sancta Trinitate personæ pater & filius & Spiritus sanctus ad inuicem non substantialiter, sed sicut ex verbis beati Augustini ostendimus, relatiuè dicantur. Pater enim relatiuè dicitur ad filium, qui ideo dicitur pater quòd habeat filium: filius relatiuè ad patrem dicitur, quia ideo dicitur filius quòd habeat patrem. Spiritus sanctus, tertia in sancta Trinitate persona, quodammodo relatiuè dicitur, quia patris & filij spiri-

De vna persona Christi.

tus eſt, qui à catholicis doctoribus amborum, videlicet patris & filij, caritas, ſanctitas, vnitas, ac Trinitatis vinculum dicitur. Trinitas itaque ad perſonas patris & filij & Spiritus ſancti refertur: vnitas ad naturam æternæ deitatis pertinet. Et habent ſingulæ in ſancta Trinitate perſonæ aliquid proprium, non ſicut Gotheſcalcus dicit, quòd inde dicitur in Deo perſona, quòd per ſe ſit vna: ſed ſicut Auguſtinus dicit, quòd inſeparabili æqualitate aliquam in ſe oſtendunt proprietatem. Pater verò ſolus pater, & filius ſolus filius, & Spiritus ſanctus ſolus Spiritus ſanctus. & pater hoc habet proprium, quòd ex omnibus quæ ſunt ſolus eſt, quia ab alio non eſt, ac per hoc ſolus eſt in paternitatis perſona, non ſolus in deitatis eſſentia. Vnigenitus verò filius Dei hoc habet proprium, quòd ex ſolo, id eſt patre, conſubſtantialiter & coëſſentialiter ſolus genitus eſt, & in hoc perſonæ ſuæ proprietas. Spiritus ſanctus hoc habet proprium, quòd ex patre filióque æqualiter procedit, & eſt amborum ſpiritus, eiuſdem ſubſtantiæ & æternitatis cum patre & filio. Sed hæc tria verè etiam tria ſunt, ineffabilitérque tria, & eſſentialiter tria, habentia proprietates ſuas, & hæc tria vnum, & verè vnum, & hoc vnum tres, ſed non tres patres, nec tres filij, nec tres Spiritus ſancti, ſed tres perſonæ. vnus pater, vnus filius, vnus Spiritus ſanctus, & hi tres, id eſt pater & filius & Spiritus ſanctus, vnum ſunt in natura, omnipotentia, deitate, & æternitate. Conferat igitur catholici lectoris prudentia verba Gotheſcalci dicentis, Inde dicitur in Deo perſona quòd per ſe ſit vna, verbis beati Auguſtini dicentis, Habent ſingulæ in ſancta Trinitate perſonæ aliquid proprium, quo inſeparabili æqualitate aliquam in ſe oſtendunt proprietatem, & dicat, Quantum diſtat ortus ab occidente longè faciat Dominus prauum ſenſum Gotheſcalci à catholicis ſenſibus noſtris, qui cum Gotheſcalco non dicimus inde in Deo dici perſonam quòd per ſe ſit vna, ſed credimus & confitemur cum ſancto Auguſtino, & ceteris orthodoxo doctoribus, quia pater & filius & Spiritus ſanctus naturaliter vnus eſt Deus. Inſeparabilis igitur naturæ vnitas non poteſt ſeparabiles habere perſonas. Pater quidem ex omnibus quæ ſunt ſolus eſt, quod ſibi proprium eſt: & ſolus eſt in paternitatis perſona, ſed non per ſe ſolus eſt in deitatis eſſentia. Vnigenitus Dei filius ex ſolo patre conſubſtantialiter & coëſſentialiter ſolus eſt genitus, & hoc eſt proprium ſuæ perſonæ, ſed non per ſe eſt ſolus & ſingulariter vnus in deitatis eſſentia. Spiritus ſanctus ex patre & filio æqualiter procedit, & hoc eſt proprium ſuæ perſonæ. Vnde non per ſe eſt ſolus & ſingulariter vnus in deitatis eſſentia: ſed amborum, videlicet patris & filij ſpiritus, eiuſdem ſubſtantiæ & æternitatis cum patre & filio. & idcirco inſeparabilis eſt ſancta Trinitas etiam in perſonis ſenſu intelligenda, quamuis in voce ſeparabilia habeat nomina, quia pluralem numerum in naturæ nominibus nullatenus recipit. Verùm

& in hoc ostenditur personas non posse diuidi in sancta Trinitate, quia cuiuslibet personæ nomen semper ad alteram respicit personam. Si patrem dicis, filium ostendis: si filium nominas, patrem prædicas: si Spiritum sanctum appellas, alicuius esse Spiritum necesse est intelligas. Non igitur, vt blasphemat Gothescalcus, inde dicitur in Deo persona, quòd per se sit vna, more suo, videlicet hæreticorum more, profanas vocum nouitates exquirens. Qui, vt B. dicit Gregorius, dum laudari tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur. Sícque fit, vt dum videri sapiētes desiderant miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Rectiùs autem Boëtius quàm Gothescalcus, immo rectè Boëtius, quia non rectè Gothescalcus, personæ definitionem ex sapientum sententiis nobis protulit dicens, persona dicta est à personando circumflexa penultima. Quòd si acuatur antepenultima, apertissimè videbitur à sono dicta.] *& item*, Hoc interim constet, quòd inter naturam personámque differre prædiximus: quoniam natura est cuiuslibet substantiæ specificata proprietas, persona verò rationabilis naturæ indiuidua subsistentia. Non igitur, vt Gothescalcus mendaciter adinuenit, ideo dicitur in Deo persona, quòd per se sit vna. Exponat enim quid velit addere, cùm dicit quòd per se sit vna. Et si dixerit iteratò, licèt absurdum sit, per se vna persona, vt per se sit pater, per se filius, per se Spiritus sanctus, non stabit, quia licèt pater solus sit in paternitatis persona, filius solus sit de patre, id est de substantia patris natus, Spiritus sanctus solus de patre procedat & filio, tamen relatiuè pater ad filium, filius ad patrem, Spiritus sanctus quòd patris & filij spiritus sit dicitur. Vnde S. Augustinus in libro sexto de Trinitate dicit, Non inuenitur quomodo dici possit aut pater solus, aut filius solus, cùm semper atque inseparabiliter & ille cum filio sit, & ille cum patre, non vt ambo sint pater, aut ambo filius, sed quia semper inuicem, neuter solus.] Quod & de Spiritu sancto sentiendum est. Si dixerit, ideo dicitur in Deo persona, quòd per se sit vna deitas vel substantia, vel aliquid huiusmodi, hoc catholica fides non recipit, quoniam vna eadémque deitas, quæ Trinitatis est vnitas, tota in singulis, tota est in tribus simul personis. Quapropter non debuerat dicere, exponens quare dicitur persona, per se, sed potiùs ad se, eo sensu sicut Augustinus in libro septimo de Trinitate dicit, Videlicet quia pater & filius & Spiritus sanctus in Trinitate relatiuè dicuntur: persona verò patris, vel filij, vel Spiritus sancti ad se dicitur. Non, inquit Augustinus in præfato libro, aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omninò idem. Nam esse ad se dicitur, persona verò relatiuè, videlicet cùm dicitur pater vel filius vel Spiritus sanctus. & sicut substantia patris ipse pater est, non quo pater est, sed quo est: ita & persona patris non aliud quàm ipse pater est. Ad se quip-

Cap. VII.

Lib. VII. de Trin. c. VI.

pe dicitur persona, non ad filium, vel ad Spiritum sanctum. sicut ad se dicitur [Deus, & magnus, & bonus, & iustus, & si quid aliud huiusmodi: & quemadmodum hoc illi est esse, quòd Deum esse, magnum esse, quòd bonum esse, ita hoc illi est esse, quòd personam esse. Cur ergo non hæc tria simul vnam personam dicimus, sicut vnam essentiam & vnum Deum, sed tres dicimus personas, cùm tres Deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus vel vnum aliquod vocabulum seruire huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceremus interrogati quid tres, cùm tres esse fateremur? Neque cùm quislibet audierit patrem solum Deum, separet inde filium, aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus est, cum quo & vnus Deus est. quia & filium cùm audimus, solum Deum sine vlla separatione patris aut Spiritus sancti oportet accipere. atque ita dicat vnam essentiam, vt non existimet aliud alio vel maius, vel melius, vel aliqua ex parte diuersum. Non tamen vt pater ipse sit & filius & Spiritus sanctus, & quicquid aliud ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum quod non dicitur nisi filius, aut donum quod non dicitur nisi Spiritus sanctus: propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Euangelio scriptum est, *Ego & pater vnum sumus.* Et vnum dixit, & sumus. Vnum, secundùm essentiam, quod idem Deus: sumus, secundùm relatiuum, quòd ille pater, hic filius.] Et in libro decimo quinto, Spiritus quoque sanctus secundùm scripturas sanctas, nec patris est solius, nec filij solius, sed amborum, & ideo communem, qua se inuicem diligunt pater & filius, nobis insinuat caritatem. Et sicut sapientia & pater & filius & Spiritus sanctus dicitur, & simul omnes non tres sed vna sapientia: ita & caritas & pater dicitur & filius & Spiritus sanctus, & simul omnes vna caritas. sic enim [pater Deus, & filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & simul omnes vnus Deus.] Vnde & inseparabilis est, etiam in personis, sancta Trinitas sensu intelligenda. Et qui hanc etymologiam in persona mendaciter adinuenit, fortè vt solet prauè interpretabitur verba Boëtij, dicentis in libro de Trinitate, In rerum, inquit, numero non facit pluralitatem vnitatum repetitio. Velut si de eodem dicam, gladius vnus, mucro vnus, ensis vnus. velut si dicam, Sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de vno toties prædicatur. Non igitur si de patre ac filio & Spiritu sancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Et vt de persona compilauit quia dicit,
» Sicut Deus dicitur trinus & vnus, ita deitas debet & valet dici ca-
» tholicè trina & vna. Fortè dicet, ideo dicitur Deus trinus, quasi ter vnus, & dicitur deitas trina, id est ter vna. Contra quem hinc & se & nos defendat Boëtius sine vlla interpositione subsequens cùm dicit, Non igitur si de patre ac filio & Spiritu sancto tertiò prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, vt

Post alia multa.

Ioan. 10. 30

Lib. xv. de Trin. cap. xvii.

Cap eodē post alia.

Non longè à principio

vt dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum.] & paulo superiùs, Vbi verò nulla est differentia, nulla est omninò pluralitas, quare nec numerus, igitur vnitas tantùm. Nam quòd tertiò repetitur Deus cùm pater & filius & Spiritus sanctus nuncupatur, tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, id est in deitate, sicut inferiùs paulo demonstrat dicens, Catholicis verò nihil in differentia constituentibus, ipsámque formam vt est esse ponentibus, neque aliud esse quàm est ipsum quod est opinantibus, rectè repetitio de eodem quàm enumeratio diuersi videtur esse cùm dicitur, Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas vnus Deus, velut ensis, atque mucro, & gladius, vnus gladius, velut sol, sol, sol, vnus sol. Non verò ita dicitur pater & filius & Spiritus sanctus, quasi multiuocum quiddam. Nam mucro, & ensis, & gladius, & ipse est & idem: pater verò ac filius & Spiritus sanctus, idem equidem est, non ipse. Non est igitur inter eos in re omni differentia quare subintret numerus, quem ex subiectorum diuersitate confici superiùs explanatum est. Et hoc idem Dominus demonstrat in Euangelio, quod sub hoc sensu tradunt omnes doctores catholici, cùm dicitur, *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* Non dicit *in nominibus*, sed *in nomine*, quia vnum nomen vnius Dei est, pater & filius & Spiritus sanctus, de quo scriptum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Quapropter & si potest dici in personis Deus trinus, quasi quodammodo ter vnus, quia pater Deus, filius Deus, Spiritus sanctus Deus, vnius eiusdémque essentiæ deitatis, quæ est vnitas trinitatis, tota in singulis, tota in tribus simul personis: non tamen potest catholicè dici deitas trina, quasi ter vna, quia vna & indiscreta natura patris & filij & Spiritus sancti non est terna, vel trina, siue ter vna in singulis, non est terna, vel trina, seu ter vna in tribus, sed vna & eadem, tota plena atque perfecta semper in singulis, tota plena atque perfecta in tribus simul personis, quæ in se non habet numerum, nec in personis, in quibus relatiuè dicitur Trinitas, aliquam differentiam. Trina quippe & trinitas habent vel numerus sunt, vt superiùs catholicorum verbis ostendimus. Vnde cùm ter sanctum Hymnum offerimus, térque coadorandam deitatem cum supernis & cælestibus virtutibus conglorificamus, dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, subsequimur Dominus Deus Sabaoth, non Domini Dei Sabaoth, &, pleni sunt cæli & terra gloria tua, non gloria vestra, corde credentes ad iustitiam, ore confitentes ad salutem cantamus. Sic enim sentit & scripsit Dionysius Areopagites, & Cyprianus, sic Basilius Cappadocus, sic Gregorius Nazianzenus, sic Gregorius Nyssensis, sic Ioannes Constantinopolitanus, sic Timotheus & Cyrillus Alexandrini Episcopi, sic Epiphanius Cyprius, sic Hilarius & Augustinus, sic Hieronymus &

Matt.28.19

Deut.6.5.

Prosper, sic Leo & sanctus Gregorius Romani Pontifices, & Beda magister egregius, quorum omnia cum quibusdam testimonia, quæ ex eorum libris poteramus colligere, hîc propter multiplicitatem & magnitudinem voluimus annotare, omisimus scientes quia quibus ista non suffecerint, nec plura proderunt. Et non est mirum, si talia vt præmisimus dicit, qui ab ineunte ætate semper vocum nouitates exquisiuit, & adhuc semper inquirit, quatenus talia dicens quæ nemo aliud dicit, innotesci & si non de bonis vel de pessimis possit. Nam & inter alia hæretica sua dicta hæc dicit,

XVI.

— *Quando inquiens singillatim loquimur ad vnamquamque ex Trinitate personam, non tunc prorsus ad totam Trinitatem loquimur. Verbi gratia, Deo patri vtique lumini dicimus,* In lumine tuo videbimus lumen, *hoc est in filio tuo Spiritum sanctum. Item filio,* Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *Item Spiritui sancto,* Nunc sancte nobis Spiritus, vnus patris cum filio. *Quapropter quando singillatim solitariè sic supplicamus, & impetrasse nos, vel impetrare, vel impetraturos esse cognoscimus, aut sentimus, aut credimus, suppliciter eidem personæ, cui tunc supplicauimus atque supplicamus, dicere debemus, Tibi Deo gratias, & cum ipsa persona ceteris duabus pariter, Vobis Deo gratias. Est enim de tribus his personis in pronominibus & verbis ritè pluralitas receptibilis. quod probatur illa sententia patris,* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Non ait* faciam, *quia non est ipse solus modò pater, modò filius, modò Spiritus sanctus, sicuti somniant Sabelliani. Nec ait* ad imagines & similitudines nostras, *quia non tres Dij, ceu latrant Arriani. sed Faciamus ad imaginem & similitudinem nostram: quia reuera Dominus Deus noster trinus & vnus est, quemadmodum credunt & confitentur catholici, veri videlicet Christiani. Quin etiam de duabus ex Trinitate personis à Deo Dei filio numerus dicitur pluralis,* Ego & pater vnum sumus. *&,* vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, *&* vt ipsi in nobis sint. *Hinc & ego dixi crebrò Spiritui sancto, Veni benedicte Deus Domine Paraclite, veni missus à benedicto Deo Domino Paraclito, in nomine benedicti Dei Domini paracliti, & vt sit semper omnis honor, laus, & gloria meritò vobis benedicto Deo Domino paraclito, trino & vni, vestróque simul benedicto nomini, necnon & numini, Amen.*

XP. Hæc autem nunquam per vllius hæretici linguam serpentem antiquum sibilasse, nisi per os Gothescalci, audiuimus. nusquam nisi in suis scriptis legimus, in quibus cæcitatem illius vehementissimè obstupescentes horremus. quia de scripturis & catholicorum dictis approbat patris & filij & sancti Spiritus vnitatem ponens, *In lumine tuo videbimus lumen.* &, *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quo sanctus Spiritus designatur, & de verbis sancti Ambrosij dicens,

Nunc sancte nobis Spiritus, vnus patris cum filio,

» & mox subiungit, Quapropter quando singillatim solitariè suppli-
» camus vni de Trinitate personæ, suppliciter eidem personæ, cui tunc

ſupplicauimus atque ſupplicamus, dicere debemus Tibi Deo gratias, & cum ipſa perſona ceteris duabus pariter, Vobis Deo gratias. Vnde illi referendum eſt quod de huiuſmodi dicit Apoſtolus, *dicentes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* Quid enim ſtultius quàm talia proferre, quæ nuſquam prolata inuenit, nunquam à quocumque dicta audiuit? Et quod perſtultum eſt, ad ſuam confirmandam ſententiam talia ſcripturarum teſtimonia protulit, quibus ipſa eius ſententia manifeſtè deſtruitur, & velut phreneticus funem portat quo vinciatur, & gladium porrigit quo interficiatur. *Gladium* Apoſtolus inquit *ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Scripturæ quippe ſanctæ modò de patre tantùm loquuntur, vt *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine.* modò tantùm de filio, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia, quæ dicit, *Gyrum cæli circuiui ſola.* modò de Spiritu ſancto, vt *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* modò de patre tantùm & filio, vt *Omnia in ſapientia feciſti.* &, *apud te eſt Domine fons vitæ.* &, *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus.* qui dicit, *Ego à patre exiui, & à Deo proceſſi.* & item Pſalmus, *In Deo ſalutare meum, & gloria mea.* ſicut & ipſe filius dicit, *Ego in patre, & pater in me eſt.* &, *Ego & pater vnum ſumus.* Modò etiam Spiritus ſancti faciunt mentionem, vt *In lumine tuo videbimus lumen*, id eſt in filio tuo Spiritum ſanctum, qui æqualiter totus procedit à patre, totus procedit à filio, totus in patre manet, totúſque manet in filio, & eſt amborum ſpiritus, ac quædam patris filiíque communio. Et item in Pſalmis, totam ſanctam & inſeparabilem Trinitatem ſingillatim & apertiſſimè nominans, *Verbo*, inquit, *Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hîc Trinitas manifeſtiſſimè declaratur, Dominus, Verbum, Spiritus Domini patris & Verbi. quæ tota Trinitas vnus eſt Deus, quod & Dominus in Euangelio demonſtrat dicens, *Ite baptizantes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti* In nomine, inquit, non in nominibus. vt & vnum Deum per indiſtinctum diuinæ eſſentiæ nomen oſtenderet, & perſonarum diſcretionē ſuis demonſtratam proprietatibus edoceret. Sic & beatus Dauid plenus Spiritu ſancto diſtinxit, ſed deitate inſeparabiles perſonas non ſeparauit, cùm poſtquam locutus ad patrem, *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine*, filium quoque commemorans dixit, *Omnia in ſapientia feciſti*, & ſubiungens, *impleta eſt terra poſſeſſione tua*, nullam pluralitatem in ſingularitate deitatis ſanctæ & inſeparabilis Trinitatis more Gotheſcalci adiecit, nec perſonæ quam non nominauerat ingratus eſſe pertimuit. Similiter quando dixit, *In lumine tuo videbimus lumen, Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te*, ſingulari numero, & non *Prætendite* plurali ſubiecit. Quando etiam dixit, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, ſingularem numerum, & non pluralem, de eadem Trinitate loquens, ſubiecit dicens, *Congregans ſicut in vtre aquas maris.* Aquas maris quaſi in vtre Dominus, ſancta

Rom.1.22. Epheſ.6.17 Pſal.91.6. Eccli.24.8. Sap.1.7. Pſal.103.24 Pſal.35.10. Pſal.61.2. Ioan.16.28. Ioan.8.42. Pſal.61.8. Ioan.10.38. Ioan.10.30 Pſal.35.10. Pſal.32.6. Matt.28.19 Pſal.91.6. Pſal.103.24 Pſal.35.10. Pſal.32.6. Pſal.32.7.

videlicet & inseparabilis Trinitas, pater & filius & Spiritus sanctus, quorum sicut vna est diuinitas ita & vna operatio, congregat, cùm miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frænat. Vter quippe carnalis est cogitatio. Aquæ ergo maris in vtre congregatæ sunt, cùm amaritudo peruersæ mentis non erumpit exteriùs in vocem prauæ libertatis. Sic & beatus Ambrosius multoties in Hymnis suis aliquando patris personam, aliquando filij, aliquando Spiritus sancti, aliquando tres sanctæ Trinitatis personas alloquens, semper vnum Deum vnius deitatis sanctam Trinitatem, & non patrem sine filio & Spiritu sancto, non filium sine patre & Spiritu sancto, non Spiritum sanctum sine patre & filio intelligi, credi, & prædicari debere demonstrat. Vt de pluribus pauca dicamus, obsecrantes lectorem, vt si eius vel aliorum Catholicorum verba in hoc nostræ seruitutis Opusculo sæpiùs repetita inuenerit, non inde mihi succenseat, quod in nominatissimorum virorum scriptis inueniet. Ait enim beatus Ambrosius,

Somno refectis artubus, spreto cubili surgimus.
Nobis pater canentibus, adesse te deposcimus.

& sic per totum illum Hymnum patris personam exorat, sed non sine filio & Spiritu sancto. & item per totum alium Hymnum ad filij personam loquitur, dicens,

Christe qui lux es & dies, noctis tenebras detegis.

& item, personam sancti Spiritus alloquitur, quem non sine patre & filio esse demonstrans, dicit.

Nunc sancte nobis Spiritus, vnus patris cum filio.

Aliquando patris & filij personarum tantùm mentionem faciens dicit,

Aurora cursus prouehat, aurora totus prodeat.
In patre totus filius, & totus in Verbo pater.

& item,

Consors paterni luminis, lux ipse lucis & dies.
Noctem canendo rupimus, adesto postulantibus,

Aliquando filij & Spiritus sancti personas demonstrat dicens,

Christúsque nobis sit cibus, potúsque nostra sit fides,
Læti bibamus sobriè ebrietate Spiritus

& item,

Christe virtutum Domine, non ex virili semine.
Diuinitatis vnius, consórsque sancti Spiritus.

Aliquando totas tres sanctæ Trinitatis personas singillatim efferens, vnius deitatis sanctam esse Trinitatem demonstrat, dicens,

Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens,
Lux lucis & fons luminis, diem dies illuminans.
Verúsque sol illabere, micans nitore perpeti,
Iubárque sancti Spiritus infunde nostris sensibus.
Votis vocemus te patrem, patrem perennis gloriæ,

Patrem potentis gratiæ, culpam releget lubricam.

Et siue ad patris personam, siue ad filij, siue ad Spiritus sancti loquatur, singularem semper numerum subicit, & non timet, vt Gotheſcalcus, ceteris personis esse ingratus, nec dicit ad alias personas, Vobis Deo gratias, sed dicit,

Perennes laudes dicimus, patri Deo cum filio,
Qui est vocatus ex Ægypto per suos famulos Deus.
Renati sancto Spiritu, lumen videmus muneris.
Sic te sequentes Dominum salui erimus iugiter.

Et item,

Christum rogemus, & patrem Christi, patrísque Spiritum.
Vnum potens per omnia foue precantes Trinitas.

Et in primo libro de Fide dicit, Iungat honorificentia patri filium, quem diuinitas iunxit: non separet impietas, quem generationis proprietas copulauit.] Et in libro I. de Spiritu sancto. Si Christum dicas, & Deum Patrem, à quo vnctus est filius, & ipsum qui vnctus est filium, & Spiritum quo vnctus est designasti. Scriptum est enim, *Hunc Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto.* & si patrem dicas, & filium eius, & spiritum oris eius pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas. & si Spiritum dicas, & Deum patrem à quo procedit Spiritus, & filium quia filij quoque est spiritus, nuncupasti.] Et non dehonoratur pater sine filio, nec filius sine patre, nec Spiritus sanctus sine patre & filio.] Hinc item beatus Ambrosius in eodem libro. Cur, inquiens, dixerit Dominus, *Qui blasphemauerit in filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, nec hîc, nec in futurum remittetur ei*, diligenter aduerte. Numquid alia offensa filij, alia Spiritus sancti? Sicut enim vna diuinitas, sic vna iniuria.] *& paulo pòst.* Non potest ibi exoratio esse veniæ, vbi sacrilegij plenitudo est: quia qui Spiritum sanctum negauit, & Deum patrem negauit & filium.] Et orans idem beatus Ambrosius,

Cap.v. non longè à principio.

Lib.I.c.3.

Act.10.78.

Cap 3 sub finem.

Marc.3.28.

Nunc Sancte nobis spiritus, vnus patris cum filio,
Dignare promptus ingeri nostro refusus pectori,

bene intellexit, vnum esse Deum Spiritum sanctum cum patre & filio, qui non refunditur humano pectori sine patre & filio, quia sicut vna est diuinitas, ita & vna est voluntas, atque potestas, & operatio patris & filij & Spiritus sancti. Quod malè intellexit Gotheſcalcus spiritu maligno repletus, proferens testimonium de hoc Hymno, Quando, inquit, singillatim solitariè sic supplicamus, suppliciter « eidem personæ, cui tunc supplicauimus, dicere debemus Tibi Deo « gratias, & cum ipsa persona ceteris duabus pariter, Vobis Deo « gratias, ne simus ceteris duabus personis ingrati. Contra quæ bla- « sphema beatus Ambrosius in libro secundo de Fide dicit, Didicimus vnam patris & filij esse imaginem, vnam similitudinem, v-

Cap.4.antè medium.

nam sanctificationem. didicimus vnam operationem, vnam gloriam, vnam quoque diuinitatem. Vnus ergo & solus Deus, quia *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*] Testimonium quippe, quod in hac blasphemia sua Gothescalcus, ad suam confirmandam sententiam, ex Genesi prauè exponens protulit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ita beatus Ambrosius in libro primo de Fide exposuit, Cui inquiens dicit pater, *Faciamus hominem*, nisi ad eum quem verum filium sciret? in quo nisi in vero suam imaginem recognosceret? Non est vnum adoptiuus & verus. nec filius diceret *vnum sumus*, si se cum vno qui verus non erat ipse conferret. Faciamus ergo dicit pater, qui dixit verus est. Potéstne ergo verus non esse ille qui fecit, & quod dicenti defertur facienti negatur? Quomodo autem, nisi filium verum sciret, committeret ei voluntatis suæ vnitatem, & operis veritatem? Cùm enim eadem faciat filius opera quæ pater facit, & quos vult viuificet filius sicut scriptum est, nec indifferens potestate, & liber est voluntate. Ita vnitas seruatur. quia & virtus Dei in diuinitatis proprietate est, & libertas non in aliqua differentia, sed in vnitate est voluntatis.] Et B. Augustinus, licèt Gothescalcus de eo loquens multoties inculcare soleat dicens, Augustinus noster, peregrinus ab eo corde, ore, & opere, sensus humilitate, & fide, longè aliter hæc testimonia, vnum de Euangelio, alterum de Genesi, in septimo libro de Trinitate exposuit dicens, Non, inquit, maior essentia est pater & filius & Spiritus sanctus simul, quàm solus pater aut solus filius, sed tres simul illæ subsistentiæ, siue personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis, quod animalis homo non percipit. Non enim potest cogitare nisi moles, & spatia, vel minuta vel grandia, volitantibus in animo eius phantasmatis, tanquam imaginibus corporum. Ex qua immunditia donec purgetur, credat in patrem & filium & Spiritum sanctum, vnum Deum, solum, magnum, omnipotentem, bonum, iustum, misericordem, omnium visibilium & inuisibilium conditorem, & quicquid pro humana facultate dignè veréque dici potest. Neque cùm audierit patrem solum Deum, separet inde filium aut Spiritum sanctum. Cum eo quippe solus Deus, cum quo & vnus Deus est. quia & filium cùm audimus solum Deum, sine vlla separatione patris aut Spiritus sancti oportet accipere. Atque ita dicat vnam essentiam, vt non existimet aliud alio vel maius, vel minus, vel aliqua ex parte diuersum. Non tamen vt pater ipse sit & filius & Spiritus sanctus, & quicquid aliud ad alterutrum singula dicuntur, sicut Verbum, quod non dicitur nisi filius, aut donum, quod non dicitur nisi Spiritus sanctus. Propter quod etiam pluralem numerum admittunt, sicut in Euangelio scriptum est, *Ego & pater vnum sumus.* & vnum dixit, & sumus. vnum secundùm essentiam, quòd idem Deus: sumus secundùm relatiuum, quòd ille pater, hic filius. Aliquando & ta-

Matt.4.10.

Cap.VII.

Cap.V.

Ioan.10.30

cetur vnius essentiæ, & sola pluraliter relatiua commemorantur. *Veniemus ad eum, ego & pater, & habitabimus apud eum.* Veniemus & habitabimus, pluralis est numerus, quia prædictum est, *Ego & pater*, id est filius & pater, quæ relatiuè ad inuicem dicuntur. Aliquando latenter omnino, sicut in Genesi, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*, & faciamus & nostram pluraliter dictum est, & nisi ex relatiuis accipi non potest. Non enim vt facerent dij, aut ad imaginem & similitudinem deorum, sed vt facerent pater & filius & Spiritus sanctus ad imaginem patris & filij & Spiritus sancti, vt subsisteret homo imago Dei, Deus autem Trinitas. Sed quia non omni modo æqualis fiebat illa imago Dei, tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, huius rei significandæ causa ita imago est, vt ad imaginem sit, id est non æquatur parilitate, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum interuallis, sed similitudine acceditur ad Deum, & dissimilitudine receditur ab eo.] Et in libro duodecimo, Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Paulo pòst autem dictum est, *& fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* Nostram certè, quia pluralis est numerus, non rectè diceretur, si homo ad vnius personæ imaginem fieret, siue patris, siue filij, siue Spiritus sancti. Sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est ad imaginem nostram. Rursum autem, ne in Trinitate credendos arbitraremur tres Deos, cùm sit eadem Trinitas vnus Deus, *& fecit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei:* pro eo ac si diceret, ad imaginem suam.] Hîc manifestè ostendit sanctus Augustinus mentiri & hæreticè loqui Gothescalcum, qui dicit, « Quando singillatim solitariè supplicamus vni ex Trinitate personæ, suppliciter eidem personæ, cui tunc supplicauimus atque supplicamus, dicere debemus, Tibi Deo gratias, & cum ipsa persona ceteris duabus pariter, Vobis Deo gratias. Scriptum est enim & in Lege, & in Euangelio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Vnde Ambrosius in libro secundo de Fide, Didicimus vnam patris & filij esse imaginem, vnam similitudinem, vnam sanctificationem: didicimus vnam operationem, vnam gloriam, vnam quoque diuinitatem. Vnus ergo & solus Deus, quia scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Vnus Deus, non vt ipse sit pater & filius, sicut impius Sabellius asserit: sed quia patris & filij Spiritúsque sancti vna diuinitas sit. Vbi autem vna diuinitas, vna voluntas, & vna præceptio.] Et Augustinus in epistola ad Maximum, Si & patri & filio & Spiritui sancto latria debetur & exhibetur à nobis, de qua dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, proculdubio Dominus Deus noster, cui soli per latriam seruire debemus, non est pater solus, nec solus filius, nec solus Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas vnus Deus solus, pater & filius & Spiritus sanctus. non quo ipse sit pater qui filius, vel Spiritus sanctus ipse sit aut pa-

Ioan.14.24
Gen.1.26.
Cap.vi.
Gen.1.26.
Cap.4.ante medium.
Matt.4.10.
Epist.lxvi. sub initiū.
Deut.6.3.

ter aut filius: cùm ſit in illa Trinitate pater filij ſolius, & filius patris ſolius, Spiritus autem ſanctus & patris & filij ſit ſpiritus. ſed propter vnam eandémque naturam, atque inſeparabilem vitam, ipſa Trinitas, quantum ab homine poteſt, fide præcedente intelligatur vnus Dominus Deus noſter, de quo dictum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.*] Et in libro de Doctrina Chriſtiana, Trinitas hæc vnus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita pater & filius ac Spiritus ſanctus, & ſingulus quiſque horum, plena ſubſtantia, & ſimul omnes vna ſubſtantia. Pater nec filius eſt, nec Spiritus ſanctus: filius nec pater eſt, nec Spiritus ſanctus: Spiritus ſanctus nec pater eſt, nec filius. ſed pater tantùm pater, & filius tantùm filius, & Spiritus ſanctus tantùm Spiritus ſanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas, eadem poteſtas. In patre vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu ſancto vnitatis æqualitatíſque concordia. Et tria hæc vnum propter patrem, æqualia omnia propter filium, connexa omnia propter Spiritum ſanctum.] Et in Tractatu Pſalmi quinti, Et hæc Trinitas non niſi vnus Deus: quia cùm dixiſſet Apoſtolus, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia,* Trinitatem ipſam inſinuaſſe creditur, nec tamen ſubiecit, ipſis gloria, ſed *ipſi gloria.* Soli ergo Deo patri & filio & Spiritui ſancto vna debetur adoratio, gloria, & ſeruitus, & gratiarum actio, & non ſeparatim, vt Gotheſcalcus blaſphemat: quia vt item Auguſtinus in libro quinto, & in libro octauo de Trinitate dicit, Quicquid ſubſtantialiter in patre & filio & Spiritu ſancto dicitur, non pluraliter, ſed ſingulariter dici debet & accipi, vt Deus magnus, bonus, omnipotens, ſicut ſcriptum eſt, *Tu es Deus ſolus.* &, *Nemo bonus niſi vnus Deus.* Vni igitur & ſoli Deo & vna gloria, & vna gratiarum actio debetur, vt idem Auguſtinus alibi monſtrat dicens, Vna eſt igitur patris & filij & Spiritus ſancti eſſentia, in qua non eſt aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus ſanctus, quamuis perſonaliter ſit alius pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus. Quod nobis maximè in ipſo ſanctarum ſcripturarum demonſtratur initio, vbi Deus dicit, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Cùm enim ſingulari numero dixit imaginem, oſtendit vnam naturam eſſe, ad cuius imaginem homo fieret. Cùm verò dicit pluraliter noſtram, oſtendit Deum, ad cuius imaginem homo fiebat, non vnam eſſe perſonam. Si enim illa vna eſſentia patris & filij & Spiritus ſancti vna eſſet perſona, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem meam: nec dixiſſet faciamus, ſed faciam. Si verò in illis tribus perſonis tres eſſent intelligendæ vel credendæ ſubſtantiæ, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imagines noſtras. Ad vnam quippe imaginem vnius Dei homo factus dicitur, vt vna ſanctæ Trinitatis eſſentialiter diuinitas intimetur. De exemplo autem Euangelico, *Ego & pater vnum ſumus,* Ambro-

Lib. 1. c. 3.

Pſal. 85. 10.

Luc. 18. 19.

Gen. 1. 26.

Ioan. 10. 30

Ambrosius scribit, Vnum inquiens dixit, ne fiat discretio potestatis & naturæ: sumus addidit, vt patrem filiúmque cognoscas, quòd perfectus pater perfectum filium genuisse credatur, & pater ac filius vnum sint, non personarum confusione, sed vnitate naturæ.] Et Augustinus in libro contra quinque hæreses, Pereant, inquit, vaniloqui & mentis seductores, Arrianus & Sabellianus. Nam *Ego & pater vnum sumus.* Non dixit, Ego & pater vnum sum, sed ego & pater vnum sumus. Quod dico *vnum*, audiat Arrianus, quod dico *sumus*, audiat Sabellianus. Non diuidat Arrianus *vnum*, non deleat Sabellianus *sumus*, sed ambo veniant, & sint etiam ipsi in nobis vnum, sicuti ego & pater vnum sumus. Ergo si pater & filius sunt, immo quia indubitanter vnum sunt, non duo sed vnus Deus, & reliqua quæ ibi prosequitur.] Et item de alio Euangelij quod posuit testimonio, *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus*, Augustinus dicit. Illi in sua natura vnum in caritate, nos in nostra vnum sumus in vnitate substantiæ & gloriæ. *Ego in eis, & tu in me.* Ego in eis sicut caput in membris, & tu in me sicut pater in filio. *vt sint consummati in vnum*, id est perfecti, quod perficiet qui nos voluit vnum esse in se & per se. *vt cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti.* Dilexisti eos, vt essent quod non erant: dilexisti me, vt essem quod semper fui. dilexisti me sicut vnicum, illos vtique sicut adoptiuos. Dilexisti eos, vt per me in te essent: dilexisti me, vt per te in te essem.] Contra hoc quod solus inter omnes hæreticos dixisse legitur, Qui dicit vni cuilibet personæ, Tibi Deo gratias, atque æquè ceteris duabus personis, Vobis Deo gratias, reuera catholicus est, ac verus vtique Christianus, & hinc se crebrò dixisse fatetur Spiritui sancto, Veni benedicte Deus Domine paraclite, veni missus à benedicto Deo Domino paraclito, in nomine benedicti Dei Domini paracliti &, sit semper omnis honor, laus, & gloria meritò vobis benedicto Deo Domino paraclito trino & vni, vestróque simul benedicto nomini, nec non & numini, Amen, Sanctus Gregorius loquens in Homilia decima sexta Ezechielis prophetæ, aliter quàm veteris ac noui testamenti electi Dei homines senserunt eum sentire conuincit, dicens: Spiritales, inquit, illi patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eandem Trinitatem noui patres apertè locuti sunt. Isaias namque audiuit Angelica agmina in cælo clamantia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Vt enim personarum Trinitas monstraretur, tertiò sanctus dicitur: sed vt vna esse substantia Trinitatis appareat, non Domini Sabaoth, sed Dominus esse perhibetur. Quod Dauid quoque similiter sentiens ait, *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.* qui cùm tertiò dixisset Deum, vt vnum hunc esse ostenderet, subdidit, *& metuant eum omnes fines terræ.* Paulus quoque loquitur dicens, *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso, videli-

Lib. 1. de Fide cap. 1.

In fine lib.

Ioan. 17. 21.

Ioan. 17. 23.

Sub mediū

Esa. 6. 3.

Psal. 66. 8.

cet ex patre: per ipſum, per filium: in ipſo autē, in Spiritu ſancto. Quem ergo ipſum cùm tertiò dixiſſet, adiunxit, *ipſi gloria in ſæcula ſæculorum.* Qui enim non dicit ipſis, ſed ipſi, dicendo ter ipſum, diſtinxit perſonas, & ſubiungendo *ipſi gloria*, non diuiſit ſubſtantiam.] Quo contrà Gotheſcalcus, quaſi altiùs ſe intelligere efferens ſanctæ Trinitatis perſonarum diuinitatem, quàm Angelicæ Seraphim in cælo virtutes, inter quas & Deum nulli alij ſpiritus interſunt, & illa etiam agmina cæleſtia, quæ plenitudo ſcientiæ nominantur, dignitate præcellunt. Et quaſi rectiùs interpretans quod illæ velut non intelligentes quid dicerent cantauerunt, quàm Iſaias, qui eaſdem virtutes cæleſtes hymnum Deo dignum cantantes audiuit: & profundiùs ſenſu capiens canticum Pſalmi Dauidici, quàm ipſe Dauid, qui ſuper ſeniores ſuos, & ſuper omnes docentes ſe intellexit: & altiùs mente percipiens quæ dans ſine mente ſonum Paulus dixit, qui vſque ad tertium cælum raptus fuit, & in paradiſo arcana verba audiuit, & per quem, vt iſdem confitetur, locutus eſt Chriſtus, non ſic inſipienter, ſicut videtur ſibi viſum fuiſſe, vt agmina dixerunt cæleſtia, *Plena eſt omnis terra gloria eius*, vel ſicut inde catholica docta cantat Eccleſia, *Pleni ſunt cæli & terra gloria tua.* non intelligens dicere, pleni ſunt cæli & terra gloria veſtra, &, metuant eum & non metuant vos omnes fines terræ, & ipſi gloria, & non vobis gloria, dixit in concluſione ſuæ laudationis atque orationis, quin potiùs blaſphemationis,

XVII.

— *Sit ſemper vobis honor, laus, & gloria, meritò vobis benedicto Deo Domino paraclito trino & vni, veſtróque ſimul benedicto nomini & numini, Amen.*] Itémque poſt præfata ſubſequitur, *Cùm ſit ex Trinitate cuiliquet vnaquæque perſona per ſe Dominus Deus.*] & paulo pòſt, *Sicut & in Pſalmo*, Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? *de patre dicitur, vt declarat illud quod de filio ſequitur*, Ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus, *hoc eſt Ieſus meus. Vbi dum non dicitur*, *Nam ipſe Deus meus*, *ſed potiùs*, & ipſe Deus meus, *proculdubio patefecit & patefacit Deus Spiritus ſanctus, quòd ſicut Deus pater eſt per ſe Deus, ſic eſt & filius. Igitur vbicumque tacito Dei vel Domini nomine nominatur pater & filius & Spiritus ſanctus, vt eſt illud*, Baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, *vnaquæque perſona ſemper Dominus Deus debet intelligi. Tale eſt illud*, Paraclitus autem, quem mittet pater in nomine meo. *Miſit namque, mittit, & mittet Deum Deus in nomine Dei. Ideo dixi non longè ſuperiùs, Vni ex Trinitate perſonæ, cui ſingillatim ſolitariè ſupplicamus, debere dici Tibi Deo gratias. & ne ſimus ceteris duabus perſonis ingrati, oportere ſubiici, Vobis Deo gratias. Quia quiſquis loquens ad vnam perſonam dicit, Tibi Trinitati Deo gratias, penè ſic errat vt Iudæus & Sabellianus. Porrò qui dicit, Vobis Diis gratias, aut Paganus eſt, aut Arrianus. At qui dicit vnicuilibet perſonæ, Tibi Deo gratias, atque æquè ceteríſque duabus perſonis, Vobis Deo gratias, reuera ca-*

Ioan. 14. 26

tholicus est, ac verus vtique Christianus.

X P. Contra has antea inauditas blasphemias, sanctus Ambrosius in libro primo de Fide capite primo dicit, Assertio inquiens nostræ fidei hæc est, vt vnum Deum esse credamus, neque vt gentes filium separemus, neque vt Iudæi natum ex patre ante tempora & ex Virgine postea editum denegemus: neque vt Sabellius patrem confundamus & Verbum, vt eundem patrem asseramus & filium, neque vt Photinus initium filij ex Virgine deputemus, neque vt Arrius, plures credendo & dissimiles potestates, plures Deos gentili errore faciamus, quia scriptum est, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* Deus enim & Dominus nomen magnificentiæ, nomen est potestatis, sicut ipse dicit, *Dominus Deus nomen est mihi,* & sicut alibi Propheta asserit, *Dominus Deus omnipotens nomen est ei.* Dominus ergo & Deus, vel quòd dominetur omnibus, vel quòd spectet omnia, & timeatur à cunctis. Si ergo vnus Deus, vnum nomen, vna potestas, vna est Trinitas. Denique ipse dicit, *Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* In nomine vtique, non in nominibus.] Non igitur sanctus Ambrosius vni ex Trinitate personæ singillatim solitariè, sicut Gothescalcus, supplicando debere dici docuit, Tibi Deo gratias, & ne simus ceteris duabus personis ingrati, oportere subici, Vobis Deo gratias: quia vnius Dei nomen est pater & filius & Spiritus: sicut Athanasius in libro primo de Fide ostendit dicens, Hæc est inquiens materiæ formula in conclusione hæreticorum, & hæc tituli victoria in absolutione catholicorum, quam significat principale mandatum Dei, *Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* Audi in hoc admirabile ac regale decretum, in quo omne sacramentum in deitate Trinitatis vniter continetur. Qui dixit *in nomine*, euidenter vnam deitatem in Trinitate consistere declarauit, & quod prosecutus est, *patris & filij & Spiritus sancti*, per singula nomina singulas personas inesse distinxit.] *Et item in eodem libro, Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vtique Verbum filium indicauit, Dominum autem patrem esse designauit, & spiritum oris eius Spiritum sanctum dixit. Vides in his personis vnitum esse nomen Trinitatis in natura; Psalmographo quoque approbante, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus.* Ecce Deum & Deum, non tamen pluraliter inuenies dictum in his personis Deos.] Sed nec Athanasius vni singulariter personæ posse supplicari, aut debere dici, Tibi Deo gratias, & ceteris personis, Vobis Deo gratias, docuit. Et item idem in libro alio de Trinitate, Numquid præuaricatores mandati Saluatoris Apostoli effecti sunt; & contra traditionem eius baptizauerunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est quia baptizauerunt in nomine patris & filij & Spiritus sancti, sed tantùm in nomine Domini Iesu. Sed non sunt præuaricati, absit. Nam licèt filij no-

[Margin notes: In capite libri. — Deut 6.4. — Exod.3.15. — Exod.15.3. — Matt.28.19 — Non longè à principio — Matt.28.19 — De vnito nomine Trinitatis. — Psal.32.6. — Psal.44.6. — Lib.11. sub finem.]

men tantummodò dicatur, habet tamen patrem & Spiritum sanctum pronuntiatum, sicut in scripturis sanctis probauimus. Itaque & Spiritus sanctus Sabaoth dicitur, & est cum Deo & cum filio à Seraphim adoratus. propter quod hæc ter dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, vt Trinitatem pronuntiarent. Hinc & sub hoc sensu hanc quæstionem beatus soluit Ambrosius. Et sanctus Augustinus, de quo Gothescalcus multoties dicit Augustinus noster, vt alienus à Gothescalco & illi contrarius, & non suus proprius vel domesticus, contra eum in libro contra quinque hæreses dicit, Qui Spiritum sanctum à patre & filio æternitate & substantia vel communione separat, & qui negat Spiritum esse & patris & filij, plenus est spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto.] Videtur enim separare in sancta Trinitate personas Gothescalcus, qui dicit, Cùm sit ex Trinitate, ceu liquet, vna quæque persona per se Dominus Deus, & vni ex Trinitate personæ, cui singillatim solitariè supplicamus dicit debere dici, Tibi Deo gratias, & ne simus ceteris personis ingrati, oportere subici, Vobis Deo gratias. Quapropter sicut Augustinus, de quo non iactanter & mendaciter, vt Gothescalcus, sed lætanter & veraciter catholica Ecclesia Augustinus noster dicit, in præfato libro fatetur, plenus est Gothescalcus hæc dicens spiritu immundo, vacuus Spiritu sancto. Contra hoc quod dicit Gothescalcus vacuus Spiritu sancto, Cùm sit ex Trinitate ceu liquet vnaquæque persona, cui singillatim solitariè supplicamus, per se Dominus Deus, dicit plenus Spiritu sancto Iesus Dominus Deus, *Ego & pater vnum sumus.* & item, *Philippe, qui videt me videt & patrem. quomodo tu dicis ostende nobis patrem? non credis quia ego in patre, & pater in me est?* Quod beatus Augustinus eodem Spiritu sancto afflatus exponens dicit, Cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur, *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera.* Quid est à me ipso non loquor, nisi à me ipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, filius autem Deus est quidem patri æqualis, sed de patre Deo. Ideo ille Deus, sed non de Deo, & lumen, sed non de lumine: iste verò Deus de Deo, lumen de lumine. Denique adiungit, & ait, *Non creditis quia ego in patre, & pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.* Antea solus Philippus arguebatur, nunc autem non vbi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur, *Propter opera ipsa*, inquit, *credite quia ego in patre & pater in me est.* Neque enim, si separati essemus, inseparabiliter operari vlla ratione possemus.] Et in Sermone ad Populum, vbi exposuit quæ sit inremissibilis blasphemia in Spiritum sanctum, ait ita inter cetera, Hæc ita dicuntur, vt tamen inseparabilis intelligatur operatio Trinitatis. ita vt cùm operatio patris dicitur, non eam sine filio & Spiritu sancto intelliga-

In fine lib.

Ioan. 10. 30

Ioan. 14. 9.

Tract. LXX. in Ioannē.

Tract. LXXI Ioan. 14. 10

Post alia.

Ioan. 14. 11.

De verbis Domini Serm. XI. cap. 16.

tur operari : & cùm operatio filij, non ſine patre & Spiritu ſancto: & cùm operatio Spiritus ſancti, non ſine patre & filio. Satis notum eſt rectè credentibus, vel etiam vt poſſunt intelligentibus, & ideo illud dictum eſſe de patre, *Ipſe facit opera*, quòd ab illo ſit origo etiam operum, à quo eſt exiſtentia cooperantium perſonarum. quia & filius de eo natus eſt, & Spiritus ſanctus principaliter de illo procedit, de quo natus eſt filius, & cum quo illi communis eſt idem Spiritus.] Ecce quomodo mentitur Gotheſcalcus, dicens Auguſtinum eſſe ſuum, Auguſtinus inquiens multoties noſter. Nam claret quia Gotheſcalcus non eſt Auguſtini, quoniam non credit, nec dogmatizat ſicut Auguſtinus, nec Auguſtinus eſt Gotheſcalci, quia diſſentit à Gotheſcalco, & catholicè ſentit, quod non facit Gotheſcalcus, dicens quia pater eſt Deus, ſed non de Deo, filius eſt Deus, ſed Deus de Deo, & non ſic dicit, ſicut Gotheſcalcus falsò dicit, quia vnaquæque ex Trinitate perſona per ſe ſit Dominus Deus. Sed & teſtimonium, abuſum à Gotheſcalco ad ſuam confirmandam ſententiam, quo dicit Dominus, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo*, longè aliter exponit ſanctus Gregorius Spiritu ſancto repletus, quàm Gotheſcalcus ſpiritu immundo impletus. Ait enim beatus Gregorius in Homilia Euangelij trigeſima, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Noſtis plurimi fratres mei, quod Græca locutione paraclitus, Latina aduocatus dicitur, vel conſolator. quia idcirco aduocatus dicitur, quia pro errore delinquentiũ apud iuſtitiam Patris interuenit. Qui vnius ſubſtantiæ cum patre & filio, exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleuerit exorantes facit. De quo paraclito ſpiritu item Dominus dicit, Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritum veritatis qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. In qua ſententia notandum in primis ſanctus Beda doctor mirabilis ex catholicorum verbis & ſenſibus in Homilia Euangelij dicit, quòd Dominus Spiritum veritatis & à ſe mittendum eſſe teſtatur, & eumdem mox à patre procedere ſubiungit : non quia idem Spiritus aliter à patre procedit, quàm cùm à filio mittitur. ſed ideo filius eum à ſe mitti, à patre dicit procedere, vt aliam patris, aliam ſuam eſſe perſonam deſignet, & in eadem diſtinctione perſonarum, vnam eſſe operationem ac voluntatem ſuam cum patris voluntate & operatione denuntiet. Cùm enim eiuſdem Spiritus gratia datur hominibus, mittitur profectò Spiritus à patre, mittitur & à filio, procedit à patre, procedit & à filio, quia & eius miſſio ipſa proceſſio eſt, qua ex patre procedit & filio. Venit & ſua ſponte, qui ſicut coæqualis eſt patri & filio, ita eandem habet voluntatem cum patre & filio communem. *Spiritus enim vbi vult ſpirat?* & ſicut Apoſtolus enumeratis donis cæleſtibus ait, *Hæc omnia operatur vnus at-*

Ioan. 3. 8.
1. Cor. 12. 11

que idem spiritus diuidens singulis prout vult. Vt ergo singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, & quicquid ad se de Deo dicitur, est pater: sed non per se solitariè sine filio ex sua substantia genito, & Spiritu sancto qui ex ipso filióque procedit. ita singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, & quicquid ad se de Deo dicitur, est filius: sed non per se solitariè sine patre ex quo est, & sine Spiritu sancto qui ex patre & ex ipso procedit. ita singillatim Dominus Deus omnipotens, increatus, immensus, æternus, & quicquid ad se de Deo dicitur, est Spiritus sanctus: sed non per se solitariè sine patre & filio ex quibus procedit. Singillatim namque & per se solitariè dicimus Deum patrem, & quicquid ad se de Deo dicitur: quia relatiuè in hac sancta & indiuidua atque inseparabili Trinitate singillatim singulus videlicet vnus est pater, singillatim singulus videlicet vnus est filius, singillatim singulus videlicet vnus est Spiritus sanctus, & patris & filij & Spiritus sancti vna est diuinitas, deitas, natura, essentia, substantia, æqualis gloria, coæterna maiestas. Et quamuis alius sit pater, alius filius, alius Spiritus sanctus, non est tamen diuersa substantia patris & filij & Spiritus sancti, quia non est aliud pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus. Et pater & filius & Spiritus sanctus non dicitur secundùm substantiam, sed secundùm relatiuum. quod tamen relatiuum non est accidens, quia non est mutabile. In Deo enim nihil secundùm accidens dicitur, quia nihil est in eo mutabile. Cùm itaque, vt Augustinus dicit, tantus sit solus pater, vel solus filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul pater & filius & Spiritus sanctus, propter vnam eandémque indiuiduam atque inseparabilem, plenam perfectámque substantiam, id est deitatem, quæ est tota in singulis, tota in tribus simul personis: habent tamen singulæ in sancta Trinitate personæ aliquid proprium, quo inseparabili æqualitate aliquam in se ostendant proprietatem. Pater solus pater, filius solus filius, & Spiritus sanctus solus Spiritus sanctus. Et pater hoc habet proprium, quia ab alio non est, ac per hoc solus est in paternitatis persona, non solus in deitatis essentia. Vnigenitus verò filius Dei hoc habet proprium, quòd ex solo patre consubstantialiter & coessentialiter solus genitus est, & in hoc personæ suæ proprietas est. Spiritus sanctus itaque hoc habet proprium, quòd ex patre & filio æqualiter procedit, & est amborum Spiritus, eiusdémque substantiæ & æternitatis cum patre & filio. Sed hæc tria verè etiam tria sunt, ineffabilitérque tria, & essentialia tria, habentia proprietates suas. Et hæc tria vnum & verè vnum, & hoc vnum tres, sed non tres patres, nec tres filij, nec tres Spiritus sancti, sed tres personæ, vnus pater, vnus filius, vnus Spiritus sanctus, & hi tres, id est pater & filius & Spiritus sanctus, vnum sunt in natura, omnipotentia, & æternitate. Ideò, inquit sanctus Athanasius, vnus est

Deus quia vnita est deitas, sicut per singulas personas scriptum est. & quia nullus est Deus, nisi vnus, vel hoc, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est*, per singulas personas dicit vnitam esse deitatem: & non, vt Gothescalcus per se solitariè vni ex Trinitate personæ supplicare debere dicit. Et item sanctus Athanasius dicit, An ignoras quia pater vnus Deus est, & filius vnus Deus est, & Spiritus sanctus vnus Deus est? Nonne vnus Deus est, dum vnitum nomen est in natura vsiæ? sic & vnus Spiritus est, quia vnita est eiusdem deitas. Nam si tu per singula nomina personarum vnitum nomen Spiritus ter designasti, numquid tres spiritus dicere oportet? Absit. Quòd si hoc poterat dici, tale erat vt & hoc in confessione deberet introduci, tres deos plurali numero nuncupari, vt iam non esset in his personis vna natura diuinitatis, sed vnusquisque in propria vel diuersa natura sua consisteret, quod absit.] Quicquid ergo, vt beatus Augustinus dicit, ad se dicitur de patre & filio & de Spiritu sancto, id est quicquid dicitur quod substantiam eorum ostendit, non dicitur de alio sine alio: quia nec pater est Deus sine filio & Spiritu sancto, nec filius est Deus sine patre & Spiritu sancto, nec Spiritus sanctus est Deus sine patre & filio, quorum est spiritus. Si ergo interrogatus fueris de Deo, cur dicatur pater, relatiuè responde, quia filium habet. ita etiam & de filio relatiuè responde, ideo esse filium quia habet patrem, & de Spiritu sancto, quia de patre filióque procedit, quorum est spiritus. Si etiam dictum tibi de Deo fuerit, quomodo pater hoc est quod filius, aut filius hoc est quod pater, responde, secundùm substantiam hoc est filius quod pater, & pater quod filius, & Spiritus sanctus quod pater & filius, quia vnus est Deus, & vna substantia, pater & filius & Spiritus sanctus. Ad se enim Deus substantialiter dicitur: ad patrem filius, vel ad filium pater, & ad patrem & filium Spiritus sanctus relatiuè dicitur. Iuxta personæ proprietatem, non est pater qui filius, nec filius qui pater, nec Spiritus sanctus qui pater & filius. Iuxta substantiæ vnitatem, hoc est pater quod filius, hoc est Spiritus sanctus quod pater & filius, id est vnus Deus omnipotens. Quicquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, & de singulis personis dicitur, patre & filio & Spiritu sancto, & simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Igitur Gothescalcus peruersè dicit, vt reuera hæreticus, cùm vni ex Trinitate personæ singillatim solitariè supplicamus, debere dici Tibi Deo gratias, & ne simus ceteris duabus personis ingrati, oportere subici Vobis Deo gratias. Quo contrà vir venerandus Alcuinus, in libro ex beati Augustini & ceterorum catholicorum dictis ad Karolum magnum Imperatorem collecto dicit, Hoc etiam atque etiam firmiter tenendum est, nihil in sancta Trinitate ad se dictum plurali numero esse dicendum, quia simplex illa summæ diuinitatis natura singulari numero designari debet,

Lib. 1. de vnito nomine Trin.

Lib. 1. de Trin. c. 11.

non plurali. Ac ideo nec tres deos, nec tres omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos, nec tres essentias in Deo dicere fas est. Cùm enim personaliter alius sit pater, alius filius, alius Spiritus sanctus, his tamen vnũ est naturæ nomen, quod dicitur Deus, vel substantia, vel essentia, vel omnipotentia, vel alia multa quæ substantialiter non relatiuè de eo dicuntur.] Fides igitur catholica, vt Athanasius dicit, hæc est, vt vnum Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in vnitate deitatis veneremur, neque confundentes personas, vt tres non sint, neque substantiam separantes, vt trina sit. Et in hac Trinitate nihil est prius, nihil posterius. nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales, ita vt per omnia, & vnitas deitatis in Trinitate personarum, & Trinitas personarum in vnitate deitatis veneranda est. Plura hîc poni poterant catholicorum testimonia, quæ lector fidelis ac deuotus in suis locis præualet inuenire, contra has ipsius blasphemias, quas etiam & sacri canones cum auctore suo redarguunt & refutant. Nam canones Carthaginensis Concilij sub Aurelio constituerunt, vt nemo in precibus vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet, & cùm altari adsistitur, semper ad patrem per filium oratio dirigatur, & quasque sibi preces aliquis describit, non eis vtatur, nisi priùs eas cum instructioribus fratribus contulerit. Vnde in fine orationum adsistentes sacro altario sancta catholica Ecclesia postulat per Christum Dominum nostrum Et in fine canonis, per Christum Dominum nostrum, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti omnis honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum: vel ita dicit, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen. Propter illud vtique sacramentum, sicut in orthodoxorum dictis relegimus, quòd mediator Dei & hominum factus est homo, Christus Iesus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem introiuit in sancta, non vtique manu facta exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, vbi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Hoc in eo Pontificatus officium interpretans Apostolus ait, Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum nostrorum confitentium nomini eius. Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, quia per eius mortem reconciliati sumus cùm inimici essemus. Per ipsum enim, qui pro nobis hostia dignatus est fieri, potest in conspectu Dei nostri hostia acceptabilis inueniri. Propterea nos beatus Petrus admonet dicens, *Et vos tanquam lapides viui coædificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* In qua conclusione orationum plures conuincuntur hæretici, Manichæi videlicet, Sabelliani, Arriani, Nestoriani, Eutychiani, Macedoniani, Eudo-

Hebr. 13. 15.

1. Pet. 2. 5.

Eudoxiani, ceteræque pestes & tineæ catholicæ fidei, qui de consubstantialitate atque coæternitate simul & æqualitate patris & filij & Spiritus sancti, necnon & de Incarnatione filij Dei domini nostri Iesu Christi, aliter quàm catholica fides teneat, sentire vel dicere præsumpserunt. Dicitur etiam in fine quarumdam orationum à catholica & Apostolica Ecclesia loquente ad dominum Iesum Christum, Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum: quod non discordat à præfato canonicæ constitutionis capitulo. quia non cum patre filius nominatur, sed propriè in hac conclusione sanctæ Trinitatis personæ distinguuntur, & vnitas eiusdem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis substantia catholicè confitetur. licèt Gothescalcus scribens ad quendam complicem suum hoc reprehendit, Ab imperitis inquiens non bene dicitur, Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus, ne filius, quod absit, esse Spiritus sancti Deus putetur. Et quia in hoc catholicam reprehendit Ecclesiam, consequens est vt etiam reprehendat caput & auctorem ipsius dicentem ad patrem, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum & solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, & dicat nos intelligere patrem solum & verum Deum, & illum quem misit tantùm esse Iesum Christum. Catholica autem Ecclesia cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deum filium viuere & regnare per omnia sæcula credit & confitetur: & idipsum esse intelligit, Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus, quod est cùm dicitur, Qui cum Deo patre in vnitate Spiritus sancti viuis & regnas Deus. sicut intelligit id ipsum esse quod Dominus in Euangelio dicit, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, quod est, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum, solum & verum Deum esse. Subsequitur autem sibi ipsi dissimilis in eodem scripto mox dicens, Nam cum Deo patre viuit & regnat Deus filius, iuxta illud, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce Deus apud Deum. Pariliter etiam credimus, nouimus, & confitemur, apud Deum patrem, & apud Deum filium, regnare Deum Spiritum sanctum. abest tamen deorum pluralitas, vbi est naturæ, essentiæ, substantiæ, maiestatis, potestatis, deitatis vnitas & æqualitas. Et post hanc vnitatis confessionem, statim componit hanc infidelem orationem dicens, Dominator Domine Deus meus, misericordia mea, Iesu Christe rex gloriæ, precor te, gratis exaudi me secundùm tuam diuinitatem, & patrem tuum dominum Deum nostrum roga secundùm tuam humanitatem, vt ipse noster benedictus Deus dominus Paraclitus, in nomine tuo nostri benedicti Dei domini Paracliti, det nobis peræquè Spiritum sanctum Deum nostrum Paraclitum, & sit semper omnis honor, laus, & gloria, meritò vobis benedicto Deo domino Paraclito, tri-

Ioan. 17. 3.

Ioan. 17. 3.

Ioan. 1. 1.

» no pariter & vni vestro simul benedicto nomini, nec non & numi-
» ni, amen. Porrò ne te moueat illud, quod ibi pluraliter dicitur, sem-
» per omnis honor, laus & gloria, meritò vobis benedicto Deo para-
» clito, trino pariter & vni, vestróque simul benedicto nomini. cogno-
» sce quia sic proculdubio congruit dici. Nam quando loquimur ad
» vnam ex Trinitate personam, non ad Trinitatem loquimur, sed ad
» vnum quemlibet ex Trinitate. Et hic plura hoc modo scribit.
Deiloquus autem Paulus non taliter orauit, nec nos orare taliter docuit, vt Augustinus hinc in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Nam quid oremus sicut oportet nescimus. *Sed ipse Spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat spiritus, quia secundùm Deum interpellat pro sanctis. Quid est ipse spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim, de quo in alio loco dicit, *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater.* Et hîc quid est *clamantem*, nisi clamare facientem? tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit. quod alibi manifestat, vbi dicit, *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Ibi dixit *clamantem*, hîc verò *in quo clamamus.* aperiens videlicet quomodo dixerit clamantem, id est, sicut iam exposui, clamare facientem.] Non tamen iste spiritus, qui nos clamare facit Abba pater, ingratos nos facit, sicut Gothescalcus superiùs dicit, ceteris personis, id est personæ filij, & suæ, cùm dicimus Abba pater sine nominatione filij & eiusdem Spiritus sancti. Et item Augustinus ex Apostolo testimonium ponit dicens, *Accipimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Quod vidit & beatus Ambrosius. Ait enim, Et orare Deum gratiæ spiritalis est, sicut scriptum est, *Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Hinc Augustinus & Ambrosius ex Apostoli testimonio non docent nos in oratione loquentes ad vnam ex Trinitate personam postea debere dicere ceteris personis, Et vobis gratias agimus, Et vobis supplicamus. Et alibi dicit Apostolus, *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Has igitur promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Christi.* Et non timuit ingratus esse ceteris personis, patri videlicet & Spiritui sancto, quia tantùm in timore Christi nos docuit perficere sanctificationem. Et sanctus Augustinus in libro contra Iudæos, & Paganos, atque hæreticos, Quid agis, inquit, Loth sancte? Angelos vides, & non vnum sed duos, & dicis Domine? Ad vnum verbum facis, vnum precaris, non metuis ne alteri iniuriam facere videaris? absit.] Sunt & multa hinc testimonia in scripturis tam veteris quàm noui Testamenti. Et vt beatus Au-

Cap.xxiii. Rom.8.32. Gal.4.6. Rom.8.15. Rom.8.15. 1.Cor.12.3. 2.Cor.6.16. 2.Cor.7.1. Non longè à principio

gustinus in libro de Trinitate dicit, Vbicumque in scriptura sancta legitur solus Deus, non de qualibet persona in sancta Trinitate intelligendum est, sed de tota sancta Trinitate, quæ æqualiter operatur omnia quæcumque operanda esse iudicat. Vnde quod in Psalmis dicitur, *Qui facit mirabilia magna solus*, &, *Qui facit luminaria magna solus*, &, *Tu es Deus solus*, &, *Nemo bonus nisi solus Deus*, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est*, non de solo patre, sicut aduersarij volunt, intelligitur dictum: sed de tota sancta Trinitate, quæ est vnus solus Deus. Similiter de patre solo non est intelligendum quod Apostolus ait, *Beatus & solus potens, rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. quem nemo hominum vidit, nec videre potest.* In quibus verbis, nec pater propriè nominatus est, nec filius, nec Spiritus sanctus: sed absolutè beatus & solus potens, rex regum & dominus dominantium, quod est vnus solus, beatus, potens, inuisibilis, verus Deus, ipsa Trinitas, quæ æqualiter beata est, æqualiter potens, immo omnipotens, etiam & vnipotens, quia vna potentia est totius sanctæ Trinitatis. Neque enim, quia ipse filius alibi loquens voce sapientiæ, ipse est enim sapientia Dei, ait, *Gyrum cæli circuiui sola*, separauit à se patrem. Quanto magis ergo non est necesse, vt de patre tantummodò, præter filium & Spiritum sanctum, intelligatur quod dictum est, *Solus habet immortalitatem*, &, *lucem habitat inaccessibilem?* Sic nec tantummodò de filio, præter patrem vel Spiritum sanctum, cùm dicitur *Sapientia superborum & sublimium colla propria virtute calcauit.* Sic nec de Spiritu sancto tantummodò, præter patrem & filium, cùm dicitur, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Sic nihilominus intelligendum est quod dicitur, *Sicut pater viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Non tamen alios vel aliter pater, & alios vel aliter filius: sed eosdem quos pater viuificat, viuificat & filius. Similiter nec Spiritus sanctus ab hac viuificatione secernendus est: quia vnum opus est patris & filij & Spiritus sancti, sicut vna substantia atque essentia est. Ergo pater viuens vita, filius vita viuens à viuente, Spiritus sanctus vita & viuificator viuentium, & non tres vitæ, sed vna vita est. & pater virtus & sapientia, & filius, quem vocat Apostolus *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, similiter virtus & sapientia. non tamen tres virtutes, nec tres sapientiæ, sed vna virtus & vna sapientia, pater & filius & Spiritus sanctus. quia hæc nomina substantialia sunt & non relatiua, sicut vna substantia, & vna omnipotentia, & alia quæ de substantia diuinitatis dicuntur. & est pater verum lumen, & filius verum lumen ex lumine, Spiritus sanctus verum lumen & vera illuminatio, & non tria lumina, sed vnum lumen. Vnde scriptum est, *In lumine tuo videbimus lumen*, sicut & vna virtus, & vna sapientia. quia in illa simplicitate diuinæ naturæ non est aliud sapere quàm esse, non est

Psal. 76. 13. Psal. 135. 7. Psal. 85. 10. Luc. 18. 19. Deut. 6. 4. 1. Tim. 6. 15. Eccli. 24. 8. 1. Tim. 6. 15 Sap. 1. 7. Ioan. 5. 21. 1. Cor. 1. 24. Psal. 35. 10.

aliud esse quàm posse, nec aliud posse quàm viuere. Eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem vita quæ & essentia, & hæc omnia vnum & vnus Deus. Et item sanctus Augustinus in Tractatu Psalmi octogesimi quinti. Nullum maius donum præstare posset Deus hominibus, quàm vt Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt esset filius Dei, & filius hominis, & vnus Deus cum patre, vnus homo cum hominibus. vt & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus: & quando precatur corpus filius, non à se separet caput suum, sitque vnus ipse Saluator corporis sui dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. orat pro nobis vt sacerdos noster, orat in nobis vt caput nostrum, oratur à nobis, vt Deus noster.] Et in Sermone de Vnitate patris & filij & Spiritus sancti contra Arrianos dicit, Quia ministrante Domino habes abundantem Dominici verbi panem, pone adhuc super mensam cordis illius panem quoque Dominicæ orationis, & commemora illum, quoniam Dominus in Euangelio dixit, *Quicquid in nomine meo à patre petieritis, ego à patre peto & dabitur vobis.* Et quomodo in demonstrata à se oratione, quasi oblitus illa quæ dixerat, se prætermisso, patrem solum rogare iubet dicens, *Ita orabitis, Pater noster qui es in cælis?* Et vbi est quod dixit, *In nomine meo à patre petite, & ego à patre peto?* Quomodo nomen suum, per quod peti ipse iussit, in oratione à se demonstrata prætermisit? Sed quia idem ipse dixerat, *Qui me videt, videt & patrem,* voluit hoc mysterium à fidelibus in Dominica oratione impleri, vt per hanc orationem in patre etiam filius rogaretur: & quia in Symbolo iterum & separatus à patre nominatur, cùm dicitur, Credo in Deum patrem, & in Iesum Christum filium eius, vt propter vnitatem deitatis sic esset à patre in Symbolo separatus, vt esset iterum in oratione coniunctus, quatenus hæc vtraque mysteria Symboli & orationis, & Trinitatem in vnitate ostenderent, & iterum vnitatem in Trinitate monstrarent. Non ergo se in oratione prætermisit, sed in patris vnitate coniunxit. Sicut ergo, cùm patri offers, in oblatione filij corpus associas, sic & in Dominica oratione, mutuata mysterij vice, cùm patrem rogas, filij quoque nomen imploras. Et vt adhuc apertiùs intelligas, quia in patre & se tunc orari iussit, diligenter sequentia perscrutare. In ipsius enim orationis principio patrem tantùm inuocari præcepit, & inferiùs dicit, *Adueniat regnum tuum,* cùm vtique non patris sed filij exspectetur aduentus, sicut etiam de filio tradita ab Apostolis Symboli confessio tenet dicentis, Sedet ad dexteram patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Vides ergo quomodo per hanc orationem se & patrem in vna substantia, & in vna deitate coniungit. Ecce ille futuri iudicij dies, qui venire per filij aduentum promittitur, de patris præsentia præstolatus, sit

In capite enarration.

Marc.11.24

Matt.6.9.

Ioan.16.17.

Ioan.14.9.

Luc.11.2.

iam indubitatæ vnitatis testimonium, sic vt de filij aduentu loquitur promissus, de patris præsentia doceatur impletus.] *Et aliquanto superius*, Si ergo maiorem patrem & minorem filium dicis, gradum facis, & vnitatem tollis, & cùm offers in oblatione, non potes dicere, Offero tibi Deus, sed offero vobis dij, quod est absurdum & inauditum. aut certè, si vicibus & singillatim offeras, & semel offeras patri, semel offeras filio, cùm patri offers, filium prætermittis, & cùm filio offers, patrem à munere offerentis excludis. Si autem filio sine patre offers, iam non poteris per orationem Dominicam mysterij sacramenta complere, vt dicas ad plenitudinem perfecti holocausti orationem Dominicam, id est Pater noster qui es in cælis, quia patrem, cui non offers, nec orabis. Si iterum patri incorporeo offers, & filium prætermittis, oblati panis mysterium non poterit in corporis sacramenta transire, neque in consecratione holocausti commemorationem Dominicæ cœnæ facere poteris, quia quod filius corporeus suo corpori deputauit, & ad passionis suæ memoriam pertinere iussit, patri incorporeo & à passione alieno, si à filio separatus fuerit, non poterit deputari. Si ergo offers patri & filio, in vnitate Deitatis offers ei. Tunc mysterium corporis etiam patris sacramenta suscipient, vel tunc oratio Dominica rectè in filij oblatione dicitur. Separatus autem pater à filio offerentibus sibi sacramentum corporis non poterit exhibere quod non habet: & diuisus à patre filius in oblatione sua per orationem Dominicam, quod in ipso non est, incongruè patris nomen accipiet. Confiteamur ergo patrem & filium vnum esse Deum, & vnius esse substantiæ, & patris paternitas cum filij deitate se iungat, & consecrata filij caro cum patris semper deitate se misceat, & tunc iam qui potest sic in vnum connexas mysticas formas à deitatis vnitate dissoluat, cùm in vno sacrificio, & pater in se totam filij carnem suscepit, & filius in se totum patris nomen assumit.] *& item ibi*, Vnus quidem carnem portat, sed caro indiuisæ deitatis mysterio consecratur. Et ideo caro in patris & filij sacramento transmigrat, & consecratio vel communicatio corporis hunc honorem patri confert quem præstat & filio: & sicut offertur filio, sic offertur & patri, & offerenti vel communicanti ad altare, in vna eadémque oblatione, quod præstat filius, hoc præstat & pater. Nam si filium à patre separas, ergo patri incorporeo neque offers, neque communicas, quia omnis oblatio in corporis sacramenta transmigrat. Cùm enim dicitur, *Hoc est corpus meum*, pater qui incorporeus est si separetur à filio, extra sacramenta patris omnis separatur oblatio. Nam quomodo dicis, cùm patri offers, *Hoc est corpus meum*, si patris deitas incorporea non habet in filij corpore societatem? Si autem patris incorporea deitas cum filij corporea deitate miscetur, sicut est veritas mysterij, patrem & filium sub indiscreta deitate vnum Deum esse testaris, quia cùm offers oblationem non dicis, Offero

vobis, ſed offero tibi, & ſic omnis oblatio patri quidem & filio offertur, ſed ſub vtriuſque nomine vni Deo monſtratur oblata. *Et item in eodem Sermone.* Pater Deus, filius Deus, vterque tamen ſine duorũ Deorum numero vnus Deus. Hoc & Dauid patriarcha confitetur dicens, *Deus Deus meus reſpice in me.* & non dicit, reſpicite in me, & iterum dicit, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* & non dicit, ad vos de luce vigilo. Quæ confeſſio Dauid Domini quoque reſponſione firmatur, cùm reſpondit oranti & dicit, *Deus Deus tuus ego ſum,* & non dicit *ſumus.* Et iterum Dauid dicit, *Tu es Deus ſolus, qui facis mirabilia.* Deum ergo & Deum propheta nominans patrem & filium confitetur. cùm iterum dicit, *Tu es Deus ſolus,* vtroſque in vna deitate complectitur, ſicut Deus & Deus, ſine duorũ Deorum numero, nunc vterque in vnitate coniungitur. Sicut ergo Dauid in oratione ſua vtroſque nominat, & vnum tamen orat, ſic & tu cùm patrem & filium nominas, in vtriſque vnum Deum & vnũ Dominum confitere.] *Et item in eodem Sermone.* Legiſti ergo patrem Deum, filium Deum, Spiritum ſanctum Deum: in hac tamen deitatis Trinitate nuſquam legiſti duos vel tres Deos, ſed multifariè vnum Deum. Quod legiſti crede & confitere: illa verò noli quærere & vſurpare quæ non legis.] *& item.* Viſus eſt Abrahæ Deus ad ilicem Mambræ, cùm ſederet ante oſtium tabernaculi ſui in medio die. & reſpiciens oculis vidit, & ecce tres viri ſtabant ſuper eum, & cùm vidiſſet eos, occurrit obuiam illis, & adorauit & dixit, *Domine, ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, noli tranſire puerum tuum.* Dicitur ergo, apparuit illi Deus, & in hoc vno reſpiciens, vidit tres viros, & cum occurriſſet tribus, & adoraſſet vnum Deum, rogauit dicens, *Domine, ſi inueni gratiam in conſpectu tuo.* Nemo illum calumniatus eſt quòd in tribus viris vnum Deum & vnum Dominum adoraſſet. & iterum, quòd in vno Deo, & in vno Domino tres viros vidiſſe ſe diceret. Sed qui hoc myſterium ſic non intelligit, oculos Abrahæ non habet. Quærat ergo cæleſte collyrium, & ſuperinungat oculos ſuos, vt remota caligine ignorantiæ, in vnitate deitatis myſterium Trinitatis agnoſcat, & in vno Deo, ſicut Abraham, tres viros ſine diſcretione meritorum, vel ſine aliqua diminutione poteſtatis videat, & poſteaquam tribus occurrerit, non tres, ſed vnum Deum & vnum Dominum roget, & per huius diuiſionis demonſtratam formam, Trinitatem ſemper vnius eſſe deitatis intelligat.] *& item ibi,* Adiuro te per hæc ipſa quæ angariatus oſtendi tibi, per patrem & filium & Spiritum ſanctum, in deitate Trinitatis vnum Deum, vt ſicut per deſignatam Euangelij formam in vna via per æqualia triũ millium ſpatia, non tria itinera, ſed vnum iter oſtendi, ſic & tu ſecutus hunc Euangelicũ tramitem, non tres Deos, ſed vnum ſemper Deum in Trinitate deitatis intelligas, vt cùm oblationem myſterio Trinitatis offers, non tribus diis, ſed vni Deo offeras. quia vbicumque in ſcripturis diuinis audis patrem Deum, filiũ Deum,

Pſal. 21. 1. Pſal. 61. 2. Pſal. 85. 10. Gen. 18. 1.

Spiritum ſanctum Deum, & tamen nuſquam tres Deos, ſed ſemper vnum Deum legis, & ſemper tibi vnus Deus annuntiatur. Retine ergo ſemper hæc ſigna, quæ tibi demonſtraui, quia nec patri poſſis offerre ſine filio, neque filio ſine patre: quia ſi tantùm patri incorporeo oblationem offers, oblationem in corporis ſacramenta non redigis, non potes dicere, *Pridie quàm pateretur* formam ſacrificij inſtituit, nec potes dicere *Hoc eſt corpus meum*, quia pater neque corpus habuit, neque paſſus eſt. & iterum, ſi filio ſine patre offeras, orationem Dominicam ad complementum perfecti holocauſti dicere non potes, quia in oratione filij ſeparati à patre patris nomen non potes inuocare. Vide ergo quàm adeò inexpugnabilia ſunt, & derelinquens tam hæreticum errorem, catholicam ſequere veritatem: Alioquin qui tibi aliud quàm à me demonſtratur iter oſtendit, dicat tibi quomodo prætermiſſis his ſolemnibus inter myſteria loquaris. Sin autem in deſignata à me claritate luminis caligo defecit erroris, pertinacia ſimul deficiat, ne dum in errore vinci erubeſcitis, promiſſionem æternæ vitæ de Chriſti veritate perdatis. Si quis tibi ergo dixerit, pater maior Deus, filius minor Deus, Spiritus ſanctus tertius Deus, & in his tribus non eſt vna ſubſtantia, ſed ſeparatim in trium Deorum numero ſine deitatis vnitate conſiſtunt: reſponde illis, primò illam rationem quæ tibi expoſita eſt, quia ſeparatæ à ſe Trinitati offerri non poteſt, quia neque pater corporeus eſt, neque paſſus eſt, & oblationem in corporis ſui ſacramenta redigere non poteſt, neque teſtem paſſionis ſuæ, qui non eſt paſſus, illam Dominicam cœnam facere poteſt, neque in conſecratione myſterij dicere poteſt, Qui formam ſacrificij perennis inſtituit. Quod enim pater non inſtituit, ſed filius, qui & corpus habuit & paſſus eſt, & formam inſtituit ſacrificij, ſi de patre à filio ſeparato dicatur, mendacium eſt, vt quod pater non dixit patrem dixiſſe confingant. Qui ergo patri à filio ſeparato offerre vult, relictam iam nobis ſacrificij formam, relictam etiam Eccleſiam à Chriſto, & ab Apoſtolis fundatam, ad Synagogam & ad templa, ad vitulos & ad arietum victimas ſedeat. quia ſeparat à filio patrem in patris oblatione ſacrificiorum à filio inſtituta, non iungit. Si autem patri & filio ſimul offert, patrem & filium à deitatis vnitate non ſeparet. Si dixerit ergo duos deos, licèt ad verecundiam ipſius ſufficere debeat reddita ſacrificij ratio: tamen commemora illum quia Apoſtolus dixit *vnus Deus*, & lex ad Moyſem data dicit, *Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* & ille blaſphemans dicit duos vel tres deos ſine vnitate deitatis. Quòd ſi adhuc ſic diuidit Trinitatem, vt in vnum non reſociet myſterium Trinitatis, ſaltem ad Symboli rationem redeat vbi dicitur, Credo in Deum patrem omnipotentem, & in Chriſtum Ieſum filium eius, qui natus eſt de Spiritu ſancto. Primò Chriſti patrem Deum omnipotentem eſſe teſtaris. deinde natum Chriſtum de Spiritu ſancto

Gal.3.20. Deut.6.4.

dicis. Si ergo separas Trinitatem, Christum duorum patrum filium reddis, vt de patre omnipotente & de Spiritu sancto natus esse dicatur. Iunge ergo cum patre Spiritum sanctum, vt rectè possis Christum vnius patris filium confiteri: & cùm per hanc Symboli orationem in vnum patrem & Spiritum sanctum sociaueris, filium quoque, quem non tertium sed medium in Trinitate facis, magis à deitatis vnitate non separes.] Et in libro tertio de Trinitate, In quibus Angelis erat vtique & pater & filius & Spiritus sanctus, & aliquando pater, aliquando filius, aliquando Spiritus sanctus, aliquando sine vlla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, & cetera quæ ibi prosequitur.] Et beatus Ambrosius in Hymnis, quos catholica frequentat Ecclesia, nunc ad patrem, nunc ad filium, nunc ad Spiritum sanctum loquens, non solitariè eidem personæ in sancta Trinitate, ad quam loquitur, gloriam singulari numero refert, & postea plurali numero alias personas, vt blasphemat Gothescalcus, alloquitur: sed quicquid substantialiter de Deo, videlicet sancta Trinitate dicit, singulari numero effert. vt est,

In fine.

Somno refectis artubus, spreto cubili surgimus,
Nobis pater canentibus, adesse te deposcimus.
&, *Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens,*
Lux lucis & fons luminis, diem dies illuminans.
&, *Nunc sancte nobis Spiritus, vnus patris cum filio,*
Dignare promptus ingeri, nostro refusus pectori.

in quorum Hymnorum conclusione sanctæ Trinitati semper vnam & æqualem gloriam refert dicens,

Præsta pater piissime, patríque compar vnice,
Cum Spiritu paraclito, regnans per omne sæculum.
vel, *Deo patri sit gloria, eiúsque soli filio,*
Cum Spiritu paraclito, & nunc & in perpetuum.
vel, *Laus, honor, virtus, gloria, Deo patri & filio,*
Vnà cum sancto Spiritu, in sempiterna sæcula.
vel, *Gloria tibi Domine, qui surrexisti à mortuis,*
Cum patre & sancto Spiritu, in sempiterna sæcula.
vel, *Christum rogemus & patrem, Christi patrísque Spiritum,*
Vnum potens per omnia, foue precantes Trinitas.

& simul sanctam Trinitatem alloquens, similiter singulari numero petit dicens,

O lux beata Trinitas, & principalis vnitas,
Iam sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.

Cap. VIII.

Et sanctus Augustinus in libro primo de Trinitate dicit, Denique propter ipsam inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur, vel pater solus, vel filius solus, adimpleturus nos lætitia cum vultu suo, nec inde separatur vtriusque Spiritus, id est patris & filij Spiritus. Qui spiritus propriè dicitur spiritus veritatis, quem hic mun-

mundus accipere non poteſt. Hoc eſt enim plenum gaudium noſtrum, quo amplius non eſt, frui ſcilicet Trinitate Deo, ad cuius imaginem facti ſumus. Propter hoc aliquando ita loquitur de Spiritu ſancto, tanquam ſolus ipſe ſufficiat ad beatitudinem noſtram, & ideo ſufficit, quia ſeparari à patre & filio non poteſt: ſicut pater ſolus ſufficit, quia ſeparari à filio & Spiritu ſancto non poteſt: & filius ideo ſufficit ſolus, quia ſeparari à patre & Spiritu ſancto non poteſt.] *& item*, Propter inſinuationem Trinitatis, perſonis etiam ſingulis nominatis, dicuntur quædam ſeparatim, non tamen aliis ſeparatis intelliguntur, propter eiuſdem Trinitatis vnitatem, vnámque ſubſtantiam, atque deitatem patris & filij & Spiritus ſancti.] In ſacrificij etiam ſingularis celebratione, ſicut & beatus Auguſtinus in libris ſuis commemorat, gratias Domino Deo noſtro agere commonemur, quia & hoc quod inter ſacra myſteria cor habere ſurſum iubemur, ipſo adiuuante id valemus quo iubente admonemur: & ideo præcipuè in ipſo ſacrificio corporis Chriſti à gratiarum actione incipimus, reddentes debitas laudes Deo patri, qui in plenitudine temporum miſit filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, ſecundùm prædicationem beati Petri dicentis, *Quia non corruptibilibus auro vel argento redempti ſumus de vana noſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti*, per quem & maieſtatem eius laudant Angeli, & & nos ſine ſpeciali nomine tenus commemoratione ſancti Spiritus ei gratias agimus, noſtráſque voces Angelorum vocibus catholica & Apoſtolica inſtitutione formati admitti depoſcimus. Sícque ter ſanctum Hymnum ore confitentes offerimus, & viuificam Trinitatem fide ac mentis intelligentia vnius eſſe diuinitatis, æqualis gloriæ, coæternæ maieſtatis prædicantes, catholica & Apoſtolica inſtitutione formati, vna gloria conlaudamus dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cæli & terra gloria tua. & cùm patrem per totam præfationem alloquamur, non tamen ſecundùm Gotheſcalcum adicimus, vel ſubicimus, ne ingrati filio & Spiritui ſancto ſimus, Et vobis gratias agimus, & pleni ſunt cæli & terra gloria veſtra. quia nec Abraham, quando exultauit vt videret diem Domini, & vidit & gauiſus eſt, tres viros & in corde & in domo fide & opere fideliter fideli ſuſcipiens hoſpitio, offenſam incurrit, ſed meritum magnæ fidei reportauit, quando tres vidit, & quaſi vnum alloquens, vnum etiam adorauit. Et conlatæ huiuſmodi preces ac præfationes receptibiles & catholicæ, confirmatæ à ſede Apoſtolica atque ab vniuerſali Eccleſia cognoſcuntur. Sicut & in Africano Concilio decretum fuiſſe relegitur. in quo eſt nihilominus conſtitutum, vt aliæ omninò preces, ſiue præfationes, vel commendationes, ſeu manus impoſitiones, quæ probatæ non fue-

Cap. IX.

I. Pet. I. 18.

Cap. LXX.

rint in Concilio, nec aliæ omnino contra fidem proferantur, ſed quæcumque cum prudentioribus fuerint conlatæ dicantur.] Qua de re conlatæ Gotheſcalci orationes cum catholicis precibus, quantum à fide diſtent & caritate, manifeſtè cognoſcitur. Scripſit quo-
» que ad Deum loquens, & dicens ei quòd ipſe illi præceperit vt pro me
» non oraret, & quia primùm filius in eum intrauerit, poſtea pater,
» deinde Spiritus ſanctus, qui in illum intrans ei circa os barbam ad-
» uſſit. & quia nollet veſtimenta de veſtiario fratrum communican-
» tium mihi accipere, niſi pretio compararet qui pretium non habe-
» bat, ſed ſic vellet ire, ſicut Adam ibat antequàm peccaret. Mox
» autem vt frigus eum cœpit conſtringere, cum veſtimentis etiam
» pelliciam & focum ſtuduit quærere. Scripſit & alia multa ridicula, quæ apud fautores ſuos, quibus ea ſeruanda fraudulenter donauit, inuenimus. quæ non ſolùm nobis, verùm & ipſis complicibus ſuis viſa ſunt friuola, & idcirco, vt reuera deliramenta maniatici, & aniles fabulas, hîc inſerere ſuperfluum duximus. Ponendam tamen adhuc vnam de eius næniis cenſui, vt per ea, ſicut & per ſupra ex integro poſitas, aliæ valeant innoteſci. Ante hos ſiquidem annos reuelatum ſibi quibuſdam familiaribus ſuis ſcripſit, quòd ego ſtatim poſt tres ſemis annos ſuæ reuelationis, ſicut Antichriſtus vſurpans ſibi poteſtatis potentiam mori, & ipſe Remorum Epiſcopus fieri, & poſt ſeptennium veneno interfici, & ſic gloriæ Martyrum adæquari deberet. Et cùm prophetiam à ſpiritu ſuo inſpiratam impleri non vidit, inter alia hæc cuidam ſectatori ſuo iuuenculo, quales ſolebat diligere, ſcripſit,

XVIII.

— Sed iam tempus eſt fratrem deſeri abſentem, & quid ad eum loquar antequam ſcripta mea videat penitùs neſcientem, & fundi preces ad Deum ſemper vbique præſentem, & ſicut gratuitum donatorem cuncta ſempiternaliter ſcientem. Domine Deus noſter & magiſter Ieſu Chriſte, pro ſolis electis crucifixe, qui vides quòd ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput, quia non eſt poſt triennium dimidio terminato anno mortuus, ceu putabatur, fur & latro, breuiter quidem ſed pronus te exoro, huic vobis domino Deo noſtro vero ac viuo, vni ſimul ac trino, ſicut placet ita facias citò. Nolo plùs, nec priùs, nec ſecùs. quando vis euellatur hinc ritè, vitæ ſat, mœchus, & cæcus, procax, pertinax, peruicax, hæreticus, veritatis inimicus, falſitatis amicus.

X P. Idem quippe Gotheſcalcus ſolet frequentiſſimè dicere, vt ſæpe commemorauimus, loquens de beato Auguſtino, Auguſtinus noſter. Sed & hîc non eſt ſuus Auguſtinus, quia non taliter docuit orare pro inimicis, ſicut orat Gotheſcalcus, qui non eſt Auguſtini. Dicit enim beatus Auguſtinus in Sermone de verbis Apoſtoli, Si ergo Chriſtum volumus imitari, per ipſam viam debemus currere, qua Chriſtus & in cruce pendens dignatus eſt ambulare. In Cruce

enim fixus erat, & caritatis viam currens pro ſuis perſecutoribus ſupplicabat. denique ſic dixit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quod faciunt.* Et nos ergo pro omnibus inimicis noſtris hoc iugiter ſupplicemus, vt illis Deus emendationem morum, & indulgentiam tribuat peccatorum. Quod & ego qualiſcumque & quantulúſque peccator, etiam pro illo, & ſi non credebat, dum tempus fuit agere procuraui, certus de promiſſione diuina, *Si quid petieritis*, inquit, *patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quia & ſi non eis pro quibus petimus dabit, tamen nobis, cùm pro aliorum erratibus miſericorditer interuenimus, præmium noſtræ benignitatis reſtituet. Quòd enim ſcripſit ſibi à Deo prohibitum, vt pro me non oraret, mentitur vt ſolet. Qui enim iuſſit diſcipulis ſuis dicens, Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, & quod verbo docuit, in cruce pro ſe crucifigentibus exorans oſtendit, ſibi ipſi contrarius eſſe non potuit. Et ſanctus Cæleſtinus Papa dicit: Obſecrationum, inquiens, ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Eccleſia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente, poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perfectione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ caritatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, vt denique Catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filij claritatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ. quod adeo totum diuini operis eſſe ſentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio laudíſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referantur.] Et beatus oſtendit Gregorius, quia nemo malus, ſicut in malo ſuo mutari, ita non debet à quocumque, dum in hac vita eſt, deſperari.] Et licet in veteri teſtamento, vbi ſcriptum eſt, *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, quod nouo teſtamento pro temporum ratione mutauit dicens, *Diligite inimicos veſtros, bene facite his qui oderunt vos*, legatur Dominus dixiſſe ad Hieremiam prophetam, *Noli orare pro populo iſto*, tamen, vt beatus Ambroſius in libro de pœnitentia contra Nouatianos dicit, orauit idem Propheta pro populo eodem, & veniam promeruit. Denique interceſſione prophetica, & obſecratione tanti vatis inflexus Dominus dicit ad Hieruſalem, *Domine omni-*

Luc.23.34. Ioan.16.23. Matt.5.44. Poſt.epiſt. VIII. Matt.5.43. Ibid.44. Hier.7.16. Lib.1.c.8.

Baruch 3. *potens Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te, exaudi Domine, & miserere,* Et iubet luctus vestimenta deponi, & abici gemitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fine libri, *Exue te Hierusalem stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decore eius quæ tibi à Deo data est gloria in æternum.*] Ipse verò pseudomonachus, vel alius hoc vel alio aliquo modo fidei sinceræ adulterator, & apertus hæreticus, cuius orationes non commendat caritas, nec recipit catholica fides, cui taliter postulanti cum suis complicibus respondet Dominus per Apostolum, *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petitis, vt in concupiscentiis vestris consumatis.* Qui talia contra Canones sacros præsumit, si gradum Ecclesiasticum videtur habere, eo priuari vel ab Ecclesiastica communione separari est dignus. Secundum regulam autem sancti Benedicti, improbus, durus, & superbus, vel inobediens, verberum vel corporis castigatione, non solùm in sua pertinacia permanens, sed & in ipso initio peccati, est coërcendus, & à sanis Christi membris censura Ecclesiastica segregandus, ne vna ouis incurabili morbo languida totum gregem contaminet.

Baruch 5.

Iac. 4. 3.

Hæc omnia, post librum de prædestinatione, contra Gothescalcum & complices eius, asserentes quia sicut quosdam ad vitam, ita quosdam Deus prædestinauit ad mortem, de authenticis scripturis, & catholicorum dictis collectum, statim in initio suæ de trina deitate blasphemiæ collegi & scripsi, & per me ac per fratres meos, sed & per frequentia scripta, vt resipisceret, & à suis in Deum blasphemiis sensum & os suum reuocaret, sæpè commonui, sed apud eum nihil profeci. Tandem cùm mihi nuntiatum fuit à fratribus nostris, quibus de eo solicitudinem delegaui, quia morti appropinquabat, misi ei per eosdẽ fratres hãc quæ sequitur scedulam. Sic crede de prædestinatione à Deo electorum, & relictione reproborum, & quia Deus omnes homines vult saluos fieri, licèt non omnes saluentur, & qui saluantur saluantis sit donum, & qui pereunt pereuntium sit meritum, & quia Deus ac Dominus noster Iesus Christus pro omnibus passus sit, cuius sanguis totius mundi est pretium, à quo extranei sunt qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem peccando, & in peccatis corde impœnitente perseuerando, ad eandem sunt seruitutem reuersi. Et de gratia & libero arbitrio, sicut S. Augustinus docet in his libris suis, id est de Correptione & Gratia, de Prædestinatione sanctorum, de Dono vel Bono perseuerantiæ, & in libro de Spiritu & littera, & in libro Hypomnesticon, & in epistola ad Sixtum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, & sicut hinc sanctus Prosper ex libris beati Augustini ad obiectiones Gallorum, & Vincentianorum, & Ianuensium rescripsit, & ceteri catholici doctores dicunt, quia sedes Apostolica, & sancta catholica Ecclesia, & nos sic credimus & tenemus. De sanctæ autem & inseparabilis Trinitatis deitate, quæ est vnitas Trinitatis, sic crede & confitere, sicut credit, confitetur

& prædicat ſancta catholica & Apoſtolica Eccleſia dicens, Fides catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate perſonarum, & Trinitatem perſonarum in vnitate deitatis veneremur, neque confundentes perſonas, ſicut Sabellius vt tres non ſint, neque vt Arrius ſubſtantiam ſeparantes, vt trina ſit, quia alia & non aliud eſt perſona patris, alia & non aliud eſt perſona filij, alia & non aliud eſt perſona Spiritus ſancti, ſed patris & filij & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas, & in hac ſancta & inſeparabili Trinitate nihil eſt prius aut poſterius, nihil maius vel minus, ſed totæ tres perſonæ, pater & filius & Spiritus ſanctus, coæternæ ſibi ſunt & æquales, ita vt per omnia, ſicut iam ſuprà dictum eſt, & Trinitas perſonarum in vnitate deitatis, & vnitas deitatis in Trinitate perſonarum veneranda ſit. Et ſi ita credideris in corde tuo, & ita profeſſus fueris in ore tuo, & ita ſubſcripſeris coram teſtibus manu tua te credere & profiteri, & in hac credulitate & profeſſione permanere, iudicio ſancti Spiritus, per Epiſcopale miniſterium, quo damnatus es, abſolui poteris, & participationi corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & communioni catholicæ Eccleſiæ reſtitueris. Ipſe verò hæc audiens in furorem verſus, ea quæ ſibi mandata ſunt deteſtari, & amplius cœpit blaſphemare. Poſt diſceſſum denique à me ipſorum fratrum, recogitans duritiam illius, & cor impœnitens, miſi fratribus noſtris in monaſterio Altiuillaris, in quo degebat, hanc quæ ſequitur paginam, vt ſi reſpiciente Domino à ſua peruerſa intelligentia & praua ſententia ſe reuocaret, agerent de illo ſicut eis verbis iam dixeram. Sin autem, ſcirent qualiter erga eum ſecundum regulas ſacras gerere deberent. Hoc modò pro tempore, ſicut mihi licuit, dixi vobis qua conditione, ſi ſe Gotheſcalcus antequam anima illius egrediatur de corpore recognouerit, & ſpiritalem & corporalem humanitatem illi exhibeatis. Sed ne quid vobis deſit in vlla gratia, auctoritatē inde Eccleſiaſticam ex verbis orthodoxorum vobis tranſmitto. Ait enim de huiuſmodi Leo, vt ſi fideliter dolet, & quàm rectè mota ſit erga eum Epiſcopalis auctoritas vel ſerò cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia quæ ab eo malè ſunt ſenſa, vel viua voce, vel ſigno competenti damnauerit, & communionem Eccleſiaſticæ vnitatis ac pacis voce vel ſigno competenti petierit, reconciliatio & cōmunio illi non denegetur, ſicut Cæleſtinus, & Leo, & ſacri canones decreuerunt. Et ſi in hac confeſſione ac communione obierit, ſicut ceteris fratribus, ita & illi communem ſepulturam, ac ſepeliendi officium & orationem poſt obitum exhibetē, quia Dominus noſter, verus & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & qui venit animas hominum ſaluare non perdere, imitatores nos ſuæ vult eſſe pietatis, vt peccantes iuſtitia coërceat, conuerſos autem in miſericordia non repellat. Si autem in obſtinatione ſua vſque ad mortem permanſerit, tenendum nobis de illo eſt, quod ſanctus Leo de

Epist. 95. ad Rusticum Narbon. communione priuatis & ita defunctis dicit, Horum, inquiens, causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.] *& item*, Si, inquiens, aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo à munere præsentis indulgentiæ exciderit, & priusquam ad constituta remedia peruenerit, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actúsque discutere, cùm Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauit.]

Epist. 59. ad Theodorũ Foroiul.

1. Ioan. 5. 16 Lib. 6. Moral. c. 28.

Et sanctus Ioannes Apostolus dicit, *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt quis roget.* Peccatum, inquit Gregorius, est vsque ad mortem, quia scilicet peccatum quod in hac vita non corrigitur, eius venia post mortem frustra postulatur.] Peccatum quippe vsque ad inferos dicitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur. Et talium memoriam, scilicet in peccato perseuerantium vsque ad mortem, minimè licet inter sacra altaris mysteria celebrari, in quibus pro eis oratur, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, in Christo videlicet quiescentes. Dormiunt ergo, vt catholici doctores dicunt, in somno pacis, qui ab vnitate & societate Christi & Ecclesiæ, nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt, in quibus & si aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, & per orationem Ecclesiæ, cui in Petro dictum est, Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis, reconciliati & redemptionis mysterio sociati, vtique in pace obierunt, miserante illo qui non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ regnat nunc cum Christo in viuis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, vt viuorum & mortuorum dominetur. Vnde & alibi ait, Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in adquisitionem salutis, per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus, siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Quiescentes autem in Christo sunt, de quibus dicit Apostolus, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi, & de quibus item scriptum est, Beatus qui habuerit partem in resurrectione, non lædetur à morte secunda. Vnde & Iudas Pontifex, sicut in libro Machabæorum legimus, pro his qui cum pietate dormitionem acceperant, misit Hierosolymis offerenda. Et si, vt præmisi, in obstinatione sua permanens fuerit mortuus, sicut ex auctoritate beati Gregorij & sacrorum canonum accepimus, cum psalmis & hymnis ad sepulturam deportari, vel in communi fratrum sepultura

Matt. 16. 19

Rom. 14. 9.

1. Thess. 5. 9

1. Thess. 4. 13.

Apoc. 20. 6.

2. Mach. 12. 45.

ſepeliri non debet, priuatæ autem ſepulturæ humanitas, ſicut vobis dixi, ei non eſt deneganda. Et cùm iam finis eius appropinquaret, fratribus qui aderant, vt à prauo ſuo ſenſu & peruerſa ſententia ſe reuocaret, & communionem ſacram perciperet, ſuadentibus reſpondit, à ſuo ſe ſenſu & ſententia reuocare & communionem per auctoritatem non poſſe accipere. ſicque indignam vitam digna morte finiuit, & abiit in locum ſuum.

FINIS.

Ex Epiſtola Gotheſcalci, quam ex Germania ſcripſit ad Ratramnum monachum Corbeienſem.

Denique ſunt multi Domino donante magiſtri
Hac regione ſiti, ingenio locuplete periti,
Vnde palatina plerique morantur in aula.
Ad hos atque alios per barbara regna locatos,
Cernua his auidus direxi ſcripta diebus,
Orans magnopere dignentur vt ocyus inde
Reſpondere mihi, ceu ſcis vehementer egenti.
Eſtque Auguſtini his ſententia miſſa beati,
Quam liquido exponi auctori quadrando popoſci.
Nempe tribus horum ſtudui proprium indere ſenſum,
Matcaudo, Ionæ, atque Lupo, rutilantibus ore,
Poſcens obnixè ſatagant vt vera referre.
Propoſita eſt reliquis tantummodò quæſtio cunctis.
Oppoſui ſanè obicitur quod parte ab vtraque.
Nemo ſed excepto quid adhuc mihi reddidit vno.
Qui cùm ſit cautus ſimul & catus, eſt moderatus.
Sic iam terna ſui librans reſponſa libelli,
Vt dempto neutri pleno diſcrimine parti
Congruat. Vnde tibi recitanda hæc vtraque duxi,
Reſpondere alij properant dum mente ſagaci,
Quo magis his mihi quàm reputes cariſſime quicquam,
Si videas aliquid concordans quod tibi non ſit.
At licet vſque rogo mecum duo perpete voto,
Pectore quin toto ſupplex orare memento,
Donetur habilis quo ſermo videlicet illis,
Cúmque vigore ſalis pia nobis pignora pacis.

INDEX CAPITVM.

PRÆFATIO. *Cur ad omnes generaliter scribat, & de interrogationibus ad se missis, quæ scribendi occasionem dederunt.*

INTERROGATIO I. *De occulto flagitio uxoris Lotharij, & de libello capitum octo conuentus Aquensis, in quo per secretam confessionem remoueri se à coniugio postulasse dicebatur.* RESPONSIO. *De absconditis quæ nos latent iudicare nos non posse, & quæ secreta confessione sciuntur, secreto sananda esse consilio. De altero libello capitum septem, & de Tomo Synodi Aquensis. Regi confessam, secundum leges à laicis iudicandam fuisse. De regis, vt aiebăt dolore ac tristitia, déque decreto Tetbergæ repudio & pœnitentia publica.*

INTER. II. *Quòd ad instar secretæ confessionis Ebonis de hac femina debeat iudicari.* RESP. *Sicut alius ordo, ita & alia causa & lex viri est & vxoris, & alia non solùm Episcopi, verùm & presbyteri & diaconi: quia vxor à viro separari non potest, Episcopus potest gradum amittere.*

INTER. III. *De eo quòd Hincmarus tali facto consensisse dicebatur per Venilonem, Hildegarium, & Aduentium Episcopos.* RESP. *Quòd per prædictos Episcopos nec consensum nec dissensum exhibuerit, binísque litteris ad Aduentium in generali potiùs Synodo ventilandam rem videri testatus sit.*

INTER. IV. *Qualiter iniri debeat coniugium.* RESP. *Qualiter iniri coniugium debeat, & vetus & noua lex edocet, Domino per Moysem præcipiente, & in Euangelio confirmante.*

INTER. V. *Pro quibus rebus inita coniugia separari valeant, & vtrum post disiunctionem vir aut femina ad aliam copulam adspirare debeant.* RESP. *Non qualibet de causa, sed secundùm Euangelicam veritatem ob solam fornicationem, nec sine Episcopi scientia & auctoritate. Separati autem alia coniugia inire non possunt. Northildis & Agemberti coniugum iudicium apud Attiniacum.*

INTER. VI. *Quid videatur de iudicio aquæ calidæ, quod actum est in causa Tetbergæ, & de purgatione sacramenti, vtrum causa sic purgata debeat in iudicium legale reduci.* RESP. *De iudicij & iuramenti purgatione, iuxta diuinas litteras, & canonum sanctorúmque patrum auctoritates. Quare cùm huiusmodi iudicio hæc femina purgata reconciliata sit & restituta, causa iterum in quæstionem reuocanda non videtur, præsertim quia si vicarius eius succubuisset, ad audientiam denuò noluisset accusator ipsius debere illam admitti.* Hîc incipit Cod. MS.

INTER. VII. *Vtrum verum esse posit, quod quidam dicunt, quia pro secreta confessione, quam ipsa femina fecit, sicut & testis est qui illam suscepit, vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus euasit.* RESP. *Dum veritatem impia falsitate piam prædicant, fictam calumniantur, quæ sic voluit istam feminam liberare, vt iudicio ipsius credentes deciperet, cùm scriptum sit,* Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, *& simplex veritas nihil per duplicitatem faciat.* Sap. 1.

INTER. VIII. *Vtrum fieri possit quòd quidam dicunt, quia intentio illius feminæ fuit de alio eiusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium misit, & idcirco se in eodem iudicio non coxit.* RESP. *In libro Regum scriptum est, dicente mendace spiritu,* Ego decipiam Achab, *& reliqua, vsque ad id quod dicitur,* decipies & præualebis. *Et Paulus dicit de quibusdam,* qui non probauerunt Deum habere in notitiam, propterea tradidit eos Deus in reprobum sensum. *Et item, pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, idcircò immittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, quatenus iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* 3. Reg 22. & 2. Paral. 18. Rom. 1.

INTER. IX. *Si in iudicio, vel in sacramento, fraus quæcumque reperta fuerit post datam purgationem, vtrum causa iudicio vel sacramento purgata in iudicium de-*

beat legale reduci. RESP. *Nec mirum videri debet, si fraus in iudicio fuerit operatione diaboli, qui licèt perdiderit angelici spiritus gloriam, sed non amisit naturæ subtilitatem: quod fit permittente Domino, aut prò infidelitate non rectè credentium, aut pro purgatione fidelium. & si in iudicio, vel purgationis sacramento, per quodcumque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata iudicij vltione, siue pro peccati admissione, siue pro infideli inlusione, causa in quæstionem ratione docente reueniat.*

INTER. X. *Si hæc causa, vnde iudicium factum audiuimus, & quidam etiam vidimus, in iudicium fuerit reuocata, qualiter idem debeat canonicè ordinari iudicium.* RESP. *In omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, accusatores ac defensores, & testes, vt in præsentia positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustæ posit subiacere sententiæ: sed & extorta confessio, vel coacta subscriptio, nihil vigoris obtinere debebit.*

INTER. XI. *Vtrum de secreta confessione, vt dicitur, commissa Episcopis, vel in iudicio porrecto libello, eadem femina debeat iudicari.* RESP. *Nec maritus à coniuge, nec vxor à marito, secreta confessione, vt præmisimus, possunt disiungi, nisi amore continentioris vitæ: nec porrecto libello secretæ confessionis publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti: neque per scripturam directam, vel ab alio eius vice porrectam, quisque valeat condemnari: sed vnde publicè debet aliquis iudicari, publicè & in præsenti positus debet aut conuinci, aut confiteri.*

INTER. XII. *Vtrum de tali stupro, sicut ista femina reputatur, quasi frater suus cum ea inter femora, sicut solent masculi in masculos turpitudinem operari, potuerit concipere, & post abortum virgo valuerit permanere. & si deprehensa fuerit hæc ante coniugium crimina perpetrasse, vtrum in coniugio debeat aut valeat permanere.* RESP. *A sæculo non est auditum, nec de sub isto cælo in scriptura veritatis est lectum, vt vulua feminæ sine coitu semen susceperit atque conceperit, & clauso vtero, & inaperta vulua, seu integra carne, viuum vel abortiuum pepererit, excepta sola singulariter beata & benedicta virgine Maria, cuius conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam Archangelo,* Aue gratia plena, *in quam Spiritus sanctus superuenit, qui ei ex virgineo semine, virgineóque sanguine, sine voluntate carnis, & sine voluntate viri, fœcunditatem prolis contulit, virginitatem non abstulit: quæ sicut carne integra, & vulua non adaperta, id est, clauso vtero concepit, ita non aperta vulua, sed clauso vtero peperit, simúlque & mater extitit, & perpetuò ac semper virgo permansit. Vtrum autem tali modo, sicut de ista femina dicitur, quæcumque mulier vel virgo concipere valeat, expressiùs sæculi iudices licentia maritali, ne in iudicio interprendant, à suis vxoribus discere poterunt: quia nos homines huius negotij inexpertes quæ legimus dicimus, & non inde ampliùs aut scire quærimus, aut inuestigare volemus. Miramur tamen, si Dominus noster prædictam feminam inuenit virginem, cur eam denotari quasi stupratam consentit: si verò illam virginem non inuenit, quare tamdiu eam retinuit, vel cur de illa iudicium examinationis recepit. Quapropter, vt scribit sanctus Gregorius, ne pro quorumdam voluntatibus quis priuetur, quem sua culpa vel facinus ab officio, quo fungitur, vel gradu non deiicit. &, Graue est satis, & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia, vnde accusatum vel conuictio manifesta, vel confessio subsequatur, quam subtilitas examinis ex occultis eliciat, & non afflictio vehemens extorqueat, quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur innoxij, videtur æquum atque rationabile, vt isdem, in cuius cura & potestate erat, qui eidem feminæ vim intulit, vel eam ad scelus pellexit, accersatur, & magis per illum causa inuestigetur, & ipse inuehatur, atque secundùm legem examinetur, & vel legali iudicio liberetur, vel cum complice puniatur, ne iustè iudicare volentes suspicio quæcumque remordeat, vel derogantes dicant, quia femina terrore & afflictionibus territa mendacium super se dixerit, quod mendacium sua libertate potitus, à se qui auctor criminis dicitur, & ab ipsa depellere poterat, si ei lex & iustitia seruaretur. Legant æqui iudices primi libri legis Romanæ capitulum sextum de stupratoribus, & septimum de incestis ac turpibus nuptiis,*

Luc. 1.

Lib. 11, ep. 4.

Lib. 8. ind. 3. epist. 30.

& cetera quæ Christiana iura depromunt, de quorum iudicio ad nos in talibus quæcumque femina venerit deprehensa, canonicum in illam iudicium exercere curabimus.

INTER. XIII. *Si idem Rex, postquam talia de præfata vxore sua audiuit, & ab eius carnali commercio suspensus fuit, fortè concubina vsus adulterium perpetrauerit, & si hoc ad plurimorum peruenit notitiam, quo debeat sanari medicinali iudicio.* RESP. *Si fortè, vt fertur, Rex de quo agitur, post legaliter initum coniugium, cum alia aliqua carnis commixtione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiam si femina, quam duxit vxorem, de talibus sicut reputatur rea fuerit fortaßis inuenta, quoniam post legaliter initum cõiugium ante legalem diffinitionem præsumpsit inlicita. Quo autem debuit sanari medicinali iudicio, sacri decernunt canones, videlicet, vt pœnitentia, & secundùm leges statutas, absque personæ respectu, Episcopi arbitrio, ei pœnitentiæ tempora decernantur.*

INTER. XIIII. *Si fortaßis acciderit, vt quiscumque homo sacramento se obligauerit quod criminosum sit agere, vtrum quod iurauit, ne incurrat periurium, debeat adimplere, an ne crimen admittat quod malè iurauit in irritum debet ducere.* RESP. *Si aliquid fortè nos incautiùs iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriori mutandum nouerimus, ac magis instante neceßitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum.*

INTER. XV. *Si hoc verum esse poßit quod plures homines dicunt, quia sunt feminæ, quæ maleficio suo inter virum & vxorem odium irrecõciliabile possunt mittere, & inenarrabilem amorem iterum inter virum & feminam serere, & quòd vir legitimè sortitam coniugem maritali commercio non poßit adire, & aliis valeat feminis commisceri, & itidem eodem maleficio, potentia concumbendi, & dilectio quondam habita, per artem maleficarum poßit restitui.* RESP. *Potest sæpè occulto, sed nunquam & nusquam iniusto, diuino iudicio, sicut scripturarum auctoritate, & maiorum doctrina in Opusculi corpore demonstrabimus.*

INTER. XVI. *Quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpe in legitimo coniugio permittat talia fieri.* RESP. *Occulta iustitia Dei licentia malignis spiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam ex iustitiæ retributione etiam nolentes trahant.*

INTER. XVII. *Et si fortè tales viri malefici, vel incantatrices feminæ inuentæ fuerint, quid de huiusmodi fieri debeat.* RESP. *Vehementiùs pastoralis custodia erga tales debet inuigilare, atque publicè in populo contra huiusmodi rei viros sermonem facere, eósque à tanti labe sacrilegij, & diuini intentione iudicij, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen, si emendare se à talibus atque corrigere nolle repererit, feruenti zelo debet comprehendere: & si quidem serui sunt, verberibus cruciatibúsque, vt ad emendationem peruenire valeant castigare: si verò liberi, inclausione digna, & districta pœnitentia eos debet coercere. Rex autem, si huiusmodi homines Ecclesiastica medicina sanari non poßunt, æquitatis iudicio vt impios debet de terra perdere.*

INT. XVIII. *Si sæpè fata femina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit, vtrum ad eam vir eius redire debeat, an alteri feminæ valeat sociari.* RESP. *Hoc superfluum est iterare, quia suprà ostendimus, quòd si ante legaliter initum coniugium innoxia, & legaliter nupta suo viro fidem seruasse reperta fuerit, secundùm Euangelicam & Apostolicam veritatem, & leges Ecclesiasticas, atque Catholicorum doctrinam, legitimum coniugium non valeat separari: & si vir & vxor separati fuerint, aut innupti permaneant, aut mutuò reconcilientur.*

INTER. XIX. *Si ipsa femina criminibus obnoxia, de quibus reputatur, inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri feminæ coniungi valeat.* RESP. *Si secundùm leges Christianas, forenses scilicet atque Ecclesiasticas, inuentum fuerit quòd illa coniunctio legalis non fuerit, sed magis incestus, & nullo coniugij nomini deputandus, valebit.*

INTER. XX. *Si tales causæ reputatæ fuerint etiam ipsi Regi, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, postquam illa cri-*

minosa inuenta fuerit, vtrum ipse Rex post publicam pœnitentiam coniugem legitimam posſit accipere. RESP. *Si postquam pœnitentiam gesserit, timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegerit, ne crimen fornicationis incurrat, rem videbitur facere venialem, si præter coniugem nullam omninò cognouerit: in quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus.*

INTER. XXI. *Si legaliter reiecta illa quæ criminata est, ipse etiam Rex post actam pœnitentiam, si voluerit, concubinam quam habuit, & cum qua post initum coniugium adulterasse dicitur, in coniugem posſit accipere.* RESP. *Quia vna est lex viri & feminæ, si solutus fuerit à lege coniugis, sicut Paulus dicit de vxore, nubat cui voluerit, tantùm in Domino, hoc est, vt Ambrosius dicit, sine suspicione turpitudinis, & religionis suæ feminæ nubat, hoc est in Domino nubere. Quæ solutio, & licita copulatio duobus intelligitur, & duobus fit modis: scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt coniugium, aut morte intercedente soluti sunt à lege coniugij. Denique, mortuo viro vel femina, cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri post pœnitentiam verum connubium potest cum qua priùs adulterium fuit. Summopere tamen est obseruandum, ne concubinæ vel cuiuslibet alterius feminæ copulam coniugalem Rex, super quo voluerunt consulere consulentes, aliquo modo expetat, antequam legali virorum inlustrium iudicio, & sacerdotali decreto, coniunx, quam legaliter accepit, ipso etiam coniugis nomine iudicetur indigna, aut diuino iudicio migret à corpore: neque ante legitimam pœnitentiam in adulterio deprehensus, secundùm leges Ecclesiæ, coniugi legitimæ, multo minùs eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet.*

INTER. XXII. *Vtrum sequendum sit quod quidam dicunt quosdam docere Episcopos, vt sibi confeſsis viris vel feminis debeant patrocinium defenſionis impendere, ne quisquam huiusmodi personas ad iudicium reipublicæ audeat pro criminibus, vnde eis confessæ fuerant, etiam si multis nota sunt crimina, prouocare.* RESP. *Hoc quàm absurdum sit, quilibet sensatus, licèt ignoret leges Ecclesiæ, recognoscit, sicut in subsequenti Opusculo ex auctoritate maiorum sufficienter ostendere procurabimus.*

INTER. XXIII. *Si, vt quidam dicunt, se non ex consensu vir & mulier propter continentiam, sed propter diſsidium aliquod separare voluerint, vel si separati se continere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua Episcopi posſint eorum fragilitati consulere, dicentes quia secreta confeſsione ad Ecclesiasticam confugerant pietatem, sicut Bosonis mulier, de qua in Synodo apud Leucorum ciuitatem habita fuimus cum interpellatione commoniti, & ideo ab aliis, quàm ab Episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, non debeant iudicari.* RESP. *Sciant quicumque hæc dicunt, secundùm quendam modum huiusmodi capitulum quartum erroris fuisse illorum. in quatuor enim capitulis errauerunt, qui sanctæ Synodo Chalcedonensi derogare & contraire præsumpserunt, & ab Apostolica sede, atque vnanimitate totius mundi Episcoporum, sunt vt erronei condemnati. Denique septem quæstiones, quas præter istas soluendas accepimus, in processu Opusculi exponemus.*

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS,

DE DIVORTIO LOTHARII REGIS ET TETBERGÆ REGINÆ,

PRÆFATIO.

DOMINIS REGIBVS GLORIOSIS, & venerandis consacerdotibus nostris, ac cunctis in sinu catholicæ Ecclesiæ collocatis, Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus ac plebis Dei famulus, vnà cum collegis dominis & fratribus meis Remorum Diœceseos venerandis Episcopis.

DE omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, vt omnium Ecclesiarum mater, & magistra, nutrix ac doctrix est consulenda, & eius salubria monita sunt tenenda, maximè ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus diuina gratia per eius prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutriuit, quos ad vitam præordinauit æternam. Vnde quoniam, sicut beatus Innocentius ad Decentium Eugubinum scribit Episcopum, manifestum est, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulásque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius successores, constituerint sacerdotes, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur amittere.] Sed & quia, vt beatus Cælestinus eiusdem primæ sedis Episcopus, ad Venerium & ceteros Gallicanos dicit Episcopos, Non est agentium causa solorum, quando vniuersalis Ecclesia quacumque

Epist. xxix. in princip.

Epist. viii.

nouitate pulsatur, & ad Nestorium Constantinopolitanum scribens decernit, quòd omnes debeant nosse quod agitur quotiens omnium causa tractatur, ad omnes vox nostræ humilitatis emittitur, quia licèt de Rege & Regina, viro scilicet & vxore, qui secundùm sacram auctoritatem iam non sunt duo sed vna caro, tractetur, de causa omnium generaliter agitur, quæ sacramentum magnum à diuino Apostolo in Christo & in Ecclesia appellatur, in quibus salus vniuersorum consistere creditur. De Christo enim Petrus Apostolus protestatur, *Quia non est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* & sicut in diluuio omnes perierunt, quos non arca continuit, ita nemo saluari potest, qui fide recta & bonis operibus in vnitate sanctæ Ecclesiæ non permanserit.

Epist. v. in fine. Ephes. 5. 32. Act. 4. 12.

Sed & hac spiritali ratione prælata, de tam eminentissimi nominis dignitate & talibus personis causa non exigua ventilatur, vt reges terræ, & omnes populi principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, in hac intendere debeant, & iudicij veritatem, & sacerdotalem consensum, & regiæ mansuetudinis, patientiæ, & dilectionis studium erga honorem suum, vnde scriptum est, *Honor Regis iudicium diligit.* &, *Iustitia firmatur thronus eius.* & item, *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Et licèt sint aliæ virtutes, sine quibus ad regnum non peruenitur æternum, tamen sine his tribus, quas posuimus, tyrannus fieri potest, regnum autem salubriter nemo potest obtinere terrenum, id est, sine mansuetudine, *quia mansueti hæreditabunt terram*, sine patientia, *quia melior est patiens viro forte, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium*, &, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, sine vera dilectione, de qua dictum est, *Qui diligitis Dominum, odite malum, quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Et item in Psalmo scriptum est, *Intende prosperè procede, & regna: propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam*, Quia veritatem exsequens mansuetudinem cum iustitia conseruabit, vt nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere derelinquat, nec rursum pondus mansuetudinis rectitudinis zelo perturbet, quoniam vt Sapientia dicit, *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo.* & item, *Rex qui iudicat pauperes in veritate, thronus eius in æternum fundabitur.*

Psal. 98. 4. Prou. 25. 5. Psal. 88. 15. Matt. 5. 4. Prou. 16. 32. Luc. 21. 19. Psal. 96. 10. Psal. 10. 6. Psal. 44. 5. Prou. 20. 8. Prou. 29. 14

Ex sacerdotalis verò consensus atque discriminis parte Domino dicitur, *Misericordia tua ante oculos meos est, complacui in veritate tua. Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua.* Sed vt sanctus dicit Gregorius, Video alios, quibus per locum magisterij exhortandi sunt officia arguendique commissa, quia vident aliquid inlicitum admitti, & tamen dum quorundam potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt. Quisquis iste est, quid aliud facit, nisi vi-

Psal. 25. 3. Mor. xxix. cap. vi.

det lupum venientem, & fugit? Fugit, quia tacuit: tacuit, quia despecta æterna gratia temporalem gloriam plus amauit. Ecce ante potentis faciem intra sui se latebras silentij abscondit, & sicut persecutioni publicè, sic occultè locum dedit timori. Bene de talibus dicitur, *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei.* Quisquis igitur talis est, si hæc districtè iudicantur, & si persecutio publica defuit, tamen tacendo Christum negauit.]

Ioan.12.43

Iudicibus autem præcipitur, *Si verè vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum.* Vt cùm quisque mortalium iudicium dederit publicum, si verum loquitur, verum & iudicet, nec ponat blanditiis sermonum muscipulam deceptionis, per quam occultè interimat innocentes, attendens quia homo videt in facie, Deus autem in corde. &, si oculus, id est, intentio cordis, simplex fuerit, totum corpus, id est, omnis actio lucida erit, si autem ipsa intentio tenebrosa fuerit, iam tenebræ, quæ in actione erũt, vt modum, ita & nomen tenebrarum penè excedunt. Et S. Gregorius dicit, Video namque nonnullos ita personam potentis accipere, vt requisiti ab eo, pro fauore eius non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quis est veritas, nisi ille qui dixit, *Ego sum via, veritas, & vita?* Neque enim Ioannes Baptista de confessione Christi, sed de iustitiæ veritate requisitus, occubuit: sed quia Christus est veritas, ad mortem vsque idcirco pro Christo, quia videlicet pro veritate peruenit.] Et beatus Beda, Multi hodie Iudæ scelus, quòd Dominum ac magistrum, Deúmque suum pecunia vendiderit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cauent. Nam cùm pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profectò quia veritatem pro pecunia negant, Dominum pecunia vendunt. ipse enim dixit, Ego sum veritas. cùm societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste commaculant, Dominum produnt, quia Deus caritas est, qui etiamsi nullus pecuniam det, Dominum argenteis vendunt, quia principis sæculi imaginem, id est, exempla hostis antiqui, neglecta conditoris ad quam creati sunt imagine, sumunt.] Ille etiam Dominum vendit, qui eius amore ac timore neglecto, terrena & caduca, immo etiam criminosa, plus amare & curare conuincitur. Cùm hæc ita se habeant, necesse est & Ecclesiasticis, & publicæ rei iudicibus, vt ita sub oculis superni iudicis in quacumque causa, & de quacumque persona decernant iudicium, quatenus non sit in eodem iudicio aliquid fermenti malitiæ, doli, placiditatis, simulationis, siue cupiditatis, vel spes cuiuslibet adquisitionis, sed totum azyma sinceritatis, & veritatis, id est, iudiciũ iustitiæ, æquitas veritatis, puritas veritatis, ne, quod absit, maledictionem iudices incurramus, quæ generaliter à nobis ipsis, & à cuncta imprecatur Ecclesia in dicto prophetæ, Muta fiant labia dolosa, &, In corde, & corde locuti sunt, Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, quæ aliud dicunt, & aliud corde abscondunt, à quibus interdum constat

Psal.57.1. Mor. xxii. cap. vi. Ioan.14.6. In Lucam cap. xxii. 1. Ioan 4.8. Psal.30.19. Psal.21.3. Psal.11.4.

quod dicitur, sed alio sensu interpretantur quod dicunt, quàm teste conscientia sentiunt.] Et sanctus Hieronymus in commento Matthæi dicit, Falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur.] Et de quibus iterum scriptum est, *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, quando *operientur sicut diploide confusione sua*, id est, ponentur *sicut clibanus ignis in tempore vultus Dei.* videlicet, vt interiùs & exteriùs ardeant in sæculo iam venturo. Qui aliter ante conspectum illius, cui cogitatio hominis confitetur, liberi iudices esse non possumus, nisi ex corde & ore vera dicamus. verè quia tunc iustè iudicemus, & hoc etiam cum timore & tremore, ne fortè ignorantia delinquamus: quoniam, cùm sit dictum, *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* &, *si non reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Et ideò in his etiam, quæ apud homines certa sunt, securi esse non possumus, scientes, vt Paulus dicit, quia *Dominus est qui nos iudicat*, qui sæpè iudicio humano iustificamur.

Cap.xxvi. Psal.139.10. Psal.118.29. Psal.20.10. Matt.7.2. 1.Ioan.3.20. 1.Cor.4.4.

Quapropter regibus scribimus, vt quos Deus ideò in tam excellentissimo loco posuit, vt à subiectis omnibus valeant conspici, & ad speculi vicem haberi, quatenus prauis & rectis, vel terrori esse debeant, vel amori, illa satagant facere, de quibus nemo subiectorum eos iustè valeat reprehendere, & ea studeant summopere deuitare, quæ in subiectis pro ministerio sibi à Deo imposito necesse erit corrigere, ne audiant à redarguente se Apostolo, *Existimas ergo, ô homo, qui iudicas de his qui talia agunt, & facis ea, quoniam tu effugies iudicium Dei?* & iterum scriptum est, *Iudicium durißimum in his qui præsunt fiet.* Et sanctus Spiritus, per beatos viros Benedictum & Cyprianum, confirmat quia vnusquisque rex de omnibus iudiciis suis æquissimo iudici Deo rationem reddet in die iudicij, & pro tantis rationem reddet, quantos sub cura sua habuerit, sine dubio addita & animæ suæ. & sicut in throno hominum primus constitutus est, nisi se & sibi commissos bene rexerit, quantum cum Dei adiutorio præualuerit, omnes quoscumque peccatores sub se in præsenti sæculo habuit, supra se modo plagali in illa futura pœna habebit.

Rom.2.3. Sap.6.6.

Ad consacerdotes autem nostros, ac per hoc ad nosipsos, sermo noster dirigitur, vt ea doceamus quæ Dominus docuit, ea prædicemus quæ ipsi obnoxiùs conseruemus. quia sicut scriptum est, *Interroga sacerdotes legem meam*, ita nihilominùs à Domino dictum est, *Tu audiens nuntiabis eis ex me.* audiens autem, vel inspiratione superna, vel lectione diuina, de quibus scriptum est, *Audiam quid loquatur in me dominus Deus*, &, *Scrutamini scripturas*, &, *Lex Domini inreprehensibilis conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Quod verò subsequitur, *Nuntiabis eis ex me.* ex me, inquit, non ex te: quia non adulatoriè, neque mobiliter pro voluntate humana, sed sincerè atque constanter quæ à Deo, siue sacra scriptura, siue san-

Agg.2.12. Ezech.33.7. Psal.84.9. Ioan.5.39. Psal.18.8. Ezech.33.7.

ſanctorum magiſtrorum doctrina, didicit prædicator, debet auditoribus ſuis proponere, & ſicut de nobis, vtinam non ad iudicium noſtrum, dicitur auditoribus, *Interroga patres tuos, & adnuntiabunt tibi, maiores tuos, & dicent tibi*, & per nos eiſdem præcipiendo ſuggeritur, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, ita & alibi dicendo contra nos queritur, *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam*, quia intellectus bonus omnibus facientibus eum, & *tenentes*, inquit, *legem neſcierunt me*, Quoniam qui fide & operibus, vita & moribus, verbo atque exemplo, commiſſis non prædicant, licèt nomine tenus colant, ſecundùm veritatem Dominum neſciunt, iuxta quod ſcriptum eſt, *Qui ignorat ignorabitur*, videlicet reprobabitur. Quo circa non eſt vnde ſecuri, niſi de miſericordia Dei, eſſe poſſimus, de quorum manibus tantorum ſanguis in die magni iudicij exigetur, quanti ſine noſtra commonitione in ſuis iniquitatibus pereunt, dicente Domino ad vnumquemque Epiſcopum, *Quia ſi non annuntiaueris iniquo iniquitatem ſuam, & ille iniquus non fuerit conuerſus à via ſua praua, ipſe iniquus in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram*. Timendum eſt etiam, ne dicatur ab inſpectore conſcientiarum, quanto magis operum, nobis, *Clauem ſcientiæ tuliſtis, ipſi non introiſtis*, & alios qui introire poterant, licèt verbo admonuiſſetis, opere deſtruxiſtis. Et ſciendum eſt, & cum timore ac tremore maximo continuè recolendum, quia ſicut ſpiritalius, ac proinde maius, tanto eſt periculoſius epiſcopale quàm regium miniſterium, quanto & pro ipſis regibus rationem reddituri ſumus regi regum, & paſtori paſtorum, in die tremendi examinis.

Deut.32.7. Pſal.33.12. Eſa.56.11. Hier.2.8. 1.Cor.14.38 Ezech.3.18 Luc.11.52.

Ad cunctos etiam in ſinu catholicæ Eccleſiæ collocatos hinc loqui decreuimus, vt & ipſi talia committere caueant, & quantum ex ipſis eſt, agentibus non conſentiant, & per adulationem non faueant. de qualibus mirabilis dicit Apoſtolus, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. & item, *Qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt illa, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Quæ idcirco in hac ſcedula enumerare omiſimus, ne aliis dominis & conſacerdotibus noſtris, qui illa ſufficienter ſciunt, & meliùs ac congruentiùs nobis ſuis auditoribus exponere ſapiunt, feciſſe iniuriam videamur, præſertim cùm frequenti Apoſtolica lectione cunctis Eccleſiam viſitantibus inculcentur.

Gal.5.21. Rom.1.32.

Hæc noſtra eorſum præmiſſa tendit locutio, quia nuper ad nos quidam ex Eccleſiaſtico, quidam verò ex laicali ordine, & pro officij ſui loco, ac pro religionis merito, nec non & pro deuotionis atque nobilitatis ſuæ cultu, non contemnendæ perſonæ, quendam libellum, cuius hîc textum ſubiunximus, cum propoſitis quæſtionibus direxerunt, petentes humiliter per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui dixit, *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis*. &, *omni petenti te tribue*, &, *volentem mutuari à te ne auertaris*. &, *ne dicas amico*

Matt.18.10. Luc.6.30. Matt.5.42. Prou.3.28.

tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. & per beatum Petrum Ecclesiæ suæ iussit rectoribus, vt parati sint ad satisfactionem omni poscenti se rationem reddere: quoniam qui abscondit frumenta, id est, sacri eloquij documenta, maledicitur in populis, benedictio autem Domini super caput vendentium: quia docens ea quæ Domino docente didicit, maiorem docendi gratiam, & ipse merebitur ab auditoribus, pretium fidei & confessionis recipiens, vt illorum petitionibus nullatenus negligeremus, neque dissimularemus, aut sub aliqua excusatione differremus, sed quantocyùs, tacitis eorum nominibus, à quibus hæc proposita fuerant, quibusque de propositis rescriberemus, quæ ex his secundùm scripturarum auctoritatem, & catholicorum patrum doctrinam, nobis Dominus dederit, per singula, sicut proposuerant, respondere breuiter studeremus. De quibus scribere nihil vellemus, sed vel sapientium doctrinam audire, vel quæ sentimus verbo tantùm enuntiare: & si erat scribendum, fortè possemus congruentiùs dicendi ordinem texere, si talium ac tantorum adiurationem voluissemus aut valuissemus negligere. Vnde legentes hæc quæ de sanctis scripturis, & patrum traditionibus, eorum propositionibus rescribemus, non nos de responsionum ordine inordinato succenseant, & si ad talia, quæ ad hanc rationem fortassis non pertinent, eorum tracti quæstionibus deriuamus, non nos pro superfluitate refugiant, neque nostræ sinceritatis responsionem quisquam ad iniuriam suî retorqueat, quoniam nos dicti Dominici memores, *Non accipias personam in iudicio*, & item dicentes sanctos Apôstolos, quorum licèt indigni vices agimus, pro modulo nostro imitantes, *Non enim*, inquiunt, *possumus quæ audiuimus & vidimus non loqui*, de quibus interrogati sumus, non nostra, sed vel scripturæ diuinæ, vel eorum dicta, per quos Dominus locutus est, & à quibus illa didicimus, prout permisit breuitas temporis, & occurrit memoriæ, propositis quæstionibus, immo quærentium præmittentes quæ interrogauerant, solutionibus sine adulatione respondere curauimus. Et idcirco generaliter ad omnes scripsimus, quia ad omnium ordinum personas causam pertinere cognouimus, & eos prodere, qui nobis proposita transmiserunt, prohibiti cum adiuratione præscripta sumus. Det autem Dominus in os nostrum sermonem directum benesonantem, vt possimus ad ea, de quibus interrogati sumus, conuenienter collecta proferre verba eorum, quibus Dominus dicit, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Det etiam gratia Domini nostri Iesu Christi, qui vult omnes homines saluos fieri, & neminem vult perire, vt placeant per nostræ humilitatis seruitutem dicta sanctorum excerpta in conspectu audientium ea, quibus generaliter Deus dicit, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Quique discipulis suis dixit, *Qui vos audit, me audit*, & remoueat ab omnium audientium interiore cordis auditu obaudien-

1.Pet.3.15. Prou.11.26 Deut.1.17. Act.4.20. Matt.10.10 1.Tim.2.4. Ioan.8.47. Luc.10.16.

di duritiam, qui iussit remouere à sepulcro Lazari lapidem, & auferat inobediendi vecordiam, qui olim promiserat per Prophetam, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestrî, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini:* ne eis, quod absit, contemnentibus sanctorum suorum consilia, quibus dixerat, *Qui vos spernit, me spernit*, quod est valdè terribile dicat, *Propterea vos non auditis*, id est, non obeditis, *quia ex Deo non estis.*

Ioan.11. Ezech.36. 26. Luc.10. 16. Ioan.8.47.

Et nemo nos execret impudicos de huiusmodi impudicitiis, quas verecundæ aures erubescendo refugiunt, sermocinantes, quia timore Christi, quem in se locutum fuisse veraciter dixit, Paulus inter alia de talibus disputauit, illa quæ ex interrogatis sentire poterimus, nequaquam tacere audebimus, terrente nos eo atque dicente, *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.*

Luc.9.26.

Nemo etiam debet exacerbari audiens turpitudines infirmitatum, quas venenata diabolicæ malignitatis calliditas humanæ infligit fragilitati, sciens se, secundùm Apostolum, circundatum esse infirmitate, & considerans seipsum, ne fortè & ipse tentetur. Neque debet metuere, beato dicente Gregorio in regula pastorali, vt dum aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur, quia & hæc eadem, per quam populi multitudo in lutere, iubente Domino per Moysem facto diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto faciliùs à sua eripitur, quanto misericordiùs ex aliena tentatione fatigatur.] Et tanto alienarum infirmitatum impuritates & patienter audire, & infirmis medicinali consilio, provt cuique expedire viderit, debet modis omnibus subuenire, quanto Deum, vt ipse per prophetam dicit, sustinendo laborare in nostris iniquitatibus, & occulta dedecora nostra, & ipsarum etiam cogitationum immunditias conspicere, & misericorditer portare, diutina expectatione ignorare non potest. Vnde sanctus Augustinus in libro quarto contra Iulianum, dicit, Nos certè, si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quàm verò innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos, quæ vtique si noluisset, nulla ratione permitteret? & tamen iustus & bonus est, & quod post patientiam dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire.] Quod cur fiat sanctus demonstrat Gregorius exponens scripturæ testimonium, Altissimus est enim patiens redditor, quoniam & patitur mala nostra & reddit. Nam quos diu vt conuertantur tolerat, non conuersos duriùs damnat.]

Heb.5.2. Pastor.11. cap v. Hier.6. Hom.xiii. in Euang. Ecclesi.5.

INTERROGATIO PRIMA.

AIVNT enim primo capitulo, Vxor domni Regis Hlotharij primò quidem reputata est de stupro, quasi frater suus cum ea masculino concubitu inter femora, sicut solent masculi in masculos turpitudinem operari, scelus fuerit operatus, & inde ipsa conceperit. quapropter vt celaretur flagitium potum hausit, & partum abortiuit. Quæ ipsa denegans, probationis auctore, testibúsque deficientibus, iudicio laicorum nobilium, & consultu Episcoporum, atque ipsius Regis consensu, vicarius eiusdem feminæ ad iudicium aquæ feruentis exiit, & postquam incoctus fuerat ipse repertus, eadem femina maritali toro, ac coniugio regio, decreto, quo suspensa fuerat, est etiam restituta. Sicque post spatium temporis, nescimus vtrum de eadem re, an de commisso post initum coniugium, à quibusdam Episcopis talis sicut vobis transmittimus conscriptus habetur libellus, & per quorumdam ora vulgatur, quia per secretam confessionem, quam libellus iste designat, vos ceteri omnes Episcopi, adsumpta parabola, eam debeatis funditus à maritali connubio remouere, & si etiam amplius exegeritis, cogetur vobis dare libellum manu sua firmatum, vt sicut Ebo quondam Remorum Episcopus per libellum secretæ confessionis à sede & ordine est submotus, ita & ista per libellum secretæ confessionis à maritali remoueatur consortio. Sed & de venerabili Remorum Archiepiscopo nobis est dictum, quoniam tali facto consentiat, & per Episcopos, Wenilonem scilicet Rotomagensem Archiepiscopum, & Hildegarium Episcopum, verbo vices suas impleuerit, & per Aduentium, qui cum eo Remis pro hac causa locutus fuerat, litteras consensus sui ad placitum Regis, & ad conuentum Episcopalem direxerit, & per eundem Aduentium litteras suas exinde ad Apostolicam sedem transmiserit. Vnde quid inde ex veritate secundùm auctoritatem tenendum sit, à vobis per veritatem, quæ Deus est, remandari nobis deposcimus.

Textus autem libelli octo capitulorum huiusmodi esse dinoscitur.

CAP. I. *Nos Episcopi, qui in Aquensi palatio nuper vocati conuenimus, quid ibi sensimus, quidve reperimus, ad notitiam fratrum & coepiscoporum deducere curamus, vt ipsi aurem cordis & corporis accommodantes discernant, & vnanimi consilio inueniant quem exitum & quem finem huiusmodi causæ imponant.*

CAP. II. *Gloriosus Rex Hlotharius, familiare & secretum colloquium nobiscum habens, humiliter deuota puritate suas speciales ac proprias necessitates, consilium & remedium quærendo, exposuit. Nos quoque suæ bonæ voluntati congratulantes, lacrymis ipsius & suspiriis inuitati, & ad compassionem flexi, Domino inspirante, petenti, quærenti, & pulsanti consilium dedimus, & medicinale remedium adhibuimus.*

CAP. III. *Tunc iſdem Rex lugubri voce, quod nos quidem non ſine mœrore & dolore proſequimur, cœpit nobis dicere de ſua vxore, quam deſiderauit habere, quòd ipſa obnixis & continuis precibus poſtularet, vt vinculis coniugalibus abſoluta, maritali videlicet toro, vt ipſa teſtabatur, indigna, ſacrum velamen ſuſcipere, & Chriſto Domino ſeruire mereretur.*

CAP. IV. *Interea miſſus ipſius Reginæ nos accerſiuit, orans vt illam adire non tardaremus. ad quam nos accedentes, ipſa occurrere feſtinauit, & penè ad pedes noſtros deuoluta, cœpit his verbis multùm imprecari, Propter Deum, inquiens, & propter miniſterium veſtrum, obſecro vos vt mihi verum conſilium detis.*

CAP. V. *Cui nos è veſtigio reſpondentes, Vtinam, aimus, Dominus nobis conſilium, quod tibi veraciter & ſalubriter demus, adminiſtret: tantùm tu dic nobis pura & veraci tuæ conſcientiæ confeſſione, quid eſt vnde conſilium tam expreſſa obteſtatione requiris: quia aliter tibi quod petis præſtare non poſſumus, niſi rei veritatem agnoſcamus. Hoc tamen præmonemus, tibíque diligenter prohibemus Dei & noſtra auctoritate, vt nec alicuius ſuaſione, immò deceptione, ad alios honores inuitata, nec timore cuiuſlibet pœnæ vel mortis, aliquod tibi crimen falsò confingas, & nos, quod abſit, in errorem inducas: ſed, ſicut ſuperiùs monuimus, rei veritatem, ſicuti eſt, nec plus nec minùs pandas, nóſque Domino donante, conſilium & auxilium tibi præſtare decertabimus, vt nequaquam à tua iuſtitia in aliquo defrauderis.*

CAP. VI. *Nequaquam, ait illa, teſte Deo & propria conſcientia, teſte etiam meo confeſſore, aut à dextris, aut à ſiniſtris aliter dicam, vel de me fatebor, niſi quemadmodum in veritate eſt. Recognoſco, inquit, & de me ipſa ſcio, quia non ſum digna in coniugali copula permanere: & inde vobis teſtem adhibeo præſentem Epiſcopum Guntharium, cui ego confeſſa fui: ipſe enim nouit quia ego non ſum digna. Quæ etiam mox ſe vertens ad ipſum Epiſcopum, implorando aiebat, Rogo, inquit, Epiſcope, vt iſtos tuos confratres, ſicut meliùs ſcis, intelligere facias, quia ita eſt ſicuti de me teſtimonium perhibui. Cui memoratus Epiſcopus, Bonum eſt, inquit, vt tu ipſa iſtis meis confratribus quod adhuc latet aperias, quatinus ex tuo proprio ore quod diiudicent audiant. & illa, Quid neceſſe eſt, ait, vt aliter dicam niſi ſicut tu noſti? propter Deum tibi ſit, vt tu eis manifeſtes meam neceſſitatem, quo pariter cum ſeniore meo mihi licentiam detis, vt quod deſidero faciam. quia, inquit, pro toto mundo nolo meam animam perdere: & ideo rogo vos propter Deum, & propter miniſterium quod ſuſcepiſtis, vt mihi quod poſtulo ad ſalutem animæ meæ non denegetis.*

CAP. VII. *Tunc nos Epiſcopi tentantes requiſiuimus, an ipſa vlteriùs vellet inde aliquam querimoniam mouere, aut aliquas inſidias moliri, ſi ſuæ petitioni ſatisfactum fieret. Ad quod illa libera voce, Per eam fidem, quam colo, ait, vobis coram Deo promitto, quia in æternum nec per meipſam, nec per meum ingenium, vllam inde querelam mouebo.*

CAP. VIII. *Quid denique à ſæpè fato confratre noſtro, de hac re multum triſtante, & anguſtiante, ac lugente, atque quod vnquam illius con-*

fessionis conscius extitit admodum pœnitentè, didicimus, hoc fratribus & Coëpiscopis, iuxta conditionem datæ licentię, viua voce narrandum est, vt sicut in primordio dictum est, cùm argumenta hactenus latentis causæ perceperint, vno eodémque omnes consilio & consensu errorem expellant, & verum statuant.

RESPONSIO.

De huius libelli serie superfluum duximus per singula quasi respondendo differere, cùm ipse sibi sufficiat ea quæ continet demonstrare, & nec nostræ laudis assertione indigeat, nec vituperationem refugiat. Tamen quod in quinto capitulo ipsius relegimus dictum de qua agitur feminæ, *Hoc præmonemus, tibíque diligenter prohibemus Dei & nostra auctoritate, vt nec alicuius suasione, immò deceptione, ad alios honores inuitata, nec timore cuiuslibet pœnæ vel mortis, aliquod tibi crimen falsò confingas, & nos quod absit in errorem inducas*, mirum est, si antè non fuit cognitum quod ab ea erat dicendum, cur talia eidem feminæ ante confessionem fuere præmissa: & si à pluribus quæ dicenda erant antè fuerunt percognita, cur quasi sub secreta confessione, quæ dicta sunt profitentur esse recepta. Sed hoc modo accidere potuisse putamus, quia sicut legimus in litteris diuinitùs inspiratis, non semper adest prophetis spiritus prophetiæ, dicente Heliseo de Sunamite ad Giezi puerum suum, *Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* & quando vult iterum idem spiritus adest prophetis. Vnde & Achias diuino spiritu inspiratus, ad vxorem Hieroboam dicit, mox vt audiuit sonitum pedum eius introeuntis per ostium, *Ingredere vxor Hieroboam, quare te aliam esse simulas?* Quapropter si Domini spiritus, quoniam, testante Apostolo, & pastores Ecclesiæ prophetæ sunt, reuelauit auriculam alloquentium mulierem, ad se cum simulatione fortassis aduenientem, in potestate ipsius spiritus est, qui vbi vult spirat, vt occulta reuelatione illis suggesserit, eidem mulieri Dei & sua auctoritate præcipere, ne eis simulata præsumeret quoquomodo indicare. Nos autem de incertis diu disputare non volumus, qui certa ex scripturarum auctoritate proferre valemus. Nam de adhortatione ad confessionem dictum legimus, *Reuela domino viam tuam, & spera in eum.* De subsequente autem adhortationem confessione item legimus, *Dixi, pronunciabo iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Huic quoque confessioni à Domino repensa est remissio, non punitio, quæ non est extorta per metum, sed prolata ad indulgentiæ spem per medicabile hortamentum, vt item dixit, *Et ex voluntate mea confitebor ei*, nec inuitata ad præsentem honorẽ, sed ad futurã beatitudinem, quia scriptum est, *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Ille enim

4. Reg 4.27
3. Reg. 14.
Ephes. 4. 11.
Psal. 36. 5.
Psal. 31. 5.
Psal. 27. 7.
Psal. 126. 1. 2.

ante lucem surgit, qui à Dei custodia per neglegentiam mandatorum eius se alienans cadit, & ante diem venturi sæculi in hac vita, quæ nocti est similis, honoribus extolli ac proficere appetit. Sedendum ergo priùs est per pœnitentiam, vt pòst rectè surgamus per indulgentiam, quia quisquis nunc se spontè per pœnitentiam non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat. Qualiter autem non exaltari, sed humiliari per confessionem & pœnitentiam debeamus, Dominus in Euangelio Lucæ habitum pœnitentis demonstrat, dicens, *Olim in cinere & cilicio sedentes pœnitentiam egissent.* & in Psalmo, *Humiliaui in ieiunio animam meam*, &, *Induebam me cilicio.* &, *Factus sum conturbatus*, &, *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam*, &, *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Vnde & sacri canones iubent, Vt pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super capita à sacerdote, sicut vbique constitutum est, consequantur. &, Manus impositionem, cuius crimen vulgatum est, ante absidem accipiat: quod vnusquisque publicè pœnitens ab Episcopo suo, de cuius parochia est, debet suscipere. Illud autem quod generaliter lædit Ecclesiam, à Synodo, id est, conuentu Episcopali, medicabiliter debet sanari. Et miro modo hic libellus Episcopalem, qui pro causa generali fieri debet, & secretam describit confessionem, quæ specialem postulat medicinam.

Luc.10.13. Psal.34.13. Psal.29.8. Psal.101. 8. 10. Cóc. Agat. can.xv. Conc.Afr. cān.x.

Sed & septimum capitulum, in quo tentando interrogatur femina iam designata, vt ibi scriptum est, *Vtrum inde aliquam vellet querimoniam remouere, aut aliquas insidias moliri, si suæ petitioni satisfactum fieret*, ex quo iuratio demonstratur elicita, tarditatis nostræ est ingeniolo suspectum: ideò à nobis nihil est inde responsum, ne deuiare aut à legali tramite, aut à capituli semita videamur.

De eo etiam quod in præmissi libelli octauo capitulo scriptum est, *Quid denique à sæpè fato confratre nostro de hac re multum tristante, & angustiante, ac lugente, atque quòd vnquam illius confessionis conscius extitit admodum pœnitente didicimus, hoc fratribus & Coepiscopis iuxta conditionem datæ licentiæ viua voce narrandum est, vt sicut in primordio dictum est, cùm argumenta hactenus latentis causæ perceperint, vno eodémque omnes consilio & consensu errorem expellant, & verum statuant*, sciant & quicumque venerandi Episcopi, & reges gloriosi, & omnes in sinu matris Ecclesiæ collocati, quia hanc latentem causam sub hac conditione potiùs ignorare, quàm scire volumus, pro causis quas ostendemus. Videlicet, quia nimis habemus de peccatis nostris, & nobis à secretè confitentium deuotione confessis, & à nobis subditis publicè & pondere graui commissis, ad quæ deflenda oculi nostri nequaquam sufficiunt. quanto magis illa quæ latent, & per alios sanari meliùs quàm per nos possunt & ablui, curiositate, quæ graue est vt dicit Gregorius vitium, illa discere & audire quæramus. Vnde superadiecto cumulo

sic lugeamus, sicut ille pius & sanctus vir, cui illa femina confessa fuit, tristissimus & angustians atque pœnitens, quia illius confessionis conscius fuerat, sicut ibi scriptum est, luxit. Sed legimus quia luxit Samuel Saulem, quoniam abiecit eum Dominus, ita vt Dominus diceret ei, *Vsquequò tu luges Saul, quoniam ego abieci eum?* Sed non legimus eum cuiquam manifestasse pro quo illum peccato luxerit, nisi ipsi Sauli, & quantum lacrymæ ipsius inde Domini auribus intimarunt.

1.Reg.16.7

Altera causa est, quia Spiritus sancti oraculo cautum esse dinoscitur, vt quique peccantes peccatorum suorum latentes causas spiritalibus senioribus patefaciant, qui sciant & sua & aliena vulnera curare, & non detegere ac publicare. Et propterea in sacris canonibus Africani Concilij scriptum habetur, Vt si quando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad iniuriam suam Episcopus pertinere, quòd illi soli non creditur: & si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, vt magis caueat Episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis non potest conuincere.] Quid est enim crimen confesso nolle communicare, nisi confessionem criminis publicare? Et quantiscumque Episcopis femina ipsa secreta confessione delictum suum prodiderit, sic quasi vni dixerit, secretum haberi debebit. Vnde Augustinus exponens sententiam Leuitici, *Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*, ita dicit, Hoc enim, inquiens, videtur dicere, peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, & scit eum falsum iurare, & tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua iuratur testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit, id est, aliquo modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui iurat illi indicauit, ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem huius peccati, & timorem proditionis hominum, non parua extat plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo vel prohibendo à tam graui peccato reuocare: sed si non audierit, & coram nobis de re quam nobis indicauerat falsum iurauerit, vtrum prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicādum esset, vtrum illi cui adiuratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solùm eum qui persequi non potest inrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi quòd se homo soluat etiam à peccati vinculo, si indicet talibus qui magis possunt prodesse quàm obesse periuro, siue ad corrigendum, siue ad Deum pro illo placandum, si & ipse confessioni adhibeat medicinam, & cetera quæ ibi prosequitur.] Quod autem de vno peccato diximus, de aliis etiam

Can.99.

Leuit.5.

Quæstionū Lib.III.c.I.

iam debet intelligi. Et Salomon dicit, *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana : qui autem fidelis est, animi celat commissum.* Et sanctus Gregorius in Pastorali regula dicit, Tales, inquiens, sese qui præsunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua prodere non erubescant: vt cùm tentationum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant: & hoc quòd se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio ac lacrymis orationis lauent.] & notum de seipso vnicuique constat, quia nemo est qui prælato suo peccata sua prodere non erubescat, si se denudari vel publicari putauerit. Et in Carthaginensi Concilio præcipitur, Vt Episcopus nullius causam audiat, de qua ei necesse erit publicè iudicare, absque præsentia clericorum suorum: alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum suorum confirmetur.] Et Dominus in Euangelio, delinquentem, adhibito vno vel duobus præcipit commoneri, ne quando ad Ecclesiam fuerit deferendum, qui monuerat, non corrector, sed deficientibus testibus iudicetur potiùs criminator.

Prou.11.13. Part.11. cap.v. Concil. Carth.IV. can.23. Matt.18.

Tertia causa est, quia de absconditis iudicare non possumus, nec debemus, quæ nos latent, sicut & hæc causa, quæ latens in antè fato libello pronunciatur, & nesciri à nobis perpetuò cupitur, si secreto consilio sanari nequitur. Et quoniam de latentibus iudicare non possumus, beatus Innocentius ad Exuperium Tolosanum scribit Episcopum requirentem, cur communicantes viri cum adulteris vxoribus non conueniant, cùm contrà vxores in consortio adulterorum virorũ manere videantur, cùm super hoc Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnet. Quia viros suos, inquiens, mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habẽt latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs vxores adulteras apud sacerdotes deferrẽ consueuerunt. & ideò mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cùm ergo par causa sit, interdum probatione cessante vindictæ ratio conquiescit.]

Epist.11. cap.4.

Textus libelli septem capitulorum taliter continetur.

Libellus VII. Capitulorum.

CAP. I. *Postquam domnus noster Hlotharius serenissimus ac gloriosissimus Rex Tetbergam cum consensu & voluntate fidelium suorum ad coniugium more regali sibi sociauit, & discordiarum querelæ inter eos cœperunt exoriri, dictum est eidem principi à quibusdam, quomodo memorata Tetberga scelus quoddam horribile ac nefas patratum vulnus occultum in animo siue in corpore haberet, in quo Deum grauiter offensum haberet, pro quo etiam illi non esset digna, neque liceret, vel eum deceret ad coniugium eam ampliùs habere.*

CAP. II. *Ex opinione verò præmissa, quæ de illa per ora quorumdam volitabat, præfatus Rex in conspectu fidelium suorum secretè ac manifestè*

frequenter conlocutus fuit, & cum eis rationes habuit, vnde iudicium postea per ipsorum consilium extitit factum, sed non diuina pietas indulgens rei veritatem manifestare voluit, sed cùm postmodum ad fratrem suum Hludouuicum Imperatorem in Italiam deuenisset, illuc apertiùs patratum scelus est illi manifestatum.

CAP. III. *Proindè ne suspicio ista & nequissima fama de vxore regia diutiùs inexaminata aut improbata maneret, quatenus idem Dominus noster certior securiórque effectus de hac causa, cùm quæ illi agenda erant more regali liberiùs exsequerentur, conuenerunt iussu eiusdem principis, anno videlicet incarnationis Dominicæ* DCCCLX. *& regni eius* V. *indictione* VIII. V. *Idus Ianuarij, Aquis palatio Guntharius summus Capellanus & Teotgaudus Archiepiscopi, Aduentius & Franco Episcopi, Hegil, & Odelingus Abbates, siue alij fideles eius. Quibus omnia superiùs inserta referens, iubendo monuit præscriptos Episcopos atque Abbates, dirigens ad illam, vt de prædicta fama apud eam omnem rei veritatem perquirerent, sicuti & fecerunt. Nam ipsa confessa est eis, coram Deo & Angelis eius, omnia quæque in illa erant, omnéque secretum iuxta exortam famam penitus apparuit illis, ipsique reuersi nuntiauerunt prædicto Regi, quòd ad vxorem non liceret illi eam habere.*

CAP. IV. *Primus Guntharius dixit, Confessa est Deo & nobis, quòd vulnus in se haberet interiùs, non tamen sua sponte, sed violenter sibi inlatum, pro quo indignam se esse omnino iudicauit ad regalem siue maritalem torum iam vlteriùs accedere, & nullatenus posset pro prædicto scelere, quod turpe est dicere, coniugium famulare cum eo, vel cum quolibet ampliùs habere: & ideo deprecata est, licentiam sibi dari mutandi sæcularem habitum, & à virili commixtione discedendi, nulla interueniente fraude iracundiæ, vel etiam voluntate, quam contra eundem Regem haberet, sed vt illa discedente, ipse animo & corpore solaretur, & ipsa quod iniquè egit, per Dei misericordiam, & eorumdem Episcoporum orationes deflere potuisset.*

CAP. V. *Aduentius dixit, Hoc me facinus & factum hactenus latuit, & nefas est illud, vt deinceps more maris & feminæ simul conueniatis. & si tamen, vt priùs fuit, vobis esset amabilis & dilecta, darem vobis consilium secundùm ministerium mihi commissum, & probarem omnino ne vlteriùs lateri vestro sociaretur sicuti coniunx, sed iuxta petitionem eius velum accipere & habitum mutare hoc permitteretis.*

CAP. VI. *Similiter Teotgaudus Archiepiscopus dixit, atque consensit.*

CAP. VII. *Egil Abba, vice eiusdem Tetbergæ, ita faciendum suasit, & petiit, vt quia non sua sponte, sed vi oppressa rem nefandam perpetrauerat, tribueretur ei facultas velandi, & locus quo patratum vulnus sanaret. quod verò simpliciter, & nullo incumbente timore, aut qualibet occasione vel voluntate, sed pro Dei amore, & animæ suæ solutione petebat.*

De hoc libello rationabiliùs tacere quàm respondere delegimus, quoniam sicuti præmisso irrationabilitate ex maiori parte habetur

consimilis, ita veritati & rationi adeò habetur dissimilis, vt credi non debeat à præfatis confectus Episcopis.

Sed & in quodam Tomo, quem ex integro propter suî prolixitatem hîc scribere deuitauimus, cuius initium est, *Anno ab Incarnatione Domini* DCCCLX. *Indictione* VIII. *mediante Februario mense, decernentibus gloriosis Regibus Hludouuico, Carolo, atque Hlothario iuniore, in generali conuentu optimatum ex regno almi Hlotharij, actum est Concilium Episcoporum Aquisgrani palatio, Guntharij Agrippinensis, Theotgaudi Treuerensis, Vvenilonis Rotomagensis, Franconis Tungrensis, Hattonis Virdunensis, Hildegarij Meldensis, Hilduini Auiniensis.*

CAP. XV. Ad locum de femina vnde agitur, ita scriptum reperimus, *Porrò illa, nulla securitate hoc celandi aut superandi fulta, primò Regi ordinem perpetrati reatus, vt fama fuerat, enarrauit. Deinde quibusdam Episcoporum simul & laicorum idipsum enucleauit. Posteà quoque chartulam suæ confessionis, suo rogatu conscriptam, in nostra omnium & multorum laicorum præsentia, in manu gloriosi Regis Hlotharij porrexit, móxque coram omnibus palàm locuta, Domine mi Rex, inquit, propter Deum rogo, & propter vestram mercedem, vt mihi pœnitentiam agere liceat, quoniam & verbis & scripto confiteor, me coniugalem copulam non mereri, ideóque prostrata suppliciter expostulo, vt mihi iam nunc & deinceps non denegetis quod meæ saluti posthac succurrere potest.* Textus itaque illius scripturæ hæc verba & hunc sensum continebat, *Ego Thietbrihc, quam feminei sexus imprudentia, & fragilitas fefellit humana, & conscientia delicti mordet, propter spem salutis animæ meæ, & propter fidelitatem erga seniorem meum, veram confessionem coram Deo & sanctis Angelis eius, ac venerabilibus Episcopis, siue nobilibus laicis, sic profiteor, quia germanus meus Hucbertus clericus me adulescentulam corrupit, & in meo corpore contra naturalem vsum fornicationem exercuit, & perpetrauit. Hoc testificor, teste mihi conscientia mea, non aliqua maliuola suggestione persuasa, neque violenti necessitate compulsa, sed simplici voluntate rei veritatem sicuti est professa. Sic me adiuuet Dominus, qui peccatores saluare venit, & peccata simpliciter ac veraciter confitentibus veram indulgentiam promisit, si nihil fingo, si vera propria voce pronuncio, & litterarum chirographo rem gestam confirmo: quia tolerabilius est mihi, imprudenti ac deceptæ feminæ, coram hominibus culpam simpliciter confiteri, quàm ante tribunal Domini erubescere, atque æternum væ habere.*

CAP. XVI. *Hoc itaque recitato adstantium animos horror pariter ac dolor perculit, ac de tanta licentia diabolicæ fraudis sacerdotum pectora gemitus compleuit. Sed quamuis ista eius confessio credibilis appareret, tamen ne fortè pro aliqua deceptione, aut pro timore alicuius, sæpè dicta mulier mentiretur, denuò memoratum Regem alloquentes, magnis eum obtestationibus adstrinximus, vt nobis confiteretur, si eam suasione aut comminatione ad seipsam fallaciter criminandum compulisset. Econtrà ipse cum maximis attesta-*

tionibus nobis declarauit, ſolam rei veritatem illam confiteri ſe perſuaſiſſe, nec in ea cauſa induſtriosè aliquid ampliùs egiſſe. Referebat etiam nobis in ipſa hora, quomodo poſtquam primùm infandam rem audiuit, & veram credidit, quantum inde doluit, quantúmque ſibi inopinatum malum, & minimè optata fors diſplicuit. Qualiter denique rem fœdam patienter ferre, & niſi iam tantùm fama cucurriſſet, occultare voluit, & quantum potuit fecit. Vnde & falſum iudicium ſe ſciente pro verifica examinatione ſuſcepit & tolerauit, vt ſi fieri poſſet tanta turpitudo incredibilis appareret, & ſic in mundo euaneſceret, ipséque coram ſæculo in tam ignominioſa macula & ruinoſa offenſione non remaneret. Poſtquam autem reuelata peſtis latere non potuit, ac ipſe pondus tanti opprobrij ferre nequiuit, maximè cùm partibus Burgundiæ atque Italiæ diſcurrrens nimis diffamatam ac diuulgatam fœditatem exhorruit, non eſt paſſus hanc cauſam ſine Epiſcoporum examine diutiùs ſubſilere. Reuera lacrymoſis ſuſpiriis multipliciter id ſibi de memorata femina inculcatum, & in hoc etiam regno à plurimis affirmatum non ſine gemitu repetebat.

CAP. XVII. *Nos igitur rurſus eandem mulierem, primùm ſecretò, deinde coram laicis adiuimus, eámque cum adiuratione diuina monitis pluribus exhortati ſumus, ne ſibi vllo modo falſum crimen inferret. æternarum quoque pœnarum minis, ſi hoc faceret, deterrere curauimus: iterúmque de noſtro conſilio & auxilio, tuitione ac defenſione contra omnes inſidias vel violentias ſecuram reddidimus, tantùm vt nobis iam tunc fiducialiter confiteretur, vtrum perſuaſa, an compulſa ad ſeipſam criminandum fuiſſet. Ad hæc illa aſpero intuitu nos redarguens, Putatis, inquit, vt meipſam pro aliqua re in mundo ita perdere voluiſſem? Sicut enim confeſſa fui, ſic confiteor, & ſic confitebor. Tantùm obſecro propter Dei amorem, vt meis precibus deſideratam miſericordiam iam modò concedatis. Hinc noſtra ſollicitudo requiſiuit, an ipſa vlteriùs inde aliquam vellet querimoniam mouere; aut aliquas aliquando inſidias moliri, ſi ſuæ petitioni fieret ſatisfactum. cuius obligationem & noſtra illicò vnanimitas ita proſecuta eſt, Scias, ô filia, quia ſi noſtram in te tuámque confeſſionem ſententiam expectabis, vt te diuinæ & canonicæ comprehendat auctoritatis cenſura; & indiſſolubilis incipiat ligare ſacerdotum catena, vnde adhuc potes recuperare, ſi tamen potes, vlteriùs, vt æſtimamus, non recuperabis. Sic & laici plurimùm eam admonuerunt, maximè ipſius familiares & amici admodum illam, ne ſe deciperet, pulſando increpabant. Ipſa tamen, veluti ſi eius conſcientiæ ſecretum intuentium oculis viſibiliter appareret, immobilis in ſua confeſſione perdurauit.*

CAP. XVIII. *Quid longiùs immoremur? Iam omni dubietate remota, & rei veritate comperta, nouum auditu ſcelus, nefandáque pollutione horrendum, præſertim cuius fœtorem iam diu per innumeros longè latéque fama diſperſerat, ne præſentibus ac futuris peſtiferam corruptionem inferat, niſi ſeueriùs diligentiúſque euellatur, nulla leui cura vel indulgentia tractandum viſum eſt. Non enim dubium eſt, quia naturalis inter fratrem & ſororem concubitus veniam temporalis non meretur honoris, & nihil aliud reſtat,*

quàm vindicta & pœnitentia. nec habet vlteriùs progrediendi occasionem damnabile crimen, quod statim à præuaricatoribus multa quæ fuerant licita penitùs amputat: ideóque hoc eo rariùs à sæculo contigit, quo constat quia nullus inde exemplum sibi præsumpsit, quod nunquam veniale apud mundi gloriam esse potuit. Sed cùm quilibet aliquotiens in hanc miseriam lapsi sunt, non de exemplo alterius accidit, sed de antiqua diaboli fraude, & simili fragilitatis impulsu ac præcipitio recens & quasi noua ruina fuit. Istud autem contagionis genus, quod nunc incipit esse nouum, & antea nobis erat inauditum, cauendum est ne morbosam pestem, & incurabilem luem generi transmittat humano, vt ita videlicet origo perniciosa funditus extirpetur, quo nullum exemplum, nullámque fragilibus relinquat occasionem. ne fortè, quod absit, talis consuetudo inolescat, qua naturalem consanguinitatis concubitum quis deuitet, & fornicari contra naturam in proprio genere, leue hoc æstimans malum, licentiùs assuescat.

CAP. XIX. *His ergo consideratis & diligenter perspectis, lugendam incesti pollutionem, in publicum exhalatam, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandam decreuimus.*

Hinc breuiter prælibamus, in processu pleniùs ostensuri, quia huiusmodi confessionis libellum fieri Leo Papa manifestissimè prohibet, sed & perinde vxorem à viro discedere posse, neque auctoritas sacra permittit. Quia etiam hæc femina suæ accusationis libellum, non Episcopis, vt ibi scriptum est, sed Regi porrexit, & laicis sua crimina denudauit, Rex legale iudicium construat, & secundùm legem ac iustitiam laici coniugati laici Regis coniugem iudicent, & si de eorum iudicio ad Episcopale iudicium venerit, secundùm leges Ecclesiasticas Episcopi ei iudicium medicinale imponāt. De hoc quod ibi scriptum est, quòd de tali facto Rex doluit, & contristato ei actio ista displicuit, cauendum illi est, ne tristitia eius non sit ablutio, sed sceleris quod absit confessio. Hæc enim est, vt doctores scribunt Ecclesiæ, & venerabilis presbyter Beda illorum sequens sententiam dicit, superni iustitia iudicij, vt plerumque reprobi & agnoscant se & fateantur errasse, certámque erroris sui pœnitudinem gerant, nec tamen ab errando quiescant, quatenus eadem confessione, ac pœnitentia contra se ipsi testimonium dent, quia non nescij delinquunt, dum à peccato quod culpant, cohibere detrectant, eóque iustiùs pereant, quò foueam perditionis, quam præuidere valuerunt, declinare neglexerunt. Vnde scriptum est de Herode, quia contristatus est Rex pro Herodiadis petitione. Talis quippe est tristitia Herodis, qualis pœnitentia Pharaonis & Iudæ, quorum quisque facinora sua, postquam accusante conscientia inuitus prodidit, vecors augmentauit. Itaque Herodes caput Ioannis petitus, tristitiam quidem prætendebat in vultu, quia se ipse damnaret, ostendendo cunctis liquidò quia insontem nouerat & sanctum, quem erat neci daturus. Verùm si diligentiùs cor nefandum inspicimus, lætabatur occultè quòd

Ep. xxcvi. Episc per Campan.

Marc. 6.

ea petebatur, quæ & anteà facere, si excusabiliter posset, dispone-bat: qui si caput Herodiadis peteretur, nulli dubium quia nec vel-let dare, & veraciter tristis abnueret.] Vnde & hic domnus noster Rex, superni spectatoris intendens oculos, qui corda omnium con-spicit, & cui cogitatio hominis confitetur, diligentissimè ponderet, si æquo dolore acciperet, & æqua vultus serenitate eum respiceret, à quo tunc fortè audiret, Quia à te feminam istam absoluis, nec il-la talem vel talem tibi quocumque modo vlteriùs vnquam adpro-ximare permittas. De hoc quod Rex profitetur, quia falsum iudi-cium se sciente pro verifica examinatione suscepit, scientes de omni-bus iudiciis nostris æquissimo iudici & regi regum rationes nos sub-tilissimè reddituros, quæ sentimus absque respectu personæ, verita-te cogente proferimus. Scilicet quia contra legale decretum, & Eu-angelicam veritatem agere præsumpsit, dicentem, *Non tentabis Do-minum Deum tuum*, qui, vt iterum scriptum est, *inlusores deludet*, vt sacrilegus, quia contra sacra sacramenta per contemptum & inluso-riè fecit, pœnitentiam accipiat dignam & peragat, consentientes au-tem ei si qui fuerunt, legalibus & Ecclesiasticis iudiciis supponantur. Ceterùm quod ibidem subsequitur, quia eadem femina secundùm suas multas postulationes publica pœnitentiæ satisfactione purgan-da decreta est, si in iudicio legali posita, rationabiliter & iustè illud euasit, comite æquitate vel indulgentiæ pietate, bene vtcumque se ha-bet: ita tamen, vt contra Apostolum, licentia separationis eius scan-dalum non fiat infirmis, & virum suum mœchari non faciat. sin autem, audire cum fautoribus suis Apostoli verba debuerat, *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis*, Quoniam quæ se apud Regem & nobi-les laicos accusauerat per scripturam, sicuti secundùm leges Roma-nas quisque accusat alium sub conditione eisdem legibus designa-ta, consequens non videtur, vt ab his legaliter non iudicata, vel indulgentia principalis sententiæ absoluta, ab Episcopis pœnitentia publica multari debuerit, cùm in iudicio legaliter disposito, etiam carnifices absque prolato iudicio reum ad tormenta non pertrahant, nec sine indulgentia principali vinculis conligatum absoluant. Quod denique post valida auctoritatum testimonia, sed parum aut nihil illa quæ de præfata femina acta sunt confirmantia, immo & his quædam contraria, ibidem subsequitur, *De Rege autem nostro, & eius fragili iuuentute, & labili incontinentia, ne populis regnóque ip-sius periculum inferat, consuli adhuc magna necessitas imminet: & ideò summopere flagitamus, collegij vestri consilio & sincera cooperatione nos in Domino à vobis velociter consolari atque confortari*, mirabili dictu pen-dens nobis visa est prolata sententia, quoniam quæ requiratur ex-inde consolatio non profertur, nec vnde consilium dari debeat demonstratur. Quapropter expressiùs interrogati ab aliis, si coniu-gium hæc copulatio inter domnum Regem & sæpè dictam femi-

Matt. 4. 7.
Prou. 3. 34.
Iacob. 4. 3.

nam fuerat, quæ inde ſacra auctoritate docente ſentimus, in proceſſu operis oſtendemus. Si verò concubinalis commixtio, vel inceſtualis pollutio extitit, & exinde quæ in ſacris paginis inuenimus, collecta monſtrabimus. Interim tamen huius tomi ſcriptorem cum venia commonemus, quia tutius fuerat expectare atque expetere collegij generalis conſilium ex his quæ de prædicta femina geſta ſunt, & in eodem conſilio, quod nunc requiritur de domno Rege conſilium caperetur, quàm nunc, vt ex antiquo ſolent prouerbiales dicere, poſt tempeſtatem buccinam inſonare, quia ſcriptum eſt, *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*. Et, *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis*. Prou. 4. 26. Eccl. 32. 24.

INTERROGATIO II.

De eo quod nobis ſcriptum eſt quoſdam dicere, quoniam ad inſtar ſecretæ confeſſionis quondam Ebonis Epiſcopi, de argumentis huius cauſæ latentis ex confeſſione præfatæ feminæ debeat iudicari.

RESPONSIO.

Forte laici & huiuſmodi homines dicunt, qui Eccleſiaſticas leges ignorant, & Epiſcopali tunc temporis non interfuere iudicio, ſed quæ acta ſunt auditu coniiciunt vitioſo. Vnde nos, qui in eodem Concilio fuimus, certa notitia, & ex eiſdem geſtis Epiſcopalibus, & illo ipſo ſcripto quod Ebo manu ſua firmatum Concilio protulit, oſtendere poſſumus, quia præfatus Epiſcopus in Synodo accuſatus iudices ſibi elegit, libellum de ſeceſſione à miniſterio Pontificali propter pondera peccatorum ſuorum manu ſua ſubſcriptum Synodo ſacræ porrexit, ipſe iuxta libelli tenorem confeſſus teſtes adhibuit, & ſic demum, ſecundùm confeſſionem ſuam teſtibus & ſcriptura ſubnixam, vt iudicum electorum iudicio à miniſterio Epiſcopali recederet ſententiam Synodalem accepit, abiit, & receſſit. Quapropter dicentes talia etiam ex noſtra inſinuatione cognoſcant, quod de Chriſtianæ doctrinæ vſu ignorare non poſſunt, quoniam ſicut alius ordo, ita & alia cauſa & lex cauſæ viri eſt & vxoris, & alia non ſolùm Epiſcopi, verùm preſbyteri, atque diaconi. Nam docente Euangelica & Apoſtolica veritate, *Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, & mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir.* 1. Cor. 7. 4. Qua poteſtate corporis, ſicut auctores exponunt, vſus genitalium deſignatur, quibus abuti coniuges non debent ad alios, ſed vti eis nuptialiter inter ſeipſos. Alioquin, ſicut & Apoſtolus de ſe dicit, 1. Cor. 9. quiſque Deum timens poteſtatem habet caſtigandi corpus ſuum, & ſeruituti ſubiiciendi, & ad mortem vſque pro Chriſto tradendi, atque ſecundùm communem ac licitum vſum cetera membra ſua mouendi, & cor-

poris curam agendi habet, Sub quo sensu idem Apostolus sequitur. 1.Cor.7.27 *Et alligata est mulier lege viri quamdiu vir eius vixerit: mortuo autem viro soluta est à lege viri, nubat cui vult tantùm in Domino* Et vir non potest vxorem suam dimittere quacumque de causa, & nulla alia nisi sola fornicationis causa, & si dimiserit eam, viuente illa non potest aliam ducere, nec illa viro suo viuente alteri nubere, quia scriptum est, Matt.19.9. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Deus enim coniunxit, vnam faciendo carnem viri & feminæ. Hanc homo non potest separare, nisi solus forsitan Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ vxoris primam dimittit: Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei, eo quòd tempus in arcto sit, sic habet vxorem quasi non habens. Separat autem Deus, non à maritali & vxorea secundùm Deum inita coniunctione, sed à carnali commercio & vxorei vsus commixtione. Quod si sufferre non possunt, non se fraudentur ab inuicem, nisi fortè ad tempus, vt vacent orationi, & iterum reuertantur in idipsum, vt non tententur à satana propter incontinentiam. In cuius tentationem per incontinentiam quisquis eorum adulterando inciderit, antidoto salubris pœnitentiæ remedium pœnitendi, & per Ecclesiasticam auctoritatem consequi perfectionem valebit. Episcopos autem, Presbyteros, vel Diaconos, qui mortali crimine dixerint se esse pollutos, secundùm Valentinam Synodum, Can.4. à supradictis ordinationibus legimus submouendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolui potest qui in seipsum dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, cùm omnis qui sibi fuerit mortis causa maior homicida sit. Quam mortem sanctus Augustinus in sententia Deut.24.7. Deuteronomij, *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo accipiens pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui*, isto modo exponit dicens, Assiduè hoc dicit scriptura, cùm iubet occidi malos. Qua locutione vsus est etiam Apostolus 1.Cor.5.12. cùm diceret, *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? auferte malum ex vobis ipsis.* Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit vt excommunicatione dignus sit. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Sic & quod leges ciuiles ministerio reipublicæ morte condemnant, leges Ecclesiasticæ degradationis vel excommunicationis iudicio puniunt. In Africanis quoque canonibus legimus, *Vt Episcopus, qui se communicasse non communicandis super se mentitus fuerit, Episcopatum amittat.* Vxor autem à viro tali conludio separari non potest. Huc accedit quod superiùs paulo posuimus, Episcopus, Presbyter, vel diaconus absolui non potest, qui in se mortis causam dixerit, quæ dicta in alium puniretur. Quoniam hæc causa ab hac muliere, vt fertur, in se solam

non

non dicitur, quæ multo magis in fratrem refertur. Idcirco, pro tali dicto, antequàm & per eum vel confessa vel conuicta clarescat in quem relatiuè relabitur, separari non potest. Sed & Episcopus, presbyter, vel diaconus, non ita vt vir & vxor, si in laqueum & tentationem diaboli inciderint, per manus impositionem remedium possunt accipere pœnitendi: sed sicut Leo scribit, huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. nec perfectionem ad gradus redeundi Ecclesiasticos pœnitendo consequi præualebunt, sicut de viro & femina, si adulterauerint, communionis perfectionem consequi poterunt, scribente Gelasio, Huiusmodi etiam, si fortè subrepserint, tam qui antè peccauerint, detectos oportere depelli, quàm sacræ professionis oblitos, præuaricatorésque sancti propositi proculdubio submouendos.] & Siricius, Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.] Et sicut in aliqua corporis parte præcisus, aut publicè pœnitens, ad Ecclesiasticum gradum canonicè non potest accedere, vel in Ecclesiastico gradu manere: ita nec digamus, qui ante baptismum vel post baptismum inuentus fuerit, Ecclesiastici gradus munere potest perfrui, sacra auctoritate docente: cùm eadem auctoritas præcisos, vel publicè in adolescentia pœnitentes, siue nuptias digamiæ in laicali ordine non refutet. quoniam sicut aliud officium capitis, & aliud membri alterius pro diuersitate est corporis, ita alia causa est sacerdotis, & alia causa est plebis, aliáque pastoris, & alia gregis. Et secundùm auctoritatem canonicam, vir & mulier, etiam causa fornicationis seiuncti, possunt mutua reconciliatione post pœnitentiam in coniugio reiungi: Episcopus autem, vel presbyter, siue diaconus iustè & secundùm leges Ecclesiasticas degradatus, ad gradum non valet denuò adspirare. Legat qui voluerit magni Leonis epistolas, & decreta Gregorij, in quibus inueniet Episcopum, vel presbyterum, siue diaconum, post depositionem canonicam ad gradus Ecclesiasticos adspirantem exilio deportari, vel in monasterio sub pœnitentia debere detrudi. Est etiam, quia mulier viro non potest dare libellum repudij, & viro mulieri dare libellum repudij, quod Moyses & non Deus Euangelio teste permisit, Dominus ipse prohibuit. Et Paulo docente, non atramento sed spiritu Dei viui lex in cordibus iustorum est scripta, sacríque canones, vt docent Damasus & Leo, eodem Spiritu sancto sunt conditi, de quo scriptum est, *Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*, &, *Si quis spiritum*

Epist. xcv. cap. 2.

Epist. vi. post mediũ.

Epist. 1 ad Himerium.

Matt. 10. 20 Rom. 8. 9.

Christi non habet, hic non est eius. &, *Spiritus est Deus*, &, *vbi vult spirat.* &, *diuidit singulis prout vult.* Quorum auctoritate canonum, siue pro infirmitate animæ, siue pro corporis ægritudine, dato libello manu sua subscripto, ab Ecclesia, cui præsederat Episcopus, & à suo se potest, si voluerit, remouere officio, sicut B. Gregorius in suis multoties designat epistolis, veluti ad Marinianum Episcopum Rauennatium, & ad clerum ac plebem Ariminensium, nec non & ad Anatolium diaconum, & ad Ætherium Episcopum, atque ad Brunichildem reginam, sed & in Gallicanis canonibus de Potamio Bracarensi Archiepiscopo euidenter agnoscitur. Non autem legimus, vt femina, libello Synodali porrecto conuentui, à suo debeat coniuge separari, aut sine publico examinationis iudicio à coniugali valeat iugo disiungi. Sæpè enim cum maxima importunitate mulieres patimur reclamantes, quæ cum sacramento, quanto magis cum libello porrecto, adfirmare conantur, quoniam viri qui eas legaliter susceperunt illis non possunt concubitus reddere debitum, & alias multiplices imposturas opponunt. Illi verò econtrà eas mentiri asserunt, sicut in multis rei comprobat exitus. Sed & viri vxoribus plura, quæ hîc inserere turpissimum vel superfluum ducimus, solent obiicere. quibus si facilem præberemus adsensum, innumera separatorum turba instituti à Domino coniugij legalia fœdera violaret, quia si quocumque vt vellent modo, viri aut feminæ lasciuientes à iugo coniugij separari possent, vt aut aliis connubiis iungerentur, aut furtiuis mœchationibus polluerentur, libentissimè se mutuò separarent, sicut in adulescentulis viduis peruidemus, quæ ideò post absolutionem virorum velamen sacrum suscipiunt, vt licentiùs pluribus abutantur. Sed & interdum viri à legitimo se suspendunt coniugio, vt plurimarum complexus vsurpent concubinarum. Quæ Spiritu sancto præuidens, & cauere docens, inter cetera de huiusmodi loquens Apostolus dicit, *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse.* Vnde cautissimè ac prudentissimè auctoritatis Ecclesiasticæ disciplinalis prouidit discretio, vt ab officio sacri ministerij, conscientia testimonium perhibente, viri Ecclesiastici se remouere, & dignis pœnitentiæ fructibus possint insistere, quia in hoc negotio nullius voluptatis atque calliditatis potest interuenire occasio, sed solius humilitatis atque salutis deuotio. Vir autem & mulier, quoniam auctoritate sacra dicente, *Iam non sunt duo, sed vna caro*, secreta confessione, vel porrecto libello, separari non possunt, sicut scriptum est, *Quod Deus coniunxit homo non separet*, nec quocumque alio modo, nisi manifesta fornicationis causa. Et separati aut ita maneant, aut mutuò reconcilientur. Neque ita possunt disiungi, vt pars vnius corporis in viro vel femina seruiat continentiæ, & pars in pollutione remaneat. Possunt autem ex communi consensu magis coniuncti ab opere vxoreo feriari, vt perpetuo amore continentiæ Deo vacent.

1. Cor. 12. 11

1. Tim. 5. 14

Matt. 10. 9.

INTERROGATIO III.

De eo autem quod ſcriptum eſt, Sed & de venerabili Remorum Archiepiſcopo nobis eſt dictum, quoniam tali facto conſentiat, & per Epiſcopos, Wenilonem ſcilicet Rothomagenſem Archiepiſcopum & Hildegarium Epiſcopum, verbo vices ſuas impleuerit, & per Aduentium, qui cum eo Remis pro hac cauſa locutus fuerat, litteras conſenſus ſui ad placitum Regis, & ad conuentum Epiſcopalem direxerit, & per eundem Aduentium litteras ſuas exinde ad Apoſtolicam ſedem tranſmiſerit,] ratio reddi debet. Si enim Paſtor Eccleſiæ & Apoſtolorum primus, ſigna & miracula ſingulariter faciens, non dedignatus eſt in cauſa reprehenſionis, cur ad Gentiles intraſſet, & comediſſet cùm eis, cur eos in baptiſma recepiſſet, ſicut in Apoſtolorum actibus legimus rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus? Act. 11. 4.

RESPONSIO.

Vnde ego Remorum Eccleſiæ famulus omnibus credere veritati volentibus ſatisfacio, quia nec conſenſus, nec diſſenſus mei vices per præfatos, vel alios quoſlibet venerabiles Epiſcopos, in hac cauſa verbo ſiue ſcriptura impleui, quia nec cum prænominatis Epiſcopis poſt proximas Kalendas Nouembris, vſque ad tempus illud quando hæc geſta ſunt, fui locutus, nec ditionis meæ eſt, vt eis debeam auctoritatiuè quiddam iniũgere, niſi ſicut & illi mihi poſſunt caritosè quæ voluerint imperare. Aduentius autem venerabilis Epiſcopus, & filius meus Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, gratia viſitationis octauo Kalendas Februarias ad me Remis venerunt, & ex iuſſione Dominorum, atque ex nomine confratrum noſtrorum, ad conuentum Aquiſgrani palatio tunc proximè habiturum me, ſi pro infirmitate corporis poſſem, ire commonuerunt, ſin autem ire ipſe non poſſem, aliquem Coepiſcoporum noſtrorum, qui eorum tractatibus intereſſet, dirigerem. Vnde inter alia colloquentibus nobis, & etiam de his, quæ vulgante fama per laicorum, non ſolùm nobilium, verùm & plebeiorum ora audieram vxori domni regis Hlotharij reputari, vt ſi fortè proinde me & iuſſio principalis & vocatio ſacerdotalis ad conuentum ire iuberet tutius & rationabilius eſſet, vt ad generalem Synodum ventilatio & diffinitio huiuſce rei, quæ nouitate ſua audientium aures, aut penè tinnire, aut facit penitus continere, ex integro differretur, quia nec ego ire infirmitate corporis præpeditus, nec coepiſcopum Diœceſeos noſtræ ſine conſenſu prouincialis conuentus valerem dirigere, nec cauſa, quæ ſic generaliter ad omnes pertinet, cum pauco Epiſcoporum numero diffiniri deberet. Inſtante autem domno Aduentio tantùm vt irem, vel coepiſcopum noſtrum mea vice dirigerem, & illic cauſa nobis aperiretur, pro qua

vel meæ exiguitatis persona, vel legati prouinciæ nostræ præsentia rogabatur, vespertina hora terminum conlationi imposuit, & nec à me interrogatus secretam causam, quam præmissus libellus significat, nec spontaneus mihi aperiens, quia fortè illam esse recognoui, quam vt præmisi audieram, & de qua plurimos Episcopos, quando iudicium purgationis exinde factum est, consultos didiceram, quámque, vt dicitur, etiam feminæ in textrinis suis reuoluunt. Interlucano adpropinquante nocturno, venerandus Aduentius ad suum diuertit hospitium, & Hincmarus Laudunensis Episcopus se in notam mansionem recepit. Ego autem vt infirmus lecto decumbens, postquam meliùs habere cœpi, propter quædam tunc mihi in mentem venientia, quoniam religiosus Aduentius mihi non dixerat, quare vocarer ad Synodum, & ego multipliciter de quæstione impacta feminæ cum eo locutus fueram, suspicans vt prædixi, quòd hæc ipsa quæstio causa vocationis posset existere, fore melius cogitaui, vt litteras ei de pridiana conlocutione nostra dirigerem, quarum exemplar quisque volet hîc potest relegere.

Hinmarus nomine non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri, & venerabili Episcopo Aduentio plurimam in Saluatore salutem.

DE *mihi impræmeditata isto in tempore quæstione, de qua iam talia ac tanta audieram, vt de ea modò nihil me auditurum putauerim, plurima heri, quantum mea permisit infirmitas, mutua sermocinatione locuti, tandem sicut melius & rationabilius nobis visum fuerat, finem eidem causæ, vt Synodo generali seruetur, posuimus. Sed sicut iam vesperi, parum vos pro tempore tetigi, vnde nunc expressiùs vestram fidissimam commonendo benignè satagere deprecor caritatem, quoniam secundùm iussionem dominorum, & vocationem consacerdotum, ipse infirmitate detentus ad conuentum vestrum ire non valeo, aut vice mea quemquam Coepiscoporum, more canonico regulari conlatione instructum, & prosequentibus litteris commendatum, mittere nequeo, quia instantia missionis & breuitas temporis, non permittit vt dominos & Coepiscopos meos in talibus consulam, sine quorum consultu, vt meliùs ipsi nostis, nihil, nisi quantum ad parochiam propriam pertinet, agere à venerandis regulis mihi permittitur, contra quas non sine vltionis periculo quiddam præsumitur, timeo ne domnus Rex putet meam debitam seruitutem se ab obsequio suo velle suspendere, & venerandi Episcopi suspicentur, si quid secundùm sacras regulas diffinierint, cupere quod mihi non conuenit retractare. Vnde vestra dilectio, quæ meam deuotionem ore ad os conloquens didicit, sicut de vestra bonitate confido, sine scrupulo aliquo me faciat excusatum, quia sicut salubriùs sensi, sapientiæ vestræ exposui, & tantillus homuncio in re tam maxima, & personis eminentissimis, de qua à tantis viris talia acta sunt, & ex*

qua tanti ac tales consulti sunt, sine plurimorum conlatione, consultu, siue consensu, & antequàm de huiusmodi scripturarum auctoritates & patrum decreta reuoluam, ita sententiam finitiuam depromere vel consensum non audeo adhibere, vti quicquid à vobis diffinitum regulariter fuerit, vel meliùs ac rationabiliùs quàm mihi visum sit, à Deoplacito conuentu vestro fuerit terminatum, priusquàm id audiam, laudare vel retractare non debeo. Quapropter in calce huius nostræ exiguitatis schedulæ, non mea sed magni Leonis verba ad Rusticum Narbonensem Episcopum ponere dignum duco. Vt in his, inquit, quæ vel dubia fuerint, vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum. *Peto denique vestram amabilem caritatem, vt pro excusatione mea in vestro sancto Concilio verbis vestræ prudentiæ iungatis huius diplomatis lectionem.*

Leo epist. xcv.

Processu denique temporis isdem domnus Aduentius ad me missum suum direxerat, per quem ei has iterum litteras destinaui.

Hincmarus Remorum Episcopus, dilecto fratri & venerabili Episcopo Aduentio plurimam in Saluatore salutem.

ET post quædam præposita ex negotio, pro quo missum suum direxerat, *Ceterùm licèt mihi nihil inde significassetis, coniicio legationem vestram, in qua vobis, sicut Deo gratias prudentia vestra vos docet, satis cautè & prouidè est necesse incedere, quia talis est causa, & in tam eminentissimis personis, & in huiusmodi ordine, quæ ab omnibus erit vt necesse cognosci, ita etiam ponderari: quoniam, vt Cælestinus scribit, vniuersalis Ecclesia quacumque nouitate pulsatur. Est enim iner Regem regum, & Regem terrenum, in lege prima primo homini in paradiso data, & à Deo & homine in Euangelio roborata. Est etiam de causa nobis hactenus inaudita, ex qua subtiliter necesse erit auctoritates sacras reuoluere, & leges Christianas interrogare, Pontificalem auctoritatem in suî examinatione sincero & cauto gressu incedere, & quemque Christianum à recto itinere non deuiare. Oportebit vos siquidem Apostolico talia intimare, quæ ex corde & ore veraciter prolata, sicut scio quoniam facietis, diuinis oculis debeant apparere, & vt nemo aliter postea valeat inuenire, de nullorum consensu, siue Episcoporum, vel quorumlibet laicorum, pro cuiuscumque obtentus intentione Apostolicæ sedi suggerere, nisi de quorum scitis tractatu causam constare. ita nihilominùs quæ iniuncta sunt exequi, vt quantum fieri poterit, seniorem vestrum non possitis offendere, & præcipuè quod egeritis sacris regulis non debeat obuiare, vel quod absit diuinæ æquitati atque iustitiæ contraire. Hæc, licèt ex superfluo, sapientiæ vestræ scribo, quia carum vos habeo, & mihi dignati estis promittere, quòd fidei vestræ me cum securitate possem committere, & à me voluistis exigere vt deuotionem meam vobis studerem rependere.* Alias autem litteras nec sedi Apostolicæ, nec cuiquam Episcoporum, hactenus pro hac causa transmisi.

INTERROGATIO IV.

SECVNDO capitulo nobis remandari deposcimus, si de commisso post initum coniugium reputatur, qualiter debeat iniri coniugium, qualisque lex habeatur coniugij, & qualiter vel pro quibus rebus valeat separari: & si post disiunctionem, vtrum vir aut femina ad aliam debeat copulam adspirare, vel si pari iudicio quiscumque eorum in coniugio peccans debeat iudicari.

RESPONSIO.

QVIA verò in præmissi libelli, vt ostendimus, octauo capitulo scriptum habetur, vt argumenta hactenus latentis causæ percipientes errorem expellamus, & verum statuamus: & argumentum esse legimus, quod licèt nondum sit, fieri tamen potest, & de coniugio agitur, ante quod sæpè ab humana fragilitate delinquitur, sæpè in ipso ineundo coniugio, sæpè autem post initum coniugium, grauiori noxa peccatur. ab ipsa radice incipientes, ponamus qualiter debeat iniri coniugium, deinde legem coniugij ostendamus, pòst autem si in coniugio peccatur, iudicium & iudicij ordinem demonstremus. vt quoniam peccatum malum est, & malum natura non est, ac per hoc substantiale non est, sed in boni substantia coalescit, & vt accidens infirmitas medicina depellitur, cùm regula, videlicet incolumitas naturalis, & medicina infirmitatis posita fuerit, deprehendetur certiùs tortitudo atque accidens læsio; argumento quasi hactenus latentis causæ percepto, errorem expellere, & verum faciliùs statuere præualebimus.

Qualiter coniugium iniri debeat, & vetus & noua lex edocet, Domino per Moysem præcipiente, & in Euangelio demonstrante, Cùm esset, inquit, desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam nuptiali celebratione conuenirent, sicut in nuptiis celebratis idem ostendit, quas sua præsentia sanctificare, & miraculo ibidem patrato inlustrare dignatus est, sed & sanctus Euaristus Papa Romanus quartus à beato Petro in decretalibus ad locum ita scribit, Similiter custoditum & traditum habemus, vt vxor legitimè viro iungatur. Aliter enim legitimum, vt à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis eorúmque successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranymphis, vt consuetudo docet, custodita & consociata, à proximis tempore congruo petita, legibus dotetur, & solemniter accipiatur, & biduò vel triduò orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt bonæ soboles generentur, & Domino in actibus suis placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios,

Matt. 1. 18.

Epist. 1. in principio.

ſed legitimos atque hereditabiles generabunt. Quapropter filij cariſſimi & meritò illuſtres, fide catholica ſuffragante, ita peracta legitima ſcitote eſſe coniugia. Aliter verò præſumpta, non coniugia, ſed aut adulteria, aut contubernia, aut ſtupra, vel fornicationes, potiùs quàm legitima coniugia eſſe non dubitate, niſi voluntas propria ſuffragauerit, & vota ſuccurrerint legitima. Nam fructus diuinus eſt præcepta diuina cuſtodire. Ea quoque deſerere, præſumptionem fieri nulli dubium eſt.] Cur ergo indignum eſt vnitatem Eccleſiæ cuſtodiri? Idèmque omnes pariter & ſentiamus & pronuntiemus. Si enim aliter præſumpta fuerint, perdunt profectò ipſi tranſgreſſores ſeipſos, qui ſemetipſos decipiunt. Sed & de eiuſmodi genere coniugij Angelus ad Ioſeph ait, Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, id eſt, deſponſatam. Et beatus Siricius Papa in decretis ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, capitulo quarto ita dicit, Quòd non liceat alterius ſponſam in matrimonij iura ſortiri. De coniugali autem violatione requiſiſtis ſi deſponſatam alij puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus. quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cuiuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi vlla tranſgreſſione violetur.] Ex Concilio Ancyrano capite decimo, De deſponſatis puellis, & ab aliis corruptis. Deſponſatas puellas, & pòſt ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis inlata conſtiterit. Vnde etiam ſæpenumerò & pluripliciter in ſanctorum diffinitionibus legimus: ſed ad oſtendendum iſtius genus coniugij, ſatis ſupérque iſta ſufficiunt.

Matt.1.20.

Epiſt.1.

Quia verò ſecundas nuptias non damnamus, immò recipimus, aliud genus coniugij & Apoſtolo docente ſuſcipimus, & ſancto Leone Papa in decretis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, qualiter iniri debeant, monſtrante cognoſcimus. Ait enim capite decimo octauo, Non omnis, inquiens, mulier viro coniuncta, vxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales, & multo priùs hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani iuris exiſteret. Itaque aliud eſt vxor, aliud concubina: ſicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandum harum perſonarum diſcretionem, teſtimonium ponit ex Geneſi, vbi dicitur Abrahæ, *Eiice ancillam & filium eius. non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita ab initio cõſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimoniũ, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Igitur ſi quis filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonio dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam coniugato dederit, niſi fortè illa mulier

Epiſt.xcv.

Gal.4.30.

Gen.21.10.

&ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres quæ à viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina. & ancillam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij, sed profectus est honestatis.] Et sanctus Ambrosius in libro de lapsu virginis dicit, quia inter decem testes confectis sponsaliis, & nuptiis consummatis, quæuis viro femina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium.] Sed & quia extra ordinarios, ordo non prætermittit Ecclesiæ, quin aut resipiscentes recipiat, aut contemnentes abiiciat, de multinubis in Concilio Neocæsariensi capite tertio ita scriptum est, De his qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifestum est, sed conuersatio eorum & fides tempus adbreuiat.] Euenit etiam per bellicam cladem, & grauissimos hostilitatis incursus, vt vxor viri capti alteri coniungatur. rapiuntur quoque contra fas & iura viduæ vel virgines, ac sanctimoniales, vnde medicinæ sacris designantur canonibus, quæ hîc ponere non necessarium ducimus. Ecce quibus modis sociantur coniugia, vel contubernia vsurpantur.

Cap. v.

INTERROGATIO V.

QVALITER, vel pro quibus rebus, secundùm auctoritatem inita coniugia separari valeant, & sine quibus separari non debeant, & si post disiunctionem, vir aut femina vterque viuens ad aliam debeat copulam adspirare, vel si pari iudicio quiscumque eorum in coniugio peccans debeat iudicari.

RESPONSIO.

PRIMÒ, qui secundùm Euangelicam admonitionē, vt B. Augustinus in libro De bono coniugali dicit, amore fit salutis æternæ, vbi tanto meliùs quanto spiritaliùs seruatum quàm dissociatum coniugium dicitur. Et S. Augustinus in libro quinto contra Iulianum dicit, Dixit, inquiens, Lucas Euangelista de Domino, quòd putabatur filius Ioseph, quia ita putabatur, vt per eius concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit remouere opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem contra Angelum testem. quamquam & tu ipse etiam ex desponsionis fide eam nomen coniugis accepisse fatearis, quæ fides vtique inuiolata permansit. Neque enim, cùm eam vidisset iam virginem sacram, diuina fœcunditate donatam, ipse aliam quæsiuit vxorem, cùm vtique nec istam quæsiisset, si necessariam coniugem non haberet. sed vinculum fidei coniugalis non ideò iudicauit esse soluendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est.]

Luc. 3. 23.

Secundò æquè secundùm Euangelicam veritatem, causa fornicationis. vnde istiusmodi medicina in canonibus Ancyrani Concilij adhi-

Can. 19.

adhibetur, Si cuius, inquiens, vxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi, secundùm pristinos gradus. Et de eorum separatione in Concilio Africano capite sexagesimo nono ita scriptum habetur, Placuit vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur: quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.] Deinde auctoritas sequitur, Vt quocumque modo legitimè inita coniugia separentur, non sine sacerdotali conscientia, & absque legali iudicio debeant separari.] Item in Concilio Eliberitano, Femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & adulterum ducit, prohibeatur ne ducat: si duxerit, non priùs accipiat communionem, nisi is quem reliquit, priùs de sæculo exierit: nisi si fortè necessitas infirmitatis dare compulerit.] Similis sententia, & de viro tenenda est, quia vt Innocentius ad Exuperium Tolosanum Episcopum, & Augustinus in libro De decem chordis, & Hieronymus in epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ scribunt, sub vna iudicij diuini lege tenentur si quacumque de causa dissocientur.] Vnde Innocentius ad Exuperium Tolosanum Episcopum capitulo septimo, De his etiam requisiuit dilectio tua, qui interueniente repudio alij se matrimonio copularunt, quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel vxore viuente, quamuis dissociatum esse videatur coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum vt etiam hæ personæ, quæ talibus coniunctæ sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundùm illud quod legimus in Euangelio, *Qui dimiserit vxorem suam & duxerit aliam, mœchatur: similiter & qui dimissam duxerit, mœchatur.* & ideò omnes à communione fidelium abstinendos. De parētibus autem, vel propinquis eorū, nihil tale statui potest, nisi incentores inliciti consortij fuisse detegantur.] Et S. Ambr. in lib. De Abraham, Vos moneo viri, maximè qui ad gratiam Domini tenditis, non commisceri adulterino corpori: qui enim se iungit meretrici vnum corpus est. nec dare hanc occasionem diuortij mulieribus. Nemo sibi blandiatur de legibus hominum, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in ea, quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine. Ergo aduertitis, quid debeatis cauere, ne quis sacramentis se indignum præbeat.] Cap. XXV. Concilij Agathensis, de his qui sine causa vxores suas relinquunt, ita scriptum est, Hi verò sæculares, qui coniugale consortium nulla culpa grauiore dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas discidij probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, vt aut aliena, aut inlicita præsumant: si antequàm ad Episcopum prouincialem disci-

Can. 9.

Matt. 19. 9.

dij causam dixerint, & priùs vxores, quàm iudicio damnentur, abiecerint, à communione Ecclesiæ, ac sancti populi cœtu, pro eo quòd fidem coniugij maculant, excludantur.] Et item in Concilio Eliberitano, Feminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerint viros suos, & aliis copulauerint, nec in finem accipiant communionem.] Sunt & aliæ incestæ coniunctiones, earúmque separationes, atque iudicia, de quibus hîc loqui festinantes ad alia supersedimus. De quibus cuncti legentes agnoscant, quia non ideò sancti & Apostolici viri, successores videlicet Apostolorum, ex eorum traditione leges statuerunt, quas hîc posuimus, vt nemo fidelium iuxta diuinam auctoritatem initum dissoluat coniugium sine Episcopi sui scientia, vt leges sæculi Christianas contemnamus, ac conculcare velimus, quas etiam in Ecclesiasticis necessitatibus promulgari sæpè soleat ab Imperatoribus & Regibus Ecclesia postulare, quarúmque sententiis in suis iudiciis simul cum sententiis canonum Episcopalis auctoritas frequentiùs vtatur, & in tantum acceptet, vt Damasus & Leo, atque sanctus Gregorius, legum sententias fecerint esse canonicas, sicut in eorum inuenitur epistolis, & commonitoria ad Ioannem Defensorem euntem in Hispanias beatus Gregorius de sacris ordinibus per totum ex legalibus confecerit institutis. Vnde & cum aliis, per curricula temporum varia, Regibus atque Imperatoribus iura legalia decernentibus, nostri etiam æui Augustus piæ memoriæ Hludouuicus, in Synodo ac placito generali apud Wormatiam, Apostolicæ sedis & Papæ Gregorij commeante legato, cum aliis plurimis, de his, quæ Episcopi in Synodis per quatuor loca sui Imperij habitis necessariò & vtiliter nuper inuenerant, de hac vnde agitur causa omnium, tam Episcoporum, quàm & fidelium laicorum, votis conuenientibus, ita decernens, Quicumque, inquit, propria vxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit vxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.] Christus quoque Dei virtus, & Dei sapientia per se ipsam dicat, *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Sed ideo has leges & illi Christi vicarij, Apostolorúmque successores constituerunt, & nos qualescumque ad vices illorum Dei præsidentes Ecclesiæ, hîc illas posuimus, vt sicut illam benedictionem, quam Dominus primò dedit in paradiso Adam & vxori eius, dicens, *Crescite & multiplicamini.* quæ semel data vsque hodie & vsque in finem, non solùm fidelibus, verùm & infidelibus non negatur, sacerdotum ore ad sanctificationem, quam Christus nuptiis, vbi de aqua vinum fecit, sua præsentia contulit, fidelibus & deuotis viritim largitur, ita sine illorum scientia per Deum, quia permi-

Lib. XII. epist. 31.

Prou. 8, 12.

Gen. 1, 28.

nisterium illorum coniuncti, legibus sæculi, quæ Dei iustitia sanctificantur qua iustus quisque efficitur, non separentur, & si propter Deum separantur spiritaliter à carnali commixtione, vt adhærentes Domino vnus efficiantur spiritus, velut Paulus de multis in Ecclesia constitutis, inter quos quidam publicani & meretrices, homicidæ fuerunt, & adulteri, loquitur, *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*, cùm sacerdotalis conscientiæ benedictione pleniùs Domino coniungantur. Si autem & lege ciuili iusta & sancta ac Dominico præcepto concordante, propter fornicationis peccatum, quod humanæ fragilitati solet subripere, coniuges fuerint separati, Episcopalis curæ quæsierint medicinale consilium, vt sciat Episcopus quomodo iuxta qualitatem & quantitatem vulneris, modum, ac virtutem, adhibere debeat curationis medicamentum. Sic namque Dominus semel in cœna, pridie quàm pro reparatione & salute omnium qui in Adam perierant pateretur, de pane farina & aqua confecto, & calice sacrosancti altaris, qui aqua miscetur, Eucharistiam suis manibus benedixit, & ore commendauit, quam quotidie in omni catholica Ecclesia longè latéque per orbem diffusa, indeficientibus eisdem suis verbis, per manus & ora sacerdotum, in redemptionem & reparationem atque salutem credentium consecrat. à cuius communione viuifica peccantes publicè grauibus criminibus, quæ leges condemnant publicè, medicinali ferramento sacerdotes abscidunt, & post satisfactionem, vt congruere viderint, salutari refectione redintegrare procurant. Quoniam Ecclesiæ medici spiritales, videlicet Domini sacerdotes, de secretè sibi confessis peccatorum infirmitatibus medicinalia atque salubria possunt dare consilia: iudicio autem Ecclesiastico, id est, separatione à communione Ecclesiæ, vel à gradu, siue à consortio coniugali, neminem rationabiliter possunt secernere, nisi de criminibus aut publicè sponte confessum, aut apertè conuictum. Et habet modum & ordinem suum confessio vel conuictio in Ecclesiasticis gradibus, quæ hîc ponenda non ducitur: & habet modum ac ordinem suum publica confessio vel conuictio sæcularium hominum, quo publicè debeant iudicari. Non quo crimina grauia non soluantur etiam secreta confessione ac pœnitentia, ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitùs ignorant causas: sed quod plurimorum constat perpetratum notitia, fiat sanatum scientia, & qui in Ecclesiæ peccauit sinceritatem, illi debitam exhibere studeat satisfactionem, & qui plures, quantum ex se fuit, suo destruxit exemplo, plures sanet suæ humilitatis antidoto, sicut de se Paulus dicit, *Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus*. Et, *videbant*, inquiens, *quoniam qui prius expugnabat hanc fidem, isdem nunc illam prædicat, & in me glorificabant Deum*. Est etiam, vt qui in pluribus Deum offendit, pluribus pro eo Dominum deprecantibus citiùs remedium

2. Cor. 11. 2

1. Tim. 1. 13

Gal. 1. 23.

Lib. xii. epist. 32. consequatur, sicut sanctus Gregorius ad Felicem Siciliensem Episcopum scribit. Sunt enim inquiens, mali segregandi à bonis, & iniqui à iustis, vt saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, & conuertantur à prauitatibus suis, & si incorrigibiles apparuerint, segregentur à fidelibus vsque ad satisfactionem, iuxta Saluatoris Domini Matt. 18. 15. sententiam, qua inter cetera de peccante fratre præcipiendo ait, *Si peccauerit in te frater tuus*, vsque ad id quod dicitur, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. His ergo & aliis multis sanctorum patrum auctoritatibus, segregandi sunt mali à bonis, ne pereant iusti pro iniu- Eccle. 7. 16. stis, sicut scriptum est, *Perit iustus pro impio*. Debet enim semper discretio fieri inter bonos & malos, sicut est inter hœdos & oues. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correptione purganda, sed palàm sunt arguendi qui palàm nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur, & melius est vt pro multorum saluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cùm & inter iumenta fieri persæpè cognouimus, vt ea quæ scabiem vel impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Satius est enim vt mali manifestè corrigantur, quàm pro illis boni pereant.]

Hæc ideò dicta sint, cur leges posuimus, vt coniugati siue amore Dei, siue admissione peccati, cum sacerdotali conscientia separentur, vnde benedictionem ineundi acceperunt coniugium. Sed quia de separatione viri & vxoris nunc agitur, quæ non fit amore perpetuæ continentiæ, nec adhuc aperto vt dicitur crimine, sed quadam suspicione, necesse est vt per illius ordinis viros, videlicet per coniugatos, hæc ratio ventiletur, & secundùm leges Christianas à Deo dispositas æquissimo examine iudicetur ac terminetur, & vbicumque in hoc negotio locum suum inuenerit vel sacerdotalis pietas, vel auctoritatis Ecclesiasticæ medicinalis seueritas, sine difficultate cum Ecclesiæ filiis, & iustitiæ iudicibus, non solùm se offerat, verùm & ingerat. Et quoniam scriptum Prou. 22. 28 est, *Ne transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui*, quorum imitanda exempla nobis sunt vera doctrina, ad memoriam reuocare necessarium duximus, quoniam quidam nostrûm, tempore sanctæ memoriæ domni Hludouici pij Augusti, in Attiniaco palatio tunc fuerunt, quando in vniuersali Synodo totius Imperij, etiam cum sedis Romanæ legatis, & in generali placito, femina quædam non ignobilis genere, nomine Northildis, de quibusdam inhonestis inter se & virum suum vocabulo Agembertum, ad Imperatorem publicè proclamauit: quam Imperator ad Synodum destinauit, vt inde Episcopalis auctoritas quid agendum esset decerneret. Sed Episcoporum generalitas ad laicorum ac coniugatorum eam remisit iudicium, vt ipsi

inter illam & suum coniugem iudicarent, qui de talibus negotiis erant cogniti, & legibus sæculi sufficientissimè prædıti, eorúmque legalibus iudiciis eadem femina se subiiceret, & quod de quæstione sua decreuissent, sine repetitione teneret: si verò crimen aliquod esset, inde pœnitentiæ modum, post illorum iudicium, ab Episcopali auctoritate deposceret, secundùm quod sacri canones præfixerunt, ei imponere non negarent. Nobilibus autem laicis sacerdotalis discretio placuit, quia de suis coniugibus eis non tollebatur iudicium; nec à sacerdotali ordine inferebatur legibus ciuilibus præiudicium; & legem proclamationi feminæ protulerunt, ac legali iudicio quæstioni terminum contulerunt. Sic & hanc causam, quæ de personis excellentissimis ventilatur, in medium iudicij sui deuocent, & secundùm quod viderint æquitatis iudicio conuenire diiudicent: hoc solertissimè cognoscentes, quia legaliter initum coniugium nulla potest ratione dissolui, nisi, vt præmisimus, coniuncta separatione spiritali, aut manifesta confessione, vel aperta conuictione, ex corporali fornicatione, Quia, vt beatus Augustinus in libro De bono coniugali dicit, nec pro ipsa etiam sterilitate licet vxorem viro, vel vxori virum dimittere, nec causa filiorum, pro quibus vxor ducitur, se aliis copulare: quòd si fecerint, cum quibus se copulauerint & ipsi committunt adulterium. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur.] & item in eodem libro, Sicut ergo satius est mori fame, quàm idolothytis vesci, ita satius est defungi sine liberis, quàm ex inlicito concubitu stirpem quærere.] Et in libris ad Pollentium de adulterinis coniugiis, multoties & frequentiùs inculcatum lector inueniet, quia vir ab vxore, & vxor à viro separari non potest, nisi sola fornicationis causa, possunt autem ea separari, ita tamen, vt aut innupti permaneant, aut inuicem reconcilientur.] Et sanctus Hieronymus in commento Matthæi, Dicunt Domino, inquit, discipuli eius, *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Graue pondus vxorum est, si excepta fornicationis causa, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si iurgatrix, & maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, tenenda erit. Cùm enim essemus liberi, voluntariè nos subiecimus seruituti.] Et item in epistola ad Amandum presbyterum, Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissimè definiuit, viuente viro adulteram esse mulierem, quæ alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum cateruas, seruorum insidias, atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu viuit vir, licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec hoc

Cap. xv.

Cap. xvi.

Matt. 19. 10

Epistola CXLVII.

1. Cor. 7.

Apostolus propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, qui ait in Euangelio, *Qui dimittit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimissam acceperit, adulter est.*] Huic Euangelicæ veritati & Apostolicæ doctrinæ hoc modo concordant Innocentius, Leo, & Gregorius Apostolici, Africanum quoque Concilium, Ambrosius, Ioannes Constantinopolitanus, Origenes in emendatis à beato Hieronymo libris, Beda presbyter venerabilis, cunctíque doctores catholici. Vnde si dominicum & tam euidens præceptum non esset, vt etiam Paulus interrogatus de virginibus dans consilium, de hoc quiddam immutare nequaquam præsumpserit, dicens, *De vxore*, inquit, *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: aut talis esset locus scripturæ, vt aucto res inde diuersa licèt fidei non aduersa sentirent, sicut in canonibus habemus, plurimorum & maioris auctoritatis sequeremur sententiam. Nunc autem aliter sentire vel consentire non possumus, nec debemus, nisi sicut in litteris diuinitùs inspiratis relegimus. Sanctus siquidem Paulus fornicatores & adulteros idolis seruientibus iunxit, dicens, *quia regnum Dei non possidebunt*, & cum his nec cibum sumere iussit. & item scripsit, *Quia fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Sed & ipsi viri, qui vt ostendimus pari legis iudicio sicut & mulieres apud Deum tenentur, si adulterauerint, & tanto etiam grauiori pœna damnentur, quanto capita & rectores sunt mulierum, fragilioris scilicet sexus & vasis infirmioris, licentia indebita non debent præsumere, vt vxores suas adulterantes damnent sine iudicio, dicente in lege Domino de seruo, qui pecunia domini sui est, *Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.* Vnde & sacri canones, si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennij effusionem sanguinis præcipiunt expiare: &, si domina ancillam flagellis verberauerit, & inde mortua fuerit, si voluntate hoc accidit, post septem annos, & si casu, post quinquennij tempora ad communionem præcipit eam admitti, seruata auctoritate de viatico munere, quod nulli est etiam in vltimo spiritu denegandum.] Si igitur in domo vniuscuiusque Christiani tanta æquitas & bonitas etiam erga seruilem conditionem seruanda est inter dominum & seruum, quanto maior & vberior ac plenior custodienda est inter maritum & vxorem, inter virum & coniugem, inter caput & corpus? quoniam, sicut Apostolus docet, vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis: ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Attendat vir Christianus, si pes vel manus, aut genitale, vel quodcumque aliud membrum putrescere, vel cancro comedi cœpe-

Matt.19.9. 1.Cor.7.10 1.Cor.6.9. 1.Cor.5.11. Heb.13.4. Exod.21.20. Concil. Agath. can.XXII. Conc.Elib. can.5. Ephes.5.22.

rit, cum quanta diligentia & inſpectione ac iudicio medici, illud aut ſuſtinebit vt ſanari valeat, aut à ſe abſcidet ſi ſanari nequiuerit, & ita de membro, immo de corpore, id eſt, de vxore ſua faciat. Vnde rurſum idem Apoſtolus dicit, *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Certè enim Apoſtolicis viris tanta inter virum & vxorem, & tam præcipua atque excellens dilectio commendatur, ſalua tamen in ipſo coniugio prælatione viri, & ſubiectione feminæ, vt in illa coniunctione ſemel à Deo inſtituta, & legitimè conciliata, maior eſſe nec debeat, nec poſſit. Quid enim venerabilius quàm vt coniugium myſterium ſit Chriſti & Eccleſiæ? Quid ſanctius quàm vt ſic diligant viri vxores ſuas, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, tradens ſeipſum pro ea, vt illam ſanctificaret atque mundaret? Quid carius atque coniunctius, quàm vt vir caput ſit mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ ipſe ſaluator corporis? Qui etiam in Euangelio de hac coniugij vnitione teſtatur dicens, *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Erunt enim*, inquit, *duo in carne vna.* Addit adhuc Apoſtolus dicens, *Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Si ergo viri erga vxores ſuas non debent eſſe amari, quanto minus ſæui, crudeles, cruenti, nullam eis ſeruantes legem, nullam rationem, nullum iudicium, quod etiam erga ſeruos Chriſtiana religione cuſtodiendum eſt, ſed mox vt eis placuerit, indignatione & furore impio concitati, tamquam ad macellum illas duci faciant laniandas, & coquorum ſuorum gladiis more veruecum atque porcorum mactari præcipiant, vel ipſi etiam manu & mucrone proprio eas trucident, nequaquam ſemetipſos ad imitationem domini noſtri Ieſu Chriſti tradentes pro eis, vt illas ſanctificent & mundent: ſed potiùs zelo libidinis ſuæ ipſas in æternum diſperdentes, & ſe earum ſanguine impiè polluentes, cùm in huiuſmodi cauſa tanto iuſtiùs expectandum eſſet legitimum iudicium, quanto faciliùs maritali zelo poteſt perpetrari homicidium? Ex his nonnulli tam immites, & non humanæ affectionis, ſed beluinæ immanitatis inueniuntur, vt prioribus vxoribus ex ſuſpicione adulterij, nulla lege, nulla ratione, nullo iudicio, ſed ſola ſua animoſitate, & crudelitate, vel libidine ad aliam vxorem vel concubinam tendente, occiſis, adhuc ſanguine recenti madentes, non ſolùm nulla pœnitentia compuncti, aut aliqua humilitate Deo & Eccleſiæ ſatisfacientes, ſed exultantes in ſuperbiis ſuis, incunctanter ad altare Chriſti accedant, & indifferenter ſacra myſteria contingere præſumant. De quibus myſteria ſua accipientibus ſemper dicit Chriſtus quod dixit de Iuda, *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.* cùm ſine ſuo mortali periculo de peccantibus vxoribus poterant abſolui iudicio, quod illi non expectantes, ſed diuinæ legis præuenientes iudicium, incurrunt in dam-

Ephes. 5. 25.
Matt. 19. 5.
Col. 3. 19.
Luc. 22. 21.

nationis iudicium. Defendant se quantum volunt qui eiusmodi sunt, siue per leges, si vllæ sunt, mundanas, siue per consuetudines humanas. Tamen si Christiani sunt, sciant se in die iudicij nec Romanis, nec Salicis, nec Gundobadis, sed diuinis & Apostolicis legibus iudicandos. Quamquam in regno Christiano etiam ipsas leges publicas oporteat esse Christianas, conuenientes videlicet & consonantes Christianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres species diuidit omnia, quæ homines in mundanis rebus subdita habere vel possidere videntur, cùm in Decalogi præceptis definit & dicit, *Non desiderabis vxorem proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non ouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* In quibus verbis sine dubio aliter consideranda est dignitas vxoris, aliter conditio seruorum & ancillarum, & aliter vilitas brutorum animalium, siue insensibilium rerum, & ideo omnia ista suis meritis tractanda, suis gradibus discernenda ac iudicanda sunt. Hæc dicimus, vt considerent qui eiusmodi sunt, quia inordinato ordine viliorem apud se teneant conditionem vxorum, quàm seruulorum. & si de seruo absque conscientia iudicis occiso dominus eius homicidij reus existit, nec effusionem sanguinis nisi per pœnitentiam potest expiare, quid de coniuge sentiendum sit. Non autem hoc dicimus, vt iudicia debita conculcemus vel prohibeamus, sed illa potiùs expeti, & sequi hortemur, cùm sciamus legem Dei, qua omnis Christianus in die iudicij iudicabitur, vt recipiat secundùm opera sua, nullum reum, nec ipsos adulteros, vel adulteras puniri permittere, nisi sub legitimis iudicibus & testibus, quos etiam publico iudicio à populo lapidari præcepit. Vnde & Susanna, cùm falsò adulterij crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Et mulier in adulterio veraciter deprehensa, primùm iuxta legem ad Pharisæos, qui potestatem iudicij in populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, qui non iudicium abnuit, sed fieri iustè, & à iustis præcepit.

Exod. 20. 7.
Dan. 13.
Ioan. 8.

Quapropter, si quæcumque mulier in adulterio deprehensa, de lege Moysi, quam Dominus in testamento veteri promulgauit, vel de Christianorum legibus publicis, quas amplectitur sancta Ecclesia, ad Episcopale iudicium venerit, medicina est manifestissima atque sufficientissima, & salubri Apostolicorum traditione virorum confecta, qua sine vllo ambiguitatis errore, diuina gratia & Ecclesiastica pietate medicari valebit.

INTERROGATIO VI.

Tertio capitulo nobis remandari precamur, si de stupro, & aborsu, præfata femina denotatur, vnde iam egit iudicium, quid vo-

vobis ex eodem iudicio videatur, quoniam quidam dicunt nullius esse auctoritatis, siue credulitatis iudicium, quod fieri solet per aquam calidam, siue frigidam, neque per ferrum calidum, sed adinuentiones sunt humani arbitrij, in quibus sæpissimè per maleficia falsitas locum obtinet veritatis, & ideò credenda esse non debent. Sed & de purgatione sacramenti quid vobis videatur, cuius auctoritatis sit, nobis rescribi deposcimus, & vtrum verum esse possit, quod quidam dicunt, quia pro secreta confessione, quam ipsa femina fecit, sicut & testis est qui illam suscepit, vicarius ipsius in iudicium exiens incoctus euasit. Sed & dicunt, quia intentio illius feminæ fuit de alio eiusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium misit, & idcirco se in eodem iudicio non coxit. Nec non, & si in iudicio, vel in sacramento, fraus quæcumque reperta fuerit post datam purgationem, vtrum causa in iudicio, vel sacramento purgata, in iudicium debeat legale reduci.

RESPONSIO.

At si de stupro & aborsu ante initum coniugium agitur, de quibus præfatam feminam reputari comperimus, veniendum est priùs ad examinationis iudicium, quo eam quasi purgatam audiuimus, & sic demum ponamus ex aliis quæ sentimus, vt sic hæc fortasse rata est ducenda purgatio, sine vlteriore labore quæstio conquiescat, & si irrita & iustè rationabiliter fuerit comprobata, quæstionis pelagus repetamus. Nam sicut Paulus dicit, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quod exponit Ioannes Constantinopolitanus, *Quoniam*, inquiens, *ea quæ non videntur, & sunt in spe, sine substantia esse putantur, sed fides eis tribuit substantiam. sicut resurrectio nondum facta est, & necdum est in substantia, sed fides certæ spei facit eam subsistere in anima nostra, quæ argumentum, id est, coniectio est eorum quæ non videntur.* Coniectio quippe est in rebus admodum manifestis. Fides igitur visio est non apparentium, quæ ad eandem satisfactionem ducit, ad quam illa etiam quæ videntur: neque fides dici potest, nisi cùm circa ea quæ non videntur, ampliùs quàm circa ea quæ videntur, satisfactionem quisquam habuerit. Qua de re ad inuestiganda ac comprobanda, & quasi oculato visui præsentanda quæ dubia vel obscura, quæ ex lege iudiciario ordine comprobari vel conuinci non possunt, duo sanxit auctoritas, iudicium scilicet, & iuramentum, quod vsitato nomine appellatur & sacramentum, quia in eo illud oculis fidei peruidetur, quod corporis oculis non conspicitur.

Heb. 11. E.

De iudicio siquidem in libro Numeri scriptum est, *Locutus est Dominus ad Moysen dicens, Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, Vir cuius vxor errauerit, maritúmque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro: si spiritus zelotypiæ concitauerit virum*

Num. 5. 12.

contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur. Et post computatum iudicium ad quod proinde exire debeat, addit, *Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia. & si polluta inuenta fuerit, maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.* De iuramento autem vel sacramento, ad Hebræos Paulus dicit Apostolus, *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.* Iunior quoque Papa Gregorius per Denualdum presbyterum Bonifacio Episcopo scripsit, *Presbyter*, inquiens, *vel quilibet Sacerdos à populo accusatus, si certi non fuerint testes, qui criminis inlati approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.*] Quæ sacramenti purgatio & in Ecclesiasticis, & in exteris legibus vsitatissima, & de fidei veritate etiam à primis sæculis esse constat exorta. Vnde silentio venerantes quæ in veteri & in nouo Testamento & ab ipsa dicitur Deitate, vt, *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.* Et, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, & plura alia. Et, *Amen Amen dico vobis.* Multum quippe commendat Dominus quod ita pronuntiat, quia quodammodo, si dici fas est, iuratio eius est, *Amen dico vobis.* Amen enim interpretatur verum, & tamen non est interpretatum. cùm potuisset dici, *verum dico vobis*, nec Græcus hoc Interpres ausus est facere, nec Latinus. sic mansit, non est interpretatum, vt honorem haberet velamento secreti, non vt esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Igitur verum dico vobis veritas dicit, quæ vtique etsi non diceret, mentiri omnino non posset, tamen commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Sed & Abraham ad seruum suum dixit, *Pone*, inquiens, *manum tuam sub femore meo, & iura mihi per Deum cæli.* Et rex ad Abraham, *Iura mihi per Deum. & Abraham ait, Ego iurabo.* Et Isaac atque rex Abimelech sibi mutuò iurauerunt. Et in Hieremia, *Ego iuraui in nomine meo magno, ait Dominus.* Et Dauid, *Iuraui & statui.* Et in nouo Testamento legimus dixisse Apostolum, *Testis est mihi Deus.* &, *Ecce coram Deo, quia non mentior.* &, *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres.* Et in epistolis Leonis atque Gregorij, hinc qui voluerit quærere abundanter inueniet. Quantum denique in iuratione periurium sit cauendum, Dominus demonstrat in Exodo dicens, *Non assumas nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* In vanum quippe & frustrà, non vt nihil sit, sed vt ei, qui nomen Domini Dei sui in vanum & frustrà acceperit, nociuum vt criminis reo sit. Item in Leuitico Dominus dicit, *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, Ego Dominus.* Et sanctus Dauid in Psalmo, *Qui iurat proximo suo, & non decipit. Iurare est,*

Ibid. v. 28. Heb. 6. 15. Epist. 11. cap. 3. Gen. 22. 16. Psal. 109. 4. Gen. 24. 2. Gen. 21. 23. Genes. 26. Hier. 44. 26. Ps. 118. 106. Rom. 1. 9. Galat. 1. 20. 1. Cor. 15. 31. Exod. 20. 7 Leuit. 19. 12 Psal. 14. 4.

inquit Cassiodorus, hominum, sub testatione diuina aliquid polliceri. Iurare enim dictum est, quasi iure orare, id est, iustè loqui. Tunc autem quispiam iustè loquitur, quando ea quæ promittit implentur. Et sanctus Ambrosius in epistola ad Valentinianum Imperatorem, Quid est iurare, nisi eius quem testaris fidei tuæ præsulem diuinam potentiam confiteri?] Et item dicitur in Psalmo, *Nec iurauit in dolo proximo suo.* Per dolum itaque iurat quisquis aliter facturus est quàm promittit, credens periurium non esse decepisse nequiter credentis errorem. Et hinc sanctus Hieronymus, Multi sunt, inquit, qui dolosè iurant, vt decipiant proximum, quod abominatur pater luminum, dicente Petro, *Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Et in libro Regum scriptum est, quia quando facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini, dixit Dominus, *Propter Saul, & domum eius, & sanguinem, quia occidit Gabaonitas.* Filij quippe Israel iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda, dicens Iosue gratis eosdem Gabaonitas viuere permisisse. Hinc patet quanta impietas est periurium, cui Dominus tantam imposuit vltionem. Et Hieremias propheta, *Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacij, quæ non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, iurare mendaciter.* Hinc ergo pensandum est, quantum crimen sit iurare mendaciter, quod adulterio, & homicidio, ac furto coniunxit Propheta, quorum perpetratores Apostolus, regnum Dei dixit non possidere. Et Hieronymus in expositione eiusdem Prophetæ, Poterat fieri, vt aliqui inuenirentur in populo, qui simularent cultum Dei, & iurarent per Dominum. Hoc præuenit, quod nequaquam Deus vanis sermonibus, sed veritate fidei delectetur, & dicet, Non eos diligo qui iurant per me, & iurant in mendacio, sed quorum corda labiáque consentiunt. Et in Zacharia propheta, *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio eius, & consumet eum, & ligna eius, & lapides eius.* Et in Ezechiele propheta, *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* Spreuerat enim, inquit Hieronymus, Sedechias iuramentum, vt solueret fœdus, & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet.] & item Hieronymus, Ecce, inquit, dedit manum suam regi Ægypti, & tradidit se, & periurij contra Deum commisit sacrilegium.] Et hinc item Hieronymus, Ne putaremus iuramentum, & fœdus, & pactum regis esse Babylonij, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur, In præuaricatione qua despexit me. Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illíque facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius. Quicquid igitur contra Sede-

Epist.xxx. Psal.23.4. Act.5.4. 2.Reg.21. Hier.7.9. 1.Cor.6.9. Zach.5.3. Ezech.17.16. 4.Reg.25.

chiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cuius nomine fuerat periuratus. Legimus enim Sedechiam captum, ductum in Reblata, ibíque interfectis filiis excæcatum, & instar feræ clausum cauea, translatum in Babylonem. Et sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu, Regis ministerium esse dicit, impios de terra perdere, parricidas & periuros viuere non sinere.] Et sanctus Gregorius in homilia Euangelij de Martyribus, Ad extincta, inquit, eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur.] Hinc ergo colligendum est, quantum peccatum sit periurare in nomine Domini & sanctorum eius, quod & sacrilegium, vt præmisimus, dicit esse sanctus Hieronymus. Sed & quantum temeritas iurandi vitari debeat, nisi magna exegerit necessitas, aut aliorum qui non credunt veritati vtilitas, vt credant, & paci ac concordiæ per sacramentum consulatur, cauenda sit. Et Dominus in Euangelio demonstrat dicens, *Nolite iurare.* Et Iacobus in Epistola sua, *Ante omnia*, inquit, *fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester, Est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.* illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel periurium cauendo aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid fortè nos incautiùs iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum, liberè illud consilio salubriore mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum, occidere Nabal, virum stultum & impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo, & ne periurus diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum Prophetæ mortem saltationis fecit præmium. Non solùm autem in iurando, sed in omne quod agimus, hæc est moderatio sollertiùs obseruanda, vt si talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potiùs euadendi aditum petamus, in quo minùs periculi nos perpessuros esse cernamus, & iuxta exemplum eorum, qui hostilibus clausi muris, dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentis incurrant. Et hinc ex sanctis scripturis, & catholicorum dictis, quidam orthodoxus & insignis poëta inter alia scripserit dicens,

Matt. 5. 34. Iacob. 5. 12. 1. Reg. 25. Prosper.

At si iurandi te causa perurget & artat,
Id puris verbis, id gere mente pia,

Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent:
Qui non vt iuras, sed vt is iurasse putauit
Cui iuras audit, sicque es vtrique reus,
Nempe Deo, in vanum cuius vis sumere nomen,
Seu socio, quem atra fallere fraude paras.
Si scelus vt facias iures, vota irrita sunto:
Hoc illo est grauius, vulnus vtrumque tamen.
Vulnera parua minus, magis & maiora fatigant:
Felix qui nullo vulnere læsus abit.

Ceterùm de iudicio, postquam dixit Dominus de suo aduentu ad futurum iudicium, quod erit per ignem, commemorans illud quod per aquam est factum, *Sicut*, inquit, *factum est in diebus Noë, ita erit & in die filij hominis.* Et referens quòd per ignem Sodomam iudicauerit, *Similiter*, inquit, *sic factum est in diebus Lot.* Christianitas ex antiquo, quæ inter acta est & agenda iudicia, sanxit & frequentauit iudicium quod fit per aquam, quódque sub Noë factum fuerat, in arca fidei liberans innocentes, & condemnans noxios: in ignita autem aqua, sicut factum est sub Lot in igne, & fiendum est in aduentu filij hominis, Petro attestante, qui dicit, *Quod cæli erant priùs, & terra de aqua, & per aquam consistens verbo Dei, per quæ ille tunc mundus periit. Cæli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in die iudicij & perditionis hominum impiorum.* Apertè docens quia non alij cæli sunt igne perituri, quàm qui aqua perditi, hoc est, inania hæc & nubilosa ventosi aëris spatia. Neque enim aqua diluuij, quæ quindecim tantùm cubitis montium cacumina transiit, vltra aëris ætherísque confinia peruenisse credenda est. Quocumque autem peruenire potuit, eo nimirum iuxta præfatam beati Petri sententiam, & ignis iudicij perueniet. Sed quia scriptum est, *Cælum & terra transibunt*, & iterum, *Terra verò in æternum stat*, sciendum est, quia cælum & terra, per eam quam nunc habent imaginem transeunt, attamen per essentiam sine fine subsistunt. Præterit enim figura huius mundi, *Et erunt*, inquit, *cælum nouum, & terra noua.* quæ quidem non alia credenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Transeunt, & permanebunt. quoniam ab ea specie, quam nunc habent tergentur, & in sua semper natura seruantur, vnde scriptum est, *Mutabis ea, & mutabuntur.* Quapropter fieri aquam ignitam, ad hæc duo copulata in vnum indaganda iudicia, illud videlicet, quod iam per aquam factum est, & illud quod per ignem fiendum est, licèt sint pro temporum varietate disparia, sed vnum sunt operationis mysterio, in quibus sancti liberantur inlæsi, & reprobi puniuntur addicti, Ecclesiæ, quam designauit arca diluuij, creditur tradidisse auctoritas, quæ etiam inde sanxit, vt aquæ baptismatis halitu sacerdotali sanctus insuffletur Spiritus, qui inter ipsa mundi primordia ferebatur super aquas, vt

Luc.17.26
Genes.19.
2.Pet.3.6.
Matt.24.
Eccle.1.4.
1.Cor.7.
2.Pet.3.
Ps.101.27.

iam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet, & quo rubigo omnium excoquitur pecatorum, cerei lumine ſanctificato accenſi, à loco teneantur immiſſi, donec eiuſdem fontis conſecratio compleatur per eum qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluuij effuſione ſignauit, vt vnius eiuſdémque elementi myſterio, & finis eſſet vitiis, & origo virtutibus, quíque venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Quia in eodem baptiſmate, in quo ſignanter Moyſes propheta lignum velut in myrrhato fonte miſerat & dulcoratus eſt, prædicata per Domini ſacerdotem ſanguinis Chriſti cruce, tres vnum ſunt, non natura, ſed operationis myſterio, id eſt, ſanguis redemptionis, ſpiritus ſanctificationis, & aqua lauacri, vbi exſufflatus & exorcizatus immundus ſpiritus exit ab homine, fitque mundi iudicium, & princeps mundi foras eiicitur. & qui in veritate non ſtetit, mendax & pater mendacij à veritate naturæ ſecernitur, quæ ad imaginem Dei condita, & ex aqua & Spiritu ſancto renata, ad ſuum reformatur principium, ac fide interiùs exteriúſque purgatur, & ab omni figmento mendacij totiúſque malitiæ innocens comprobatur. Sed & ſi quis frigida tantùm aqua, vel igniti cuiuſcumque elementi iudicio, in auctorem & gubernatorem elementorum, quem omnia fideliter inuocatum ſentiunt elementa, ſicut in Moyſi virga, & aquæ in ſanguinem verſæ, & iterum ſanguis in aquas, & petra quæ dedit aquam, & ſub Heliſeo ſal vel lignum aquæ immiſſum, indubitanti fide, quæ eſt argumentum non apparentium, credens fieri ſatis ſibi decreuerit, nihil differt. Aqua enim frigida, ſicut & in baptiſmate ſacratur, in diluuio innoxij cum arca ſunt ad cælum leuati, & noxij perditi, ignéque ſunt Sodomitæ puniti. Et in libro Numeri, aqua frigida, in qua Dominus imprecationes iuſſit elui, hauſta à muliere adultera, computreſcendum femur ipſius legitur. & Ioannes Apoſtolus de olei feruentis dolio euaſit inlæſus. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat quoniam venientem ad futurum iudicium terribilem iudicem tempeſtas igniſque comitabuntur, ſicut ſcriptum eſt, *Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida*, vt tempeſtas examinet quos ignis exuret, & ignis ille futurus ſanctis erit peruius, qui rapientur nubibus obuiam in aëra Domino, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Heb. 11. 1.

Pſal. 49. 3.

Quoniam quidem de purgationis iudicio per aquam feruentem vel frigidam ſe ratio intulit, dicamus quod quidam ſagacis ingenij percunctantes adiiciunt. Conſtat nimirum, vt inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxij liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Lot iuſtus euaſit inuſtus, & futurus ignis, qui præibit terribilem iudicem, ſanctis erit innocuus, & ſceleſtos aduret, vt olim Babylonica fornax, quæ pueros omninò non contigit,

neque contristauit, vel quicquam molestiæ eis intulit, sed vincula eorum comburens, incendit quos reperit de Chaldæis ministros regis, qui eam succendebant. Sed in aquæ frigidæ iudicio non constare videtur, quòd innoxij submerguntur, & aqua culpabiles supernatant, cùm in cataclysmi iudicio innocentes cum arca leuantur, & noxij submersione perierint, & Ægyptij insequentes Hebræos per mare rubrum, respiciente Domino, in vigilia matutina per columnam ignis & nubis, submersi sint quasi plumbum in aquis vehementibus, & ne vnus quidem superfuit ex eis. Et filij Israel super littus stantes viderunt Ægyptios mortuos: & infideles ac peccatores terra sustinere non potuit, quando aperta est, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Et Petrum fide fidentem aquæ instabilitas se calcantem sustinuit: in fide verò dubitantem iam penè dimersum obsorbuit, quando eum Christi dextera alleuauit. Et ipsius epistolæ sententiam de figura baptismatis in arca diluuij exponentes patres catholici dicunt, quia non aliis, sed ipsis aquis hæretici & mali Christiani ad inferna merguntur, quibus orthodoxi & iusti quique ad cælestia regna subleuantur. Sed sciendum nobis est, vt beatus dicit Gregorius, quod diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.] Et cùm Paulus Apostolus dicat, *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, profectò liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt: quæ enim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora.] Et idcircò Dominus quædam de scripturis per semetipsum dignatus est exponere, vt sciamus rerum significationes quærere in his etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Vnde in responsum accipiant, qui in diuinis iudiciis atque miraculorum signis experimentum humanæ postulant rationis, quoniam & iustos continens arca, qua fidelium est designata Ecclesia, fides sanctæ Trinitatis per incarnationem Iesu Christi ædificata, & omnes, de quibus dixit Dominus, *Finis venit vniuersæ carnis: coram me repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra*, superfluente aqua operti, & non omnes submersi sunt, sed innoxij liberati, & puniti sunt noxij, sicut scriptum est, *Ingressus est Noë, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquam diluuij.* & post paululum, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* & item, *Et multiplicatæ sunt aquæ, & leuauerunt arcam in sublime à terra.* & post pauca, *Consumptáque est omnis caro, quæ mouebatur super terram: remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in*

Hom. xxvi in Euang.

Heb. 11. 1.

Greg. ibid.

Genes. 6. 13

Genes. 7. 7.

Exod.14. 20. *arca.* & item post pauca, *Et clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cæli:* & nubes vna tenebrosa facta est Ægyptiis & luminosa Hebræis, vt iterum scriptum est, *Tollénsque Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum & castra Israel.* & erat nubes tenebrosa, & inluminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Et vna eadémque virga, extenta super aquas, quæ erant quasi pro muro à dextris & à sinistris, filios Israel transduxit, sicut scriptum est, per aquam nimiam, & inuoluit Ægyptios in mediis fluctibus, vt ne vnus quidem superfuerit ex eis, quos viderunt Israelitæ mortuos super littus maris, quos respexerat Dominus in vigilia matutina, vt diximus, in columna ignis & nubis, & expandit nubem in protectionem suorum, & ignem vt luceret eis per noctem, videlicet Christum, qui est columna lucis tenebras infidelitatis depellens, & lucem veritatis ac gratiæ spiritalis affectibus humanis infundens, & per columnam nubis, qui est Spiritus sanctus. in quo baptismate typus baptismatis iam sicut & in diluuio monstrabatur. Adhuc addamus, quia inuocauit Helias nomen Domini Dei sui, & descendit de cælo ignis. Inuocauit & Helisæus nomen Domini, & de aqua ferrum securis leuatum est ad manubrium ligneum, & supernatauit aquis. grauior enim est ferri species quàm aquarum liquor. aduertimus igitur maioris esse gratiam quàm naturam. De his omnibus beati Ambrosij sufficiat explanatio, vt colligi possit adsimilatio, cur in frigidæ aquæ iudicio vnius fiat mersio, alterius subleuatio. Ait enim in libro De sacramentis siue mysteriis, Verumtamen, ne in hoc sæculo diaboli fraus vel insidiæ præualerent, inuentum est baptisma. de quo baptismate audi quid dicat scriptura, immò filius Dei, quia Pharisæi, qui noluerunt baptizari baptismo Ioannis, consilium Dei spreuerunt. ergo baptismus consilium Dei est.] & post paululum, Quòd mergis, soluitur sententia illa, *Terra es, & in terram ibis.* Impleta sententia, locus est beneficio remedióque cælesti. ergo aqua de terra. Possibilitas autem vitæ nostræ non admittebat vt terra operiremur, & de terra resurgeremus. deinde non terra lauat, sed aqua lauat, ideò fons quasi sepultura est.] Ceterùm, vt dicit Apostolus, *Omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Et sicut in patrum catholicorum dictis legimus, margaritum est sermo diuinus, quod ex omni parte forari potest: & qui ad instructionem fidelium scripturarum testimonia profert, etiamsi aliter illa exposuerit, quàm ea intellexerint per quos fuêre prolata, non est fabricator mendacij: saluo maiorum intellectu, hinc dicam quod ex eorum verbis pro exiguitate ingenioli mei exculpere coniiciendo posse suspicor. Sanctus Apostolus docet rubrum mare, quod sub duce

Sap.10.18. Ps.104.39. Lib.II.c.VI 2.Tim.3.16

Moyse

Moyſe patres noſtri tranſierunt, baptiſmum Chriſti ſanguine rubricatum, & ipſe Moyſes ducem Chriſtum, qui nos per baptiſmum eduxit de Ægyptia ſeruitute ad terram repromiſſionis, videlicet de peccati ſeruitute, & mortis dominatione, in libertatem gloriæ filiorum Dei, & in regnum æternæ vitæ, præfigurauit, ſicut & petra per deſertum cõſequens populum, qui nos in eremo iſtius ſęculi myſteriis ſuis conſequitur. Vnde item dicit de baptiſmate idem Apoſtolus, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte.* Quid eſt, inquit Ioannes Chryſoſtomus, in morte ipſius baptizati ſumus? vt & ipſi moriamur, ſicut & ille. Crux enim eſt baptiſma. Quod ergo crux Chriſti & ſepulcrum, hoc nobis baptiſma factum eſt, tametſi non eiſdem ipſis. Quapropter non dixit, complantati morti, ſed ſimilitudini mortis. ipſe namque carne & mortuus eſt & ſepultus, nos autem peccato in vtroque.] Quibus dictis colligi poſſe videtur, vt conſepultus Chriſto per baptiſmum in mortem, & liberatus per eundem baptiſmum à morte, & per peccatum ad eandem ſeruitutem & mortem reuerſus, *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, ipſa morietur.* complantetur ſimilitudini mortis in aqua, vt aut noxius comprobatus, velit nolit, quia ſæpè bona inuitis præſtantur, confiteatur, & per emendationis ac correctionis confeſſionem liberetur iterum à morte commiſſi peccati : aut innoxius Dei iudicio demonſtratus, inter peccati reos non teneatur à nobis, complantatus ſimilitudini mortis in aqua. Mare quippe, ſicut ſuprà oſtenſum eſt, baptiſma deſignans nihil in ſe mortuum retinet, quod, vt ſcriptum eſt, mortuos Ægyptios eiecit ſuper littus. Ergo Ægyptius mortuus, id eſt, peccato obnoxius, quamdiu negando in peccati ſui morte manet, ab aqua inuocatione veritatis, quæ Chriſtus eſt, ſanctificata non recipitur, non tenetur. Veniat autem ligatus inſtitis iniquitatum ſuarum foras de latebris malæ conſcientiæ confitendo, & per confeſſionem veritatis conſepelietur in aqua, quaſi quodammodo complantatus ſimilitudini mortis veriſſimæ veritatis, liberatus ab eadem veritate. Conligatur autem fune qui examinandus in aquam dimittitur, quia, vt ſcriptum eſt, funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Qui ob duas cauſas conligari videtur, ſcilicet ne aut aliquam poſſit fraudem in iudicio facere, aut ſi aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi. Nam & Lazarus quatriduanus mortuus, per quem deſignatur quiſque criminum mole ſepultus, ligatus inſtitis ſepultus, & eiſdem conligatus inſtitis à ſepulcro Domino vocante legitur egreſſus, & ipſius iuſſu à diſcipulis diſligatus. Et hoc examinandus iudicio conligatus in aquam dimittitur, & conligatus retrahitur, & aut purgatus ſtatim iudicio arbitrorum abſoluitur, aut vſque ad purgationem conligatus iudicio examinatur. Et item in ſacra hiſtoria legimus, quia venit Helias ad Iordanem cum diſcipulo

Rom. 6. 3.

Ezech. 18. 4 & 20.

Exod. 14. 31

Helisæo, & inuoluto pallio suo percussit aquas, quæ diuisæ sunt, & transierunt ambo. Posteà leuauit Helisæus pallium Heliæ quod ceciderat ei, & veniens ad Iordanem percussit aquas, atque inuocato Deo Heliæ diuisit ac transiit. Rectè enim per Iordanem fluxus nostræ mortalitatis exprimitur, quia & Iordanis Latinè dicitur descensus eorum, scilicet Christianorum. Quia, inquit Gregorius, in Iordane flumine ipse auctor redemptionis nostræ baptizari dignatus est, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui inter sacramentum baptismatis tenentur. Vnde scriptum est in Iob de antiquo hoste humani generis, *Et habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* quia postquam infideles quosque à mundi origine rapuit, adhuc se posse suscipere etiam fideles præsumit. Nam ore pestiferæ persuasionis eos quotidie deuorat, in quibus à confessione fidei reproba vita discordat. Vnde ac si pallio Heliæ inuoluto aqua percutitur, & diuiditur, & per eam transitus præparatur, quando tales, vt præmisimus ex verbis sancti Gregorij, conligantur, & in aquam dimittuntur: & quasi aqua diuiditur, cùm aut quosdam aqua recipit, & innoxios ostendit, aut quosdam reiicit, & noxios esse demonstrat: & transitus præparatur, cùm aut quidam à reputatis criminibus ad innoxios transferendi iudicantur, aut à negatione sua rei inter criminum noxios declarato iudicio deputantur. Nam & quando qui putatur & qui est noxius, in aquam examinandus dimittitur, à dimittentibus secundùm quendam modum formæ baptismatis Dominus inuocatur, quatenus veritas vnde requiritur demonstretur, & tenebras ignorantiæ nostræ inluminare dignetur, ne aut innocens iniustè à nobis damnetur, aut nocens sua negatione, aut diabolica fraude, aliquo modo impunitus euadat. Sed & ipse qui examinandus in aquam dimittitur, inuocationem inuocantium sua responsione & deuotatione confirmat, iuxta formam quodammodo ante baptisma, sicut sanctus Ambrosius in libro De sacramentis dicit, Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? dixisti, Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? dixisti, Credo, & mersisti: ideò & Christo es consepultus. qui enim Christo consepelitur, Christo resurgit. Tertiò interrogatus es, Credis & in Spiritum sanctum? dixisti, Credo. tertiò mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio. Denique, vt vobis adferamus exemplum, sanctus Apostolus Petrus, posteaquàm in passione Domini lapsus videtur conditione humana, qui anteà negauerat, posteà vt illum lapsum aboleret & solueret, tertiò interrogatus à Christo si Christum amaret, tum ille dicit, Tu nosti Domine, quia amo te. tertiò dixit, vt tertiò absolueretur.] Sic & inuentus in iudicio noxius, si fuerit fortè super plura suspectus, iterato est iudicio examinandus, quousque inueniatur emendationis confessione probatus.

Moral. xxxiii. cap.vi.

Iob 40.18.

Lib.2.c.7.

Ioan.21.17.

Et ad hoc adſumamus ſancti Ambroſij verba dicentis, Denique, vt vobis adferamus exemplum, ſanctus Apoſtolus Petrus, poſteaquàm in paſſione Domini lapſus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui antè negauerat, poſteà, vt illum lapſum aboleret & ſolueret, tertiò interrogatur à Chriſto ſi Chriſtum amaret. tum ille dicit, Tu noſti Domine, quia amo te: tertiò dixit, vt tertiò abſolueretur.]

Et quoniam, ſicut ſuprà oſtendimus diuina auctoritate baptiſmum eſſe iudicium, vnde & Iordanis baptiſma deſignans interpretatur riuus iudicij, quo princeps mundi mendax & pater eius foras eiicitur, & baptiſmus Dei eſt conſilium, diuini viri ad ignota inueſtiganda inuenerunt iudicium aquæ frigidæ. in quo aquæ frigidæ iudicio, ad inuocationem veritatis quæ Deus eſt, qui veritatem mendacio cupit obtegere, in aquis, ſuper quas vox Domini Dei maieſtatis intonuit, non poteſt mergi, quia pura natura aquæ naturam humanam, per aquam baptiſmatis ab omni mendacij figmento purgatam, iterum mendacio infectam, non recognoſcit puram, & ideo eam non recipit, ſed reiicit vt alienam. Et vt in baptiſmate ab homine ſpiritus immundus, id eſt, princeps huius mundi eiicitur, ita & qui à diabolo, principe videlicet mundi huius, per peccatum reoccupatus, ſicut ſcriptum eſt, Quia cùm exierit ab homine, reuertitur ad eum à bonis operibus vacantem, immò vacuum, cum aliis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, ab aqua inuocatione diuini nominis ſacrata reiicitur. Quem hominem, non naturalem, ſicut ex aqua & ſpiritu renatus eſt, & purgatum, non carnis depoſitione ſordium, ſed interrogatione & confeſſione conſcientiæ bonæ in Deum, verùm potiùs talem, de quo in Leuitico ſcriptum eſt, ſentit, *Omnis*, inquit, *homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Non dicit, *in quo fuit immunditia.* Immunditia quippe eius in ipſo eſt, qui mendacio contegit veritatem, & idcircò de ſtirpe ſacerdotali, *Vos*, inquit, *genus electum, regale ſacerdotium*, & in Apocalypſi, *Feciſti nos regnum Deo, & ſacerdotes*, ad ea quæ conſecrata ſunt Domino accedens, quamdiu immunditia eius in ipſo eſt, non poterit aquis inuocatione Dei ſanctificatis immergi, vt innoxius pareat, ſed pereundus monſtrabitur. *Expurgate*, inquit Apoſtolus, *vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi.* Ac ſi patenter dicat, Reputatum de crimine, atque negantem, quem idoneis teſtibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut ſacramento, aut Dei iudicio expurgate, ne in medio veſtrî manens anathema, dicatur vobis, *Anathema in medio tui Iſrael, non poteris ſtare coram inimicis tuis.* & item dicit Apoſtolus, *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Vnde Auguſtinus, Nolite communicare, hoc eſt nolite conſentire, & quia parum erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, magis, inquit, & redarguite.

Matt. 12. & Luc. 11.

Leuit. 22. 3.

1. Pet. 2. 9.

Apoc. 5. 10.

1. Cor. 5. 7.

Ioſ. 7. 13.

Epheſ. 5. 11.

Duobus modis te non maculat malus, si non consentias, & si redarguas. Igitur arguendus est peccator, & si negauerit, & ordine iudiciario comprobari non poterit, examinetur, vt probatus manifestus fiat, & reprobatus latere non possit. Deprehensus autem confiteatur & pœniteat, & non tenebitur fune peccatorum suorum, quo est inligatus, vt non mergatur, & lauetur aqua salutari perfusus lacrymis, & dimergantur vt Ægyptij, & qui corrupti erant carnali corruptione coram Domino, *sicut plumbum in aquis vehementibus*, & secundùm Prophetam, *Proiiciantur iniquitates eius in profundum maris.* quia anteà cum mendacio suo mergi vt ablueretur non poterat, donec confessione à se illud in profundum proiiceret, & ablutus emergeret, qui ante confessionem sicut ferrum Helisæi premebatur aqua, vsque dum inuocatione diuini nominis ad lignum rediit, ita nihilominus negans peccati pondere premitur anxia conscientia, vsque dum pronuncians impietatem peccati sui Domino, in cuius ligno crucis omnium hominum, vt dicit Ambrosius, leuatur infirmitas. Et hoc est diluuium quod & baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens & gratia resuscitatur, pridem quippe mortui negatione peccati. Legat deuotus librum dialogorum beati Gregorij, & inueniet sanctimoniales non correctas, & pro incorrectione sua à sancto Benedicto excommunicatas, post mortem tempore communionis de sepulcris ab Ecclesia, quia non communicabant, exiisse, post reconciliationem autem se in suis sepulcris continuisse. Et pueri monachi corpus à terra teneri non potuisse, quia Benedicti gratiam non habebat. Et vas vitreum signo crucis per Benedictum edito disruptum. Et iterum vas vitreum in ingens præcipitium saxorum molibus aspersum eius iussione propter inobedientiam proiectum, atque incolume reseruatum. Et discipulum eius Maurum super vndas laci deambulasse: ferrum autem de profundo laci Helisæi more per ipsum in manubrium reuocatum fuisse. Et sicuti scriptum diuinis paginis continetur, sacer ignis absconsus, post multorum annorum curricula in crassam aquam versus reperitur, & eadem aqua super oblatum sacrificium versa diuina potentia est igne consumpta. Sed & Gedeonis sacrificium cum superfuso iure, cuius abundantia solet ignis extingui, per Angelicum ministerium, igne etiam lambente petram, consumptum est. Et in vnius eiusdémque elementi mysterio, & finis est vitiis, & origo virtutibus, operante Spiritu sancto in aqua sacri baptismatis. Hæc diligens lector legat, & non mirabitur in iudicio aquæ frigidæ innocentes ab aqua recipi, nocentes autem non recipi, sicut & in aqua calida coquuntur noxij, innoxij verò reseruantur incocti: quia & Christus, cælestis medicina Patris, verus humanæ medicus salutis, inuocatus à suis fidelibus, vt & medici carnis ipso inspirante solent, contraria

Exod.15. Mich.7.19. Lib.II. cap.XXIII. Ibid.c.24. Ibid.c.3. Lib.II.c.18. Ibid.c.7. Ibid.c.6. 2.Mac.1.20 Iud.6.20.

contrariis, calida frigidis, frigida calidis curat. Et in veteris Synagogæ vnius eiuſdémque ſeditione quoſdam terra abſorbuit, quoſdam verò edax flamma conſumpſit. Dúmque caro innoxia Saluatoris aquis frigentibus tinguitur, oppoſita quondam noxiis romphæa ignea paradiſi reſtinguitur. Sed & diſpoſitione ipſius elementorum conditoris atque rectoris, vno eodémque ſole lutum ſtringitur, cera liquatur. Hæc dicta ſint, quia elementum inſtabile, in mergendo pro fide credentium quoſdam recipit, quoſdam autem non recipit. ſed & feruore elementi eiuſdem quidam coquuntur, & quidam euadunt incocti.

Nec prætereundum, quia legimus in Capitulis Auguſtorum, fuiſſe vetitum frigidæ aquæ iudicium: ſed non in illis Synodalibus, quæ de certis accepimus Synodis. Quod & quidam inſulsè dicunt propterea fuiſſe vetitum, quoniam quaſi rebaptizatur qui in nomine Domini aquis immergitur. Sed hoc ibidem ſcriptum nequaquam reperimus. Nec nos etiam ignoramus, quia beatus Ambroſius plura dicit baptiſmata, id eſt, plura baptiſmatis adnotat præconia. Et ſacri canones rebaptizationes omnibus, vt vitandæ ſunt, prohibent. Nemo tamen eſt penè fidelium, qui ſe ſine crucis ſigno, vel inuocatione diuini nominis, aquis etiam ad lauandum immittat, iubente Apoſtolo omnia agendum in nomine Domini, & non ſe illo baptizari putat baptiſmate, quo renatus eſt ex aqua & ſpiritu. Sermo enim, & opus Dei, cunctáque ſacramenta diuina, manna ſunt, quod, ſicut ſcriptum eſt, habuit omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem, quódque ſicut pro deſiderio ſuſcipientium quondam factum eſt in ſaporem guſtantium, ita & hæc pro deuotione credentium fiunt cauſa oſtenſionum. Velut incarnatio Domini in ruinam & reſurrectionem multorum eſt, & crux eius pereuntibus quidem ſtultitia eſt, credentibus verò in ſalutem virtus Dei eſt, & prædicatio ipſius aliis eſt odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, & baptiſmatis ſacramentum infidelibus ludificatio, fidelibus autem redemptio eſt. Sacramenta quoque altaris deuotè ad ſe accedentibus vita, indeuotis iudicium, ſicut & panis vitam fortium roborat, paruulorum necat, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat, & ſol, qui ceram liquat, lutum ſtringit, ſanis oculis lumen eſt, & lippientibus tenebræ. Vtque venenum mors eſt homini, & vita ſerpenti, ſic & iſtud iudicium firmiter & ritè credentibus oſtenſio veritatis, hęſitantibus autem & dubiis error inuoluens eſſe dinoſcitur. quoniam ſicut Paulus dicit, *Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*, profectò liquet, quia exponente beato Gregorio, fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt. quæ etenim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem. Sic in hoc diuino iudicio, his de quibus antea dubitabamus diuina oſtenſione monſtratis, quæ corporalibus oculis videre non poſſumus, ocu-

Sap. 16. 20.

Heb. 11. 1.

lis fidei contemplantes, credulitatem accommodare debemus, sicut Thomas anteà dubitans, dum Dominum palpauit, aliud vidit, & aliud credidit. à mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. hominem igitur vidit, & Deum confessus est, dicens, *Dominus meus, & Deus meus.* Videndo ergo credidit, quem considerando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamauit. Ita & veritatem rei, de qua dubitamus, quia corporalibus oculis videre nequibamus, diuinæ ostensioni credentes, veritatem, quæ Deus est, laudare debemus. Hæc autem dicimus, non quo quenquam reprehendamus, quia nec ibi scriptum est cur hoc iudicium non debeat fieri, sed tantummodo dictum ne fieret, aut nostra, quasi sapientiùs prolata, quàm alij inuenire ex sanctorum documentis præualuerint, siue præualeant, defendere satagamus. Vnusquisque enim in suo sensu abundat. Tantùm quilibet hoc cautè prouideat, vt à fide catholica, & traditione Apostolicæ sedis non discrepet, sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati simus, si quis conuenientius nobis ostenderit, sine contentione sano intellectui cedere, & libentissimè non modò consentire, quin etiam discere.

Ioan.20.28 | Rom.14.5.

His ita se habentibus, si huiusmodi iudicium, quod vt audiuimus Karolus magni nominis Imperator de suæ vitæ credulitate recepit, per consilium laicorum nobilium, consensu Episcoporum, ac decreto regio, (aliter enim non oportuerat,) præfata femina de quibus reputabatur constat esse purgata, & maritali toro non solùm consensu nobilium laicorum, verùm, vt audiuimus, cum reconciliatione & benedictione Episcoporum, restituta siue recepta, cur iterum causam in quæstionem reducamus, videre non possumus, dicente Domino, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et audiamus quod audiuit ab illo ad eum dicens, *Magister respice in filium meum, ecce spiritus apprehendit illum, & rogaui discipulos tuos, vt eiicerent illum, & non potuerunt*, & Dominus, *O generatio infidelis & peruersa, vsquequò ero apud vos, & patiar vos?* Hoc enim audiuit, quia latenter isto dicto accusauit de impossibilitate Apostolos, cùm impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt fidem referatur. Sic & nos, licèt non auribus corporis, sed merito infidelitatis audiemus, si talia sine causa & ratione debita remouemus, quasi quiddam fraudis in hoc iudicio fuerit dubia Dei ostensio, & non infidelitas nostra. Si autem hæc in iudicio culpabilis apparuit femina, quare fuit recepta? Si inculpabilis, quare est causa remota? præsertim cùm omnimodis sit credendum, quia si vicarius eius, qui pro illa ad iudicium exiuit, fuisset perustus, culpabilis iudicata ad audientiam denuò noluisset accusator ipsius debere illam admitti. Vnde nunc quoque tenendum est, quia sicut in baptismatis iudicio, mendax & pater mendacij, per fidem & ora gestantium atque pro eis profitentium qui baptizantur, foras eiicitur,

Matt.4.7. | Luc.9.38.

ita & ab hac femina criminationis falſitas, fide & profeſſione pro ſe mittentis vicarium, per eiuſdem vicarij ſui executionem diuino iudicio ſit expulſa, & eius innocentiæ veritas declarata. Nam ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, qui oſtenſione virtutis ſuæ nobis teſtificatur quid de hoc credere debeamus, de quo dubij ante oſtenſionem eramus. 1.Ioan.5.9.

INTERROGATIO VII.

QVI dicunt quòd pro ſecretè facta confeſſione ab eadem femina, vicarius eius de iudicio incoctus euaſit.

RESPONSIO.

SICVT falſa pietate quidam, vt legimus, beatum Petrum defendere tentauerunt dicentem quia non nouiſſet hominem, quem cognoſcebat Deum, cùm veritas dixerit, *me negabis:* ita iſti maiori etiam iniquitate, quia impia falſitate, veritatem, dum piam prædicant, fictam calumniantur, quæ ſic voluit feminam iſtam liberare, vt iudicio illius credentes deciperet, cùm ſcriptum ſit, *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Vnde ſanctus Petrus ad Simonem magum dixit, qui ſe putauit emere poſſe gratiam ſancti Spiritus, per quem virtutes operantur & ſigna, quíque omne effugit fictum, *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Et, vt beatus dicit Gregorius, nihil ſimplex veritas per duplicitatem facit, ſcrutans corda & probans renes, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & corporis, compagum quoque & medullarum, & interiora cordis, & vt veritas, propè eſt inuocantibus ſe in veritate, & iubet in veritate iudicium facere. Quis enim inuocauit Dominum, & deceptus eſt? In iudicio enim iuſto fideliter inuocatus neminem decipere potuit: quoniam iuſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Et catholici dicunt magiſtri de ſacramenti purgatione, quia ſicut ab illo cui perinde fit ſatis ſuſcipitur, ita & à Domino iudicatur. Et Paulus dicit, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et non eſt confeſſio, niſi fuerit cum corde & oris faſſio, vt mens noſtra concordet voci noſtræ. vnde & in baptiſmo non mundat carnis depoſitio ſordium, ſed interrogatio ac confeſſio conſcientiæ bonæ in Deum. Nam Petrus, quem Chriſtum filium Dei viui confeſſus fuerat, Dominum eſſe ſciebat, Deúmque credebat, cuius diſcipulum ſe ore negabat, qui dixit, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* &, *qui me negauerit, negabo eum.* Et ſicut legimus, non eſt aliud negare ſe ipſius eſſe diſcipulum, ſicut Petrus dixit *Non ſum*, obiicienti ſibi quòd ex diſcipulis hominis illius eſſet, niſi negare ſe eſſe Chriſtianum. Quapropter

Matt.26.34 Sap.1.5. Act.8.23. Rom.10.10 Matt.10.24

& sacri canones, inter lapsos de illis decreuerunt, qui corde Christum crediderunt, & tormentis victi ore negauerunt. Et item scri-
Rom.10.14 ptum est, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Quomodo, inquam, hæc femina in iudicio Dominum sibi adiutorem & liberatorem inuocauit, in quem non credidit? Et si in Dominum fideliter credidit quem inuocauit, verum, non fictum, & iustum atque iustitiam diligentem illum credidit, quem falli vel fallere non posse cognouit. Isti autem contraria dicentes, quid aliud dicunt, nisi falli vel fallere posse veritatem adfirmant? obstinatiores dæmonibus, qui,
Luc.4.41. vt Euangelium dicit, exiebant ab obsessis, confitentes eum, quia sciebant illum esse Christum.

Quod autem dictum est, quia ex hoc testis est etiam ipse qui confessionem feminæ illius suscepit, miramur si verum esse aliquo modo possit: & hoc credere non auderemus, si talibus viris, qui hæc nobis mandauerunt non credere auderemus. cùm non peruersè inter-
Leuit.5.1. pretari debere nouerit quod in libro Leuitico relegit, *Anima quæ audit vocem iuramenti & testis est, vel quæ vidit aliquid & conscia est, & non indicat.* ex quo accepit etiam ipsa peccatum eius sine dubio, vt Origenes exponit, qui iniquè, aut egit aliquid, aut iurauit. Hoc etiam secundùm historiam nos ædificat, ne vnquam in peccatis alterius polluamus conscientias nostras, nec consensum malè agentibus præbeamus. Consensum autem dico, non solùm pariter agendo, sed etiam quæ manifestè & inlicitè gesta sunt reticendo. Et si sciuit, & propter secretam confessionem reticuit, quare, quod absit sicut dicitur, vt iudicium inde fieret obtinuit, vel consensit, non reuerens sententiã
Matt.4.7 legis pariter & Euangelij, *Non tentabis dominum Deum tuum?* Quia si cõtra auctoritatem canonicam, quæ ex legis & prophetarum atque Euãgelij fonte, sancto Spiritu quo & illa sunt dicta promulgante procedit, detrimentum honoris est agere, periculum non potest euadere, qui studet ipsi Euangelicæ veritati in tam maximis repugnare. Et item scri-
Matt.5.33. ptum est, *Reddes autem Domino iuramenta tua.* Si fidelitatem Seniori suo promisit, quomodo huic inlusioni contra illum consentire præsumpsit? Et si tunc inter duo pericula positus, minus de iuramento negligere elegit, vt maius ne proditor confessionis fieret deuitaret, quare ipsam confessionem nunc prodidit? cùm scriptum sit,
Prou.11.13. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana, qui autem fidelis est, animi celat commissum,* ac si patenter dicat, Qui animi non celat com-
2.Cor.6.15. missum infidelis est. Et Paulus dicit fidelibus, *Quæ pars fideli cum infidele?* Plura hinc dici poterant, sed nobis non conuenit. Onus enim suum vnusquisque portabit. Hæc autem breuiter diximus, non vt credere vel credi ab aliquo huiusmodi derogationi de quocumque sacerdote velimus, sed vt nos quatenus hinc responderemus per nomen Domini obtestantibus designemus, hoc nefas proditionis atque duplicitatis, & magnopere nobis esse vitandum, &

in

in omnibus profectò hominibus detestandum.

INTERROGATIO VIII.

Hvic autem dicto quod aiunt quidam, quoniam intentio illius feminæ fuit de alio eiusdem nominis fratre suo, quando vicarium suum in iudicium pro se misit, & idcirco se in iudicio isdem vicarius eius non coxit.

RESPONSIO.

Qvasi iudex omnium quæ geruntur, qui nouit omnia etiam antequàm fiant, tali errore seduci potuerit, componere possumus quod Petrus in quarto libro Dialogorum à beato requisiuit Gregorio, Quidnam est, inquiens, quæso te, quod nonnulli quasi per errorem extrahuntur è corpore? Cui beatus Gregorius referens de duobus Stephanis, quia non isdem Stephanus, qui adductus Iudici ad loca inferni fuerat, iussus adduci extiterat, sed Stephanus alter ferrarius: & illo reducto, Stephanus ferrarius, qui adduci fuerat iussus, adductus est. Hoc, inquit beatus Gregorius, quotiescumque fit, si bene perpenditur, non error sed admonitio est. Superna enim pietas ex magna misericordiæ suæ largitate, disponit, vt nonnulli etiam post exitum repentè ad corpus redeant & tormenta inferi, quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant.] Et post narrationem de Stephano, qui adductus & reductus & posteà iterum ad tormenta perductus fuerat, subdidit, Qua de re colligitur, quia ipsa quoque inferni supplicia cùm demonstrantur, aliis hæc ad adiutorium, aliis verò ad testimonium fiant, vt isti videant mala quæ caueant, illi verò eo ampliùs puniantur, quo inferni supplicia nec visa & cognita vitare voluerunt.] Sic & Deus ex scriptura veritatis nobis demonstrat, quod ad correctionis cautelam nobis proficiat, aut ex retributione iustitiæ ad grauiùs delinquendum in cumulum damnationis excrescat. Scriptum est enim in libro Regum, dicente Michæa propheta, *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli adsistentem ei à dextris, & à sinistris. & ait Dominus, Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus coram Domino, & ait, Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, In quo? Et ille ait, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus, Decipies, & præualebis, egredere, & fac ita.* Quid sit adstare malignum spiritum Domino, & quid sit quod interrogasse malignum spiritum Dominus dicitur, & qualiter loquatur Deus ad malignum spiritum, & malignus spiritus ad Deum, beatus exponit Gregorius in Moralium libris deuotioni lectorum notissimis. Sequitur in historia libri Regum, *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium propheta-*

Cap. 36. — Ib. in fine. — 3. Reg. 22. 19. — Moral. 2. cap. 4.

rum tuorum qui hîc sunt. & Dominus locutus est contra te malum. & pôst aliquanta, *Vnus autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel*, id est Achab, *inter pulmonem & stomachum.* & paulo pôst, *& mortuus est vespere*, & completus est in eo sermo Domini per manum Michææ prophetæ, de quo anteà locutus est idem Achab ad Iosaphat regem Iuda quærentem prophetam Domini, *Remansit*, inquit Achab, *vir vnus per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* videlicet quoniam vera illi dicebat, & ideò odiebat eum, diligens mendaces ministros, & sibi impios: vnde scriptum est, *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios.* Qua de re timendum est regi, & cunctis mendacio credere volentibus, quasi Deus aut falli potuerit, aut fallere quemquam in se rectè credentem in iudicio velit, aut indebita misericordia in crimine consistenti, atque crimen ipsum neganti, & se tentanti debeat misereri, qui etiam pauperi in iudicio vel sub obtentu pietatis misereri prohibuit, ne propter alia perpetrata peccata, de quibus non satisfecerunt Domino, ex retributione iustitiæ, à mendace spiritu seducantur, vt intereant, & in alium laqueum decepti cadant, sicut de quibusdam Paulus dicit, *Quoniam cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, propterea tradidit illos Deus in desideria cordis illorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua, mercedem erroris sui in semetipsis recipientes: & quoniam non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt.* & ad Thessalonicenses, *Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt ad hoc vt salui fierent, idcircò immittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, quatinus iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Vnde S. Augustinus in tertio libro De Trinitate, loquens de præstigiis à magis Pharaonis Moysi resistentibus factis dicit, Intelligi, inquit, datur, ne ipsos quidem transgressores angelos, & aërias potestates, in imam istam caliginem, tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis ætheriæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quicquid possunt, valere aliquid nisi data desuper potestate. Datur autem, vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios, & in ipsos etiam magos data est, vt in eorum spirituum seductione viderentur admirandi, à quibus fiebant Dei veritate damnandi: vel ad admonendos fideles ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis scripturæ auctoritate sunt prodita: vel ad exercendam, probandam, manifestandámque iustorum patientiam. Neque enim parua visibilium miraculorum potentia Iob cuncta quæ habebat amisit, & filios, & ipsam corporis sanitatem.] Quicquid angeli transgressores mali faciunt, non ipsis seruit ad nutum creatura corporalis, sed Deo,

Prou. 29. 12

Rom. 1. 21.

2. Thess. 2. 10.

Cap. VII.

à quo datur poteſtas. Nec ideò putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiem, ſed Deo potiùs à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi & ſpiritali ſede incommutabilis iudicat. Nam & damnatis iniquis etiam in metallo ſeruit aqua, & ignis, & terra, vt faciant inde non quod volunt, ſed quantum ſinitur.]

INTERROGATIO IX. ET RESPONSIO.

SED concedamus vt fraus in iudicio fuerit operatione diaboli, qui licèt perdiderit Angelici ſpiritus gloriam, ſed non amiſit naturæ ſubtilitatem, & permittente Domino, aut pro infidelitate non rectè credentium, aut pro purgatione fidelium, vt Iudam plenum iniqua voluntate Chriſto communicantem ſtrangulauit, & Paulum poſt tertij cæli raptum colaphizauit, ad maxima exercenda occulto, ſed nuſquam iniuſto, permittitur diuino iudicio, ſicut per magos Pharaonis multa acta ſunt, quæ Moyſes propheta Domini fecerat. Et ad probationem Iob aëra ſunt commota, ignis de cælo aërio oues puerósque conſumpſit. Et Antichriſtus per ſe ſuóſque miniſtros multa operaturus eſt, ita vt in errorem inducantur etiam ſi fieri poteſt electi. Et per Pythoniſſam ſpecies Samuëlis oſtenſa eſt. Et in libro Dialogorum, ſcribente S. Gregorio, legimus, *Quia de inuento idolo, & ad horam caſu in coquinam proiecto, exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiuſdem coquinæ ædificium conſumeretur oſtendit: cúmque iactando aquam & ignem quaſi extinguendo perſtreperent, pulſatus ab eodem tumultu vir Domini Benedictus aduenit, qui eundem ignem in oculis fratrum eſſe, in ſuis verò non eſſe conſiderans, caput protinus in orationem inflexit, & eos, quos phantaſtico reperit igne deludi, reuocauit fratres ad oculos ſuos, vt & ſanum illud coquinæ ædificium adſiſtere cernerent, & flammas, quas antiquus hoſtis finxerat, non viderent.* Et in Petri Itinerario de Clementis patre legitur, quòd vt à fidelibus interficeretur, à Simone mago, quem deſeruerat, vnguento perunctus, eiuſdem Simonis imaginem omnium oculis referebat, ſolus Petrus eum qui erat intuebatur, & orans diſcipulos ad eorum oculos reuocauit, & deluſo phantaſmate intuentium obtutibus ſpeciem propriam reddidit. Sed & in vita Ioannis monachi quondam parentes filiam ſuam operante dæmone equam eſſe cernebant. In Euangelio quoque legimus de duobus diſcipulis cum Chriſto pergentibus ac dubitantibus, quia oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Quod impedimentum in oculis eorum non incongruenter accipimus à ſatana fuiſſe, ne agnoſceretur Ieſus: ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad ſacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci. Sic & non mirum, ſi in iudi-

Lib.II.c.XI — Luc.24.16.

cio, exigente incredulitate hæsitantium atque in fide dubitantium, talia permittat Dominus fieri, qui talem se exhibuit in oculis dubitantium foris, qualis habebatur apud eos intus. quod factum est in eorum oculis, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliud quàm res est opinantibus. Sicut & beatus Gregorius de Maria dicit, quæ Dominum quærebat, quem resurrexisse minimè credebat. Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non agnoscebat, cúmque illi & amor ostenderat, & dubietas abscondebat.] Et præfatis duobus discipulis ambulantibus in via, non quidem credentibus, Dominus apparuit, sed eis speciem quam recognoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foras Dominus in oculis corporis, quod apud eos agebatur intus in oculis cordis. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud eos erat in mente. Et sanctus Augustinus in libro De doctrina Christiana, Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, aruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibuscumque rebus suspendendis atque illigandis.] Quæ omnia tantùm valent, quantum præsumptione animorum. quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis cruciantis sollicitudinem mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando factum est vt valerent. Et ideò diuersis diuersa proueniunt, secundùm cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones eius viderint.] Et venerabilis presbyter Beda in commento libri Samuelis dicit, Si quem verò mouet, quomodo mulier arte dæmonica prophetam post mortem inquietare & suscitare potuerit, sciat pro certo, aut falsam tunc vmbram quærentibus ostendisse diabolum, aut si verè Samuel extitit, tantùm in his agendis licere diabolo, quantum Dominus permiserit. Nec mirum pro quibusdam secretioribus caussis talia maligno spiritui permitti, cùm & Saluatorem constituerit in pinnam templi, & Iob petierit acceperítque tentandum. Quòd si phantasiam potiùs immundi spiritus fuisse quod apparuit credimus, neque hoc turbare debet quomodo talis vera & prophetica narrare potuerit. Nouimus enim diabolum multa sæpe futura, quæ ab Angelis sanctis didicerit, præscire vel prædicare posse: sed eo minus illius dictis auscultandum, quo cuncta, quæ loquitur agitve apud homines, seducendi studio facit.] Quod ne eueniat per insidias dæ-

Hom. xxv. in Euang.

Lib. II. c. xx.

Ibid. c. 24.

Lib. IV. cap. VII.

I. Pet. 5. 9.

monum, monente Apostolo resistamus diabolo, fortes in fide, *quæ vincit mundum, & per quam sancti vicerunt regna*, & de qua firmiter credentibus dicitur, Fiat tibi secundùm fidem tuam. Et Apostolus, Postulet autem in fide nihil hæsitans. Et si ad probationem fidei nostræ acciderit, (vtile est enim, etiam sanctis, tentationum flammis examinari, vt vel tentati quia fortes fuerint appareant, vel cognita per tentationem sua infirmitate fortiores fieri discant, & sic cùm probati fuerint, accipiant & ipsi coronam vitæ,) de diuinis non causemur iudiciis, quæ interdum occulta sunt, sed nunquam iniusta. Nec mirum videri debet, si in huiusmodi iudicio calliditate diabolica fraus quæcumque Deo permittente interuenit, cùm & aqua baptismatis in se fidelis, vt Ambrosius dicit, est in aliquibus & aqua mendax. Non sanat baptismus perfidorum, non mundat sed polluit. vnde & secundùm decreta canonum, & sancti Innocentij, atque aliorum Pontificum Romanorum, in nomine sanctæ Trinitatis ab hæreticis baptizati per manus impositionem gratiam Spiritus sancti accipiunt: non autem in sanctæ Trinitatis nomine baptizati baptizari iubentur. Sed numquid, quoniam fraus reperitur in baptismo hereticorum, baptisma non probabitur Catholicorum? & si fraus inuenitur in iudicio propter fidem incredulorum, lex purgationis abiicietur à consuetudine credulorum? Sicut enim priuata vel fraus publica semper est punienda, ita vt scriptum legimus, consuetudo quæ publicis vtilitatibus non impedit, pro lege est retinenda. Quapropter, si & in hoc iudicio per quodcumque ingenium fraudulentia reperitur, duplicata iudicij vltione, siue pro peccati admissione, siue pro infideli inlusione, causa in quæstionem ratione docente reueniat.

Matt.9.29.

Iacob.1.6.

Sed & de sacramenti purgatione in S. Gregorij Epistola ad Secundinum Episcopum Taurominitanum legimus, quòd Leonis Chartularij femina, quæ relicto eo pro fornicationis crimine religiosam vestem induerat, ab ipso sibi præstito sacramento, quoniam post initum coniugium in adulterij culpam lapsus non fuerit, inconsulto Episcopo ad virum suum redierat, & idcirco cum familia sua fuerat excommunicata. Vnde idem sanctus Papa decreuit, vt mox eius absolueretur familia. Et si manifestè constaret quia coniugi suo eadem femina dicere nihil potuerit, sed insuper suspicio ipsius per sacramentum fuerit amputata, atque post hoc sua ad eum sponte reuersa, vt & in ea censura temperaretur iudicij, nec longo iam tempore priuaretur communione. Et item ad Candidum Abbatem, Denique vt ad satisfactionem posset omnino sufficere, fecimus vt etiam dato corporaliter sacramento firmaret nihil se in fraude versatum, aut aliquid occultasse, sed omnia integrè prodidisse.] Cui rei si quis, quod non credimus, contrariam adferre quoquomodo tentauerit voluntatem,

Lib VIII. epist. XXXII

Lib VII. epist. XVII.

ille quidem reum se ante Deum esse nouerit, qui nititur ea, quæ vtiliter sunt finita, rescindere. nam eidem decisioni, transactioníque nihil se derogare cognoscat.] Et ad Præiectam, Valdè, inquit, Ecclesiasticæ est moderationi conueniens, vt quæ ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari.] De qua sacramenti purgatione sæpè audiuimus, quia plures in eo fraudem facere solent, cum ingenio iurantes, sed potiùs peierantes: quia, sicut legimus, ita sacramentum à Deo diiudicatur, sicut ab eo, cui per id satisfieri solet, in fide recipitur. Sed & in eadem sacramenti purgatione fraus facta, quin potiùs periurium factum detegitur, sicut & in iudicio diabolica astutia & permissione diuina, euenire posse à nobis non denegatur. Et de iuramento doloso in Regum libris, & Machabæorum, atque in Propheta de sacramento regi facto infideli, quæ non impunè cesserunt, inuenimus, vnde suprà nos sufficienter dixisse putamus.

Lib VII. Ind. II. epist. LX.

INTERROGATIO X.

QVARTO capitulo nobis petimus remandari, si hæc causa, vnde iudicium factum audiuimus, & quidam etiam vidimus, in iudicium fuerit reuocata, qualiter idem debeat canonicè ordinari iudicium, & vtrum de secreta confessione, vt dicitur, commissa Episcopis, vel in iudicio porrecto libello, eadem femina debeat iudicari: vel si acciderit vt eundem libellum coacta porrigat, aut eidem inuita subscribat, si per huiusmodi commenta à maritali toro legaliter valeat remoueri.

RESPONSIO.

QVOD & si in hoc, vt suprà diximus de quo loquimur iudicio euidentibus indiciis fuerit demonstratum, sicut sanctus Fabianus Papa & martyr constituit, ordinetur iudicium. Quoniam, inquiens, in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, & accusatores, ac defensores, & testes.] Quia sicut Leo scribit ad vniuersos Episcopos per Cæsaream & Mauritaniam constitutos, Neminem possumus iudicare, nisi in præsentia positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustæ possit subiacere sententiæ.] Et S. Augustinus in libro De pœnitentia, Plerumque autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ nouerunt, quia documentis sæpè deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione quemquam prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, siue sæculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi

Epist. II. Epist. XCI. Hom. L.

vtrumque audet adſumere, vt cuiquam ipſe ſit & accuſator & iudex? Cuiuſmodi regulam etiam hîc Paulus breuiter inſinuaſſe intelligitur, cùm quibuſdam talibus commemoratis criminibus, Eccleſiaſtici iudicij formam ad hæc ſimilia ex quibuſdam daret. Ait enim, Scripſi vobis in epiſtola, non commiſceri fornicariis, & reliqua. Et item, Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis ſeruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec quidem cibum ſumere.] Sed ſciendum eſt, quia eam nominationem hîc Apoſtolus intelligi voluit, quæ fit in quenquam, cùm ſententia ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam ſi nominatio ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpè falsò in quoquam crimine nominantur. Noluit enim in homine iudicari ex arbitrio ſuſpectionis, vel etiam extraordinarij vſurpato iudicio, ſed potiùs ex lege Dei ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiue vltrò confeſſum, ſiue accuſatum atque conuictum. Et in Concilio Toletano, Dignum eſt vt vita innocentis non maculetur pernicie accuſantium. Ideo quiſquis à quolibet criminatur, tam accuſatus quàm accuſator præſententur, atque legum & canonum ſententiæ exquirantur, vt ſi indigna ad accuſandum perſona inuenitur, ad eius accuſationem quiſquam non iudicetur, nec condemnetur.] Et in Carthaginenſi Concilio, Quærendum eſt in iudicio cuius conuerſationis & fidei ſit is qui accuſat, & is qui accuſatur. Item in eodem: Teſtes autem ad teſtimonium non admittendos, qui nec ad accuſationem admitti præcepti ſunt, vel etiam quos ipſe accuſator de domo ſua produxerit.] Et ſanctus Cornelius Papa & martyr, beatúſque Felix Romanus Pontifex, & omnes illius ſedis Pontifices decreuerunt, vt caueant iudices Eccleſiæ, ne abſente eo cuius cauſa ventilatur, ſententiam proferant, quia irrita erit, & etiam rationem pro actione in præſentia fratrum dabunt, exceptis deſignatis cauſis quas ſingillatim leges Eccleſiæ exprimunt, ſicut & leges publicæ modum certum denominant, quo abſentes iudicio debeant condemnari, id eſt, vt ſi tam famoſiſſimum crimen ſit, & in crimine famoſiſſima perſona, vt neque teſtes ad conuincendum neceſſarij habeantur, nec ipſius indigeatur præſentia, ſicut Ambroſius in Epiſtola ad Corinthios dicit, Iudicis, inquiens, non eſt ſine accuſatore damnare, quia & Dominus Iudam, cùm fur eſſet, quia non eſt accuſatus, minimè abiecit. Vt tolleretur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit. cognito opere iſto, pellendum illum fuiſſe de cœtu fraternitatis. Omnes enim crimen eius ſciebant, & non arguebant. Publicè enim nouercam ſuam loco vxoris habebat. in qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiuerſatione aliqua poterat tegi crimen. Ego quidem ſicut abſens corpore, præſens autem ſpiritu, id eſt, abſens facie, præſens autem auctoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt, iam iudicaui vt præſens eum qui hoc admiſit.

1.Cor.5.

1.Cor.5.9.

Conc.Tol. VI.can.xi.

Conc.Afr. cap.95.

Cap.98.

1.Cor.5.

Et quoniam alterius est loci & temporis demonstrare, quibus & quantis aliis modis secundùm leges Ecclesiasticas absentes possint & debeant iudicari, quod nunc ad rem pertinet, quódque Valentina Synodus sequens Romanam Ecclesiam demonstrauit, in medium deuocemus, videlicet, *Vt si quis se reum, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis pronuntiauerit. neque enim*, inquit, *absolui potest, qui in seipso dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, cùm omnis qui sibi fuerit mortis causa maior homicida sit.* Quod in Ecclesia, nec de secreta confessione, nec per alium potest fieri: quanto minus per sacerdotes, quibus non licet sibi confessa publicare peccata, nisi per illum ipsum qui peccatum commisit, id quod malè egerat fuerit propalatum? De quo etiam prouidere quantum potuerit debet Episcopus, ad cuius hoc curam noscitur pertinere, vt non errore seductus, aut timore coactus, quisquam mendaciter in se dicat, vnde vel se, vel Ecclesiam lædat, quia inde etiam est decretum, vt extorta confessio, vel coacta subscriptio, nihil vigoris obtineat, B. Alexandro martyre glorioso, & post B. Petrum quarto Apostolicæ sedis Pontifice iudicante, *Si ab huiusmodi*, inquit, *personis, quod omni est Christiano nomini inimicum, quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel vt se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium aut nocumentum prouenire censemus, neque vllam eis infamiam vel calumniam, aut à suis sequestrationem bonis, vnquam, auctore Domino, & sanctis Apostolis, eorúmque successoribus, sustinere permittimus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait, Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ, & cetera quæ sunt ad hæc pertinentia.* & item, *Ampliùs autem respicit Deus ad cogitationes, & spontaneas voluntates, quàm ad actus, qui per simplicitatem, aut per necessitatem fiunt. Confessio verò non extorqueri debet in talibus, sed potiùs sponte profiteri. Pessimum est enim de suspicione aut extorta confessione quemquam iudicare, cùm magis inspector cordis sit Dominus quàm operis, & potiùs requirit cogitationes puras, & voluntates bonas, quàm verba mendacia.* Talis enim in Ecclesia fieri debet ab illo qui peccauit confessio, sicut scriptum est, *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Prior, inquam, vt & vocem accusatoris diaboli, & faciem Domini in confessione præuenias, vt iustificeris, non vt condemneris: quia ipsa etiam Ecclesiastica excommunicatio, non æternaliter pœnalis, sed temporalis est atque medicinalis, tantùm vt conuertatur peccator ad illum, & viuat, qui non vult mortem peccatoris, sed vitam. Et iterum scriptum est, *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Vnde Hieronymus, *Ex malis verbis dubium non est quòd damnetur à Deo homo qui ea protulit: iustificari autem ex bonis verbis nullo modo potest, nisi de intimo cordis ea recta intentione proferat. Bona etiamsi sint, & non recto studio fuerint prolata, iustificare loquentem non poterunt, sicut nec Caïphas*

Can.4.
Epist.1.
Epist.1.ad omnes orthodoxos.
Matt.15.19.
Post pauca.
Isa.43.26.
Ioan.11.50.

phas interpretando iustus inuentus est, qui dixit, Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Illa ergo verba iustificant loquentem, qui bona quæ ore profert medullitus corde retinet, & sancta intentione profert. In verborum enim pondere operatio consistit vitæ humanæ : quia, vt Salomon ait, Mors & vita in manibus linguæ. Et capitulis Augustorum decernitur, *Vt qui timore compulsus seruum se esse extra iudicium dixerit, nullum præiudicium libertatis incurrat, donec iudicio præsentetur, vt libertatem suam, si eam probauerit, præsente iudice obtineat, aut si seruus conuincitur, statim Domino reformetur.* Prou.18.21

Debent nimirum Episcopi, videlicet iudices animarum, magnopere prouidere, & sæculi hominibus intimare, ne in accusandi, vel testificandi, aut iudicandi negotio, quasi sub prætextu futuræ confessionis ac pœnitentiæ, suggestio diabolica latenter eis subripiat, dicens non verbo, sed hortamento, cuicumque post concupiscentiam cordis sui ire desideranti, Intende, inquit diabolus, vt compleas quod desideras, ne de eo vincaris quod cœperas : melius tibi est posteà pœnitentiam agere, quàm victum dehonestari. Testificantibus autem suggerit, Ingenium potestis capere, vt ita pareat quod dicitis verum esse. Iudicibus verò diabolus sæpè suadet, vt dicant, Quomodo possum aliter? sicut audio iudico. Vnde audiant, & exaudiant quæ scripta sunt, *Væ vobis qui iustificatis vos coram hominibus, Dominus autem nouit corda vestra.* &, *Si oculus tuus*, id est intentio tua, *simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* &, *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* &, *Falsus testis non erit impunitus.* Et legant quod dicit sanctus Hieronymus in commentario Matthæi, *Falsus*, inquiens, *testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur.* quanto magis qui illa dicit quæ dicta non sunt? Et tali cogitationi, quam diabolus, siue prauè intendentibus, siue testificantibus, siue iudicantibus, de obtentu pœnitentiæ proponit, quod idem sanctus Hieronymus in eodem libro dicit, opponant. Ait enim de Iuda, *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus dicens, Peccaui tradens sanguinem iustum. Auaritiæ magnitudinem impietatis pondus exclusit. Videns Iudas Dominum adiudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum mutare sententiam. Itaque licèt mutauerit voluntatem suam, tamen voluntatis primæ exitum non mutauit. Si autem peccauit ille qui tradidit sanguinem iustum, quanto magis peccauerunt qui emerant sanguinem iustum, & offerendo pretium ad proditionem discipulum prouocarunt? At illi dixerunt, Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Nihil profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando sic frater peccat in fratrem, vt emendare valeat quod peccauit, potest ei dimitti : sin autem permanent opera, frustrà voce adsumitur pœnitentia, hoc est quod in Psalmo de eodem infelicissimo Iuda dicitur, Et oratio eius fiat in peccatum, vt non*

Luc.16.15. Matt.6.22. Matt.7.2. Prou.19.5. Matt.27.3. Psal.108.7.

solùm emendare nequiuerit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprij homicidij crimen addiderit. Timeamus omnes hanc veram sententiam, caueamus hanc perniciosissimam erga deceptionem nostram diabolicæ malignitatis astutiam, qua fraudulenter diabolus etiam sub pœnitentiæ spe nos deludit, & ex consilio nos in culpa ligat, quòd cùm ab statu iustitiæ peccando concidimus, plerumque simul & in laqueum desperationis cadimus, & à radice spei funditus euellimur. Hinc est quòd per Prophetam Dominus, non tam præcipitationum praua quàm delictorum studia reprehendit dicens, *Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum.* Hinc iterum iratus dicit, *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.* Quoniam igitur à peccatis aliis, vt dicit beatus Gregorius, differunt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam Dominus praua facta quàm studia prauitatis insequitur. In factis enim sæpè infirmitate, sæpè negligentia, in studiis verò malitiosa semper intentione peccatur. Et ipse in cathedra pestilentiæ sedet, qui tanta iniquitatis elatione extollitur, vt implere malum etiam per consilium conetur. Hinc ergo colligant qui in culpa se etiam per consilium ligant, qua quandoque vltione feriendi sunt, qui nunc prauorum non socij sed principes fiunt.] Cauenda est etiam callidi hostis versutia, qui mentem quam peccato supplantat, cùm de ruina sua adflictam respicit, securitatis pestiferæ blanditiis seducit, & ei spes ac securitates vacuas ante oculos vocat, quatenus vtilitatem tristitiæ subtrahat. Modò enim aliorum facta grauiora, modò ei verecundiam de promissione sua, quam prauè adimplere promiserat, opponit: modò nihil esse quod perpetratum est, modò misericordem Deum loquitur, modò vtilitatem, vel quodcumque emolumentum aut gratiæ vel honoris corruptæ menti obiicit: modò malum aliud, quod de malo minori excludi potest, ostendit, modò adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur, vt dum per hæc decepta mens ducitur, à malo cœpto non reuocetur, & ab intentione pœnitentiæ suspendatur: quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, & tunc pleniùs obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Sæpè etiam speciali malo duplicium corda ingenio artis antiquæ peruertit, vt dum peruersa & duplici actione ceteros fallunt, quasi præstātiùs ceteris prudentes se esse glorientur. Et quia districtionem retributionis non considerant, de damnis suis miseri exultant, de quibus Propheta dicit, *Ecce dies Domini venit magnus & horribilis super omnes ciuitates munitas, & super omnes angulos excelsos.* quia ira extremi iudicij humana corda, & defensionibus contra veritatem clausa destruit, & duplicitatibus inuoluta dissoluit. Attendant & accusatores fortè innocentium, & testes dolosi, & iudices, quod eis dicitur, *Væ his qui condunt leges iniquas, scribentes iniustitias.* Et quod per Susannam dicit violenta passio in-

Hier. 4. 4.
Hier. 21. 14.
Pastor. III. cap. XXXII.
Soph. I. 16.
Esa. 10. 1.

lata ab iniuſtitia. habet enim vocem ſuam, ſicut & miſericordia, de qua ſcriptum eſt, *Abſconde eleemoſynam*, id eſt miſericordiam, *in ſinu pauperis, & ipſa orabit pro te.* Ait enim violenta paſſio, inlata ſicut diximus ab iniuſtitia, *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequàm fiant, tu noſti quoniam falſum teſtimonium tulerunt aduerſum me, & ecce morior, cùm nihil horum fecerim quæ iſti malitioſè compoſuerunt aduerſum me.* Exaudiuit autem Dominus vocem eius, & reddidit preſbyteris, qui erant conſtituti iudices populi in anno illo, & falſum tulerunt teſtimonium, iuxta quod malum egerant erga proximum, qui interfecti ſunt. Et attendentes, quia multi præſentaliter etiam corpore moriuntur, vt Ananias & Saphira, & qui communicantes, vt Paulus dicit, non diſcernunt corpus Domini: multi autem in corpore viuunt, ſed pro actu malo ſunt anima mortui, ſicut illa de qua ſcriptum eſt, *Viuens mortua eſt.* ſemper autem anima quæ peccat moritur, & perſeueranter peccantes duplici contritione conterentur, quando ponentur ſicut clibanus ignis, & induentur ſicut diploide confuſione ſua, cùm perdentur corpore & anima in gehenna. Hæc dicimus non tollentes iuſta iudicia, ſed timentes ne iudicemus ſcientes iniuſta, non prohibentes teſtificari vera, ſed refugientes mendacia.

Eccleſ.29. Dan.13.42. 1.Tim.5.6.

Sed & quia ſuperiùs, & ex aliorum inſtitutione doctorum, ſufficienter ordinem diffinitionis de cauſa vnde agitur ex decretis beati Gregorij demonſtrauimus, adhuc non piget oſtendere quem modum in inquiſitione & diffinitione huiuſmodi quæſtionis debeamus tenere. Ait enim, ſi de cauſa poſt initum coniugium agitur, ad Adrianum notarium, *Agathoſa*, inquiens, *latrix præſentium queſta eſt maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio Vrbici Abbatis eſſe conuerſum. Quod quia ad eiuſdem Abbatis culpam & inuidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquiſitione diſcutiat, ne fortè cùm eius voluntate conuerſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Et ſi hoc repererit, & illum in monaſterio permanere prouideat, & hanc, ſicut promiſit, mutare compellat. Si verò nihil horum eſt, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet vxorem relinquere, prædictam mulierem commiſiſſe cognoueris, ne illius conuerſio vxori relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, vel ſi iam tonſuratus eſt, reddere omni debeas excuſatione ceſſante. Nam excepta fornicationis cauſa, virum vxorem relinquere diuina lex nulla ratione concedit: quia poſtquàm copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte in ſæculo remanere.* Et quia vna lex viri & vxoris hinc conſtare dinoſcitur, demonſtrat in epiſtola, quam ſuprà poſuimus, ad Secundinum Epiſcopum Taurominitanum, *Præſentium*, inquiens, *portitor Leo Chartularius ad nos veniens indicauit, vxorem ſuam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementiùs ſtimulatam aiebat, atque ob hoc religioſam veſtem induerat, culpabilem nullatenus*

Lib.IX. epiſt. XLIV. Lib 8.ep.32.

extitisse, neque post initum coniugium in fornicationis culpam conlapsum. adiiciens quoque quòd eidem vxori suæ districtissima sacramenta præbuerit, insontem se ea de re, vnde illam mordebat suspicio, permansisse, & idcircò propria eam sponte ad se reuersam. Sed quia communione illam cum familia sua pro hoc solo à fraternitate vestra priuatam asserit, quòd ad eum clàm postpositis vobis redierit, volumus vt familia quidem ipsius sacram communionem recipiat, & dominæ eam culpa in huius adflictionis pœna diu non teneat. De ipsa verò, id est, de vxore prædicti portitoris, hoc vos obseruare necesse est, vt si manifestè constat, quia contra coniugem suum dicere nihil potuit, sed insuper suspicio ipsius, præstito vt edocti sumus sacramento, amputata est, atque post hoc sua ad eum sponte reuersa est, & in ea quoque ita temperanda est censura iudicij, vt longo iam tempore communione minimè priuetur.

INTERROGATIO XI.

ET quia maritus à coniuge, vel vxor à marito, per scripturam secretæ confessionis se non possint disiungere, sicut Episcopus ab Ecclesia sibi commissa, vel gradu, aut quilibet in ordine Ecclesiastico, ab officio se non præualet si voluerit remouere, sicut auctoritate Ecclesiastica suprà studuimus demonstrare.

RESPONSIO.

NEQVE libello secretæ confessionis porrecto publicæ pœnitentiæ quisquam debet submitti, nec per scripturam directam, vel ab alio porrectam, valet condemnari, sed vnde publicè debet iudicari, publicè & in præsenti positus debet aut conuinci, aut confiteri. Ad Nicetam Aquileiensem Episcopum scripsit magnus Leo Papa dicens, *In præsenti positus, aut confutatus, aut certè confessus, iustæ potest subiacere sententiæ: quia contrarium est rationi, eorum illos cernere pœnas, quorum non valent nescire causas.* Quem etiam ordinem iudicandi demonstrat scriptura diuina, dicentibus de criminata accusatoribus in iudicio præparato, *Mittite,* inquiunt, *ad Susannam filiam Helchiæ vxorem Ioachim, & miserunt. Et venit cum parentibus & filiis.* Et post datum testimonium, *condemnauerunt iudices eam ad mortem.* qua liberata, veritate eam liberante, puniti sunt falsi testes iuxta quòd malum in proximum egerant. Sed & deprehensa in adulterio, oblata corporali præsentia, non per alienum testimonium vel scripturam, quòd Ecclesiasticæ & Romanæ prohibent leges, est accusata. cuius etiam confessio subinnuitur, cùm ei à Domino dicitur, *Nemo te condemnauit? & illa, Nemo Domine.* Pilatus quoque de Domino, tanquam latrone comprehenso atque ligato, per cohortem, sicut Augustinus dicit, legitimo ordine potestatis seruato, & per ministros Iudæorum, & ab Anna Caiphæ, atque à Caipha in prætorium sibi transmisso dicit, *Obtulistis mihi hunc hominem.* Quémque audiens esse de potestate Herodis, remisit eum ad

Dan. 13.

illum, docens nos de sæcularibus sæcularium Christiana & iusta expectare iudicia, & tunc Ecclesiastica videlicet medicinalium iudiciorum malagmata debere infirmis imponere, hoc idem Apostolo demonstrante, quando adhuc inter infideles conuersabantur fideles. *Iam delictum est*, inquit, *inter vos, quia indicamini apud extraneos, & non apud fratres. Sæcularia igitur iudicia si habueritis inter vos, contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad iudicandum.* Vnde Gregorius in regula pastorali, *Vt saltem terrenis negotiis inseruiant, quos dona spiritalia non exornant.* Et Augustinus in Enchiridio, *Cùm sint talia iudicia fieri necessaria, non vetari, sed apud fideles debere iudicari demonstrat.* Et Ambrosius, *Quia ergo sunt*, inquit, *sapientes fratres, aliqui horum eligantur ad iudicandum, quorum iudicium veretur mundus. Magnus enim pudor est, si inter eos qui dicuntur Deum cognouisse, non inuenitur qui examinare possit iudicium. Quomodo enim homicida pœnitens pacem sumet Ecclesiæ, antequàm cum litigantibus pacificetur? Quomodo indulgentiam accipere poterit discors, antequàm caritatis glutino vniatur? Quomodo rapax dignos pœnitentiæ fructus aget, antequàm iuxta Dauid iudicium, & Zachæi exemplum, aut emendando, aut satisfaciendo, placationis hostiam offerat qui rapinis crudeliter insudauit? Vel quomodo soluetur coniugium, nisi decernentibus Christianis legibus, quibus fuerat auctore Domino copulatum, vel quia non initum, sed magis vsurpatum contra Christianas leges fuerat, extiterit demonstratum?* Et hoc quomodo ordinabiliter fieri poterit, nisi legibus humanis ab eo inspiratis, per quem conditores legum iusta decernunt? Vnde sanctus Gelasius ad Anastasium Imperatorem, *Si*, inquit, *quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?* Vt alibi scriptum est relegentes, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, Cæsari quidem nummum, tributum, & pecuniam, honorem debitum, quandiu ipse Dominum fideliter honorauerit, & vectigal, Deo autem decimas, primitias, oblationes, ac victimas, atque continuam seruitutem: quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro, & Deo reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. Et sanctus Augustinus in Sermone sexto Euangelij Ioannis, *Noli*, inquit, *dicere quid mihi & Regi? quid tibi ergo & possessioni? per iura Regum possidentur possessiones.* Sic & per legalia iudicia, iusta, quoniam Christiana, sæcularium negotiorum dirimendæ sunt quæstiones. Et de libello, vel secreta confessione, idem decernit Leo, inquiens, vniuersis Episcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum, salutem, *Magna indignatione commoueor, & multo dolore contristor, quòd quosdam ex vobis comperi Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos.* Et post aliquanta, *De pœnitentia scilicet, quæ à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libel-*

1. Cor. 6. — Epist. x. — Matt. 22. 21 — Ep. xcvi.

lis scripta professio publicetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare, remoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedat. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Hinc colligant quique, si canones sacri iubent excommunicare Episcopum, quandiu non communicauerit illi, quem sibi dicit crimen secretè fuisse confessum, vtrum debeat aut audeat aliquis de secreta confessione, siue per libellum siue per verbum credita, quemcunque publicæ pœnitentiæ legibus subdere, quanto minus coniugium legaliter initum sine certa & manifesta ratione dissoluere. cùm idem Leo ad omnes Episcopos per vniuersas prouincias constitutos terribiliter intonet dicens, *Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.*

Conc. Afr. can. 99.

Leo epist. 1. in fine.

INTERROGATIO XII.

QVINTO capitulo nobis rescribite, ex auctoritate scripturarum, & traditione patrum, de stupro, atque aborsu quæ scripta contineantur, cum auctorum nominibus & designatione librorum, vt scire possimus, vtrum tali modo, sicut dicitur, femina possit concipere, & post aborsum virgo valeat permanere, sicut de ista dicitur accidisse. & si deprehensa fuerit hæc ante coniugium crimina perpetrasse, vtrum in coniugio debeat aut valeat permanere.

RESPONSIO.

DE stupro denique & aborsu, quæ sæpè dictæ obiecta fuisse audiuimus mulieri, ne secundùm coniecturam humani arbitrij decernentes, æquissimum iudicem Dominum offendamus, ad sanctarum scripturarum paginas recurramus: Ait enim liber Deuteronomij, *Si duxerit vir vxorem, & posteà eam odio habuerit, quæsierítque occasiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit, vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni illam virginem, tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt: & dicet pater, Filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat, Non inueni filiam tuam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Et expandet vestimentum coram*

Deut. 22. 13

senioribus ciuitatis, adprehendéntque seniores vrbis illius virum, & verberabunt illum condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem Israël, habebítque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ. Quòd si verum est quod obiecit, & non est inuenta in puella virginitas, eiicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis eius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui, & auferes malum de medio tuî. Et de incesto in Leuitico scriptum est, *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius, ego Dominus. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis.* & item, *Omnis anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de populo suo.* & item, *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illáque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt, occidentur in conspectu populi, eo quòd turpitudinem suam mutuò reuelauerint, & portabunt iniquitatem suam.* Vnde sanctus Augustinus, *Quid ait in hoc loco viderit, nisi concumbendo cognouerit, sicut alibi in lege dicitur, Cognouit vxorem suam, pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait, peccatum suum accipient, nisi quia ipsam pœnam peccati peccatum voluit appellari.* Et quia necessitate coacti, sicut & Apostolus, qui quodam loco de quibusdam dixit, *Quæ in occultis agunt turpe est etiam dicere*, constrictus necessitate apertissimè ad Romanos redarguit masculos in masculos turpitudinem operantes, & feminas naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam mutantes, velimus nolimus, timentes comminationem dicentis Domini, vt suprà longè præmisimus, *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc erubescet filius hominis coram Angelis Dei*, adhuc ponemus in hac causa de libro Geneseos, *Introiens*, inquit, *Onan filius Iudæ filij Iacob patriarchæ ad vxorem fratris sui Her primogeniti Iudæ, qui fuit nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est, semen fundebat in terram, & idcircò percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.* Et scriptum est in libro Leuitici, *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, vterque operatus est nefas, morte moriantur.* Vnde & leges Romanæ decernunt in capitulis de stupratoribus, quod legens quisque inueniet. Et si de masculo cum masculo ita decernitur, quam adinuentionem leges inuenient de masculo & fratre cum sorore ex concubitu masculi Sodomitano? Sanctus nihilominùs Augustinus in libro secundo ad Valerium Comitem, de nuptiis & concupiscentia scribit, *Quod autem ait*, inquiens, *Apostolus de improbis, Relicto naturali vsu feminæ exarserunt in desideria sua in inuicem masculi in masculos turpitudinem operantes, non dixit vsum coniugalem, sed naturalem eum volens intelligi, qui fit membris ad hoc creatis, vt per ea possit ad generandum sexus vterque misceri: ac per hoc, cùm eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est vsus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & coniuge quisque vtatur,*

Leuit.18.
Leu 20.17.
Gen.4.
Ephes.5.12.
Luc.9.26.
Genes 38.9.
Leuit.20.13.
Cap.20.
Rom.1.27.

Rom.1.26. *contra naturam est & flagitiosum. Denique priùs idem Apostolus de feminis dixit, Nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam. Deinde masculis in masculos turpitudinem operantibus relicto vsu feminæ naturali, non de isto nomine, id est naturali, coniugalis est laudata commixtio, sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt, quasi inlicitè feminis, sed tamen naturaliter vterentur.* Et item in libro De bono coniugali, *Cùm verò*, inquit, *vir membro mulieris non ad hoc concesso vti voluerit, turpior est vxor si in se, quàm si in alia fieri permiserit.* Et in secundo libro De adulterinis coniugiis, *Si autem se non continet, licitè nubat, ne turpiter generet, aut turpiùs concumbendo non generet. Quamquam hoc, quod vltimum dixi, nonnulli faciunt etiam licitè coniugati. Inlicitè namque & turpiter etiam cum legitima vxore concũbitur, vbi prolis conceptio deuitatur. quod faciebat Onan filius Iudæ, & occidit illum propter hoc Dominus.* Sic etiam interdum & solo visu, cùm turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. *Quod tamen plerumque*, vt S. Gregorius in libro Moralium vigesimo primo dicit, *ex loco vel ordine concupiscentis discernitur: quia scilicet sic hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sicut illum adulterij inquinat culpa.*] Et in epistola ad Sabinum subdiaconum regionarium, *Cùm plerumque*, inquit, *quod in laicis culpa est, hoc crimen sit in sacro ordine constitutis, quanta in eis districtione puniendum sit piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis vtitur non ignorat.*] & item in præfato libro, *In personis tamen non dissimilibus isdem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, quia ab adulterij reatu discernitur, prædicatoris egregij lingua testatur, qui inter cetera asserit dicens, Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt. Quod enim disiunctæ reatui sententiæ subdidit, quoniam valdè à se diffideat ostendit.* Et Augustinus in libro De bono coniugij, *Malum est fornicatio, peius adulterium: peius est enim alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere. Et peior est incestus, quia peius est cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere: & semper de malo ad peius, donec ad ea perueniatur, quæ, sicut ait Apostolus, turpe est etiam dicere.*] Et sanctus Ambrosius in libro De Abraham, *Offerebat sanctus Lot filiarum pudorem. Nam etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundùm naturam coire, quàm aduersum naturam delinquere.* & item in Epistola ad Corinthios, *Si tamen apostatet vir, aut vsum quærat vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum.* Hæc ad exaggerationem criminis collecta sunt, vt hinc colligatur quantum mali sit fratris cum sorore incestus, etiam concubitu masculi Sodomitano, si fortè causa ita se habet, quæ vtraque per se perpetrata in Heptatico morte Domino præcipiente multantur: & eorum assertio nefandissima destruatur, qui adstruunt non esse scelus Sodomitanum, nisi quando intra corpus, id est, in membro obscenæ partis corporeæ, videlicet intra aqualiculum fornicatur, malè & impropriè testimonio abutentes Apostoli, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo,*

Marginalia: Cap.xi. — Cap.xii. — Cap.ix. — Lib.viii. epist.v. — Moral.xxi. cap.ix. — 1.Cor.6.9. — Cap.viii. — Ephes.5.12. — Genes 16. — Lib.1.c.6. — Cap.vii. — 1.Cor.6.18.

mo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Sed talis est, vt aiunt, huiusmodi pollutio, ac si de digito suo fricet quis lutum per manum suam, vel inter femora sua, & ex eodem luto manum suam abluat. similiter & hæc femina post balneum ab hac pollutione lota penitùs extitit. Qui hæc dicunt, non catholici, sed Cynici, id est propter impudentiam canini hæretici sunt habendi, sicut sanctus Hieronymus in Epistola ad Ephesios demonstrat, exponens sententiam Apostoli qua dicit, *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Nisi, inquiens, philosophorum quidam Cynicus extitisset, qui doceret, omnem titillationem carnis, & fluxum seminis ex qualicumque attritu tactúque venientem in tempore non vitandum, & nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem & erubescendam hæresim consensissent, nunquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios, ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset, sicut decet, inquit, sanctos: ex quo sanctus non potest appellari, quicumque extra fornicationem in aliqua immunditia & auaritia voluptatum, quibus se delectauerit, inuenitur. *Hoc enim scitote*, inquit Apostolus, *quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*] Et suprà in libro secundo, *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ.* Omnes in auaritia desperantes se, inquit, in ritum irrationabilium bestiarum cœno voraginíque mergentes, tradiderunt impudicitiæ atque luxuriæ, operantes quicquid corpus voluerit, mens desiderauerit, libido suggesserit: & cùm nihil omninò prætermiserint quod immundum sit, hoc totum fecêre in auaritia, dum nunquam luxuriando saturantur, nec eorum terminum habet voluptas, aut certè vltra concessam viri ad feminam coniunctionem, ad maiora conscendunt, masculi in masculos turpitudinem operantes. Turpitudo enim est, vt idem doctor in tertio tomo eiusdem epistolæ exponit, abscondita cogitatio, cùm inflammatur sensus ad libidinem, & carnis titillationibus anima ignita succenditur, & nihilominus Dei timore & mentis iudicio refrænatur. Vnde constat, quia sicut idem dicit Apostolus ad Romanos, cùm masculi in masculos, vel feminæ in feminas, siue masculi in feminas, vel quilibet per se ipsos modo quolibet turpitudinem operantur, immunditia est, quæ separat operantem à regno Dei, & in inferna demergit, sicut isdem dicit Apostolus, *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Vnde & Isidorus in secundo libro sententiarum dicit, Omnis immũda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersæ turpitudinis voluptate prostituatur. Ex delectatione enim fornicandi varia gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Et S. Prosper in libro De virtutibus & vitiis, Hinc quòd ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus sine culpa, interdum vigilanti-

Ephes. 5. 3.

Ephes. 5. 5.

Ephes. 5. 5.

bus contingat ex culpa. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur, hîc turpiter concupiſcentia publicatur. Sed hæc concupiſcentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda conloquia ſordidum cõmouet appetitum.] Hunc ſordidum appetitum habent etiam feminæ, vt exponens Apoſtolum dicit Ambroſius, in feminas turpitudinẽ operantes. Quæ carnem ad carnem, non autem genitale carnis membrum intra carnem alterius, factura prohibente naturæ, mittunt: ſed naturalem huiuſce partis corporeæ vſum in eum vſum qui eſt contra naturam commutant. quæ dicuntur quaſdam machinas diabolicæ operationis nihilominùs ad exæſtuandam libidinem operari: & tamen fornicantes in corpus ſuum peccant. Similiter & maſculi in maſculos turpitudinem operantes, id eſt, ardorem libidinis euaporantes, & voluptatem carnis, quæ ſe delectat, explentes, qui ab Apoſtolo maſculorum concubitores appellantur, & molles, qui huic turpitudini voluptuosè ſuccumbunt. Sed & qui tollit membra Chriſti facit membra meretricis, adhærens meretrici, cum qua vnum corpus efficitur. Et qui cum Deo ſacrata, vel cum cognata, & cum ea quam cognatus habuit, vel cum vxore alterius, aut cum pecore, ſeu cum femina contra naturam flagitiosè peccat, vel qui ſemetipſum, per ſe, manu vel alio quolibet modo polluit, ardorem libidinis explens, fornicatur, & tanto damnabiliùs, & inde in pœnis grauiùs, ſi dignè non pœnituerit, tormentandus, quanto quiſque contra naturam ſceleratiùs in corpus ſuum peccat: quia vt ſanctus Auguſtinus, & ceteri doctores exponunt, in expletione fornicationis ita cum corpore & mens carnalis penitùs abſorbetur, vt nihil aliud tunc vel cogitare præualeat. Et peccatum hoc non tantùm contingit, quantum poſſidet polluendo corpus & animam: de quo cùm pertranſiit actus, adeò manet reatus, vt & inter ipſius pœnitentiæ gemitus ſtimuli priſtinæ delectationis miſerabiliter ſoleant excitari. & talium omnium facinorum patratores, ſicut teſtatur Apoſtolus, excluduntur à regno Dei, niſi antequàm de corpore exeant, per luctuoſam confeſſionem & profuſas lacrymas, atque eleemoſynarum largitionem, dignóſque pœnitentiæ fructus, cum multa afflictione carnis, & contritione ſpiritus, tantorum abluere ſtuduerint maculas criminum. Nemo igitur dicat, non perpetrare eum peccatum Sodomitanum, qui contra naturam in maſculum vel in feminam turpitudinem operatur, & attritu, vel attactu, ſeu motu impudico, ex deliberatione & ſtudio immundus efficitur. qui, vt docet Apoſtolus, à regno Dei excluditur, cùm alia etiam peccata, contra iura naturæ vſurpata, Sodomæ reputata Sodomitica appellentur, dicente ad ciuitatem peccatis plenam Domino per Prophetam, *Hæc fuit*, inquit, *iniquitas ſororis tuæ Sodomæ, otium, ſaturitas panis, & abundantia*. Et Iudæi peccantes coram Domino, ab Iſaia principes Sodomorum, & populus Gomorrhæ vocati ſunt. qui inter alia iniquitatum ſuarum

Rom. 1.

Ezech. 16. 49.

Eſa. 1. 10.

nefaria posuerunt puerum in prostibulo, & epheborum pretium in marsupiis. quorum dominati sunt effeminati, qui loco epheborum, quasi ad matronarum custodiam spadones effecti, impudicitiæ & immunditiæ adsciti, atque subacti libidini, quæ etiam ferreas mentes vt dicitur domare solet, seruire & libidinosis dominari diabolica adinuentione fuère reperti. Et huiusmodi vitia non solùm sacrilegio, verùm & idololatriæ, cuius mercedi sunt reddita, vt ostendit Apostolus, deputantur, sicut scriptum est de gulosis; *quorum Deus venter est*, & de luxuriosis, *& gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*. Deum quippe scriptura gloriam appellauit, quæ dicit, *Mutauerũt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. & de auaritia, *quæ est idolorum seruitus*, scriptura testatur. Sic & de aliis, atque ex aliis, studiosus lector in scripturis inueniet. De aborsu verò in Exodo scriptum est, *Si litigabunt duo viri, & percusserit mulierem in vtero habentem; & exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum postulatione. Si autem formatus fuerit, dabit animam pro anima.* Et de conceptu in Euangelio scriptum est, *Quod enim in ea natum est*, quod sine dubio, vt exponit Gregorius, *conceptum est* dicitur. Nam tunc primùm Ioseph hæsitare cœpit, quia tumentem sponsæ suæ vterum vidit. Hinc reuoluamus ex lege quomodo fiat secundùm naturam conceptio. *Mulier*, inquit, *quæ suscepto semine pepererit masculum siue feminam*, & de parturitione siue formati, siue vt præmisimus informati, quod mulier, siue masculini, siue feminini generis, parit vel abortit, scriptum est, *Omne quod aperit vuluam.* Notandum quia scriptura perhibet mulierem suscipere semen, scilicet coitu virili per genitalem venam immissum in vuluæ secretum, baiulante matrice, sicut & physica lectione comperimus, & non, vt hæc adinuentio dicit, semen sibi attrahere, vel adsumere alibi, vel aliunde emissum. & in emissione, quod de immisso semine conceperat, vuluam adaperiri eadem scriptura testatur, videlicet pro primo partu, quæ seruare clausuræ integritatem non potuit, etiam in primo naturaliter coitu. Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus adstruere nefas credamus. A sæculo enim non est auditum, nec de sub isto cælo in scriptura veritatis est lectum, vt vulua feminæ sine coitu semen susceperit, atque conceperit, & clauso vtero, & inaperta vulua, seu integra carne, viuum vel abortiuum pepererit, excepta sola singulariter beata & benedicta Virgine Maria, cuius conceptio non naturæ fuit, sed gratiæ, dicente ad eam Archangelo, *Aue gratia plena*, in quam Spiritus sanctus superuenit, qui ei ex virgineo semine, virgineóque sanguine, sine voluntate carnis, & sine voluntate viri, fœcunditatem prolis contulit, virginitatem non abstulit. quæ sicut carne integra, & vulua non adaperta, id est clauso vtero concepit, ita non aperta vulua, sed clauso vtero peperit, simúlque & mater extitit, & perpetuò ac semper virgo

Philip. 3. 19. Philip. 3. 19. Psal. 105. 20. Ephes. 5. 5. Exod. 21. Matth. 1. 20. Leuit. 12. 2. Exod. 34. 19. Luc. 1.

permansit. Virgineum quippe, vt legimus, vnde virgines quæ carne integræ sunt vocitantur, id est pelliculam, quæ in eis in concubitu primo corrumpitur, in emissione cuiuslibet partus integram permanere natura non patitur, & postquam virgineum illud corrumpitur, virgo femina non habetur. Sed & in scriptura legimus veritatis, quoniam hac diabolica adinuentione, quæ de ista femina & suo fratre refertur, Onan cum vxore sua quærens explere libidinem, & nolens nasci filios, concumbebat, qua de re à Domino percussus interiit. Vnde non credimus tali concubitu hinc feminam potuisse concipere. Hæc ideo Episcopi dicimus, non quòd puellarum virginalia, vel feminarum secreta, quæ experimento nescimus, scientibus reuelare, aut nescientibus insinuare velimus. Sed quoniam scriptum est, *Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam*, idcircò quæ in Ecclesiæ magistrorum scriptis relegimus, ante oculos reuocamus, vt si in huiusmodi deprehensa, ad nos de iudicio iustorum iudicum petens pœnitentiam venerit, sine errore eam iudicare possimus.

Genes. 38.

Iob 29. 16.

Quapropter & addimus, vt si domnus noster Rex prædictam feminam inuenit virginem, cur eam denotari quasi stupratam consentit? Si verò illam virginem non inuenit, quare tamdiu eam retinuit, vel cur de illa iudicium examinationis recepit? Verùm illi nobilissimi laici coniugati, & æquissimi iudices, qui de hoc iudicare debebunt, meliùs nobis & citiùs per se scire, & licentia maritali ab vxoribus discere præualebunt, vtrum tali modo, sicut de ista audiuimus, femina quælibet possit concipere. Et necesse est illis hoc sollertiùs & curiosiùs vestigare, ne fortè in hoc iustitiæ & æquitatis iudicio possint quocumque errore interprendere, quod vt de talibus personis ad tantorum notitiam poterit peruenire, & quo de iudicio plurimi exemplum studebunt accipere. Nos autem, vt huius negotij expertes, quæ legimus dicimus, & non inde ampliùs aut scire quærimus, aut inuestigare volemus. Viderint autem legum iudices, si verum inuentum fuerit quod de hac femina dicitur, scilicet vt ante desponsationem, quamdiu in sua vel eius de quo denotatur potestate extitit, indecens quid tale admisit, & postquam viro iuncta est, illi se soli seruauit, vtrum eam morte condemnari decernent, siue per legem Romanam, aut per illorum leges, vel quibus illa femina est subiecta, vel per quas illi eam voluerint iudicare. Sunt enim diuersæ vt gentes, ita & earum leges, quas, si Christianæ sunt, in suis ordinibus, quæ iusta sunt decernentes, Ecclesia sancta non reiicit. Nos autem, sicuti Balaæ notam, & criminis pœnam nosse qui de consilio post edictum Domini dato refugimus, ita neminem mori decernimus, sed omnes saluos fieri volumus, qui neminem perire desideramus. neque legibus sanctis & iustis, quas hactenus sancta Ecclesia, & Episcopalis religio tum acceptauit, tum sustinuit, violentiam vllam inferre molimur.

Sed tenendam esse, absque respectu cuiuscumque personæ, viam re-

giam in exquendo iudicio commonemus, ſicut magnificus doctor Gregorius ad Domitianum metropolitanum Epiſcopum ſcribit, Hortamur, inquiens, fraternitatem tuam, vt & veritatem cum omni ſtudeat ſubtilitate perquirere, & ita contentionibus partium ſecundùm iuſtitiam citiùs finem imponere, ne pars quæque in iudicio ſe pati præiudicium conqueratur. Nam ſicut ſine iudicio quemquam nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint, nulla patimur excuſatione differri.] Et ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem ſcribit, vnde in hac cauſa quiſque ſanus, ſapiens, & rectè intendens, ſimilitudinem & exemplar non incõgruum poterit ſumere. Ait enim, Si qualis fuit in requiſitione cura, talis fuiſſet in diſcuſſione ſubtilitas, nihil ex hoc, quod de fratre noſtro dictum eſt, fuiſſet ambiguum, ſed vtrum verum, an eſſet compoſitum, patuiſſet, quia iam contra ipſum dudum in Sicilia, apud reuerendæ memoriæ fratrem noſtrum Maximianum Epiſcopum, talis quæſtio, vt cognouimus, mota eſt: ſed quia cauſa ipſius ſubtili omnino inueſtigatione quęſita eſt, omnino inuentus eſt innocens, qui fuerat accuſatus in crimine. Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta ſunt, non ſub illa qua decuit diſtrictione quæſita ſunt, & geſta, quæ exinde apud fraternitatem veſtram confecta ſunt, neque ad condemnationem, neque ad abſolutionem eius probantur poſſe ſufficere, non leuis res agitur, quæ aut incautè, vel in tranſcurſu debeat diffiniri. Nam graue eſt ſatis & indecens, vt in re dubia certa dicatur ſententia. Et hæc quidem geſta eſſe poterant ad diffiniendum idonea, ſi accuſati ea confeſſio ſequeretur, ſi tamen eandem confeſſionem ſubtilitas examinis ex occultis eiiceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, vt noxios ſe fateri etiam cogantur innoxij. Nam poſtquam præfatus Epiſcopus, vt dicitur, cruciari cuſtodia, cremarique fame ſe aſſerit, ſcire debetis, ſi ita eſt, vtrum noceat ſi ſic fuerit extorta confeſſio. Numquid quando ſententiam tales cauſæ ſuſcipiunt, & ad ſedem Apoſtolicam appellatur, non & perſona quæ iudicatur præſens eſt, & diſtrictiſſimè atque ab omni latere veritas quæritur, vt tunc ſi debeat necne manere ſententia decernatur? Et ideò poſtquam & perſona abſens eſt, & geſta quæ ad nos tranſmiſiſtis, nobis, ſicut præfati ſumus, idoneè ſatisfacere non videntur, temerè aliquid de fratris perſona decernere nec debemus, nec poſſumus, ne quod abſit reprehenſibiles inueniamur in noſtris, quibus aliorum iure competit retractare ſententias.] Et ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum dicit, Emendatio & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falſa opinio non adfligat.] Et ad Columbum Epiſcopum ſcribit, Quia ſatis peruerſum & contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, vt fruſtra pro quorundam voluntatibus quis priuetur, quem ſua culpa vel facinus ab officij quo fungitur gradu non deiicit.] Hinc ergo colligãt iudices, quia ſi de ſtupro fe-

Lib. VIII. epiſt. L.

Lib. VIII. epiſt. XXXI.

Lib. III. epiſt. LXIII.

Lib. X. epiſt. VIII.

mina reputatur, iſdem qui ei vim intulit, vel eam ad ſcelus pellexit, accerſiendus eſt, & magis per illũ cauſa inueſtiganda, & ipſe inuehendus, atque ſecundùm legem examinandus eſt, & vel legali iudicio liberandus vel puniendus eſt. præſertim cùm ſicut audiuimus parentum loco ipſe eã legaliter marito tradiderit, quem ſecundùm Domini per Moyſen præceptum, oportet, etiam ſi virgo in coitu primo inuenta non eſt, aut indicia certæ virginitatis oſtendere, aut obiectionibus ſtupri concredere, ne fortè eos qui iuſtè iudicare cupiunt, quæcumque ſuſpicio mordeat, & qui potiùs ſtudent & valent alienis detrahere, quàm ſua ſtatuere, locum derogandi inueniant, dicentes, Femina in cuſtodia minis & afflictionibus perterrita, nihil aliud niſi quod ei iubetur audet aut valet dicere. Veniat ille qui in ſua libertate eſt, & legaliter, aut quod ei impingitur defendens liberetur, aut illis de quibus reputatur, quoniam non ſolùm particeps, ſed etiam auctor & executor criminis eſt, concredens legaliter puniatur: & aut in liberatione illius, iſta quæ in cuſtodia eſt, & propter timorem ſuper ſe mendaciũ dicit, legaliter liberetur, aut in punitione illius legaliter puniatur, ſicut in primo libro legis Romanæ capitulo ſexto de ſtupratoribus, & in capitulo ſeptimo de inceſtis & turpibus nuptiis præcipitur, & in ceteris, quæ Chriſtiana iura depromunt, iuſti iudices legere poſſunt. Iniuſtum eſt enim oppreſſam iterum opprimi, & opprimentem de libertate ſceleris gloriari, quod valde ſanctus Gregorius ad Goduinum Neapolitanum Ducem & immaniſſimè deteſtatur, dicens, Satis mirati ſumus quòd in milite illo, qui ancillam Dei diabolica inſtigatione perdidit, diſtrictiſſima vindicta hactenus facta non fuerit. Nam & moribus & bonitati veſtræ valde conueniens fuit, vt antè ad nos vltio, quàm perpetratæ culpæ iniquitas perueniret. Hortamur vt ſine excuſatione aliqua, vel modò qualis vobis feruor ſit erga caritatis cuſtodiam demonſtrantes, ita pro exemplo aliorum diſtrictè emendare tantum facinus feſtinetis, vt Deum vobis, in cuius ille hoc iniuria perpetrauit, timore eius neglecto deſpexit, placabilem faciatis. nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.] Et terræ principes non ſurda aure debent audire quod dicitur, *Anathema in medio tuî, non poteris ſtare coram inimicis tuis.* Et item ſanctus Gregorius ad Syagrium ſcribit Epiſcopum, Quia ſatis noxium atque pernicioſum eſt, vt imitatione prauè agentis deſtruantur qui de punitione illius ædificari bene debuerant. In qua re non ſolùm ille culpabilis, ſed etiam qui non reſtiterit inuenitur. Nam conſentire videtur erranti, qui corrigenda vt reſecari debeant non concurrerit.]

Lib. XII. epiſt. V.

Ioſ. 7.

Lib. VII. epiſt. 117.

Et nemo dicat, tam peruerſus homo non ad iudicium vocandus, ſed quaſi iam iudicatus damnandus eſt. Audiat quod in Euangelio Ioannis ſcriptum eſt dixiſſe Nicodemum ad principes Iudæorum de Ieſu, quem ante iudicium comprehendere rogauerunt. Scriptum

est enim, *Nicodemus tamen vnus ex Pharisæis, qui ad Dominum nocte venerat, respondit Iudæis, Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso priùs, & cognouerit quid faciat?* Et Dominus, *Nolite secundùm faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.* Et sanctus Gregorius ad Sabinum subdiaconum de presbytero, qui Sodomiæ nefario scelere & idololatria denotabatur, scribit, Quorumdam, inquiens, relatione perlatum est, quia Sisinnius Regitanæ ciuitatis presbyter, quod auditu ipso intolerabile nimis est, idolorum venerator ac cultor sit, adeò vt in domo sua aliquod idolum positum habere præsumeret. Sed & quod non dissimile nefas est, Sodomiæ illum scelere maculatum. Et ideò quia tanti facinoris iniquitas districta ac subtili inuestigatione quærenda atque plectenda est, hac tibi auctoritate præcipimus, vt vigilanti studio, & diligenti omninò cura perquiras: & si qua indicia adprehendere huius rei potueris, eum in custodia districta, quousque nobis renuncies, redigas, vt qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus.] Et si quis dixerit, non audet isdem peruersus homo ad rationem venire, audiatur consilium sancti Gregorij de Frontinianistis hæreticis, qui ad rationem deducendam aliter adduci non poterant, quod scribit ad Maximianum Salonitanum Episcopum, De Frontinianistis, inquiens, fraternitas tua sit omninò sollicita, & sicut cœpit studeat, quatenus ad sinum sanctæ Ecclesiæ reuocentur. Si qui verò ad me venire voluerint, & rationem recipere, priùs iusiurandum præbeant, ac promittant, quòd in eorum errore etiam ratione recepta non persistant. & postmodum eis tua sanctitas promittat, quia à me nullam violentiã patiantur, sed rationem reddo, si veritatem cognouerint, suscipiant, si non cognouerint, inlæsos dimitto. Si qui verò cõtra vos sine iuramento ex eis ad nos venire voluerint, minimè eos fraternitas tua retineat, quia venientes, aut rationem recipient, aut scito quia terram illam vlteriùs non videbunt.] Et in Carthaginensi Concilio scriptum est, *Placuit*, inquit, *vt accusatus, vel accusator, in eo loco, vnde ille est qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficile testes perducere, vbi causa finiatur.*] Et si quis dixerit, adduci non potest ad iudicium, quia fultus aliorum patrocinio regum rebellionem tenet contra regem. qui pro hoc crimine, & etiam pro aliis, eum vellet in iudicium mittere si posset, istam quam habet ad iudicium ducit. ante oculos habeant domini nostri Reges veridicam sententiam regis regum, qui est veritas & iudex viuorum ac mortuorum, qua dicit regi auxilium præstanti contra iustitiam, *Impio*, inquiens, *præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitia iungeris. Idcircò iram quidem Domini*, id est mortem, *merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Propterea timeant reges, qui talibus hominibus iniustè patrocinium præbent, de quorum tuitione Deum offendere possint, & Ecclesiæ ac pauperes Christi, & humiliores homines op-

Ioan. 7.
Ioan. 7.
Lib. VIII. epist. V.
Lib. VIII. epist. XXXVI.
Can. 30.
2. Paral. 19.

primuntur & deuastantur, & iusta iudicia exerceri non possunt. ne fortè si tanta & talia bona propria non habuerint, quæ tanto malo possint obsistere, sine vllo obstaculo pereant, aut bona quæ habent pro alieno malo, cuius fiunt participes, ante Dei oculos perditi fiant, licèt humano iudicio & corpore sani putentur. Sed & ne sententiam scripturæ incurrant, qua dicitur, *Perit iustus pro impio.* Et ne aliquis eis peruersè interpretetur sententiam Deuteronomij, *Non tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit. habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet, nec contristes eum*, audiant quomodo illam beatus Augustinus exponat. Septuaginta, inquit, dicunt, Non trades puerum domino suo, qui appositus est tibi à domino suo: non quòd eum dominus apposuerit, id est, commendauerit, potiùs enim depositum diceret, sed appositum dixit à domino suo, id est, adiunctum cùm ab illo abscessisset. Non ergo suscipi sed reddi potiùs prohibuit fugitiuos. Hoc quidem putari potest iniustum, nisi intelligamus genti & populo ista dici, non vni homini: sed ex alia itaque gente refugientem ad istam gentem, cui loquebatur, hominem à domino suo, id est, à rege suo reddi prohibuit. Quod etiam alienigena seruauit rex Geth, quando ad eum refugit Dauid à facie domini sui, hoc est, regis Saul. Apertissimè autem hoc explanat, cùm dicit de ipso refuga, *In vobis habitabit in omni loco vbi placuerit ei.* Hoc autem regnum de multorum manibus in manu parentum nostrorum regum Deo gratias fuerat adunatum, & vnum regnum vna est Ecclesia, quæ illorum diuisione, qui sicut vnus homo, & vnus rector in vno regimine esse debent, diuidi nullatenus debent. Nec dici debet, vt inter principes nostros de vna gente, vel de vno regno, ad aliam gentem, vel ad aliud regnum quisque refugiat, sed potiùs in vno regno, sicut Christianos decet, & in vnitate Ecclesiæ matris consistant. Ad quam Ecclesiam confugientes quòd patrocinium habere debeant, sanctus Gregorius ad Ioannem Episcopum Caralitanæ ciuitatis scribit, Si qui, inquiens, de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasè refugerint, ita debet causa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, vt eis sacramento ab his quorum interest de seruanda lege & iustitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Ad cuius instar principes nostri catholicæ filij diuinis mandatis obedire debent, memores quòd teste Deo manu propria firmauerunt. videlicet quia huiusmodi homines non solùm non tueri, atque contra legem vel rationem defendere, verùm vel recipere deberent, nisi ad hoc vsque, vt ad reddendam rectam rationem venirent. Quidam autem ex eisdem regibus qui hoc firmauerunt, adhuc Deo gratias corpore viuunt, & quidam migrauit ad Dominum. Sed pro patre nati sunt filij, à quibus secundùm legem Romanam, quam

Deut. 23.
1. Reg. 27.

quam prædecessores eorum Imperatores & reges condiderunt, & seruauerunt, & populos per eam feliciter rexerunt & correxerunt, actio, quæ ab auctore inchoata est, vt ab heredibus peragenda est: quique ita prædecessorum suorum bene statuta debent in omnibus conseruare, sicuti sua constituta à suis successoribus cupiunt conseruari. Et non leue regibus vel quibuscumque aliis videatur infringere quod suis student manibus roborare, quia ex diuina doctrina, & Apostolica traditione, tam maxima res semper ab ipsis primis sæculis manus confirmatio fuit, vt de ipsis Apostolorum vicariis, illi ipsi Apostolorum vicarij supercælesti auctoritate decreuerint, *Vt qui contra suam subscriptionem in aliquo venerit, ipse se priuet honore.* Et non dicant reges, hoc de Episcopis & non est de regibus constitutum: sed attendentes quia si sub vno rege ac sacerdote Christo, à cuius nominis deriuatione christi Domini appellantur, in populi regimine sublimati & honorati esse desiderant, cuius honore, & amore, atque timore, participatione magni nominis domini & reges vocantur, cùm sint homines sicut & ceteri, & partem cum his in regno cælorum habere volunt, qui sacro peruncti sunt chrismate, quod à Christi nomine nomen accepit, qui exinde vnxit sacerdotes, prophetas, reges, & martyres, ille vnctus oleo lætitiæ præ consortibus suis, quique fecit eos in baptismate reges & sacerdotes Deo nostro, & genus regium, ac regale sacerdotium, secundùm Apostolos Ioannem & Petrum: intelligant & credant se in oculis Dei priuari regij nominis & officij dignitate, quando si illud placitum Deo fuit quod manu firmauerant, faciunt contra manus suæ conscriptionem, licèt illud nomen vsurpent ante oculos hominum terrena & instabili potestate: quoniam sicut viuunt reges boni & iusti in suis legibus bonis & iustis, quando per eas premuntur & puniuntur noxij, & releuantur ac liberantur innoxij, ita viuunt Apostolici viri in regulis promulgatis & suis manibus confirmatis, quibus iudicati sunt contra illas agentes ex illa die qua constitutæ sunt. Et sicut Apostolus de illa dicit, quæ viuens mortua est, ita & talis transgressor, licèt illi qui nunc Apostolorum vices retinent, eum, aut quia ignorant, aut quia dissimulant quod actum est, non adiudicent, si se non ante vltimum diem correxerit, inter damnandos in iudicio de maioribus dumtaxat transgressionibus positus iudicabitur. *Lex enim non est posita iustis*, sicut dicit Apostolus, sed transgressoribus, & sceleratis, homicidis, & parricidis, ac fornicariis, atque reliquis præuaricatoribus. Nam non sine causa scriptum legitur, quoniam verba Decalogi digito Dei sint scripta. Valituram quippe in perpetuum legem illam esse decreuit, quam digito, id est spiritu suo scripsit. Et de electis Dominus in Euangelio dicit, *Gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo.* De reprobis autem Hieremias propheta dicit, *Recedentes à te Domine in terra scribentur.* Non autem pueriliter sapien-

Apoc. 1. 1. Pet. 2. Apoc. 16. 1. Tim. 1. 9. Luc. 16. 10. Hier. 17. 13.

dum est, quasi Deus ad remedium obliuionis bonos in cælis, malos scribat in terris: sed salubriter intelligendum, quòd siue cælestia, seu terrestria quis opera gesserit, per hæc quasi litteris adnotatus apud Dei memoriam sit æternaliter adfixus. in hoc iure demonstrans, vt quod quisque iustè & rationabiliter manu firmauerit, inuiolabiliter ac perseueranti conseruet iustitia. nec inaniter suum nomen qui ad baptizandum venit, si ætatem habet, aut patronus pro puero, sed & publicè pœnitens ad reconciliationem accedens, scriptum nomen proprium ex traditione Ecclesiastica donat, quod super sacrum altare inter sacramentorum cælestium celebrationem ponitur, & recitandum ad locum per sacerdotem Domino commendatur. In sacris nihilominus dypticis non friuolè nomina fidelium tam viuorum quàm defunctorum scribuntur, & infidelium de eisdem dypticis etiam post mortem diuino iudicio, si conscripta fuerant, eraduntur. Sed fortè quasi principali fulti licentia dicunt principes, Quid magni mali contra Deum facio, vel quis me inde iudicabit, qui super omnes consisto, si præceptum, vel edictum, quod manu confirmo, aut infringo, aut non attendo? Primùm quidem attendant, quia si illi super alios sunt, super illos Deus est: & si prauè egerint, & se non correxerint, tanto grauiùs iudicabuntur, quanto in throno regni ceteris celsiùs præponuntur. Reges enim & Sacerdotes subditorum prauè acta corrigunt: sed obliuisci non debent, quia illorum mala per ipsum Dominum iudicabuntur: nec surda aure debent audire quod scriptum est, *Potentes potenter tormenta patientur, exiguo autem conceditur misericordia.* Deinde legant historiam sancti Abrahæ, qui chartam confirmationis à venditore sepulcri coniugis suæ coram filiis & populo terræ pro tam magno accepit, vt etiam adoraret in terra populum terræ, filios videlicet Heth, quatenus id obtineret audita concessione illorum, & quàm magni hoc pendere debeant inuenire valebunt. Sed & in lege de hac confirmatione sufficienter inuenient, quæ tantùm & ante aduentum Christi viguit vt etiam Pilatus ex antiqua consuetudine instructus, poscentibus Iudæis vt refragaretur quod in Christi titulo scripserat, dixerit, *Quod scripsi, scripsi*, nolens infectum vel immutatum esse quod fecerat. Quod & longè antè firmatum dominica stipulatione fuerat, sicut Psalmo superscriptum est, *Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Et quàm certissimæ stabilitatis ac firmitatis credi debeat chirographum, id est, manu scriptum, in libro Tobiæ legitur, & in Euangelio de conscriptis cautionibus demonstratur. Sed quidam Principes, quod Deus à nostris Christianis principibus longè faciat, fortè non prouident, quia post illos infirma firmatio illorum manet, & ipsi decedunt, & sicut sanctus Augustinus dicit, Transit actus, & manet reatus. Quod suum erat locis sanctis donant per confirmationem, & sibi vsurpant per oc-

Sap. 6.7.
Genes. 23.
Ioan. 19.22.
Psal. 74.

cupationem, quod vt sæculi pauperiores non obtinent per deprecatam præstationem: immò & sibi auferunt, & locis sanctis non tribuunt, & vnde sibi debuerant operari remedium, perpetrant sacrilegium. & si sacrilegium perpetrant de suis non bene datis, considerandum est quantum sibi periculum faciunt de rebus ab aliis Deo donatis, & à se contra Deum & ipsi Deo ablatis. Vnde S. Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconum scribens. *Sacrilegum*, inquit, *& contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studiis suis tentauerit compendiis retinere.* Et sacri canones, *Clerici*, inquiunt, *vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donauerunt Ecclesiis vel Monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quovsque reddant, ab Ecclesiis excludantur.* Quapropter sciant quia cum peccatis propriis, pro omnibus etiam illorum peccatis qui easdem res pro redemptione animæ suæ dederunt, in futuro iudicio punientur: & non postponant qui fortè confirmant inconsultè quod fidelibus vel amicis suis donant, & sine iudicio auferunt, quando quæ dederant ad memoriam pœnitendo reducunt. non adtendentes, quia illi vadunt de sæculo, cùm exit de corpore anima, & remanet in sæculo terra, & tenetur à vacuo possessore rerum illarum confirmationis regiæ charta, & cùm suspirant corda, prouocantur ad maledicendum fortassis non sine peccati pondere labia. cùm vtrumque prouidendum erat, ne videlicet inconsultè quiddam rex daret, nec sine iudicio cuiquam æquitatis quiddam auferret, néve post iudicium de ablatis charta indisrupta maneret. Scriptum est enim, *Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet.* Melius itaque & rationabilius esset, vt per rationem disrupta charta putresceret, & laus æquitatis eorum maneret, quàm charta confirmationis maneret, & nomen laudis putresceret. Sed fortè hæc legentes vel audientes principes dicent, *Bene nos castigauerunt Episcopi. nihil per præcepta donabimus, ne iterum reprehendamur.* Econtra audiant quid voce castigantium propheta conqueritur dicens, *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in praua actione confusa, verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, & tamen ad recta salutis itinera redire contemnit. Et per Sapientiam, *Sicut acetum*, inquit, *in nitro, ita ei qui cantat carmina cordi pessimo.* Cùm acetum in nitro mittitur, efferuescit protinus & ebullit. sic plerumque & corda potentium, qui de potentia tument, & non se de humanitate humiliant, veluti Abraham Domino dixit, humilians se de exaltatione conlocutionis eius, *Loquar ad Dominum meum cùm sim cinis & puluis.* Quando correptionem castigantis missi Domini audiunt, ex tumore cordis in verba contradictionis erumpunt, Dare sanctis locis vel fidelibus viris non vetuerunt

Lib. VIII. epist. VII.

Concil. Agath. c. 4.

Prou. 10. 6.

Hier. 51. 9.

Prou. 25. 20

Gen. 18. 27

Psal.75.12. Epiſcopi, cantantes omnibus, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*, &, Eccli.32.24 *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* &, Leuit.19.15. *Non facias quod iniquum eſt, neque iniuſtè iudicabis.* &, *Iuſtè iudica proximo tuo.* Sicut non vult princeps ſibi tolli à fortiore ſuo quod Deus illi conceſſit, ita & ipſe non ſine æquitatis iudicio auferat à quoquam vel quod dedit, vel quod Tob.4.16. non dedit, quia ſcriptum eſt, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Sed Luc.16. potiùs etiam atque etiam prædicauerunt Epiſcopi, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* &, Exod.9. *Quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec locus, nec ratio eſt apud inferos, quò tu properas.* Et ſicut iſta quæ vtilia & honeſta ſunt prædicauerunt Epiſcopi, ita nihilominus prædicant vt turpem notam regio nomini rex à ſe feſtinet abſcondere, & quantum poteſt abluere, & per ſingulos dies, & per ſingulos actus, memor ſententiæ Deuteronomij Deut.23.12. dicentis, *Habebis locum extra caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ, gerens paxillum in balteo: cúmque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies quò releuatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos: vt ſint caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Naturæ quippe corruptibilis pondere prægrauati, à mentis noſtræ vtero quædam cogitationum ſuperflua, & ab actionis noſtræ opere regimini indigna, quaſi ventris grauamina erumpunt, & portare ſub balteo paxillum debemus, qui rectores in populo ſumus, vt videlicet ad reprehendentes noſmetipſos ſemper accincti, acutum circa nos ſtimulum compunctionis habeamus, qui inceſſanter terram mentis noſtræ dolore pœnitentiæ confodiat, & hoc quod à nobis fœtidum erumpit abſcondat. Ventris quippe egeſtio foſſa humo per paxillum tegitur, cùm mentis noſtræ ſuperfluitas, vel operationis noſtræ reprehenſibilis fœditas, ſubtili redargutione diſcuſſa, & honeſta operatione correcta, ante Dei oculos per compunctionis ſuæ ſtimulum & correctionis bonum celatur. Perpendendum eſt etiam, quia antiqui reges & Imperatores ſuis legibus ſtatuerunt, vt charta confirmationis quinque, vel ſeptem, aut decem, vt ſcribit Ambroſius, teſtibus roborata conſtaret. Sed & iure ciuili in conſcriptione chartarum conditionalis conſtitutio ponitur, quo diſpendio, qui eandem chartam infringere tentauerit, fiſco multetur, & accuſator accuſationis ſcripturæ ſubſcribens, ſe à conditione mutare non poterit. De ſua autem confirmatione nihil ſcripſerunt, quia principis manus, 1.Reg.18. ſicut de Dauid in Regum libro dictum legimus, pro decem millibus computatur. Et rex à Deo vel ad gratiam, vel propter peccata populi conſtitutus, ab ipſo Rege regum de ſuis vel iuſtis actibus coronabitur, vel iniuſtis iudiciis & iniquis actionibus æquitatis iudicio iudicatus multabitur. Inſeruerunt etiam in eiſdem legibus ad legem Corneliam teſtamentariam, de his, qui teſtamentum quodve aliud inſtrumentum falſum ſciens, dolo malo ſcripſerit, ſup-

presserit, admouerit, designauerit, deleuerit, honestiorem quidem in insulam deportari, humiliorem autem in metallum damnari, aut in crucem leuari, seruum verò capite puniri. Et, vt beatus Augustinus commemorat in Ioannis Euangelistæ commento, *Iuris forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit principi, non illi prosit scriptum quod impetrauerit, immo etiam careat ipso beneficio scripti, quo scriptum perduxerit.* De confirmationis autem suæ scriptura nihil dixerunt, quia quod firmauerunt, infringere nefas duxerunt. sicut in libro Esther legitur quantam valitudinem anuli Regis habeat signatio, quantam cautelam signi illius vacuatio, quanto magis regiæ manus subscriptio. Et nec perfunctoriè ducere debet regia dignitas quod in suis præceptis scribitur, *Et vt hoc*, inquit, *nostræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, &c, Data illo, vel illo anno in Dei nomine feliciter.* ne quod in Dei nomine feliciter confirmatur, sine Dei, id est, sine veritatis iudicio infeliciter effœtetur: quia scriptum est, *Non polluas nomen Domini Dei tui.* &, *non accipias nomen Domini Dei tui in vanum.* Legant quoque Paulum, & expositores ipsius Apostoli, quàm pro magno sit dictum quod scripsit idem diuinus Apostolus in suis Epistolis, *Videte quales litteras mea scripsi manu.* & item, *Salutatio mea manu Pauli.* Vnde reges, qui subscriptione manus suæ à se data, vel priuilegia sanctorum cum anathematismo manibus roborata confirmant, & illa postea conseruare paruipendunt, siue detractant, quasi anathematis vinculo non teneantur obstricti, sententiam beati Gregorij ex epistola ad Theoctistam patriciam audiant, Ipsi, inquiens, sibi testes sunt quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius veras esse ac valere non æstimant, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur.] Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, eos & ego, & omnes catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia anathematizamus. Hæc dicimus, vt secundùm rationem & legis ordinem cuncta agant regni principes, & Ecclesiæ sanctæ rectores, sed & cum æquitatis iudicio suprà scripta causa diffiniatur. Ordinem autem constituendi iudicium, si Hucbertus pro hac causa ad audientiam, & de ciuili iniudicatus ad Ecclesiasticum iudicium venerit, isdem beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem Defensorem euntem in Hispanias descripsit, dicens, Primùm vt sic ordinabiliter fiat, quatenus alij sint accusatores, & alij testes. Deinde causæ qualitas exploretur, si digna exilio vel condemnatione sit, & vt eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium proferatur, seu scriptis actuum inseratur: & vt ipse licentiam respondendi & defendendi se habeat. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter erit quæ-

Tract. 7.

Leuit. 18. Exod. 20.

Gal. 6. 1. Cor. 16. & 2. Thess. 3. & Coloss. 4.

Lib. 11. epist. 39. sub finem.

Lib. 11. epist. 56.

rendum, cuius conditionis, cuiúsve opinionis, aut ne inopes sint, ac ne fortè aliquas contra eum inimicitias habeant: & vtrum testimonium ex auditu dixerint, aut certè specialiter se scire testificati fuerint, & vt scriptis iudicatum sit, & sic partibus præsentibus sententia recitetur, & ita hæc omnia solemniter roborentur.]

Ceterùm si femina ante initum coniugium de scelere cum fratre suo culpabilis inuenitur, ponendum duximus instar iudicij de epistola eiusdem sancti Gregorij ad Ioannem Episcopum Panormitanum, de quadam femina, quam aliquis homo, antequàm diaconus ordinaretur, reliquit, & post mutatam vestem quidam marito tradiderit. Ait enim, Quia sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda semper est veritas, vt inquiri debeat, vtrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. Itaque peruenit ad nos, Fantinum defensorem vltionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quòd, quantum dicitur, relictam cuiusdam diaconi, tempore quo conductor fuit, marito tradiderit. Sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec virginem illam ad eum venisse. denique nec religiosam mutasse vestem, postquàm ille in ordine sacro promotus est, adiiciens etiam, priusquàm ad diaconatum perueniret, & posteà, praua illam opinione vixisse. Ideóque fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt cum Dei, sicut decet, timore causam hanc subtili omnino inuestigatione perquirat, & si in coniugio diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit, & suprà scriptus lator memorato defensori & rectori patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè sociati sunt dissiungantur.] Hæc de sancti Gregorij verbis excerpsimus.

Lib. XI. epist. LX.

Et sicut suprà de beati Augustini verbis posuimus, quoniam quod agebat in lege veteri, vel etiam quod nunc agit in reipublicæ legibus interfectio, hoc operatur in Ecclesia excommunicatio, & ab Ecclesia separatio: si de legibus publicis, quæcumque femina huiusmodi sceleribus, sicut præmissum est, inretita, euadens forense iudicium, ad Episcopale iudicium venerit, secundùm sacrum Ancyranum Concilium, de his qui fornicantur inrationabiliter, id est, cum masculis vel pecoribus, & de illis mulieribus quæ fornicantur & partus suos necant, vel quæ agunt secum vt vtero conceptos excutiant, inter eos orare, vt videtur nobis, præcipietur, qui spiritu periclitantur immundo, & per districtam decennalem pœnitentiam castigata, vsque ad vitæ finem dignis pœnitentiæ fructibus incumbere, reseruato sibi pro Ecclesiastica pietate, si mortis metus ingruerit, viatico munere iudicabitur, segregata non solùm à toro regio, verùm etiam ab omni coniugali consortio, secundùm decreta beati Gregorij Papæ ad Felicem Siciliensem Episcopum, quibus dicit, Progeniem, inquiens, suam vnumquemque de his, qui fideliter edocti,

Can. 15. & 20.

Lib. XII. epist. 31.

& iam firma radice plantati ſtant inconuulſi, vſque ad ſeptimam obſeruare decernimus generationem, & quamdiu ſe cognoſcunt adfinitate propinquos, ad huiuſmodi copulæ non accedere ſocietatem. Nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate coniugem habuit, vel aliqua inlicita copulatione maculauit, in coniugium ducere vlli profecto Chriſtianorum licet vel licebit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus. Inceſtuoſos verò nullo coniugij nomine deputandos à ſanctis Patribus dudum legimus conſtitutum. Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus, quod omnes inceſtuoſi à limitibus ſanctæ Eccleſiæ ſint ſeparandi, vſquequò per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem ſanctæ catholicæ reconcilientur.] Et in edicto canonico ante corpus B. Petri prolato, Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Et S. Ambroſius in prima Epiſtola ad Corinthios dicit, Non eſt enim frater, aut ſoror ſeruituti ſubiectus in eiuſmodi: hoc eſt non deberi reuerentiam coniugij ei qui horruit auctorem coniugij. Non enim ratum eſt matrimonium quod ſine Dei deuotione eſt.] Et S. Hieronymus in tertio libro commenti Epiſtolæ Pauli ad Epheſios, Quomodo itaque, inquit, Chriſto ſubiecta eſt Eccleſia, ſic ſubiecta ſit vxor viro ſuo. Quem enim habet principatum & ſubiectionem Chriſtus & Eccleſia, huic eidem ordini maritus & vxor adſtringitur. Sed videndum vt quomodo in Chriſto & in Eccleſia ſancta coniunctio eſt, ita & in viro & in muliere ſancta ſit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Chriſti Eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus eſt, ſic non omne matrimonium, quod in viro ſuo ſecundùm Chriſti præcepta non iungitur, ritè coniugium appellari poteſt, ſed magis adulterium. Hinc intelligenter eſt adnotandum, quia quod iſte ipſe Doctor in epiſtola ad Amandum preſbyterum dicit, quòd quamdiu viuit vir, licèt adulter ſit, licèt ſodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet, de eo dicit, qui poſt legitimum initum coniugium, in ipſo peccat coniugio, in quo iure pari vir & mulier tenentur ſententia. In hoc autem loco de ea vel de eo agitur, qui ante initum legitimum coniugium, perpetrato inceſtu legitimum quod habere poterat ſibi tollit coniugium. Et in Concilio Agathenſi, *De inceſtis coniunctionibus*, inquiunt, *nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtuoſos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignari funeſtum eſt.* Et ſanctus Auguſtinus in libro de bono coniugali, Aliud eſt non concumbere niſi ſola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud autem carnis quidem concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter coniugem, quod venialem habet culpam, quia & ſine cauſa propagandæ prolis

Greg. II. in Synod. Rom.

Epiſt. 147.

Can. 61.

concumbitur, non tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, siue voto malo, siue opere malo. nam hoc faciunt, qui quamuis vocentur, coniuges non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eò vsque progrediuntur, vt exponant filios suos qui nascuntur inuitis, oderunt autem nutrire, vel habere quos gignere metuebant. Itaque cùm in suos sæuit quos genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate conuincitur. Aliquando eò vsque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem priùs interire quàm viuere, aut si in vtero iam viuebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges non sunt, & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potiùs conuenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.

INTERROGATIO XIII.

SEXTO nobis capitulo remandate, si idem Rex, postquam talia de præfata vxore sua audiuit, & ab eius carnali commercio suspensus fuit, fortè concubina vsus adulterium perpetrauerit, & si hoc ad plurimorum peruenit notitiam, quo debeat sanari medicinali iudicio? Et si fortassis acciderit, vt quiscumque homo sacramento attendere se obligauerit, quod criminosum sit agere, vtrum quod iurauit, ne incurrat periurium, debeat adimplere, an, ne crimen admittat, quod malè iurauit in irritum debet ducere: & si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt feminæ, quæ maleficio suo inter virum & vxorem odium inreconciliabile possint mittere, & inenarrabilem amorem iterum inter virum & feminam serere, & quòd vir legitimè sortitam coniugem maritali commercio non possit adire, & aliis valeat feminis commisceri, & itidem eodem maleficio potentia concumbendi, & dilectione quondam habita fruendi, per artem maleficarum possit restitui. Et quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpè in legitimo coniugio permittat talia fieri. Et si fortè tales viri malefici, vel incantatrices feminæ inuentæ fuerint, quid de huiusmodi debeat fieri.

RESPONSIO.

RESPONDEMVS, si fortè, vt fertur, Rex, de quo agitur, post legaliter initum coniugium, cum alia aliqua carnis commixtione negotium concumbendi exercuit, negari non potest adulterium perpetrasse, etiam si femina, quam duxit vxorem, de talibus, sicut reputa-

putatur, rea fuerit fortaſſis inuenta, quoniam poſt legaliter initum coniugium ante legalem diffinitionem præſumpſit inlicita. Apoſtolus enim dicit alligatam eſſe vxorem ſub lege viri quanto tempore vir eius viuit, mortuo autem eo ſolutam eſſe à lege viri. Et ſecundùm ſacram auctoritatem, legaliter deſponſatam, dotatam, & publicis nuptiis honoratam, vxorem eſſe nemo qui dubitet. Sed & vnam eſſe legem in hoc iure viri & vxoris eadem ſacra teſtatur auctoritas. Et ideò, antequàm à iugo graui ſuper filios Adæ à die egreſſus de ventre matris eorum, vſque in diem ingreſſus in ventrem omnium matris, alter ab altero diſſoluatur, aut lege ab eo, qui per conditores legum iuſta decernit, comprobetur quod eſt initum non legitimum fuiſſe coniugium, quicumque eorum vnam carnem per adulterium in duo diuiſerit, non commiſiſſe adulterium dici non poterit. Magnus etenim Leo Papa de forenſibus legibus Eccleſiaſticis modum tribuit ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum ſcribens, Vt ſicut in mancipiis, vel agris, aut etiam in domibus, ac poſſeſſionibus, in captiuitatem ductis poſtliminium reuerſis de captiuitate ſeruatur: ita etiam & coniugia, ſi aliis iuncta fuerint, reformentur. Et nos de eiſdem legibus ad exemplum ipſius debemus coniicere, quoniam ſi quilibet quod ei iure poſſet competere contra ius ſibi præſumpſerit, per legem ei quem ſpoliauerat cogetur legaliter emendare. Quapropter ſi quilibet legaliter coniugatus, ante iudicium ex criminata determinatum, contra matrimonij iura, aut publicè aut ſecretè præſumpſit, neceſſe erit eum legibus præfixis tranſgreſſoribus aut ſecretè aut publicè ſubiacere, quibus decretum eſt in Concilio Africano, Vt pœnitentibus, ſecundùm differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.] Et in Concilio Carthaginenſi, Vt ſacerdos pœnitentiam imploranti abſque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges iniungat.] &, Si quis fidelis, ſecundùm Eliberitanum Concilium, habens vxorem non ſemel ſed ſæpè fuerit mœchatus, in fine mortis conueniendus eſt. quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, communio illi donanda eſt: ſi reſuſcitatus rurſus mœchatus fuerit, vt non vlteriùs de communione pacis ludat, ſeueriùs abſcindendus eſt.] Et iuxta Ancyranum Concilium, Vxor adulterata, vel maritus committens adulterium, poſt ſeptem annorum pœnitentiam reconciliationis & communionis perfectionem conſecuturi ſunt.] Et item ſecundùm Eliberitanum Concilium, Si quis vxorem habens ſemel lapſus fuerit, poſt quinquennem pœnitentiam reconciliandus eſt, vel ſi neceſſitas infirmitatis coegerit, antè communio ei largienda eſt. Similiter & Synodus Toletana conſtituit, *Qui vxorem ſimul & concubinam habuerit, à communione Eccleſiæ ſeparandus eſt.* In qua ſeparatione, vel poſt dignam ſatisfactionem reconciliatione, ſummopere debent paſtores Eccleſiæ & Apoſtolorum ſucceſſores atque vicarij prouidere, qui, vt dicit beatus Gregorius,

1. Cor. 7.

Epiſt. xxcv.

Can. 10.

Concil. Carth. IV. can. 74.

Can 47.

Can. 19.

Can. 69.

Cōc. Tol. I. can. 17.

Hom.26.in Euang. soluendi ac ligandi auctoritatem sunt quando gradum regiminis sortiuntur adepti, ne in soluendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequantur, vt vel damnent immeritos, vel alios ipsi ligati soluant, séque ipsos hac ligandi & soluendi potestate priuent, qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subiectorum moribus exercent. ne erga quemlibet proximum odio vel gratia moueantur, quia dignè de subditis iudicare nequibunt, si in subditorum causis sua, vel odia, vel gratiam sequi decreuerint. Ezech.13.19 Vnde rectè per Prophetam dicitur, *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitétia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm interni arbitrium sequitur iudicis.] Et illos nos debemus per pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati, quæ non verbo tenus tantùm & summis vix labiis solet fieri, sed quæ ex 2.Reg.12.13. intimo cordis procedit affectu, sicut Dauid dixit, *Peccaui Domino,* & audire meruit, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* & Psal.37.9. item dicit, *Rugiebam à gemitu cordis mei.* &, *Iniquitatem meam adnuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Sicut & in tribulatione, quam pro peccato admisso sustinuit fugiens à facie filij sui, cogitauit dicens, 2.Reg.16.12. *Respiciat Dominus adflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac.* Quibus constat, quia taliter confitentibus nec satisfactio interdicenda est, nec communio deneganda. Alioquin in iudicium sibi corporis sacri & sanguinis pretiosi Redemptoris nostri sacramenta præsumunt, qui indiscretè non purificati vel absoluti, sed potiùs seducti atque decepti sunt à talibus pastoribus, de quibus dicit Pro- Ezech.13.18. pheta, *Væ his qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*, id est, cadentes à sua rectitudine animas, atque in huius mundi delectatione reclinantes, blanda adulatione refouent, vt in errore molliter iaceant, quos nulla asperitas contradictionis pulsat. quod rectores seipsos amantes his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio glo- Esa.3.12. riæ temporalis timent. De quibus iterum scriptum est, *Popule meus qui te beatificant, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* & Thr.2.14. item, *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Quia dum corripere culpas metuunt, in cassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, & sic vel in affectu peccandi manentes, vel ante congruam satisfa-

ctionem diuina vſurpantes myſteria, bonum Dei donum faciunt ſuum iudicium. Quoniam ſicut auctores ſancti, vt demonſtrat venerabilis preſbyter Beda in commento Euangelij Lucæ, exponentes ſententiam dicentis Domini, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa, verumtamen væ illi homini per quem tradetur*, dicunt hodie quoque & vſque in ſempiternum Væ illi homini, qui ad menſam Domini malignus accedit, qui & inſidiis mente conditis, præcordiis aliquo ſcelere pollutis, myſteriorum Chriſti ſecretis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis peccatoribus, ſed tamen peccatoribus, membris videlicet ſuis, quibus illud inæſtimabile & inuiolabile Domini corpus violare præſumit. Ille Dominum vendit, qui eius amore ac timore neglecto, terrena & caduca, immò etiam criminoſa plus amare & curare conuincitur. Væ, inquam, illi homini, de quo Ieſus, qui altaribus ſacroſanctis inter immolandum, vt pote propoſita conſecraturus, adeſſe non dubitatur, adſtantibus ſibi miniſtris cæleſtibus, queri cogitur, *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Et Paulus dicit, *Si quis frater nominatur, & eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec cibum ſumere.* & item dicit, *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* & item, *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* & item, *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Vnde Ambroſius oſtendit grauiſſimum eſſe peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in ceteris autem peccatis portio perit, non totum. Totum enim corpus vir eſt & mulier, quia portio viri eſt mulier: quicumque enim aliud peccatum admiſerit, extra ſe peccat, fornicarius verò in carnem ſuam peccat. Quamquam enim omnia peccata carnalem hominem præſtent, hoc tamen ſpecialiter deſiderium carnis eſt, quod ſordibus maculatam animam cum corpore tradit gehennæ: quia victa anima à libidine carnis fit caro, ſicut & corpus rectè gubernatum ſpiritale appellatur. Animus tamen eſt, qui aut victus inlecebris totum hominem carneum facit, aut in vigore naturæ ſuæ manens, carni præſtat vt ſpiritalis dicatur. Quapropter ſanxerunt Spiritu ſancto in ſe loquente canonum conditores, vt à communione tales homines vſque ad ſatisfactionem ſeparentur. quoniam qui alieni à regno Dei ſunt, ab Eccleſia, quæ & regnum Dei eſt & nominatur, vſque ad correctionem & ſatisfactionem debent modis omnibus ſeparari: & cum quibus Chriſti diſcipulos cibum ſumere non oportet, eis dare ſacram communionem non debent Domini ſacerdotes, ipſo prohibente in Euangelio, *Nolite dare ſanctum canibus.* quales deſignat Petrus dicens, *Sicut ſus lota in volutabro luti, &*

Luc.22.21. 1.Cor.5.11. 1.Cor.6.9. Heb.13.4. 1.Cor.6.18. Matt.7.6. 2.Pet.2.22.

Prou.26.11. *canis reuersus ad vomitum suum, talis est*, vt Salomon dicit, *stultus iterans stultitiam suam.* Et qui in peccato manens, vel ante correctionem, & satisfactionem peccati criminalis, dominicam cœnam præsumit ad manducandum, in suam condemnationem, vt præmisimus, eandem cœnã præsumit, attestante Apostolo, *Quicumque*, inquit, *edit panem hunc, aut bibit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Vnde S. Ambrosius dicit, Quid est autem reũ esse corporis & sanguinis Domini, nisi pœnas dare mortis Domini? Occisus est enim pro his qui beneficium eius in irritum ducũt. *Probet autem*, dicit iterum Paulus, *homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Probare enim seipsum, id est, corrigere se debet homo à peccato, & ipsum reprobare peccatum, & post dignam satisfactionem accedere ad sacram communionem, vt sciat mens reuerentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est cuius corpus sumit & sanguinem. Et quod subsequitur, *Ideò in vobis multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, ad hoc posuit, vt imaginem ostenderet iudicij in eos qui inconsideratè Domini corpus accipiunt. quia sicut illi corporaliter infirmabantur, & moriebantur, ita quicumque in peccato manet, vel affectum peccandi habet, & corpus & sanguinem Domini sumit, vnde vitam posset accipere, si condigna satisfactione post dignam pœnitentiam sacramenta illa acciperet, inde mortem sibi indignè accipiendo adsumit. Et si quærat aliquis, quare etiam nunc accipientes indignè non infirmantur vel moriuntur, sicut tunc infirmabantur, & moriebantur, accipiat quòd non dixit Apostolus omnes infirmari vel mori, sed *multi*, inquit, *fiunt infirmi, & multi moriuntur.* Et in primordio Ecclesiæ necessaria erant corporalia signa, nunc autem vera fides debet sufficere. Est & aliud, quia sicut scriptum est, *In fine sæculi erit sol sicut saccus cilicinus*, id est, Ecclesia in luctus amaritudine sine miraculorum coruscatione, vt probati manifesti fiant. Et quia quidam corriguntur communicantes simpliciter, licèt posteà peccent, vt Petrus: quidam tolerantur malignè communicantes, vt Iudas, qui suus homicida existens, exitiabili exitu demonstrauit quid anima patiatur nunc sine corpore, & quid æternaliter patietur cum corpore, quoniam in iudicium sibi diuina mysteria manducauit & bibit. Et quod subiungit, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*, hoc dicit, quia si nosmetipsi errores nostros corrigeremus, non à Domino iudicaremur, id est condemnaremur. Et ideo sacri canones sanxerunt, vt ad iudicium sacerdotale remoueantur vel resocientur peccantes sacro altario, dicente Domino ad leprosos, qui præsignabant lepra peccatorum in Ecclesia nunc perfusos, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, vt secũdùm quod viderint magnitudinem vel multitudinem peccatorum in peccantibus, & cõsiderauerint illorum dignam satisfactionem, ita & absque personarum acceptione tempora constituant pœnitendi

1.Cor.11.27.
Apoc.6.12.
1.Cor.11.31.
Luc.17.14.

& reconciliandi eos, ne in iudicium & condemnationem ſumant quod Dominus ad redemptionem & ſalutem credẽtibus contulit. At ſi peccator tardus ad recognoſcendum, negligens ad id quod peccauit pœnitendum, & confitendum, atque ſatisfaciendum extiterit, Epiſcopalis cura eum commonere diſſimulandum non ducat, memor ſententiæ ſibi dicentis, *Si ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam.* id eſt, ſi animam fratris in periculo tuæ conuerſationis acceperis, iam ligaſti mentem apud curam ſollicitudinis, quæ antè deerat quàm paſtorale officium ſumeres: inlaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus, qui dum commiſſis tibi cogeris bona prædicando dicere, teipſum priùs neceſſe eſt quæ dixeris cuſtodire. *Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.* non tantùm ipſe bene viuendo vigilare memento, ſed & illum cui præes à peccati torpore pædicando diſiunge. *Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Somnũ dat oculis qui ſubditorum curam omninò negligit: dormitat autem, qui quidem reprehenſibilia eorũ geſta cognoſcit, ſed hæc propter mẽtis tædium digna inuectione non corrigit. *Eruere quaſi dammula de manu, & quaſi auis de inſidiis aucupis.* Quantum auis de laqueo, vel dammula de manu captantis quærit euadere, tantum nitere vt auditore tuo ſalubriter inſtituto, ipſe ab ſponſione vitæ eius liber reddaris, ne non paſtor ſed mercenarius denoteris, ſi quemlibet ad luxuriam pertrahi, aut ad auaritiam accendi, vel in ſuperbiam erigi, aut per iracundiam diuidi conſpexeris, & aut accipiendo perſonam diuitis, timens ne tibi iratus munus ſubtrahat, quod blandus impendebat, aut familiaritatis vel cuiuſquam temporalis emolumenti reſpectu tacens, pereuntibus animabus ipſe de commodis terrenis læteris, non paſtor, ſed mercenarius in diuinis oculis computeris. Magis autem prædica, & inſta opportunè, importunè. Si autem te, commonentem ſecundùm Euangelium, non audierit, regiam adi vt conſtringatur potentiam. Et ſi nec ita ad effectum cauſam perduxeris, iuxta diuinam præceptionem de commonito, nuntia Eccleſiæ: ſi autem nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. ne diſſimulans, aut negligens arguere, ſicut Heli ſacerdos filios ſuos peccãtes in Deum, ne amari eſſent hominibus, cum eo pereas. Vnde conſtat, quoniam nulli eſt contra Deum perſonæ parcendum, vt & nobis & illi parcamus ſalubriter, cui diligenter non parcimus, ſequentes pro modulo noſtro, quantum Dominus dederit, beatum Ambroſium, qui non parcendo Theodoſio, & illi meritum in cælis coram Domino, & ſempiternum memoriale in terris coram hominibus, vt & de eo ſcriptum intelligi debeat, *memoria iuſti cum laudibus*, adquiſiuit. Nec perfunctoriè Epiſcopis, & Regibus, & omnibus poteſtate humana præditis, audienda eſt ſententia beati Gregorij ad Brunichildem reginam, quà dicit, Non enim inquiens diſſimulanda ſunt quæ dicimus, quoniam

Prou. 6. 1. — Ibid. 3. — Ibid. 4. — Ibid. 5. — Prou. 10. 7. — Lib. IX. epiſt. LXIV.

qui emendare potest peccata, & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Pouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, prouidete prouinciis, & priusquàm creator manum suam ad feriendum excutiat, de correctione sceleris studiosissimè cogitate, ne tanto postmodum acriùs feriat, quantum modò diutiùs expectat.] Et si fortè quæcumpersona ori diuino inobediens expellitur, præmisso ordine ab Ecclesia expellenda est, quia & ipsa expulsio, miserante Domino, poterit ei fieri ad salutem, sicut B. Augustinus in libro De correptione & gratia dicit, *Corripiantur*, inquiens, *à præpositis suis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus, quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, ad correctionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die, aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest ne recipiat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati cordísque contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatúmque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile ipsa forsitan separatione sanandam.* Et si fortassis, quod absit, talis emerserit, qui supercilio terrenæ potestatis elatus despiciat obedire, & rupto Christianitatis fræno per præcipitia in barathrum damnationis excurrat, habebit Episcopus iuxta Ezechielem prophetam ad liberationem suam sartaginem ferream, id est, zelum caritate feruentem, & beati Ambrosij memorandam sententiam. Ait enim in Epistola ad Corinthios, Superbiam, inquiens, illorum in tantum humiliat B. Paulus dicens, *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrûm qui hoc opus fecit*, vt non querulos iam, sed magis simplices faciat, erant enim & ipsi participes, dum paterentur tam ingentis facinoris secum incorreptum conuenire, vt omnes vno consilio abiicerent eum, si negaret emendare se. Si autem quis potestatem non habet quem scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est, & iudicis non est sine accusatore damnare: quia & Dominus Iudam, cùm fur esset, quia non est accusatus, minimè abiecit. & sanctus Spiritus per dignum & sibi placitum organum, beatum videlicet Benedictum, dicit, Tantundem iterum erit rector liber, vt si inquieto & inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis ouium actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum propheta Domino, *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi. Ipsi autem contemnentes spreuerunt me*, & tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors.

Cap.15.

Ezech.4.3.

1.Cor.5.2.

Psal.39.11.

INTERROGATIO XIV. ET RESPONSIO.

De sacramenti autem proposita quæstione, beati Gregorij verba ex libro Moralium trigesimo tertio relegantur, Ait enim, Ecce quidam, dum mundi huius amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi vitam ducenti, quòd secreta illius omni silentio contegat, se iureiurando constringit. Sed is, cui iuratum est, adulterium perpetrare cognoscitur, ita vt etiam maritum adulteræ occidere conetur: is autem qui iusiurandum præbuit ad mentem reuertitur, & diuersis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silendo adulterij simul & homicidij particeps fiat, & prodere trepidat, ne reatu se periurij obstringat. Perplexis ergo testiculorum neruis ligatus est, qui in quamlibet partem declinet, metuit ne à transgressionis contagio liber non sit.] Et post pauca, Est tamen quod ad destruendas versutias vtiliter fiat, vt cùm mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum vndique ambitu ne effugiat clauditur, ibi se in fuga præcipitat, vbi breuior murus inuenitur.] Et venerabilis presbyter Beda in homilia Euangelij secundùm Matthæum, quo describitur Herodis incauta iuratio, ita dicit, Quantum verò, inquiens, temeritatem iurandi vitare debeamus, & ipse in Euangelio Dominus, & Iacobus in Epistola sua docet, dicens, *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum: sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.* illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel periurium cauendo aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid fortè nos incautiùs iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum, liberè illud in consilio salubriore mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Dominum occidere Nabal virum stultum & impium, atque omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis, mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, neque aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Iurauit Herodes dare saltatrici quodcumque postulasset ab eo, & ne periurus diceretur à conuiuis, ipsum conuiuium sanguine polluit, dum Prophetæ mortem saltationis fecit præmium. Non solùm autem in iurando, sed in omne quod agimus, hæc est moderatio sollertiùs obseruanda, vt si talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potiùs euadendi aditum petamus, in quo minùs periculi nos perpessuros esse cernamus: & iuxta exem-

Cap. xvii.

Matt. 14. & Marc. 6.

Iacob. 5. 12.

1. Reg. 25.

Marc. 6.

plum eorum qui hostilibus clausi muris dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentes incurrant.] Et in Concilio Hilerdensi decernitur, Qui sacramento se obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullomodo redeat, pro periurio vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis ac fletibus, & quantis potuerit ieiuniis absoluat, ad caritatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter redire festinet.]

Can. 7.

ET quoniam huiusmodi de sacramento voluerunt interrogare quærentes, non abs re fortè putauimus de talibus scribere, quæ solent in humana fragilitate accidere: neque ea quæ scribimus in quemquam impingimus, sed si talis extiterit, quem hoc consilium adiuuare potuerit, memores scripturæ dicentis, *Quod supererogaueris reddam tibi*, de hoc quod non sumus interrogati, vt quilibet nouerit quid anceps inter duo eligere debeat, adiungendum putauimus. Non enim facilè modò quisquam reperiet, immò nec quenquam quisque reperiet, qui Dauid sanctior, Salomone sapientior, Samsone sit fortior, & illi, amore muliebrio capti, quoniam etiam mentes ferreas libido domat, nec pannos pauperum perhorrescens, nec regum purpuram pertimescens, talia egerunt quæ non conuenerant: & ad nos sæpè feminæ veniunt, reclamantes, quòd iuuenculi eis suam fidem promiserint, easque derisas reliquerint. & interdum à nobis repertum est, quia viri legitimas reliquerunt vxores, & adulteris, vt seruarent fidem pollicitam, adeo cohæserunt, vt cum multis laboribus ab eis quiuerint separari. De quo negotio beatus Augustinus in libro de bono coniugali dicit, Huc, inquiens, accedit, quia in eo ipso quòd sibi inuicem coniuges debitum soluunt, etiam si id aliquanto intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi inuicem debent. cui fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam potestatem appellaret dicens, *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Huius autem fidei violatio dicitur adulterium, cùm vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel altera contra pactum coniugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis & abiectis magnum animi bonum est, & ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi. Etsi enim exigua palea præ multo auro penè res nulla est, fides tamen cùm in negotio paleæ sicut in auro sincera seruatur, non ideò minor est quia in re minore seruatur. Cùm verò ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est. Verumtamen qualiscumque sit, si & contra ipsam fit, peius fit, nisi cùm propterea deseritur, vt ad veram fi-

Luc. 10. 35.

Cap. IV.

1. Cor. 7. 4.

fidem ac legitimam redeatur, id est, vt peccatum emendetur voluntate prauitatis correcta. Tamquam si quisque, cùm hominem solus exspoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, & cum eo paciscatur, vt simul id faciant, spoliúmque partiantur, quod facinore commisso totum solus auferat, dolet quidem ille, sibi & fidem seruatam non esse conqueritur: verùm in ipsa querela cogitare debet, potiùs in bona vita ipsi humanæ societati fuisse seruandam, ne præda iniqua ex homine fieret, si sentit quàm iniquè sibi in peccati societate seruata non fuerit. Ille quippe vtrobique perfidus, pro peccato sceleratior iudicandus est reus, qui si ideò cum participe facinoris prædam diuidere noluisset, vt homini cui ablata fuerat redderetur, eum perfidum nec perfidus diceret. Ita mulier, si fide coniugali violata fidem seruat adultero, vtique mala est, sed si nec adultero, peior est. Porrò si eam flagitij pœniteat, & ad castitatem rediens coniugalem pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit. Quod æquè intelligendum est de adultero, quia si pactum cum adultera factum rescindit, nec ipsa adultera eum fidei violatorem iustè dicere poterit.

INTERROGATIO XV.

De hoc quod interrogatum est, si hoc verum esse possit, quod plures homines dicunt, quia sunt feminæ, quæ maleficio suo inter virum & vxorem odium inreconciliabile possint mittere, & inenarrabilem amorem iterum inter virum & feminam serere: & de ceteris quæ hinc ad quæstionem voluerunt quærentes deducere.

RESPONSIO.

Relegant historiam libri Regum post peccatum Dauid in Bethsabee vxorem Vriæ, qualiter suggestione diaboli filius ipsius Dauid Amnon adamauit sororem suam Thamar, & consilio Ionadab, figuram tenentis diaboli per Euam consilio peccandi occidentis Adam, concubuit cum eadem sorore sua. Quam tantùm ante concubitum dilexit, vt deperiret in eam valdè, & ægrotaret propter amorem eius: post concubitum autem, exosam eam habuit odio magno nimis, vt maius esset odium quo oderat eam, amore quo antè dilexerat: quæ diabolica operatio per fratricidium ad alia etiam mala, quæ ibidem lectores inueniunt, decurrit. Et beatus Ambrosius, Psalmi centesimi decimi octaui versum exponens, *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea*, loquens de Ioseph perferente immissiones per angelos malos, dicit ad locum, Fertur, inquiens, Prophetæ cuidam, & plerique ferunt quòd Esaiæ in carcere posito, cùm mole imminentis vrgeretur exitij, dixisse diabo-

2.Reg.13.

Psal.118.92

lum, Dic quia non à Domino locutus es quæ dixisti, & omnium in te mentes affectúsque mutabo.

Sed & in parochia cuiusdam nostrûm quod narramus acciderat. quoniam quidam nobilis genere iuuenis non ignobilem natione feminam adamauit, quam à parentibus puellæ legaliter expetens, apud patrem petitio eius præualuit, sed puellæ mater eandem petitionem omnimodis refutauit: pater verò, quod rarò solet contingere, in iuuenis precibus annuendo præualuit. qui post desponsationem, & dotis titulum, ac nuptiarum celebritatem, puellam secreta cubiculi introducens, nullo modo cum ea concumbere ex more præualuit. & cùm inremediabili odio tædiosam vitam per biennium ducerent, ad Episcopum, quia aliud iam inde consilium inueniri non poterat, hinc necessitate cogente concursum est, cum verbis suasoriis, precatoriis ac minatoriis, quia nisi permitteret dissolui coniugium, ipse porrigeret gladium, quo fieret si aliter dissolui non poterat homicidium. Isdem autem Episcopus, inter alia plura iam de talibus satana faciente sæpè cribratus, & ad memoriam reducens quod dicit Dominus per Prophetam, *Fili hominis, perfode parietem, & vide abominationes quas faciunt isti hîc. & cùm perfodissem parietem, apparuit foramen*, & reliqua quæ ibi leguntur, de placito ad placitum, de quæstione ad diffinitionem per frequentes tracta talia inuitauit, vsque dum operationes diabolicæ Dei gratia dissolutæ sunt, & concubitus in anteriore concubina cum delectatione possibilis, & cum legaliter sortita impossibilis, post pœnitentiam & medicinam Ecclesiasticam, iuueni est cum vxore possibilis redditus, & fugato odio diabolico, coniugalis amor inter coniuges integratus, nunc vsque cum debito amore perseuerat, atque coniugati sobole numerosa congaudent.

Ezech. 7

Turpe est fabulas nobis notas referre, & longum est sacrilegia computare, quæ ex huiusmodi de ossibus mortuorum, atque cineribus carbonibúsque extinctis, & de capillis atque pilis locorum genitalium virorum ac feminarum, cum filulis colorum multiplicium, & herbis variis, ac cocleolis & serpentium particulis composita, cum carminibus incantata deprehendentes comperimus, quibus homines liberati, & benedictione Ecclesiastica medicati, gratia coniugali & debito naturali perfuncti sunt. Quidam etiam vestibus carminatis induebantur, vel cooperiebantur, alij potu, alij autem cibo à sortiariis dementati, alij verò tantùm carminibus à strigis fascinati & quasi enerues effecti reperti sunt: quidam autem à lamiis siue genicialibus feminis debilitati, quædam etiam feminæ à Dusiis in specie virorum, quorum amore ardebant, concubitum pertulisse inuentæ sunt. quos & quas diuina potentia, compressis & abiectis phantasmatibus diabolicis, per exorcismos & antidota catholica restituit sanitati.

Sunt & alia, quæ nos dirimere ac iudicare necessitas compulit,

quæ propter nefariam turpitudinem dicere nolumus: & ſunt huiuſmodi ſcelerata atque facinoroſa, quæ vt ad notitiam malignorum, qui fortè ea ignorant, peruenire non valeant, hîc ſcribere ſuperſedimus. Sunt præterea & tam immania diabolicæ operationis portenta per magicam artem facta, quæ ad nos peruenerunt, vt credendi modum excedant. Sed non eſt mirum, ſi in iſtis temporibus vltimis talia Antichriſti aduentum præcurrentia veniunt, qualia Dominus, & Apoſtoli eius ventura deſcripſerant, de quibus & Paulus dicit, *Nam myſterium iam operatur iniquitatis ſecundùm operationem ſatanæ in omni poteſtate, & ſignis, & prodigiis mendacij.* & item, *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritus fallaces, doctrinas dæmoniorum.* Hæc autem vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe, auctore Zoroaſtre rege Bactrianorum, quem Ninus rex Aſſyriorum prælio interfecit, & propagatore Democrito, plurimis ſæculis valuit. Sed apud Aſſyrios exculta per multos diabolicos viros fuit, quorum in tantum prodiêre maleficiorum artes, vt etiam, ſicut ſuprà diximus, Moyſi ſimillimis ſignis reſiſterent, vertentes virgas in dracones, aquam in ſanguinem. Et eorumdem maleficiorum vna impietas, vt diuerſitate artium, ita & diuerſitate nominum conſtat, ſicut & pagani doctores, & etiam Chriſtiani referunt. vnde plura omittentes, quædam commemoramus. Magi ſunt, qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi & elementa concutiunt, turbant mentes hominum, ac ſine vllo veneni hauſtu, violentia tantùm carminis interimunt. Necromantij ſunt, quorum præcantationibus videntur reſuſcitati mortui diuinare, & ad interrogata reſpondere. Hydromantij ſunt, qui in aquæ inſpectione vmbras dæmonum euocant, & imagines vel ludificationes eorum ibi videre, & ab eis aliqua audire ſe perhibent. Incantatores, qui artem verbis peragunt. Arioli, qui circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funeſta ſacrificia offerunt, híſque celebritatibus dæmonum reſponſa accipiunt. Aruſpices, qui horas in agendis negotiis & operibus cuſtodiunt, qui exta pecudum & fibras atque ſpatulas, vel cetera quæque inſpiciunt, & ex eis futura prædicunt. Augures ſunt, qui volatus auium & voces attendunt, quorum vnum genus ad oculos, id eſt volatus auium, alterum ad aures, id eſt vox auium pertinet. Sunt & Pythoniſſæ, quæ & ventriloquæ. ſunt & Aſtrologi, eo quòd in aſtris augurentur. Sunt & qui dies natalium conſiderant, & qui ſiderum curſum in naſcentibus obſeruant, qui vulgò Mathematici vocantur. Sunt & Horoſcopi, qui horas natiuitatis ſpeculantur diſſimili & diuerſo fato. Sunt & ſortilegi, qui ſub nomine fictæ religionis, per quaſdam quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt.

2.Theſſ.2. 7.

1.Tim.4.1.

Exod.7.

sunt & qui de saltu membrorum, dum eis aut oculi aut cuiuscumque membri pars salierit, aliquid sibi exinde prosperum aut triste significari prædicunt. Sunt & præstigiatores, qui alio nomine obstrigilli vocantur, quòd præstringant vel obstringant humanorum aciem oculorum, sicut isti qui de denariis quasi iocari dicuntur, quod omninò diabolicum est: & sicut legimus, primùm diabolus hoc per Mercurium prodidit, vnde & Mercurius inuentor illius dicitur. quod diabolicum opus nemo Christianus sine peccato ante se agere permittit, vel si ei potestas in illo est qui talia agit, sine vindicta dimittit. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, siue in præcantationibus, siue in characteribus, vel in quibuscumque rebus suspendendis atque ligandis, vel quibuscumque mensuris mensurandis: & quas superuentas feminæ in suis lanificiis vel textilibus operibus nominant. in quibus omnibus ars dæmonum est, ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt ab omni Christiano, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda. Sunt etiam & qui dicant, quando in venationem pergunt, quòd obuium sibi non debeant habere clericum. Sunt & qui faciunt canes ad truncum latrare sicut ab bestiam. Sunt & qui obseruant dies in motione itineris, & in inchoatione ædificandæ domus. quod pro tam magno peccato Paulus duxit Apostolus, vt diceret, *Dies obseruatis, & annos, & menses, timeo ne sine causa laborauerim in vobis,* Et Dominus in Euangelio dicit, *Similiter sicut factum est in diebus Lot, edebant, & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant.* Et prætermisso illo maximo & infando Sodomorum scelere, sola ea quæ leuia vel nulla putare poterant delicta commemorat, vt intelligas inlicita quali pœna feriantur, si licita, & ea sine quibus hæc vita non ducitur, immoderatiùs acta, igne vel sulphure puniuntur. Meritò ergo B. Augustinus, visis noxiæ consuetudinis inlecebris, ac iusto dolore commotus exclamat, Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata inhorrescimus, vsitata verò, pro quibus abluendis filij Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra se faciunt regnum Dei, sæpè vitando omnia tolerare, sæpè tolerando nonnulla etiam facere cogimur. atque vtinam, ô Domine, non omnia, quæ non potuerimus prohibere faciamus. Sciendum est etiam, quia sicut in doctorum verbis legimus, sunt dæmones qui quasi specialiter specialibus intendentes vitiis, cùm in omnibus delectentur, ad ea quibus præsunt homines quasi specialiter prouocent. Quapropter & de Maria, quæ erat in ciuitate peccatrix, Marcus Euangelista Dominum septem dæmonia eiecisse commemorat, vt vbi abundauit peccatum, superabundasse gratia monstraretur. Septenarius namque numerus pro vniuersitate solet mysticè poni. Ergo à septem dæmonibus curata, hoc est, ab vniuersis libe-

Gal 4.10.

Luc. 17.28.

Marc. 16.

rata sceleribus debet intelligi. Vnde inter ceteros dæmones vitiorum magistros legimus de Mammona, de quo Dominus dicit, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ* quia qui seruit Mammonæ, id est diuitiis, illi vtique seruit, qui rebus istis terrenis merito suæ peruersitatis præpositus est, & magistratus huius sæculi à Domino dicitur: & de eo genere dæmonum, qui in feruorem iracundiæ, vel qui in voluptatem carnis resoluit per delicias, vel certè in ignem adulterij, quo adulterantium corda succensa sunt, & in aquas, quæ solent extinguere caritatem, inuasum mittunt, quod non potest eiici nisi in oratione & ieiunio. Et primum parentem nostrum, sicuti notum est, antiquus hostis gula, vana gloria, & auaritia tentauit, ac tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentato succubuit. In Psalmo quoque cantamus, *De sagitta volante in die*, id est, de sermone hæreticorum & philosophorum, qui sunt diaboli organa, & non possunt decipere, nisi lucem promiserint. & hoc genus dæmonum eos facilè corrumpit qui suas negligunt actiones, & alienas curantes, extra habitum atque extra ordinem proprium vagantur, & se curis exterioribus immoderatiùs implicant. Et adeo deceptam mentem talium per vanas spes ducit, vt ab intentione pœnitentiæ suspendatur, ostendens illi plures per lata & spatiosa gradientes, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant, & tunc pleniùs obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. De negotio etiam perambulante in tenebris, videlicet de præposito negationis atque mendacij, de incursu videlicet præcipitationis atque timoris, & dæmonio meridiano, accidiæ scilicet, quod facit feruorem cœptæ deuotionis tepescere, vel hæreticos simulationis rectæ intentionis & operum lucis ambitionis amore ardere. de quo genere dæmonum scriptum est, *Sub vmbra*, inquit, *dormit in secreto calami, in locis humentibus.* In vmbra, videlicet tenebrosas conscientias, in calamo, qui foris nitidus intus est vacuus, simulatrices, in locis humentibus, lasciuas mollésque mentes insinuat. Quódque genus dæmonum exiens ab homine baptismatis tempore, vel post pœnitentiæ fructus & reconciliationis gratiam, *vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & veniens ad domum illam vnde exierat, eam inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam*, mundatam videlicet à vitiis pristinis per baptismum vel pœnitentiam, vacantem à bonis actibus per negligentiam, ornatam simulatis virtutibus per hypocrisin, ipsi & ab eo adsumpti nequiores spiritus ingressi habitant ibi. Per septem enim malos spiritus vniuersa vitia designâtur. Quemcumque enim post baptisma, siue prauitas hæretica, siue mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Vnde rectè nequiores tunc eum spiritus dicuntur ingressi, quia non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem spiritalibus sunt contraria virtutibus, sed & per hypo-

Matt.6.24. Luc.16.13.

Psal.90.6.

Iob 40.16.

Luc.16.26.

Esa. 11.

crisin ipsas se virtutes habere simulabit. Et quomodo in Esaia, super virgam de radice Iesse, & florem qui de radice conscendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur, ita & è contrario vitiorum numerus in diabolo est consecratus. Sunt & alia etiam genera dæmonum, quos legimus super singulis vitiis ab eorum principe constitutos, quæ hîc adnotare omittimus. Tantùm de dæmonibus qui super fornicationem sunt adnotare curamus, monstraturi quoniam talia sunt etiam genera dæmonum, qui tantùm in fornicationibus delectantur, vt etiam humanum concubitum expetant. de quibus aliqua nostri temporis acta dicere poteramus, nisi ea breuitatis compendio transiremus. Et vt meliùs quod dicimus credi possit, legant quicumque de talibus dubitant, quod sanctus Amphilochius Iconiensis ciuitatis Episcopus, quem beatus Hieronymus in libro De viris inlustribus debita veneratione commemorat, inter virtutes mirandi Basilij Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis Episcopi scribit dicens, Elladius autem, ipsius sanctissimæ memoriæ visor & minister factus ab eo perfectorum miraculorum, & successor sedis post obitum iam dictæ memoriæ Apostolicæ Basilij, vir mirabilis, & in omni virtute decoratus, enarrauit mihi, quia senator quidam fidelis, nomine Proterius, abiit ad sancta & venerabilia loca, & ibi filiam suam consecrare, ac in vno de bene actionalibus domibus monasteriorum mittere, atque sacrificium Deo offerre volens. Sed ab initio homicida diabolus, inuidens diuinæ voluntati, mouit vnum de seruis suis, & incendit ad puellæ amorem. Is autem cùm fuisset huiusmodi inchoationis indignus, & non audens appropinquare ad propositum, alloquitur vnum abominandorum incantatorum, promittens se, si meruerit dominari ipsius puellæ, multam ei tribuere auri quantitatem. Maleficus verò dixit ad eum, ô homo, ego in istud non præualeo, sed si vis mitto te ad meum procuratorem diabolum, & ipse perficiet tuam voluntatem. qui ait ad eum, Quæcumque dixeris mihi faciam. Et ait ad eum, Abrenuncias Christo in scripto? Dixit ei, etiam. Iniquitatis autem operator dicit ei, Si in isto paratus extiteris, cooperator fiam. Qui ait ad eum, Paratus sum, tantùm consequar desiderium. Et faciens malignitatis minister epistolam ad diabolum, misit ad illum habentem sensum istum, Quoniam quidem, mi domine & procurator, oportet festinare me à Christianorum religione abstrahere, & tuæ adducere voluntati, vt multiplicetur pars tua, misi tibi hunc qui præsentes meas defert litteras, cupiditate in puellam exarsum, & postulo eum actionem istam consequi, vt & in isto glorier, & cum multa alacritate congregem placitores tuos. Et dans ei epistolam dixit, Vade secundùm talem horam noctis, sta super monumentum gentilis, & exalta chartam in aëre, & adstabunt tibi qui debent ducere te diabolo. Qui alacriter hoc faciens, iactauit miseram vocem inuocans diaboli auxilium. Et continuò adstite-

In vita S. Basilij.

runt ei principes potestatis tenebrarum spiritalia nequitiæ, & adprehendentes errantem cum gaudio magno, duxerunt eum vbi erat diabolus, & ostenderunt ei ipsum sedentem in sede alta, & in circuitu eius malignitatis spiritus stantes, & suscipiens missas à malefico litteras dixit ad miserum, Credis in me? Qui ait, Credo. &, Negas Christum tuum? Qui respondit, Nego. Dicit ei diabolus, Perfidi estis vos Christiani, & quandoquidem opus me habetis, venitis ad me, quandoquidem consequimini desiderium vestrum, negatis me, & acceditis ad Christum vestrum, qui est benignus ac clementissimus, & suscipit vos. Sed fac mihi manuscriptam Christi tui & baptismatis abrenuntiationem voluntariam, & quæ in me est in sæcula voluntariam professionem, & quia mecum sis in die iudicij condelectans mihi in præparatis æternis tormentis, & ego statim desiderium tuum adimpleo. Qui disposuit propria manu scriptum sicut quæsitus fuit. Statim autem animarum corruptor draco tortuosus misit qui sunt super fornicationem dæmones, & inflammauerunt puellam in amorem iuuenis, quæ prospiciens in terram cœpit clamare ad patrem, Miserere mihi, miserere pater, quia dirè torqueor propter talem istum nostrum puerum: miserere visceribus tuis, ostende in me vnigenitam tuam paternum amorem, & coniunge me puero quem amo. Si autem hoc non vis facere, videbis me post modicum morientem amara morte, & sermonem dabis pro me in die iudicij Deo. Pater autem cum lacrymis dicebat, Heu mihi peccatori, quid conuenit miseræ meæ filiæ? quis meum thesaurum furatus est? quis meam iniquauit filiam? quis dulce lumen oculorum meorum extinxit? Ego cælesti te volebam nubere sponso Christo, & Angelorum cohabitatricem constituere, & in psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus canere Deo festinabam, & per te saluari sperabam, tu autem in amorem lasciuietatis insanisti? Sine me, sicut volo, desponsare te Deo, non ducas senectutem meam cum tribulatione ad inferos, neque nobilitatem parentum tuorum confusione operias. Illa autem, ad nihilum reputans quæ à patre dicebantur, instabat clamans, Pater mi, aut fac desiderium meum, aut post modicum morientem videbis me. Pater ergo in magna defectione factus, ac immensurabilitate tristitiæ absorptus, & amicorum consiliis credulus, hortantium ei deferre voluntatem eius, aut seipsam exponere, concredens pater præcepit fieri desiderium puellæ, ne exitiali se traderet morti. Et adduxit quæsitum puerum ad propriam filiam, dánsque eis omnem substantiam suam dixit filiæ suæ, Vale filia verè misera. multum enim planges pœnitens in nouissimo quando nihil habes proficere. Iniquo ergo coniugio facto, & diabolica facinorositate completa, ac modico transeunte tempore, designatus est à quibusdam puer non introire in Ecclesiam, neque adpropinquare immortalibus & viuificis mysteriis. Et dicunt miseræ

coniugi eius, Scis quia vir tuus, quem elegisti, non est Christianus, sed peregrinus fidei & alienus? Tenebrarum ergo & dolorosæ plagæ repleta, prosternit se in humum, & cœpit discerpere seipsam vngulis, & percutere pectus, ac clamare, Nemo non obediens parentibus saluus fuit vnquam. Quis adnuntiabit patri meo meam confusionem? Heu mihi miseræ, in quantam profunditatem perditionis descendi! Cur nata sum, & nata continuò rapta non fui? Ista ergo lamentari eam discens erratissimus vir eius, accucurrit ad eam contendens non haberi ita veritatem. Illa autem in consolationem veniente suadibilibus eius sermonibus, dixit ad eum, Si vis satis mihi facere & miseræ animæ meæ, crastina ego & tu vnanimiter eamus ad Ecclesiam, & coram me participa incontaminatorum mysteriorum, & sic satisfacta ero. Tunc coactus dixit ei sententiam capituli. Continuò ergo deponens illa muliebrem infirmitatem, & consilium bonum consilians illi, currit ad pastorem & discipulum Christi Basilium, aduersus impietatem clamans, Miserere mihi miseræ, sancte Dei, miserere mihi, discipule Domini, quæ cum dæmonibus causam egi. miserere mihi miseræ proprium patrem non obaudienti. Et docet ei rerum gestarum ordinem. Sanctus autem Dei vocans puerum, sciscitatus est ab eo si ista in hunc modum se habent. Qui ad sanctum cum lacrymis ait, Etiam sancte Dei, si ego siluero, opera mea clamabunt. & enarrat ei etiam ipse à principio vsque ad finem consequentem diaboli malam operationem. Tunc dicit ei sanctus, Vis reuerti ad Dominum Deum nostrum? Ad quem puer, Vtique volo, sed non valeo. Dicit ei, quare? Respondit puer, Scripto abnegaui Christum, & professus sum diabolo. Dicit ei, Non sit tibi curæ, benignus est Deus noster, & recipiet te pœnitentem: compatitur enim malitiis nostris. Et iactans se puella ad pedes sancti, euangelicè deprecata est eum dicens, Discipule Christi Dei nostri, quantum potes adiuua nos. Dicit ad puerum sanctus, Credis saluari? Qui ait, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et continuò adprehendens manum eius, faciénsque Christi signum in ipso & orans, reclusit eum in vno loco interioris sacri periboli. Et dans ei regulam, conlaborabat ei per tres dies. Post quos visitauit eum, & dicit ei, Quomodo habes fili? Dicit ad eum, In magna sum Domine defectione, sancte Dei, non fero clamores eorum & terrores, ac iaculationes seu lapidationes eorum. Tenentes manuscriptam meam, causantur me dicentes, Tu venisti ad nos, non nos ad te. Et dicit ei sanctus, Noli timere fili, tantùm crede. & dans ei modicam escam, faciénsque super eum Christi iterum signaculum ac orans, reclusit eum. Et post paucos dies visitauit eum, & dicit, Quomodo habes fili? Dicit ei, Pater sancte, à longè clamores eorum audio & minas, sed non video eos. Et iterum dans ei escam & orans, claudénsque ostium abiit. Et quadragesimo die rediit, & dicit ei, Quomo-

modo habes, frater? Respondens dicit ad eum, Bene habeo, sancte Dei. Vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me, & vincentem diabolum. Mox ergo Sanctus secundùm consuetudinem faciens orationem, eduxit eum, & adduxit in dormitorium suum. Mane autem facto vocauit sacrum clerum, & monasteria, & omnem Christo amabilem populum, & dixit eis, Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agatis Domino. Ecce enim ouem perditam debet pastor bonus in humeris reportare, & offerre Ecclesiæ. Quapropter debitum est & nos vigiliam facere nocte, ac postulare eius benignitatem, vt non vincat corruptor animarum etiam in hoc facto. Et alacriter populo coaggerato, per omnem noctem postulauerunt Deum cum bono pastore, cum lacrymis clamantes pro eo Kyrie eleison. Et maturè cum omni multitudine populi accepit Sanctus puerum, & tenens dexteram manum eius, ducebat illum in sanctam Dei Ecclesiam cum psalmis & hymnis. Et ecce diabolus omnium fascinans in tristem vitam, cum omni perniciosa virtute aduenit, & inuisibiliter adprehēdens puerum, conabatur rapere eum de manu Sancti. Et cœpit clamare puer, Sancte Dei, adiuua me. Et tanta improbus instantia adgressus est, vt etiam memorabilem virum compelleret, trahens puerum. Conuersus ergo Sanctus ad diabolum, dixit, Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarū & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, qua te & eos qui sub te sunt affecisti, nisi etiam & Dei mei tentes plasma? Diabolus autem dixit ad eum, Præiudicas me Basili. Ita vt plurimi ex nobis audirēt voces dæmonum hæc dicentium, clamante populo Kyrie eleison. Sanctus autem Dei ait ad eum, Increpat te Dominus, diabole. Qui respondens ait ad eum, Basili, præiudicas me. non abij ego ad eum, sed ipse venit ad me. Abnegauit Christum, & professus est mihi. Et ecce manuscriptum habeo, & in die iudicij ad communem iudicem eum duco. Sanctus Dei dixit, Benedictus dominus Deus meus, non deflectet populus iste manus de altitudine cæli, donec reddas manuscriptum. Et conuertens se dixit populo, Erigite manus vestras in cælum, clamantes cum lacrymis Christe Kyrie eleison. Et stante populo in horam multam extensas habente manus in cælum, ecce manuscripta pueri per aërem delata, & ab omnibus visa venit, & imposita est manibus memorabilis nostri patris & pastoris. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gauisus factus est valdè, & coram omni populo dixit ad puerum, Cognoscis litterulas has frater? Qui ait ad eum, Etiam Sancte Dei, manuscripta mea est. Et disrumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad Ecclesiam, & dignum fecit sancto ministerio, & communione mysteriorum & munerum Christi. Et faciens susceptionem magnam, refrigerauit omnem populum, & ducens puerum ac instruens, seu dans ei regulam decentem, reddidit eum mulieri eius intacibili ore glorificantem & laudantem Deum, Amen.] Et venerabilis presbyter Beda in tertio

Luc. 8. 30. libro commenti Lucæ Euangelistæ, *Interrogauit*, inquit, *illum Iesus dicens, Quod tibi nomen est? At ille dicit, Legio, quia intrauerunt dæmonia multa in eum.* Non velut inscius nomen inquirit, sed vt confessa coràm peste, quam furens tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Sed & nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones eiicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, vel alio quolibet corporis, vel animi sensu, vigilantes, dormientésve pertulerint, confitendo patenter exponant. Et maximè quando, vel viris in specie feminea, vel in virili habitu feminis apparẽtes, quos dæmones Galli Dusios vocant, infando miraculo spiritus incorporei corporis humani concubitum petere se ac patrare confingunt, & nomen dæmonis, quo se censeri dixerit, & deierandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerunt, prodendos esse præcipiunt. Quæ mendacio simillima res, sed adeo vera, & plurimorum est attestatione notissima, vt quidam vicinus mihi Presbyter retulerit, se quandam sanctimonialem feminam à dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse: confesso autem quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, ceterísque quæ oportebat purificationum generibus effugasse, & eiusdem feminæ corpus ab vlceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio, adiuncto sale benedicto, curasse. Sed dum vnum de vlceribus, quod altiùs lateri infixum repererat, nullatenus posset quin continuò panderetur obducere, ab eadem ipsa, quam sanare volebat, consilium quo sanaretur accepisse. Si inquit, oleum pro infirmis consecratum eidem medicamento asperseris, sicque me perunxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quondam per spiritum in quadam longiùs posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem taliter à sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat, statimque vlcus remedium, quod antè respuerat, accipere consensit. Hæc contra fraudes dæmonum paucis explicare curaui, vt quàm non frustrà Dominus nomen eius, quem expulsurus erat, spiritus interrogarit, intelligas.

INTERROGATIO XVI. ET RESPONSIO.

DE eo autem quod interrogatum est, quæ sit causa cur Deus, vt dicitur, sæpè in legitimo coniugio permittat talia fieri, sciendum est, quia vt à Deo institutum coniugium bonum est, & omne peccatum non ex propria natura subsistit. malum quippe sine substantia est, quod tamen vtcumque fit, in boni natura vt supradiximus coalescit, & peccatis exigentibus, in bono coniugij malum fit operatione diaboli, sicut Domini est terra, bona vtique, vt à bono Deo creata, & iniquitates sunt nostræ, sed sæpè no-

ſtris iniquitatibus videmus & ſentimus terram Domini tabeſcentem, qui promiſit iratus futuram nobis terram ferream, & cælum æreum, & placatus daturum ſe nobis pluuiam temporiuam & ſerotinam terræ, & quia cælum dabit pluuiam, & terra dabit fructum ſuum: non quo creaturarum immutetur natura, ſed quia meritorum diſtantia, irato vel placato Deo, exinde à nobis vindicta ſentiatur vel gratia. Et beatus Gregorius in libro ſecundo Moralium dicit, Occulta, inquiens, iuſtitia Dei licentia malignis ſpiritibus datur, vt quos volentes in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.] Et Auguſtinus in libro primo de nuptiis & concupiſcentia, Qui miratur quia creatura Dei ſubditur diabolo, non miretur. Subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori, quia homo Angelo, nec tamen propter naturam, ſed propter vitium, quia immundus immundo.] Quia & ipſe diabolus ſpiritus immundus eſt. Et vtique bonum quòd ſpiritus, malum quòd immundus: quoniam ſpiritus eſt natura, immundus eſt vitio, quorum duorum illud à Deo eſt, hoc ab ipſo. Non itaque tenet homines, ſiue maioris ſiue infantilis ætatis, propter quod homines ſunt, ſed propter quod immundi ſunt. Et in libro de gratia & libero arbitrio, Fixum enim, inquit, debet eſſe & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſtè iſta paterentur, ne incurratis illud prouerbium Salomonis, Inſipientia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo.]

Cap. xvi.

Cap. xxiii.

Cap. xxi.

INTERROGATIO XVII. ET RESPONSIO.

De eo ſiquidem quod interrogatum eſt, vt ſi fortè tales viri malefici, vel incantatrices feminæ inuentæ fuerint, quid de huiuſmodi fieri debeat, ſanctus Leo ſcribens ad Epiſcopos per vniuerſas prouincias demonſtrat, Aliquanti, inquiens, malefici, qui ita ſe demerſerant, vt nullum his auxiliantis poſſet remedium ſubuenire, ſubditi legibus, ſecundùm Chriſtianorum principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo ſunt exilio relegati.] Et poſt aliquanta, Aliter enim nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi hos, qui ſunt perditores & perditi, zelo fidei dominicæ perſequamur, & à ſanis mentibus, ne peſtis hæc latiùs diuulgetur, ſeueritate qua poſſumus abſcidamus. Vnde hortor dilectionem veſtram, obteſtor, & moneo, vt qua debetis & poteſtis ſollicitudine vigiletis, ad inueſtigandos eos, necubi occultandi ſe reperiant facultatem. Vt enim habebit à Deo ingens remunerationis præmium, qui diligentiùs quod ad ſalutem commiſſæ ſibi plebis proficiat fuerit executus, ita ante tribu-

Epiſt. rr. Epiſcopis per Italiam.

nal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.] Et sanctus Gregorius ad Cyprianum diaconum, Vir sanctissimus Maximianus Coepiscopus noster, Ecclesiam Dei prauis hominibus purgare desiderans, laudabiliter erga Ecclesiasticorum vitam sicut nosti sollicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura pastorali intenderet, maleficio, quod vulgò canterma dicitur, quosdam didicit maculatos, quos etiam, sicut & dilectionis tuæ nuntiauit epistola, dedit in custodia retinendos. Sed quia peccatis nostris facientibus morte præuentus crimen ipsum vlcisci non valuit, necesse est vt dilectio tua cum omni hoc subtilitate indagare festinet, atque ita in eos secundùm immanitatem facinoris studeat vindicare, qualiter secundùm leges suprà scriptum Episcopum zelo correctionis ac iustitiæ in hac vltione propter Deum nouit potuisse si viueret commoueri. Omni ergo virtute, omnique instantia, tua dilectio in hac causa zelum suum erga omnipotentem Deum curet ostendere, & inimicis illius aduersitatem dignam inflictis vltionibus exhibere, vt impleat quod scriptum erat, Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Si igitur hoc zelo dilectio tua accēditur, in eos qui Deum reliquerunt, & contra eum maleficiis aliquid egerunt, pœna monstretur. Quod si rectè illic exequi non vales, nobis qui tales sunt transmitti debent, si tamen hìc monstrari potuerit, vnde illic possunt absque difficultate conuinci. Sed quia hoc impossibile esse existimo, illic per te debet districta atque fortis correctio prouenire.] Et ad Ianuarium Episcopum Sardiniæ, Cōtra idolorum quoque cultores, vel aruspicum atque sortilegorum, fraternitatem vestram vehementiùs pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo contra huius rei viros sermonem facere, eósque à tanti labe sacrilegij, & diuini intentione iudicij, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen si emendare se à talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus: & si quidem serui sunt, verberibus, cruciatibúsque, quibus ad emendationem peruenire valeant, castigare, si verò liberi, inclusione digna districtáque in pœnitentiam sunt redigendi, vt qui salubria & à mortis periculo reuocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.] Et item in Edicto canonico. *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis vsus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, anathema sit.* Et in Concilio Ancyrano capite vigesimo tertio, Qui diuinationes expetunt, & more gentilium subsequuntur, aut in domos suas huiusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica vel expiandi causa, sub regula quinquennio iaceant secundùm gradus pœnitentiæ diffinitos.] Ex Concilio Bracharensi capite LXX. Si quis paganorum consuetudinem sequens, diuinos & sorti-

Lib. XII. epist. XIII.

Psal. 138. 21.

Lib. VII. Ind. II. epist. LXVI.

Greg. II. in Synod. Rom. c. 12.

Concil. Brac. II.

legos in domum ſuam introduxerit, quaſi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel luſtrationes paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agat.] Et capite LXXI. Non liceat Chriſtianis tenere traditiones gentilium, & obſeruare vel colere elementa, aut lunæ aut ſtellarum curſum, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda, vel propter ſegetes, vel arbores plantandas, vel coniugia ſocianda. Scriptum eſt enim, *Omnia quæcumque facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.*] Et cap. LXXII. Non liceat in collectionibus herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes, aut incantationes attendere, niſi tantùm cũ ſymbolo diuino, & oratione Dominica, vt tãtùm Deus creator omnium & Dominus honoretur.] Et cap. LXXIII. Non liceat mulieres Chriſtianas aliquã vanitatem in ſuis lanificiis obſeruare, ſed Deum inuocent adiutorem, qui eis ſapientiam texendi donauit.] Et in Concilio Carthaginenſi cap. LXXXIX. Auguriis vel incantationibus ſeruientem à conuentu Eccleſiæ ſeparandum, ſimiliter & Iudaicis ſuperſtitionibus vel feriis inhærentem.] Et in libro primo de capitulis Auguſtorum, Vt coclearij, malefici, incantatores fieri non ſinantur, quos in Simone Mago terribiliter conſtat eſſe damnatos.] Et in Concilio Eliberitano capite ſexto, Si quis maleficio interficiat alterum, eo quòd ſine idololatria perficere non potuit, nec in fine impertiendam eſſe illi communionem.] Sciendum tamen eſt, quia hæc diſtrictionis ſeueritas ex Concilio Eliberitano erga eos qui non reſipiſcunt obſeruari debebit. Ceterùm iuxta B. Cæleſtini decreta, nulli eſt recognoſcenti vltima pœnitentia deneganda. & ſic Magnus Leo Papa decreuit, His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio ac communionis gratia deneganda, ſi eam etiam amiſſæ vocis officio per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. Quòd ſi ita aliqua vi ægritudinis fuerint adgrauati, vt quod paulo antè poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ſimúlque & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur, ſeruata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, non negetur, ſicut Nicæna Synodus definiuit. Cuius conuerſio mente potiùs eſt æſtimanda quàm tempore, quoniam apud Deum nullas veniæ patitur moras vera conuerſio, Propheta hoc pariter atteſtante, *Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.*] Et in Nicæno Concilio, Sed in his omnibus propoſitum & ſpeciem pœnitentium conuenit explorare. Quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis conuerſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant. Et poſt paululum, Poſtmodùm licebit Epiſcopo de his

Col. 3. 17.

Concil. Carth. IV.

Cap. XXI.

Epiſt. LXX. ad Theod. Foroiul.

Can. 13.

Can. XIII.

Can. 4. aliquid humanius cogitare. Et in Ancyrano Concilio, Penes Episcopos, inquit, erit poteſtas, modum conuerſionis eorum probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel amplius tempus adiicere. Sed & quinto capitulo eiuſdem Concilij, & in aliis ſufficienter inde lector inueniet. Et Innocentius Papa ad Decentium Eugubinum Epi- Epiſt. xxix. ſcopum ſcribit, De pœnitentibus, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque vſque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.]

INTERROGATIO XVIII.

SEPTIMO capitulo reſcribi nobis depoſcimus, ſi ſæpè fata femina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit, vtrum ad eam vir eius redire debeat, an alteri valeat ſociari. Et remandate nobis, ſi ipſa criminibus obnoxia, de quibus reputatur, inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri feminæ coniungi valeat. Remandate etiam, ſi tales cauſæ reputatæ fuerint & ipſi Regi, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, poſtquam illa criminoſa inuenta fuerit, vtrum ipſe Rex poſt publicam pœnitentiam coniugem legitimam poſſit accipere. Et remandate, ſi & illa legaliter reiecta, ipſe etiam poſt actam pœnitentiam, ſi voluerit, concubinam, quam habuit, & cum qua poſt initum coniugium adulteraſſe dicitur, in coniugem poſſit accipere?

RESPONSIO.

DE eo quod interrogatum eſt, ſi ſæpè fata femina iterum in iudicium venerit, & innoxia reperta fuerit, vtrum ad eam vir eius redire debeat, an alteri valeat ſociari, ſuperfluum eſt iterare, quia ſuprà oſtendimus, quòd ſi ante legaliter initum coniugium innoxia & legaliter nupta ſuo viro fidem ſeruaſſe reperta fuerit, ſecundùm Euangelicam & Apoſtolicam veritatem, & leges Eccleſiaſticas, atque catholicorum doctrinam, legitimum coniugium non valeat ſeparari, & ſi ſeparati fuerint, aut innupti permaneant, aut mutuò reconcilientur. Sed ne iterationem quæſtionis relinquamus inanem, de hoc quod reputata eſt ſi fuerit immunis inuenta, Dominus per Moyſem dicit in libro Deuteronomij, *Si inuenerit vir puellam virginem*, & ſequentia vſque dum dicitur, *non poterit*

dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. Quam sententiam exponens B. Augustinus dicit, Meritò quæritur, vtrum ista pœna sit, vt non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinatè atque inlicitè violauit. Si enim ob hoc intelligere voluerimus, eam non posse, id est, non debere dimitti per omne tempus, quia vxor effecta est, occurret illud quòd permisit Moyses dare libellum repudij, & dimittere. In his autem, qui inlicitè vitiant, noluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, & potiùs finxisse quòd eam vxorem duxerit, quàm verè placitóque duxisse. Hoc & de illa iussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inuentis, de qua sicut suprà diximus scriptum est, *Habebit eam vxorem, & non poterit dimittere eam omni tempore vitæ suæ.* De qua item sententia beatus Augustinus dicit, Satis hinc apparet quemadmodum subditas feminas viris, & penè famulas lex esse voluerit vxores, quòd dicens aduersus vxorem vir testimonium, vnde lapidaretur, si hoc verum esse demonstraretur, ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit, sed tantummodo castigatur & damnificatur, eique perpetuò iubetur adhærere, qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum, qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quo si probaretur iussit occidi, eadem pœna plecti iubet, qua fuerat si verum esset iste plectendus.]

INTERROGATIO XIX.

De eo verò quod quæsitum est remandate nobis, si ipsa criminibus obnoxia, de quibus reputatur inuenta fuerit, vtrum idem Rex alteri feminæ coniungi valeat.

RESPONSIO.

Partim iam suprà respondimus, quæ partim nunc iterare non piget. Videlicet, si secundùm leges Christianas, forenses scilicet, atque Ecclesiasticas, inuentum fuerit quòd illa coniunctio legalis non fuerit, beati Gregorij ad Felicem Siciliensem Episcopum teneatur sententia, qua dicit, *Incestuosos nullo coniugij nomine deputandos, à sanctis patribus dudum legimus constitutum.* Et sanctus Ambrosius in prima Epistola ad Corinthios dicit, Non est, inquiens, frater aut soror seruituti subiectus in eiusmodi, hoc est, non debetur reuerentia coniugij ei qui horret auctorem coniugij. Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alij se iunxerit. Contumelia enim Creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum & matrimonium peccare dinoscitur, quia noluit sub Dei deuotione habere coniugium. Itaque non est ei fides

1. Cor. 6.

ſeruanda coniugij, qui ideo receſſit ne audiret rectorem eſſe Chriſtianorum Deum coniugij. Nam ſi Eſdras dimitti fecit vxores, aut viros infideles, vt propitius fieret Deus, nec iratus, ſi alias ex genere ſuo acciperent, (non enim ita præceptum his eſt, vt remiſſis iſtis alias minimè ducerent) quanto magis ſi infidelis diſceſſerit, liberum habebit arbitrium, ſi voluerit nubere legis ſuæ viro? Illud enim non debet imputari matrimonium, quod extra decretum Dei factum eſt. ſed cùm pòſt cognoſcit, & dolet deliquiſſe, emendat ſe vt veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium. In pace autem vocauit nos Deus. Verum eſt quia non oportet litigare cum eo qui diſcedit, quia odio Dei diſcedit, ac per hoc nec dignus habendus eſt.] Et hinc ſanctus Auguſtinus in libris ad Pollentium, Meritò quas duxerant, quin vxores, filij Iſrael Domino prohibente, Domino iubente dimiſerunt, quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.] Vnde lector in eiſdem libris latiùs inuenire valebit. Et in Concilio Agathenſi ſcriptum eſt, De inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt.] & poſt aliquanta, Sanè quibus coniunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

Eſd.9.&10.

Can.61.

INTERROGATIO XX.

De eo verò quod requiſitum eſt, ſi & ipſi regi tales cauſæ reputatæ fuerint, vnde publicam pœnitentiam agere debeat, poſtquàm illa femina crimonoſa inuenta fuerit, vtrum ipſe Rex poſt publicam pœnitentiam coniugem legitimam poſſit accipere.

RESPONSIO.

Sanctvs Leo Papa ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum reſpondet dicens, In adoleſcentia conſtitutus, ſi vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam geſſit, & poſteà, timens lapſum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter coniugem nullam omninò cognouerit: in quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundùm veram cognitionem, nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeuerans mentis & corporis.] Sed & hinc in Toletano Concilio capite octauo, Antiqui & ſanctiſſimi eſt patris ſententia Papæ Leonis, vt is, qui in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, peruenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi coniugatus fortè fuerit incontinens, ne poſteà adulterij incurrat lapſum, redeat ad priſtinum coniugium, quouſque poſſit adi-

Epiſt.95. cap.25.

Concil. Tolet.VI.

adipisci temporis maturitate continentiæ statum. Quod nos sicut de viris, ita & de feminis æquo modo censemus, non quidem hoc generaliter & legitimè præceptum, sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum: ea dumtaxat ratione, vt si is qui pœnitentiæ non est legibus deditus, antè ab hac vita discesserit, quàm ex consensu ad continentiam eorum vnde fuerit regressus, superstiti non liceat denuò ad vxorios transire amplexus. Si autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat si se continere non potest, & alterius consortio fruatur vxoris. Quod de vtroque sexu pari modo à nobis manifestum est decreuisse, ita videlicet, vt in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, vt iuxta quod ætatem aptam prospexerit, continentiæ absolutionis vel districtionis tribuat legem.]

INTERROGATIO XXI.

DE hoc etiam quod in quæstionum fine subiunctum est, remandate, si & sæpefata femina legaliter reiecta fuerit, & ipse Rex, post pœnitentiam actam, si voluerit concubinam quam habuit, & cum qua post initum coniugium adulterasse dicitur, in coniugem possit accipere.

RESPONSIO.

QVIA vna est lex viri & feminæ, vt suprà scripturarum & catholicorum patrum sententiis demonstrauimus, si solutus fuerit à lege coniugis, sicut Paulus dicit de vxore, *nubat cui voluerit, tantùm in Domino*, hoc est, vt Ambrosius dicit, sine suspicione turpitudinis nubat, & religionis suæ viro nubat, hoc est in Domino nubere. Quæ solutio & licita copulatio, duobus intelligitur, & duobus fit modis. Scilicet in his qui aut nunquam legale inierunt coniugium, aut morte intercedente soluti sunt à lege coniugij, sicut Paulus dicit, *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. quòd si non se continent, nubant.* & item, *Solutus es ab vxore? ne quæsieris vxorem: si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccabit.* Quod æquè de masculo & femina intelligitur. communis est enim generis hic & hæc virgo. & hoc demonstrat subsequenter Apostolus dicens, *Tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi.* quam sententiam & in viro & in femina exponit Ambrosius. Fit etiam quod licet inlicitum, in his qui sine culpa ad coniugium venire poterant, & maius bonum subire proponunt, bonúmque minus, quod licuit, inlicitum faciunt. Vnde scriptum est, *Nemo ponens manum super aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno cælorum.* Qui igitur fortiori studio intenderat, retrò conspicere conuincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. Fit & interdum, causa non contemnenda interueniente, quod erat inlicitum licitum, cùm legaliter initum coniugium dissolui per-

1. Cor. 7. 39.
1. Cor. 7. 8.
Luc. 9. 62.

1.Cor.7.12 mittitur causa infidelitatis. vnde Paulus dicit, *Si quis frater vxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non relinquat virum.* & post pauca, *Quòd si infidelis discedit, discedat.* vel cùm
1.Cor.7.10 causa fornicationis vxor relinquitur, de qua item Paulus dicit, *His autem qui in matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, & virum vxorem non dimittere.* Quod æqua lance pensatur, vt si dimiserit, in cœlibatu permaneat. Quæ disiunctio inter fideles post initum coniugium fieri non potest, nisi causa fornicationis, & amore continentiæ. Et fit quod erat inlicitum indulgentia licitum, sicut idem
Ibid.6. Paulus in minoribus etiam de magnis demonstrat dicens, *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium,* cùm vir & mulier propter fornicationem separati, si se continere non possunt, ad inuicem reconcilientur. Inlicitum enim erat, vt ad vnionem carnis, quam sociauerant fornicantes, reuenirent qui in continentia per-
Prou.18.22. manere debuerant: præsertim cùm dicat scriptura, *Qui tenet adulteram stultus & impius est.* Sed, vt sanctus Augustinus in libro De bono coniugali dicit, *propter maius malum, toleratur quod minùs est prauum.* Dominus enim dicit, quia vir & vxor propter fornicationem
Matt.19.1. ab inuicem separati, si aliis se coniunxerint, adulterant: & qui iunxerint se aliis, mœchantur. Hinc & in libro De sermone Domini in monte, & in libris retractationum apertissimè dicit, quod & demonstrat Innocentius ad Exuperium Tolosanum Episcopum, sicut suprà posuimus, Manifestum est enim, vt item Augustinus dicit, peius esse adulterium, quàm fornicationem. nec ideo bona erit fornicatio, quia peius est adulterium, quoniam peius est alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere. Nec bonum est adulterium, quia est peior incestus: peius est enim cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere, & donec ad ea perueniatur, quæ sicut ait Apostolus,
Ephes.5.12. *turpe est etiam dicere.*] Et beatus dicit Gregorius, Dum duorum vitiorum languor irruit, & hoc leniùs, illud fortasè grauiùs premit, ei nimirum vitio rectiùs sub celeritate subuenitur, per quod festinè ad interitum tenditur, & inter duo pericula quod leuius est prudenter expetitur. Fit & inlicitum venia licitum, cùm publicam pœnitentiam agens adolescens, vt Leo demonstrat, timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris eligit, ne crimen fornicationis incurrat, rem faciens venialem, si præter coniugem nullam omninò cognouerit: in quo regula non constituitur, sed quid sit tolerabilius æstimatur.] Transitur & quasi inlicitè de inlicito ad licitum,
Can.61. cùm de incestibus nefariis, quos Agathense designat Concilium, quando cùm pœnitentiæ indulgentia ad complexus vxorios transiri permittitur. Sic & de concubinalibus modis dicendum est, qualiter non de bono ad bonum atque honestum, & non de bono ad bo-

num, quamquam non ſatis honeſtum, & de malo ad aliquod bonum, ſed non honeſtum tranſitur. Bonum eſt enim atque honeſtum antè innuptos, ſi in virginitate permanere nequiuerint, ſicut ſuprà oſtendimus ex Apoſtolica traditione, ſancto Euariſto ſcribente, nuptialem coniunctionem expetere. Et bonum atque honeſtum eſt, cælibes, ſi ſe continere non poſſunt, ſicut ſanctus Leo demonſtrat, legale inire coniugium. Qualiter autem de non bono ad bonum atque honeſtum, id eſt, de concubina ad vxorem tranſitur, idem ſanctus Leo ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum demonſtrat dicens, Non omnis mulier iuncta viro vxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales, multo priùs hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani iuris exiſteret. Itaque aliud eſt vxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem, teſtimonium ponit ex Geneſi, vbi dicitur Abrahæ, *Eiice ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem haberet etiam in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium.] & item, Ancillam vel concubinam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij, ſed profectus eſt honeſtatis, quoniam paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, ſi mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt, quia aliud eſt nupta, aliud concubina.] De non bono autem ad bonum, quamquam non ſatis honeſtum, tranſitur, ſicut iſdem Leo vbi ſuprà demonſtrat, quando concubina fortè ingenua facta, ſi fuerat antè ancilla, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honeſtata videatur, ſicut & omnis vxor legaliter coniugata, poſt deſponſationem legitimè dotari & publicis honeſtari nuptiis debet. De malo autem ad aliquod bonum, ſed non honeſtum, tolerabiliter feſtinatur, ſicut ſanctus Auguſtinus in primo libro de nuptiis & concupiſcentia dicit, Sanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole eſt, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum eſt fides, verùm etiam quoddam ſacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apoſtolus, *Viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Huius proculdubio ſacramenti res eſt, vt mas & femina connubio copulati quandiu viuunt inſeparabiliter perſeuerent, nec liceat, excepta cauſa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio ſeparetur. Cuius ſacramenti tanta obſeruatio eſt in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus congregatis, qui ſunt ſine dubio mem-

Epiſt.xcv. Cap.18.

Gal.4.30. Geneſ.21. 10.

Cap.x.

Epheſ.5.25.

bra Christi, vt cùm filiorum procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius sæculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctum Moysem Dominus propter duritiam cordis illorum Israëlitis permisisse testatur, sed lege Euangelij reus est adulterij, sicut etiam illa si alteri nupserit. Et vsque adeo manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potiùs sint inter se coniuges qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterum coniuges permanerent. Denique mortuo viro, vel femina, cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo vel cum qua priùs adulterium fuit.] videlicet si cognatio, aut habitus religionis, vel impudicitia pessimi criminis, siue aliquid huiusmodi non obstiterit. Et item vbi suprà Augustinus, Ita manet etiam inter viuentes quiddam coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet hoc autem qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.] Et in libro De bono coniugali, Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius viuit, nec saltem ipsa causa pariendi, quæ cùm sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis, & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.] Et item in præfato libro De nuptiis & concupiscentia, Quibus verò placuerit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur: immo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ cariùs concordantiúsque seruanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.] His scripturarum testimoniis atque sanctorum dictis manifestatur, quomodo concubinam, cum qua adulterasse dicitur, si voluerit in coniugium sibi sociare præualeat. videlicet, si aut vxor legaliter accepta, & innoxia erga illum inuenta, mortua fuerit corpore, vel si inuenta fuerit anima adeò mortua, vt ipsius cum ea copula incestus & nullo coniugij

Matt. 19. 8.

Ibidem.

Cap. XXIV.

Lib. I. c. XI.

nomine deputandus legaliter cōprobetur. Nec tamen talis coniunctio, si huiusmodi concubinam in coniugem sumpserit, reprehensione atque offensionis macula carere videbitur, dicente B. Augustino in libro de bono coniugali, *Quod ergo*, inquiens, *præcipiunt coniugatis Apostoli, hoc est nuptiarum: quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.* Itaque si fortè, quod vtrum fieri possit ignoro, magísque fieri non posse existimo, sed tamen si fortè ad tempus adhibita concubina, filios solos ex eadem commixtione quæsiuerit, nec ista sic coniunctio vel eorum nuptiis præponenda est, quæ veniale illud operantur. Quid enim sit nuptiarum, considerandum est, non quid nubentium & immoderatiùs nuptiis vtentium. Neque enim si agris iniquè ac perperam inuasis ita quisque vtatur, vt ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideò rapinam iustificat. Neque enim, si alius ruri paterno vel iustè quæsito auarus incumbat, ideò culpanda est iuris ciuilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis peruersitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet: nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæuiat. Aliud est namque iniusta potestate iustè velle vti, & aliud est iusta potestate iniustè vti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, iustum faciunt concubinatum suum: nec coniugatæ, si cum maritis lasciuiant, nuptiali ordini crimen imponunt. Posse sanè fieri nuptias ex malè coniunctis, honesto placito consequente, manifestum est. Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicuius eorum morte dissolui. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur. ita vt iam scientibus coniugatis non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat. quòd si fecerint, cum eis quibus se copulauerint, adulterium committunt.] Quoniam, vt sancti Patres de bono coniugali diffiniunt, bonum habent nuptiæ, & quod bonum est, peccatum non est: ac per hoc qui contra bonum nuptiale facit, peccatum facit cùm adulterium committit. Diffiniunt etiam, quòd bonæ & à Deo constitutæ ac benedictæ sunt nuptiæ, quas etiam sua præsentia consecrauit, in quibus est fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera vel cum altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: nec tantum gaudeant parentes quia sobolem genuerunt, quantum vt soboles in Christo regeneretur. In sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas, sicut sanctus Augustinus in libro

Cap. XIII.

Cap. XIV.

Cap. XV.

de bono coniugali, & in libris de nuptiis & concupiſcentia latiſſimè & facundiſſimè ſatis oſtendit. Vnde omnimodis obſeruandum eſt, ne concubinæ, vel cuiuſlibet alterius feminæ copulam coniugalem rex, ſuper quo voluerunt conſulere conſulentes, aliquo modo expetat, antequam legali virorum inluſtrium iudicio, & ſacerdotali decreto coniunx, quam legaliter accepit, ipſo etiam coniugis nomine iudicetur indigna, aut diuino iudicio migret à corpore, quia ſicut in libro Heſter manifeſtiſſimè legitur, regina Vaſthi potentiſſimi regis Aſſueri, licèt ferociſſimus fuerit, cùm eius animos contemptu & contumacia offendiſſet, nequaquam ſola illius indignatione & furore ex imperij honore depoſita fuit, ſed publico iudicio & ſententia principum ac iudicum Medorum atque Perſarum, & poſt depoſitionem illius reginæ per iudicium publicum factam, quæſitæ ſunt puellæ, quæ placerent oculis regis, inter quas Heſter pulchritudine & decore enituit, ſícque regiam copulam meruit. Quod etiam antiqui Romani legitimo iudicio fieri debere legibus ſuis antiquitùs ſtatuerunt & ſeruauerunt, non ſolùm iam effecti Chriſtiani, ſed etiam cùm adhuc eſſent pagani, ſicut apertiſſimè oſtendit lex Antonini pagani Imperatoris, quam beatus Auguſtinus in libro de adulterinis coniugiis hoc modo commemorat & commendat dicens, Quibus diſplicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma ſeruetur, & potiùs eligunt, maximéque in hac cauſa, mundi legibus ſubditi eſſe quàm Chriſti, quoniam iura forenſia non eiſdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur obſtringere, legant quid Imperator Antoninus, non vtique Chriſtianus, de hac re conſtituerit, vbi maritus vxorem de adulterij crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum, ita vt ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe conuicerit. Nam ſupradicti Imperatoris hæc verba ſunt, quæ apud Gregorianum leguntur, Sanè, inquit, litteræ meæ nulla parte cauſæ præiudicabunt. Neque enim, ſi penes te culpa fuit vt matrimonium ſolueretur, & ſecundùm legem Iuliam Eupaſia vxor tua nuberet, propter hoc reſcriptum meum adulterij damnata erit, niſi conſtat eſſe commiſſum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cùm tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti. Periniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet: quæ res poteſt & virum damnare, non ob compenſationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel cauſam facti tollere. Si hæc obſeruanda ſunt propter decus terrenæ ciuitatis, quanto caſtiores quærit cæleſtis patria, & ſocietas Angelorum?] Hæc de legibus pagani Imperatoris Antonini beatus Auguſtinus commemorat. Ita reges Medorum, ac Perſarum, atque Romanorum, & Iudices ſæculi, cùm eſſent pagani & idolorum cultores, naturaliter quæ legis ſunt facientes, etiam in cauſis

Lib. II. cap. VIII.

coniugum non crudelitatem & sæuitiam, sed æquitatem & iustitiam decernere ac diffinire & tenere debere docuerunt. Quapropter timendum est regibus, Episcopis, & iudicibus sæculi, quod in Euangelio dicitur de Niniuitis, & regina Austri, *quoniam surgent in iudicio, & condemnabunt generationem pessimam.* condemnabunt vtique non potestate iudicij, sed comparatione melioris facti. Si reges illi ac iudices idololatræ sic ordinem iudicij seruauerunt, & nos sub Christo iudice viuorum ac mortuorum quocumque intuitu minùs debito à iudicij ordine deuiamus. In Numeri quoque libro præcipitur, vt si qua mulier vel adulterij rea, vel falsa suspicione fuerit appetita, & vir eius zelo aduersus eam fuerit cōcitatus, adducat illam ad sacerdotes, & diuino iudicio vel damnandam offerat, vel liberādam. Vnde Susanna cùm falso adulterij crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Et illa mulier in Euāgelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primùm iuxta legem ad Pharisæos, qui potestatem iudicij in populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, vbi eius admirabili pietate, & à lapidationis supplicio, & à criminis reatu meruit liberari. Sic & leges Christianæ sunt inspirante Domino conditæ, quibus legaliter initur coniugium, & sacerdotalis auctoritatis est sanctitas, qua benedictionem suam Dominus in paradiso primis parentibus per se datam coniugibus legaliter copulatis, vice sua per eos, qui illius os appellantur, dicente Propheta, *Os Domini locutum est.* & ipso Domino, *Cùm separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, viritim vult largiri, & infirmos pœnitentiæ medicamento sanare. Et liber dicit Ecclesiasticus de seruo, quantò minùs de vxore, *Verùm sine iudicio nihil facias graue.* Est & illi regi aliud obseruandum, ne ante legitimam pœnitentiam, secundùm leges Ecclesiæ susceptam atque peractam, & reconciliationem adeptam, coniugio, multo minùs eidem, de qua agitur, concubinæ se copulet: quoniam nec Dauid rex, sine talis excoctionis pœnitentia, Bethsabee, cum qua adulterauit, in coniugem habuit, vt & filius, qui ex ipso adulterio natus fuerat, confestim diuino iudicio, licèt pro eo multùm ieiunando & flendo petierit, sit percussus ac mortuus, & ipse posteà grauissimis tribulationibus, ac regni sui amissione per filium suum Absalon ita adflictus est & vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, vt verè sola diuina clementia euasisse videatur. & iam ei acerrimè contrito corde pœnitenti & confitenti misericors Dominus peccatum dimiserat: sed quia iustus est, & iustitiam diligit, quod rex ab eo ad scelera vlciscenda constitutus egerat scelerate, dignè atque iustissimè vindicauit.

Matt.12.41. Num.5. Dan.13. Ioan.8. Gen.1. Esa.1. Hier.15. 2.Reg.12. 2.Reg.15.

INTERROGATIO XXII.

Octavo capitulo nobis rescribite, vtrum sequendum sit quod quidam dicunt quosdam docere Episcopos, vt sibi confessis viris vel feminis debeant patrocinium defensionis impendere, ne quisquam huiusmodi personas ad iudicium Reipublicæ audeat pro criminibus vnde eis confessæ fuerant, etiam si multis nota sunt crimina, prouocare. Et si se, non ex consensu propter continentiam, sed propter discidium aliquod, separare voluerint, vel eorum fragilitati, si separati se continere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate sua posse consulere. dicentes quia secreta confessione ad Ecclesiasticam confugerint pietatem, sicut Bosonis mulier, de qua in Synodo apud Leucorum ciuitatem habita fuimus cum interpellatione commoniti, & ideo ab aliis quàm ab Episcopis, quibus confessæ tales personæ fuerant, non debeant iudicari.

RESPONSIO.

Hoc quàm absurdum sit, quilibet sensatus licèt ignoret leges Ecclesiæ recognoscit, quia vt beatus Gregorius ad Leontium Exconsulem scribit, Debet inquiens gloria vestra meminisse, quia nunquam meas epistolas pro commendatione alicuius accepit, nisi vt protectionem vestram fauente iustitia præstaretis. Quia turpe est defendere, quod priùs non constiterit iustum esse. Ego quidem homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines postpono.] Sicut enim, vt suprà beatum docuisse Ambrosium scripsimus, non minùs quàm ante decem testes pactum potest firmari coniugij, sed & ipsum nomen nuptiæ, quod singularitate caret, plurimorum expetere monstrat debere notitiam, & quod publicè coniunctum est, in angulo separari non potest. & de secreta confessione, quam publicari non licet, coniugium legibus Christianis ac publicis coniugatum ab eodem coniugij iugo dissolui non potest, neque tale conludium ad Ecclesiasticam pietatem dici debet confugium. Vnde si nosse quiscumque desiderat quid auctoritas Ecclesiastica de ad se vt ad matris sinum confugientibus moderatè decernat, suggerimus, vt inter alia curiosus vel quilibet studiosus beati Gregorij reuoluat epistolas, in quibus multoties, immo quotiens conuenientia se loci obtulerit, siue ad Imperatores, vel ad quascumque personas, pro omnibus ad se confugientibus petens, litteris suis semper inseruit, salua æquitate, vel salua ratione, siue constante iustitia, aut causa iudiciali termino diffinita, sine sacerdotali inuidia. &, vt electorum cum parte altera necesse est subire iudicium, & vt veritas cognosci, & quod æquitatis ordo suaserit,

Lib. VIII. epist. LI.

rit, valeat diffiniri. Et, Vt mora cessante ad electorum accedere quisque compellatur iudicium. &, Quicquid veritate cognita sacrosanctis Euangeliis fuerit statutum, ita ad effectum executionis omnimodis perducatur. &, Quicquid suadente iustitia visum fuerit, scripto decernatur. &, Vt in nullo contra leges aut rationem quis patiatur aliquo modo prægrauari, sed vt iustitiam ei, sicut Christianitati conuenit, in omnibus debeat custodire, quatenus ipse, qui ad pietatem Ecclesiasticam confugit, quod ei ab eadem pietate promissum est, non debeat contra æquitatis ordinem prægrauari. & iterum, Vbicumque confugienti necesse fuerit, salua ei ratione concurratur. & item, Solatiis vestris, quocumque vsus exegerit, comitante iustitia potiatur.] Et item ad Fantinum defensorem, Antefatæ mulieri salua æquitate tuitionem impende, & eam contra rationis ordinem nullo modo grauari permittas.] Et iterum ad Anatolium Constantinopolitanum diaconum, Hoc autem dilectionem tuam volumus sollicitè attendere, ne se in quacumque causa, vbi grauamen est pauperum, misceri consentiat, ne fortasse potentia personarum aliquatenus pressus, cogatur agere quod animæ illius non possit expedire. Cuncta ergo cum Dei timore tractate, æternam maximè mercedem perpendite.] Et ad Sabinum subdiaconum, Studij tui sit, vt nullis contra rationem dispendiis debeant subiacere. Quòd si fortè aliqua nititur excusatione defendere, mediis sacrosanctis Euangeliis causam subtiliter perscrutari, & ita, vt iustitia ac legis ordo suaserit, diffinire conuenit, atque diffinitam effectui mancipare.] Et ad Romanum defensorem, Patrocinia Ecclesiastica, siue mea suscipiatis scripta, siue etiam minimè fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè defendi, ne opinionem malè agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos vllo modo transferamus: sed quantum decet Ecclesiam admonendo, & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.]

Lib. VI. Ind. II. epist. 83.

Lib. VII. Ind. II. epist. 82.

Lib. VIII. epist. VI.

Lib. VII. Ind. II epist. XXIV.

Sed & de his qui ad septa Ecclesiæ, & etiam ad ipsa sacraria confugerint sanctuarij, ad Ianuarium Episcopum Caralitanæ ciuitatis scribit, Si quis, inquiens, de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, vt eis sacramentum, ab his quorum interest, de seruanda lege & iustitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem.] Et in libro primo capitulorum domni Karoli, & Hludouuici Augustorum, Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per

Lib. VIII. ep. XXXVIII.

manus bonorum hominum ad discussionem in publico producatur.] Et in Concilio Aurelianensi capite primo, de homicidis, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, scriptum est, vt sicut in Ecclesiasticis canonibus, & Romanæ legis decretis constitutum est, ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi eos non liceat abstrahi, sed datis sacramentis de morte, ac debilitate, ac omni pœnarum genere, ne violentiam ante legalem satisfactionem patiantur, ab Ecclesia exeant, ita vt ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conueniat.] Et in tertio capitulo, si cuiusquam seruus ad Ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, accepto sacramento de impunitate ad seruitium domini sui redire cogatur: qui si post datum sacramentum redire noluerit, exire nolentem à domino liceat occupari. non obseruantes autem ea quæ promiserint, à communione Ecclesiastica iubentur abscidi.] Sed & in secundo capitulo eiusdem Concilij scriptum est, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, mortis vel pœnarum impunitate concessa, aut seruiendi conditioni subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur.] Et in Concilio Africano scriptum est, Vt si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio Episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siue ab Ecclesiis quibus præfuit, siue à quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse legum promulgatores præcipiant.] Quanto minus Episcopi, æquitatis videlicet prædicatores, quemquam sub specie pietatis iniustè debeant defensare? præsertim cùm relegant scriptum esse, *Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti.* &, *Iustè quod iustum est exequaris.* Verùm si cui quiddam sonare videtur contrarium Aurelianensis Synodus decretis Apostolicæ sedis, quoniam hæc de impunitate, illa de æquitate seruanda postulat sacramenta, sciendum est, quia beatus Gregorius de his personis dicit, quæ se iustificari in iudicio credunt, sed violentiam ante iudicium timent: Synodus autem Aurelianensis de illis dicit, qui suam iniustitiam non abscondunt, insuper & violentiam cum æquitate iudicij pertimescunt: Non autem de lege connubij, quam specialiter, vel vt dicamus singulariter Dominus in paradiso primis parentibus dedit: & in Euangelio etiam Apostolis conquirentibus, quòd si ita lex esset viri cum vxore, non expediret nubere, non mutauit: nec Paulus ad tertium cælum & in paradisum raptus scribere quiddam noui præsumpsit, aut aliquid de huiusmodi defensione dicere attentauit. Sed & obseruandum constat legentibus, vt quotienscumque Concilium aliquod, pro temporis qualitate, vel periculi necessitate, quiddam consulendo, Apostolicæ sedi, vel

Can. 5.
Can. 4.
Can. 29.
Genes. 4.
Deut. 16.

veteribus regulis diuersum, sed non fidei vel religioni aduersum decreuisse legitur, secundùm quod in Nicæno Concilio capitulo sexto legitur, De eo quod communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regulam Ecclesiasticam comprobato, duo aut tres contradicunt, quatenus obtineat sententia plurimorum. Ita, sicut scribit Gelasius, priscis pro sua reuerentia manentibus constitutis, quæ vbi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia regulariter conuenit custodiri, id potiùs sequendum esse dinoscitur quod Apostolica sedes inrefragabiliter teneri decreuit, vel plura seu maioris auctoritatis Concilia statuerunt.] Ep.vi.c.2.

Idem quoque B. Gregorius vrgendum ad iustitiam nolentem Venantio Lunensi Episcopo scribit dicens, Quoniam æquitatis censura admonet, vt maximum conuersis, salua ratione, Episcopale debeat adesse solatium, idcirco his fraternitatem vestram epistolis adhortamur, vt prædictam matrem ipsius Adeodatæ ad se faciat euocari, & tranquilla ei adhortatione suadeat, vt facere sponte non desinat ad quod legali potest ratione compelli, quatenus nec illa adfligi, nec hæc videatur præiudicium sustinere. Quæ si, vt non credimus, admonitionem vestram differre voluerit, prædictæ Adeodatæ religiosæ contra eam tuitionem impendite, atque vestris eam solatiis apud iudicem, vel quocumque vsus exegerit, instantiùs adiuuate, & ita in exequenda hac vos causa impendite, vt legali ratione constricta, inuita vrgeatur facere quod spontè postponit. Memoratam verò latricem fraternitas vestra ita seruata æquitate habeat in omnibus commendatam, vt vobis ei tuitionem impendentibus, in eo quem adsumpsit habitu sine aliqua Deo protegente concussione permaneat.] Et ad Ianuarium Episcopum Sardiniæ, Adhoc Redemptum Defensorem nostrũ præsentium portitorem illuc direximus, vt & partes in iudicio obseruare compellat, & exsecutionis suæ instantia ad effectum quæ fuerint iudicata perducat.] Et plura quæ reperiuntur huiusmodi, & longum est à nobis enumerari. Contra hæc enim petere, non Ecclesiæ, neque Ecclesiastici viri esse iuris cognoscitur, ne fortè indebita pietas impietas iudicetur, sicut sanctus Cælestinus ad Nestorium scribit, Est enim, inquiens, talis frequenter pietas, ex qua nascatur impietas.] Et S. Augustinus in libro quarto contra Iulianum, Fortè dicturus es, inquit, misericors voluntas bona est. Rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est, fides quæ per dilectionem operatur, semper est bona, ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur & misericordia mala, qua persona pauperis accipitur in iudicio, propter quam postremò Rex Saul meruit à Domino vtique misericorde damnari, quia contra eius præceptum captiuo Regi per humanum pepercit affectum, attentiùs cogita, ne fortè misericordia bona non sit, nisi quæ huius bonæ fidei fuerit. Immò responde, vt hoc sine dubitatione perspicias, vtrum bonam misericordiam existi-

Lib.vii. Indict. ii. ep.xxviii.

Can.vii. sub finem.

1.Reg 15.

mes infidelem. Porro si vitium est malè misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri.] Nemo quippe sic misericors, quanto magis Deo misericordior poterit inueniri, quem Psalmista misericordiam voluit appellare dicens, *Deus meus misericordia mea*, qui iustis iudicibus de muliere in adulterio deprehensa sibíque oblata, iustum iudicium noluit tollere. Vnde sanctus Hieronymus versum Psalmi exponens dicit, *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam.* Veritas ipse est Christus, vnde de illa muliere dixit ad Iudæos, *Qui sine peccato est vestrûm, prior in eam lapidem mittat.* Mansuetudo, quando dixit, *Nec ego te condemnabo.* Iustitia, quando dixit, *Vade mulier, & ampliùs noli peccare.*]

Psal. 58. Ioan. 8. Psal. 44. Ioan. 8.

Nam quod in Tomo suprà memorato relegimus de præfata muliere Bosonis hoc modo conscriptum, *Maritum verò illius cum pacto securitatis, dum aduenit, vel immoratur nobiscum, siue recedit, euocauimus, vt eius coniugem in ipsius præsentia examinemus, inexaminatam verò morti tradere ad nos confugientem, vt iniquum & crudele, deuitamus: quia cùm nullus specialis accusator accedat, ipsa tamen admonita pariter & interrogata nihil aliud confitetur, quàm quòd solius Hucberti persecutionem mori timens declinet*, prudenter debent legentes aduertere, vtrum auctoritati, vel rationi valeat conuenire. Auctoritas quippe de æquitate atque iustitia conseruanda confugientibus ad Ecclesiam postulat firmitatem, & non viro de vxore sua legaliter desponsata, legitimè dotata, publicis nuptiis honestata, si suspicione contra eam motus fuerit, legitimam aufert penitus potestatem. Quod autem in Heptatico de zelotypia scribitur, vt vir vxorem suam spiritu zelotypiæ concitatus ad sacerdotes ducat examinandam, ideò præceptum est, quia sacerdotis officium est, vt exorcismos aquis eluendos, quas mulier debet bibere, pro ministerio sibi imposito scribat. vnde & sacri canones decreuerunt, vt sæculares suas côiuges, antequam ad Episcopum prouincialem dissidij causam dixerint, non damnent, neque abiiciant.] Ceterùm legale iudicium auctoritas diuina viris de suis non tollit vxoribus, sicut ex Euangelica veritate suprà ostendimus. Sed & diligentiùs aduertamus quod in suprà scripto volumine continetur, *Inexaminatam verò morti tradere ad nos confugientem, vt iniquum & crudele, deuitamus*, qui neque examinatos tradere morti debemus, nisi vt peccato mortui Deo viuant. Concedamus tamen vt Episcopi eandem feminam in sua potestate, ad quos confugisse dicitur, retinentes, coram marito suo, si quiddam sinistri ei reputat, examinare procurent, & quid agendum erit, si in examinatione Episcopali inuenta culpabilis fuerit? Si enim iudicium legale de ea culpabili inuenta Episcopi sua auctoritate voluerint tollere, contra eum videbuntur agere, cuius actio atque sermo perfecta auctoritas noscitur esse, sicut scriptum est, *Quæ cœpit Iesus facere, & docere.* quoniam isdem de muliere in adulterio deprehensa iudicium non abstulit, qui per Moysem huiusmodi lapidari præce-

Num. 5. Concil. Agath. c. 25. Act. 1.

pit, ſed à iuſtis iudicibus fieri iudicium legale præcepit dicens, *primus in illam lapidem mittat.* Si verò à ſe examinatam, & repertam culpabilem Epiſcopi tradiderint puniendam, contra pietatem Eccleſiaſticam, & ipſum Eccleſiæ caput, fontem videlicet pietatis, agere probabuntur, qui dixit, *Nec ego te condemnabo, vade & ampliùs noli peccare.* His ita euidenter cognitis, & diligentiſſimè ponderatis, de ad Eccleſiæ pietatem confugientibus auctoritatem maiorum ſequamur Epiſcopi, & non deprehendemur reprehendendi. Quod denique ibidem ſcribitur, quia cùm nullus ſpecialis accuſator accedat, ipſa tamen admonita pariter & interrogata, nihil aliud confitetur, quàm quòd ſolius Hucberti perſecutionem mori timens declinet: quid aliud reſtat, quoniam à nemine accuſatur, ſi Epiſcopi ſecundùm tales canones, ſi fortè habentur quos nondum legimus, & Chriſtiani ac nobiles laici iuxta leges, quas nequaquam didicimus, aliter non inuenerint, niſi vt marito ſuo, & ſi fortè neceſſitas & ratio pro aliquo ei obiecto crimine poſtulat, cum firmitate de æquitate reddatur, & à marito ſuo, ne ab Hucberto occidatur, maritali defenſione, vt iuſtum eſt, tueatur, & ſic demum maritus ſecundùm Chriſtianorum & Eccleſiaſticam legem, vt vir de vxore debet, legitima atque legali ex ea poteſtate vtatur?

Ioan. 8.

Ioan. 8.

INTERROGATIO XXIII.

De eo quod ſcriptum eſt à quibuſdam dici, ſi ſe non ex conſenſu vir & mulier propter continentiam, ſed propter diſcidium aliquod ſeparare voluerint, vel eorum fragilitati, ſi ſeparati ſe continere nequiuerint, vel reconciliari noluerint, auctoritate ſua Epiſcopos poſſe conſulere.

RESPONSIO.

Sciant quicumque hæc dicunt, ſecundùm quendam modum, huiuſmodi capitulum quartum erroris fuiſſe illorum, qui ſanctæ Synodo Chalcedonenſi derogare & contraire præſumpſerunt, & ab Apoſtolica ſede, atque vnanimitate totius mundi Epiſcoporum ſunt vt erronei condemnati, ſicut ſanctus Leo multoties, & beatus Gregorius etiam in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam, hinc inter alia ſcripſit, dicens, Per ſe inquit veritas dicit, *Quod Deus iunxit homo non ſeparet.* quæ etiam ait, *Non licet dimittere vxorem excepta cauſa fornicationis.* Quis ergo huic cæleſti legiſlatori contradicat? Scimus quia ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne vna.* Si igitur vir & vxor vna caro ſunt, & religionis cauſa vir dimittit vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortaſſe ad inlicita vota migrantem, quæ eſt iſta conuerſio, in qua vna eadémque caro, & ex parte tranſit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?

Lib. ix. Ep. xxxix.

Matth. 19.

Geneſ. 2.

Si verò vtriſque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? quando certum eſt quòd omnipotens Deus, qui minora conceſſit, maiora non prohibuit. Et quidem multos ſanctorum nouimus, cum ſuis coniugibus & priùs continentem vitam duxiſſe, & poſtmodùm ad ſanctæ Eccleſiæ regimina migraſſe. Duobus enim modis ſancti viri etiam à licitis abſtinere ſolent: aliquando vt meritum ſibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando verò vt antè actæ vitæ culpas detergant. Proinde cùm boni coniuges, aut meritum augere deſiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, vt ſe ad continentiam adſtringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si verò continentiam, quam vir appetit, vxor non ſequitur, aut quam vxor appetit, vir recuſat, diuidi coniugium non licet, quia ſcriptum eſt, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.*] Et in epiſtola ad Adrianum Panormi Notarium, Vrbicum Abbatem culpat, quia maritum Agathoſæ contra voluntatem eius in monaſterio ad conuerſionem ſuſceperit, & maritum ei, etiamſi iam tonſuratus fuerit, reddi præcepit, Niſi, inquiens, quoddam fornicationis crimen, propter quod viro vxorem licet relinquere, prædictam mulierem commiſiſſe cognoueris, ne illius conuerſio vxori relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, vel ſi iam tonſuratus eſt, reddere omnino debeas, excuſatione ceſſante: quia poſtquam per copulationem coniugij, viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte in ſæculo remanere.]

1. Cor. 7.

Lib. 9. epiſt. 44.

Et ne nobis quiſquam ſuccenſeat, quia iudicia Eccleſiaſtica etiam laicis audienda proponimus, legat patrum ſolutionem propoſitæ quæſtionis, cur Dominus, qui ſancta mordacibus, & margaritas inreuerentibus proponere vetuit, requiſitus de reſurrectione mortuorum, cum oppoſita turpi fabula de muliere ſeptivira, infidelibus, inuidis, ac tentatoribus ſecreta legis aperuerit, videlicet quoniam non eis, qui capere non poterant, ſed eis qui poterant & ſimul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat, ſecreta legis aperuit, & cùm eum tentatores interrogabant, reſpondebátque illis, ita vt quod contradicerent non haberent, quamuis venenis ſuis contabeſcerent potiùs quàm illius cibo ſaturarentur, alij tamen, qui poterant capere, ex illorum occaſione multa vtiliter audiebant, & à nobis tantillis homullulis ſufficientem ſatisfactionem accipiet. Sed & beatum Auguſtinum in libro de bono perſeuerantiæ pro nobis loquentem benignè ſuſcipiat. Ait enim, Alia eſt, inquiens, ratio verum tacendi, alia verum dicendi neceſſitas. Cauſas verum tacendi longum eſt omnes quærere vel inſerere, quarum tamen eſt & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec peiores

Matth. 19. & 22.

Cap. XVI.

fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus ille qui capere non potest, nobis autem tacentibus ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne dicendum est potiùs verum, vt qui potest capere capiat, quàm tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verùm etiam qui est intelligentior, ipse fit peior? qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. quo enim est capacior vt discat, eo magis est idoneus vt alios doceat.

QVÆSTIONES SEPTEM.

DENIQVE septem quæstiones sequuntur, quas post præmissas, euolutis sex circiter mensibus, ab eisdem à quibus & priores soluendas accepimus. Quarum textum viritim, sicut & præcedentium, solutionibus præponemus, breui provt poterimus respondentes sermone, ac si in buxea designantes, quæ hinc, vnde ea pleniùs pingere valeat, solers quisque intelligat, quatenus & fratrum petitionibus caritatis viscera non claudamus, & sapienti, secundùm scripturam, occasionem, cùm ista pleniùs inuestigans intelligere procurauerit, sapientiorem effici præbeamus, & horulis, quas à multiplicibus & diuersissimis occupationibus nostris extorquemus potiùs quàm mutuamus, qui cogitationum ferias non habemus, quoquomodo possint sufficere, & legentibus non increscant, quia de propositarum antè quæstionum responsis compendij penè modum excedit voluminis magnitudo. Harum autem quæstionum exordium habetur huiusmodi.

QVÆSVMVS *dilectionem vestram, vt non vos tædeat, si ad inquirenda nobis ad sciendum necessaria importuni persistimus, quæ postquàm nuper vobis ad soluendum quæstiones direximus, multa comperimus, de quibus singulariter singulis nobis ex auctoritate scripturæ, & regulis, ac doctrina Ecclesiasticorum doctorum responderi deposcimus.*

QVÆSTIO I.

DICVNT *quidam quoniam Rex Hlotharius habet in suo regno Episcopos, & nobiles, ac fideles laicos, quorum consultu atque consilio causam inter se & vxorem suam diffiniuit, & non ad alterius regni Episcopos, vel ad alios quoscumque inde aliquid pertinet retractare.*

RESPONSIO.

TALIBVS respondendum est, *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Quando pars filiorum Israel ædificauerunt tumulum testis, pars altera zelo diuino succensa penè ad arma cucurrit, ne di-

Iosue 22.

uideretur populus Domini, ſicut poſteà diuiſus eſt in vaccis ab Hieroboam idololatriæ flagitio fabricatis. Et nunc iſti Domini regnum & catholicam Eccleſiam, quæ vna eſt columba atque dilecta, volentes ſcindere, quaſi non tantùm ſuadent, verùm & cogunt dicere quod olim dixerunt quidam, *Non eſt tibi pars in Dauid, nec hereditas in filio Iſai, reuertere in tabernacula tua Iſrael.* tentantes tempori noſtro peſtilentiſſimo illud ſuperinducere, quando neque Rex, neque Dux in populo illo erat, ſed vnuſquiſque faciebat quod ſibi rectum videbatur. Et vtinam non quod rectum, & non quod voluptuosè placitum videatur, & tortum ac malum ſit, ſciens & prudens faciat. Non eſt ita vt iſti malitiosè componunt. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Vnum regnum, vna Chriſti columba, videlicet ſancta Eccleſia, vnius Chriſtianitatis lege, regni vnius & vnius Eccleſiæ, quamquam per plures regni principes & Eccleſiarum præſules gubernacula moderentur. Sed & hæc de qua agitur talis eſt cauſa, quæ generaliter ad omnes Chriſtiano nomine inſignitos pertinere noſcatur. De Rege enim & Regina, de Chriſtiano viro & Chriſtiana femina, de lege coniugij in paradiſo primis à Deo data parentibus, & in Eccleſia roborata, & diuinis ac humanis legibus per Deum confirmatis cauta, & conſtituta benedictione per miniſterium ſacerdotale, & quorumcumque fidelium more celebrata, ratio verſatur in medium, quod tam excellentiſſimum bonum ac donum, tantum diaboli figmentum commaculat, vt illius operatio eſſe non dubitetur, quem ſcriptura apparituram prædicit, *Vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe quaſi ipſe ſit Deus.* &, *nunc iam myſterium operatur iniquitatis.* cùm licita inlicitè reſpuuntur, & inlicita quaſi licitè vſurpantur, quibus non tantùm illi Epiſcopi, in quorum parochiis vel diœceſeon ſollicitudinibus, vel illi fideles, in quorum oculis talia præſumuntur, vt ad ſe pertinentia commoueantur: verùm vniuerſus ordo & omnium ordinum homines, huiuſmodi portentuoſa nouitate mouentur. Vnde ſanctus Cæleſtinus Papa Romanus, ſicut ſuprà iam diximus, ad Venerium, & ceteros Gallicanos Epiſcopos dicit, Vniuerſa, inquit, Eccleſia quacumque nouitate pulſatur.] Et ad Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Ab omnibus ſciri debet quod agitur, quotiens omnium cauſa tractatur.] Hæc cauſa quaſi eſt cunctis in ſpecula. Quapropter ſic eam neceſſe eſt diffiniri, vel diffinitam à cunctis agnoſci, ſicut debet ab omnibus obſeruari, vt & Dominus dicit, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Et Africano Concilio eſt definitum, vt cauſæ, quæ communes non ſunt, in ſuis prouinciis iudicentur: quotiens autem exegerit cauſa communis, generalis Synodus congregetur, vt in ea generalis cauſa diffiniatur.] Quoniam vt Innocentius Papa ad Victricium Rotomagenſem ſcribit Epiſcopum, Integrum iudicium eſt, quod plurimorum ſenten-

3.Reg.12. 2.Reg.20. Iudic.17. & 21. Epheſ. 4.5. 2.Theſſ.2. 4. Epiſt.VIII. Epiſt.V.in fine. Marc.13. Can.95. Epiſt.1.c.1.

ten-

tentiis confirmatur.] Quapropter necesse est, vt hæc generalis causa ad omnes generaliter pertinens, in omnium notitiam veniat, & generali diffinitione determinetur, ne à minùs eam scientibus dicatur, Omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem bona agit, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Et quæ, inde quantum ad generalitatem spectat, in tenebris dicta sunt, in lumine dicantur, & quæ in aure locuta sunt in cubiculis, prædicentur super tecta, vt à nemine reprehendantur, qui vt omnibus verbo & opere luceant, & ab omnibus conspiciantur, vt lucerna super candelabrum & ciuitas super montem positi, ab omnibus contemplantur.

QVÆSTIO II.

DICVNT *etiam, quia non sit auctoritas neque ratio, vt causa, quæ iudicio Episcoporum diffinita est, ad iudicium debeat reuenire: quia si fecerit, nullius auctoritatis erunt de cetero isti Episcopi qui illam diffinierunt, & quicquid in postmodum diffinierint, firmum esse non poterit, vt non valeat retractari.*

RESPONSIO.

HÆC vox imperitorum & nescientium regulas esse dinoscitur. Legite in Sardicensi Concilio, quod Zosimus Papa per Faustinum Episcopum Carthaginensi Synodo ex superscriptione Nicæni direxit Concilij, & sufficienter inuenietis talia dicentes errare. Sed & Leo Papa Romanus ac Synodus Romæ habita ad Theodosium Augustum de retractanda Synodo Ephesina, cui periculosè videbatur fauere, Ecce ego, inquit, Christiane & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reuerentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperij, & coram sanctis Angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur, nec alieno peccato patiamini vos grauari: quia, quod necesse est nos dicere, veremur ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur.] Quod & in hac causa, quæ non modica in fide & religione est portio, ab omnibus sacerdotibus, regibus, & principibus, atque cunctis generaliter simul fidelibus, si negligenter ducitur, non mediocriter est verendum. Sed & sacris manifestatur canonibus, curam esse totius prouinciæ penes Archiepiscopum vel Primatem, qui Coepiscoporum debet nosse iudicia, de quibus necessaria fuerit reclamatio, & in quibus negotium expetierit, debet

Epist. xxvii

electos iudices designare. Quibus omnibus demonstratur, quia Synodus comprouincialium Episcoporum iudicia, generalis autem Synodus comprouincialium diiudicationes, siue dissensiones, vel probet vel corrigat, vt in Africana Synodo demonstratur, quæ nihil de Hipponiensi Concilio statuit emendandum. Apostolica verò sedes & comprouincialium & generalium retractet, refricet, vel confirmet iudicia, sicut epistolæ Leonis, atque Gelasij, ceterorúmque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus euidenter ostendunt. & Episcoporum rectè iudicantium confirmatur, & secus iudicantium corrigitur, & interdum funditus non perit auctoritas.

QVÆSTIO III.

Et dicunt, quia non alij Archiepiscopi, excepto Apostolico, maioris auctoritatis sint, quàm illi qui hanc causam diffinierunt: quæ si iterum ad iudicium reuenerit, & inuentum fuerit quia persistere ita non debeat, isti Episcopi, qui eam iudicauerunt, ampliùs in Episcopatu manere non poterunt.

RESPONSIO.

Econtrà sanctus Cælestinus ad Nestorium scripsit, *Nos*, inquiens, *& quod contra fas est, etiam sacerdotes volumus esse correctos.* Relegant qui hæc dicunt Actus Apostolorum, & videant, quia de quæstione circumcisionis & obseruatione legis, quidam descendentes ab Hierusalem in Antiochiam commouerunt seditionem aduersus Paulum & Barnabam, adeò vt statuerint pro hac quæstione, missis cum eisdem etiam aliis, ascendere Hierosolymam ad Apostolos & presbyteros, de qua itidem quæstio post aduentum eorum mota est à quibusdam ex Pharisæis in Hierusalem: & perpendant, quòd aliter ex ea diffinitum à Petro, & sit iudicatum à Iacobo, quàm illi iudicarent, & diffinirent, & nemo sit illorum damnatus. Videant quoque in Epistola Pauli ad Galatas, Petrum de simulatione ab eodem Paulo reprehensum, correptum, atque correctum, & non damnatum: & eandem correptionem à primo Apostolorum adeò acceptatam, vt easdem Pauli Epistolas, in quibus se reprehensum legerat, magnis laudibus honoraret. Et ne quis dicat, vt secundùm scripturam minor à maiore benedicitur, ita non maior à minore iudicabitur, legant Pauli Epistolas ad Corinthios, & inuenient, Archiepiscopum & doctorem egregium redarguisse inobedientes, atque correxisse, non condemnasse Episcopos, quia fornicatorem sine digna inuectione permitterent inter se degere. & quoniam pro huiusmodi excessu Episcopos increpauerit, euidenter ipse demonstrat dicens, *In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu.* Et in secunda epistola, *Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in illum caritatem. Ideo enim hæc scripsi vobis, vt cognoscam*

Act.15. Gal.2. 2.Pet.3. Heb.7. 1.Cor.5.4. 2.Cor.2.8.

experimentum vestri, an in omnibus obedientes sitis. Cui aliquid donastis, & ego, Nam ego, quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. Donaui enim dixit, indulsi. quod non aliorum est: de publico publicè abiecto crimine, quàm Episcoporum, sicuti norunt qui regulas Ecclesiasticas non ignorant. Vnde & in Carthaginensi Concilio scribitur. Hoc etiam, inquit, placuit, vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuicti non fuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati. De hoc autem, quia non alij Archiepiscopi maioris auctoritatis sunt quàm isti, vt ante eos hæc causa iterum ad iudicium veniat, suprà ostendimus, quia *quod singularitas non habet, pluralitas obtinet.* quod & auctoritas scripturæ demonstrat dicens, *Si duo ex vobis consenserint de omni re super terram, fiet illis*, &, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* Et quando Apostoli, cum ceteris fidelibus & Maria matre Iesu congregati, simul orauerunt, motus est locus, & super centum viginti in die Pentecostes congregatos Spiritus sanctus in igneis linguis apparuit. Et Paulus, vt suprà diximus, demonstrat dicens, *Congregatis vobis & meo spiritu.* Et Apostolorum princeps, multa donorum gratia repletus, maxima miraculorum potestate suffultus, quando per admonitionem Spiritus ad Cornelium gentilem fuit ingressus, contra eum à fidelibus quæstione facta, cur ad gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate recepisset, non ex potestate, sed ex ratione querelæ respondit, causam per ordinem exposuit, humili eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit, dicens, *Venerunt autem mecum & sex fratres isti.* Si igitur pastor Ecclesiæ, & Apostolorum princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cùm de aliqua re reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus, etiamsi maioris auctoritatis in aliquo iudicemur? Et hæc dicimus, non quo fratres & consacerdotes nostros in aliquo secundùm regulas Ecclesiasticas iudicantes reprehendamus, sed vt quæ agenda nobis sunt, qui aliquid esse dicimur, cùm nihil simus, vt dicit Apostolus, non nosmetipsos seducamus, manifestiùs demonstremus. & si in causa, de qua disceptatio nascitur, quiddam emendatione dignum extiterit, salua caritate mutetur in melius, sicut de non circumcidendis gentibus, & non de iugo legis eis grauandis sensit Paulus, consensit Petrus, adiudicauit Iacobus. Et sicut sacrum Nicænum decreuit Concilium, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones, & facta discussione, aut ita vt acta sunt maneant, aut in melius mutetur sententia. Et si communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regu-

Can. 15.
Matt. 18. 19.
1. Cor. 5. 4.
Act. 10. & 11.
Gal. 6.
Act. 15.
Can. 5.
Can. 6.

Can.9. lam Ecclesiasticam comprobato, duo aut tres, non propter fidei veritatem, vel auctoritatis sinceritatem, sed propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum. Si autem ex superfluo, vt solet accidere, fraterna diffinitio retractanda visa quibusdam fuerit, sicut de suscipiendis gentibus suprà meminimus, & plena fide atque auctoritate ratio reddita fuerit, Actuum Apostolorum sententia in medium veniat, qua prosequente Petro de gentibus dicitur, *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis, tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes, Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Si etiam minùs necessaria fortè emerserit quæstio, fraterni motus animi ad pacis caritatísque custodiam componantur, sicut demonstrat auctoritas Euangelica, quando facta est quæstio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior. Et si aliquis contra subiectos violenter ac negligenter, siue in sacro ministerio secùs quàm debeat egerit, secundùm regulas sancto Spiritu promulgatas, ab his quorum interest corrigatur & emendetur, sicut & Nicænum Concilium de excommunicatis, & Sardicense de iracundo Episcopo, quod esse non debet, qui presbyterum vel diaconem suum exterminare voluerit, & Chalcedonense de neglecta ordinatione Episcoporum, & cetera quæque Concilia, atque epistolæ Leonis siue Gregorij manifestè demonstrant. Si denique fidei, quod absit, aut Ecclesiastico dogmati, vel sacræ auctoritatis statutis, quilibet temerario ausu obloqui, vel conculcare tentauerint, & hi secundùm præceptum Dominicum moneantur, & si, quod longè faciat Dominus, rebelles, ac contentiosi, contemptorésque perstiterint, necesse est vt dignis inuectionibus, secundùm sacros canones, & exempla atque statuta maiorum, feriantur & comprimantur, sicut sanctus Leo in epistola ad vniuersas decreuit prouincias, Omnia, inquiens, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari: & qui contra constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.] Et beatus Gelasius, Nec ambigant qui hæc exercere sunt ausi, seu etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprij iacere dispendio, si non quanta possunt celeritate festinent vt lethalia vulnera competenti medicatione curentur.] Et sanctus Cælestinus ad Nestorium, Quibus præmissa conuentione consulimus, in hos necesse est damnationis sententiam, si abutantur nostrâ salubri admonitione, firmemus.] Et ad Cyrillum Alexandrinum, Hæc ideò dicimus, ne volenti corrigere forsitan deesse videamur. Nam & si nobis sustinentibus vuam, spinas sibi addiderit, impleatur, & manentibus sta-

Act.11.17.
Luc.22.
Nicæn. can.5. Sardic. can.17. Chalced. can.25.
Epist.1.ad Episc.Ital.
Epist.v. sub finem.

tutis prioribus, sui fructu iudicij colligat quod sulco diabolico seminauit, non nostro consilio, sed se periturus auctore.]

QVÆSTIO IV.

DICVNT *nihilominùs, quia si isti Regi non licuerit aliam vxorem accipere, aut suam concubinam sicut nunc habet tenere, quòd velit nolit illa sua vxor iudicabitur ad illum redire: & ille tale ingenium de illa inueniet, vt ab illa liberetur, & vlteriùs non debeat ad iudicium inde venire.*

RESPONSIO.

NON huiusmodi iudicium ex Euangelica veritate, & Apostolica auctoritate, vel sacrorum Canonum promulgatione didicimus: sed sicut Africana Synodus diffiniuit, Placuit, inquiens, vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Reconcilientur enim dixit, non cogantur: & qui sanum sapit, qualiter reconciliatio fiat intelligit. Et item Paulus, commemorans de eo per quem reconciliati sumus Deo, & ministerium reconciliationis accepimus, *Obsecramus*, inquit, *pro Christo, reconciliamini Deo.* Quæ reconciliatio fit gratia vocantis non cogentis Dei, & libero non coacto arbitrio hominis. Et de iusto viro scriptum est, *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* videlicet vt non reputentur delicta. Qui enim nouit vnde *concilio* & *reconcilio* componitur, reconciliationis modum & ordinem non ignorat. Diuersa siquidem morborum genera diuersa medicamentorum quærunt experimenta.] Et legimus in sacra auctoritate, quosdam redigi & cogi ad pœnitentiam, quosdam verò excommunicari donec ad pacem redeant, quosdam verò partim suæ voluntatis libertati relinquere, sicuti suprà ostendimus ex epistola sancti Gregorij de Leonis chartularij muliere, quæ eum pro fornicationis crimine, induta religiosa veste ad tempus reliquerat, sed post præstitum sacramentum, agnita mariti innocentia, ad eum sponte reuersa est. De qua, quid erga eam debeat obseruari, Secundino Taurominitano scribit Episcopo. In quibusdam verò ex toto libertatis est expectandum arbitrium, sicut & in hac causa, quia conceditur vt causa fornicationis vir & mulier separentur, vel separati reconcilientur. Cogitur autem, ablato penitus voluntatis arbitrio, & non conceditur, vt vir & mulier, excepta causa fornicationis, separentur, & vt separati aliis nullo modo coniungantur. Hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis coniugiis dicit, Non est, inquiens, ad quod exhortemur eos qui reconciliari timent coniugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendam continentiam, quoniam mulier alligata est, quan-

Can. 69. | 2. Cor. 5. 18. | Eccli 44. 17

diu siue mœchus siue castus vir eius viuit, mœchatur si alteri nupserit, & vir alligatus, quandiu siue mœcha siue casta vxor eius viuit, mœchatur si alteram duxerit. Hæc namque alligatio quandoquidem non soluitur, etiamsi per repudium coniunx à casta coniuge separetur, multo minus soluitur, si non separata mœchetur: ac per hoc non eam soluit nisi mors coniugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta: & si dimiserit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere nec post pœnitentiam, custodiat continentiam, & si non ex voluntate eligendi potioris boni, certè ex necessitate vitandi perniciosi mali. Ac per hoc ad hoc exhortarer, etiamsi vxor esset in languore insanabili atque diuturno, aut etiamsi alicubi esset corpore separata, quò maritus non posset accedere. postremò adhoc exhortarer, etiamsi mulier volens viuere continenter, quandiu contra disciplinam, quia non ex consensu, tamen pudicum pudica dimitteret. Puto enim Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui, vel diu languente, vel diu absente, vel continenter viuere cupiente sua vxore, alteri commixtus est feminæ. Sic ergo & dimissa adultera, adulter est cum adultera, quoniam non ille aut ille, sed omnis, qui dimittit vxorem suam & ducit alteram, mœchatur. Et item in eodem, Illis viris & gratiam, videlicet baptismatis, & medicinam siquidem pœnitentiæ negabimus, quandiu cum adulteris viuunt, si prioribus vxoribus præter causam fornicationis repudiatis, alteras duxerint. Nisi fortè quis dicat neminem posse vxorem suam mœchari facere, si pudica est: & tamen Dominus, Omnis qui dimiserit, inquit, vxorem suam præter causam fornicationis, facit eam mœchari. Vtique propterea, quia cùm esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur per incontinentiam, viuo priore viro, alteri copulari, & hoc est mœchari. Quòd si hoc ista non fecerit, tamen ille, quantum in ipso est, facere compulit, & hoc ei Deus peccatum, etiam si illa casta permaneat, imputauit.] Et item, Hæc autem me de vtrôque sexu memineris dicere. Et item, Tunc quippe ibi erunt, qui viuentibus coniugibus pristinis non coniugibus propriis, sed adulteris adhærebunt. Et si à regno cælorum aberunt, vbi erunt, nisi vbi salui non erunt?] Vnde constat, quia sicut suprà auctoritate scripturarum, & magistrorum doctrina monstrauimus, vir & vxor separari non possunt, nisi aut propter continentiam connubij, quo ampliùs, quia spiritualiùs, coniuncti perseuerant, aut propter fornicationem, quia vnum corpus & vnam carnem quisque eorum diuiserit. propter quam causam si dignè pœnitentes simul permanere vel reconciliari noluerint, separari si voluerint possunt, cogi autem vt simul maneant vel vt reconcilientur, omninò non debent, persuaderi si possunt debent: quia reconciliatio voluntatem quærit, amorem expetit, quæ sicuti fides &

Ibid.c.17.

Matt.5.

Cap.18.

pura confessio suaderi potest, extorqueri non potest, cogi autem vt simuletur potest, ne verò aliis propter fornicationem disiuncti coniungantur, prohiberi omnimodis debent: quod si contempserint, debent ad pœnitentiam redigi. Et quoniam de simulatione quiddam tetigimus, si fortè simulatio, quod absit, in quocumque homine fuerit, qui propter fornicationem manifestè ab vxore, ne illi iterum coniungatur, potest reiici, vt eam persuasam non autem coactam recipiat, quia illa viuente alteram non valebit accipere, nisi fortè talis inuenta fuerit ratio, cui sacra non contradicat auctoritas, meditetur eam quoquo modo perdere, talis firmitas debet ab eo quæri, sicut sanctus Gregorius ab his præcipit exigi, æquitate illis seruanda, qui vim iniustitiæ metuentes, ad sacraria sacra confugiunt, quam firmitatem si conuictus quisque fuerit temerasse, publicis & Ecclesiasticis debet subiacere iudiciis. Si autem clanculò egerit, vt legaliter conuinci non possit, habebit sacerdotali suasione commonitus conscientiæ suæ testem, quem habebit & iudicem. Nam Episcopalis prouidentia absoluta in iudicio illi dicet, quod Helias Helisæo studuit demonstrare, *Quod, inquit, meum fuit, feci tibi.* Et Domino, *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Et in his, atque aliis omnibus, in doctrina sua sacerdotalis auctoritas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit, *Argue, obsecra, increpa*, id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum. id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare, negligentes verò & contemnentes corripere & increpare, neque debet peccata delinquentium dissimulare, sed mox vt cœperint oriri, radicitùs ea vt præualet amputare.

3. Reg 19. Psal 39.11.

2. Tim. 4. 2.

QVÆSTIO V.

SED & de Bosonis muliere, de qua idem Boso apud Confluentes reclamauit, quæ posteà ad istum Regem venit, & in illius potestate fuit, quidam dicunt, quòd malum facit, quia cùm possit, eam suo marito non reddit. Et quidam dicunt, quia non decet, vt suam propinquam, quæ ad illius fidem venit, ad mortem tradat, nec conuenit vt francam feminam opprimat, & sicut ancillam constringat, & alteri illam nolentem reddat. Et quidam dicunt, quia si eam reddere voluerit, ad Normannos ibit: & melius est vt eam inter Christianos habitare permittat, & inter eos vitam, quam alter illi vult tollere, liberet.

RESPONSIO.

CAPITVLA sunt legalia Imperatorum & Regum prædecessorum suorum, quid sustinere debeat qui post bannum latronem recepe-

rit, & in chirographo Regum nostrorum hinc expresse decernitur, cuius ministerium est agere, vt illa obseruentur, sicut S. Ambrosius ad Valentinianum scribit, Leges enim Imperator ferat, quas primus ipse custodiat, quas si ipse fregerit, timendum est ne audiat ab Apostolo, *Qui prædicas non furandum, furaris, qui abominaris idola, sacrilegium facis.* Propterea salubriter & conuenienter à Domino audiat, *Medice, cura temetipsum.* Timeat etiam quod scriptum est, dicente Domino cuidam Regi, *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.* Et item, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt me amicitia iungeris: propterea iram quidem Domini merebaris.* Et item scriptum est, *Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis.* Et, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea,* Nemo enim abscondit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non exuruntur. Si de misericordia agitur, legat & videat quàm impiâ misericordiâ impiè offendit Saul, quia pepercit Agag, sed illum non liberauit, & ipse regnum etiam perdidit. Et sanctus Cælestinus dicit, Est pietas, de qua nascatur impietas. Si de propinquitate, audiat scriptum, *Qui dixerunt patri suo & matri suæ, non noui vos, & fratres suos in causa Dei non cognouerunt, hi custodierunt testamentum tuum Domine.* Et Dominus, *Qui amat patrem suum & matrem suam plus quàm me, non est me dignus,* & cetera quæ ibi sequuntur. Si de libertate, iudicio legis & diuinæ & mundanæ illius esse dinoscitur qui eam reperit, contra quem vt dicitur fornicata, de fornicatione conqueri non valet. Si pro liberatione vitæ vt dicitur eam retinet, suprà ostendimus quam firmitatem de æquitate seruanda exigi ab eo Ecclesiastica iubet auctoritas. Si, vt dicitur, ob hoc eam retinet, ne apud Nortmannos pereat, respondeat inde Apostolus, *Infidelis si discedit, discedat.* Et, *auferte malum ex vobis,* ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. Et non est rex iste iustior Domino, qui nec Iudam ne ad Iudæos, vel sicut Petrus dicit, *in locum suum iret,* inuitum prohibuit, nec pueros Herodem per potentiam occidere vetuit, neque Petrum, ne vt milites pro eo occiderentur in carcere, de quo eum, quando producturus erat, in ipsa nocte eripere destitit. Sed & Dominus, qui proximum quemque sicut seipsum diligere docuit, neminem peccare, vt alter à peccato liberaretur, rogauit. Et qui animam suam, id est, vitam corporis etiam pro inimicis posuit, & ponendam pro amicis prædicauit, neminem debere æternaliter perire docuit, ne alter in æterna damnatione periret. Prouidere etiam debet quisque qui talibus se commiscet, & talia opponit, ne reputetur intendere ad excusandas excusationes in peccatis, quia non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus digni sunt morte. à qua consensione liber non erit, qui cùm malum possit auertere non auertit, vel cùm malos possit reprimere, in sua eos libertate dimittit, *Iudex enim* sicut scriptum est, *qui non sine causa gladium portat, constitutus est ad vindi-*

Rom. 2. 21. Luc. 4. 23. 3. Reg. 20. 42. 2. Paral. 19. 2. Ios. 7. 13. Eccl. 13. 1. Prou. 6. 27. 1 Reg 15. Deut. 33. 9. Matt. 10. 37 1 Cor 7. 15 1. Cor. 5. 13. Act. 1. Act. 12. Rom. 13. 4.

dictam malefactorum, laudem verò bonorum. Cui in libro Deuteronomij dat regulam iudicij & punitionis Dominus, dicens, *Vir autem, aut mulier, qui faciunt mala in conspectu Domini Dei tui, & transgrediuntur pactum illius, vt vadant & seruiant diis alienis, & adorent eos, solem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiénsque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, quia abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur vno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, vt auferas malum de medio tuî.* Et ne quis dicat, hæc sententia non pertinet ad mulierem Bosonis, quia de idololatris scribitur, legat scripturam dicentem, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Sed & hæc sententia ad rem nefariam pertinet, quæ Hucberto, & Regis mulieri, vt dicitur, reputatur. quoniam in libro Leuitico abominationes singillatim designatæ morte mulctantur, & adultera lapidibus præcipitur obrui. salua legum latione, quæ eisdem profertur legibus, quas illi condiderunt, qui auctore Domino leges iusta decernentes condiderant. Vnde sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis coniugiis, post prædicamenta, quibus persuaderi viris iubet, vt à sanguine adulterarum se abstineant coniugum, dicit, Postremò, inquiens, quæro abs te, vtrum marito Christiano liceat, vel secundùm veterem Dei legem, vel Romanis legibus, adulteram occidere. Scilicet melius est, vt ab vtroque se temperet, id est, & à licito illa peccante supplicio, & ab inlicito illa viuente coniugio. Quòd si alterum eligere perseuerat, satius est ei facere quod licet vt adultera puniatur, quàm id quod non licet vt ipsa viua ille mœchetur. Si autem, quod veriùs dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantùm dimittere, ea videlicet conditione, vt aut continenter viuat, aut ei reconcilietur: quia si illa viuente alteram duxerit, & ipse adulterij sine dubio reus erit.]

Deut.17.

Philip.3.19

QVÆSTIO VI.

DICVNT *quoque etiam aliqui sapientes, quia iste princeps Rex est, & nullorum legibus vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei, qui eum in regno, quod suus pater illi dimisit, regem constituit, & si voluerit pro hac vel alia causa ibit ad placitum, vel ad Synodum, & si noluerit, liberè & licenter dimittet: & sicut à suis Episcopis, quicquid egerit, non debet excommunicari, ita ab aliis Episcopis non potest iudicari, quoniam solius Dei principatui debet subiici, à quo solo potuit in principatu constitui: & quod facit, & qualis est in regimine, diuino fit nutu, sicut scriptum est,* Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud.

Prou.21.1.

RESPONSIO.

HÆC vox non est catholici Christiani, sed nimium blasphemi, & spiritu diabolico pleni. Dauid rex & propheta peccans, etiam à minore suo Nathan increpatus audiuit quoniam vir mortis erat, & per validissimam pœnitentiam est saluatus. Saul à Samuele percepit quia de regno esset deiectus. Roboam à propheta æquè suscepit, quia de manu illius regnum, quod bene pater suus tenuerat, esset scindendum. Quando peccauerunt reges, & filij Israel, & traditi sunt in manus gentium, sicut Manasses & Sedechias, vel timuerunt à facie Domini sicut Ezechias, per prophetas vel iram à Domino susceperunt, vel misericordiam meruerunt. Et in Deuteronomio scriptum est, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit in illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctúsque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Per sacerdotes enim dicit Dominus, *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Et Apostolica auctoritas commonet, vt & reges etiam obediant præpositis suis in Domino, qui pro animabus eorum inuigilant, vt non cum tristitia hoc faciant. Et beatus Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem scribit, Quia duæ sunt personæ, quibus principaliter hic regitur mundus, scilicet Pontificalis auctoritas, & regia dignitas, & tanto maius est pondus Pontificum, quanto de ipsis etiam regibus reddituri sunt Domino rationem.] Ambrosius Theodosium Imperatorem ab Ecclesia culpis exigentibus segregauit, & per pœnitentiam reuocauit. Nostra ætate pium Augustum Hludouuicum à regno deiectum, post satisfactionem Episcopalis vnanimitas, saniore consilio, cum populi consensu, & Ecclesiæ & regno restituit. Quod dicitur, quia rex nullorum legibus vel iudiciis subiacet, nisi solius Dei, verum dicitur, si rex est sicuti nominatur. Rex enim à regendo dicitur, & si seipsum secundùm voluntatem Dei regit, & bonos in viam rectam dirigit, malos autem de via praua ad rectam corrigit, tunc rex est, & nullorum legibus vel iudiciis nisi solius Dei subiacet: quoniam arbitria possunt dici, leges autem non sunt, nisi

2.Reg.12.
1.Reg.13. & 15.
3.Reg.11.
Deut.17.
Psal.2.10.
Heb.13.
Epist.x.

illæ quæ Dei sunt, per quem reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. Et quicumque rex veraciter rex est, legi non subiacet, quia lex non est posita iusto, sed iniustis, & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis, contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.] & his qui operibus carnis seruiunt, de quibus dicit Apostolus, *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Qui autem se & alios secundùm fructus Spiritus regit, *qui sunt caritas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, legi non subiacet, quia *aduersus huiusmodi non est lex.* Sed solo iudicio Christi subiacet, à quo & remunerabitur, cuius est qui carnem suam crucifigit cum vitiis & concupiscentiis. Alioquin adulter, homicida, iniustus, raptor, & aliorum vitiorum obnoxius quilibet, vel secretè, vel publicè iudicabitur à sacerdotibus, qui sunt throni Dei, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit iudicia, quibus & in Apostolis suis, quorum locum in Ecclesia tenent, Dominus dixit, *Si peccauerit frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe vnum vel duos: quòd si nec te audierit, dic Ecclesiæ. Quòd si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et ne quis in hoc sacerdotem paruipendat, adiunxit Dominus, *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et item dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quod dicitur, quia à solo Deo in regno, quod pater suus illi dimisit, constitui potuit: sciant qui hoc dicunt, quia quidam à Deo in principatu constituuntur, vt Moyses, Samuel, & Iosias, de quo scriptum est antequam nasceretur, *Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine*, & reliqua quæ ibi sequuntur. Quidam verò à Deo per hominem, vt Iosue, & Dauid. Quidam autem per hominem, non sine nutu diuino, quia nihil fit, vt Augustinus dicit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit, & quicquid agitur, ministerio Angelorum & hominum agitur, vt Salomon iussu patris Dauid per Sadoch sacerdotem, & Nathan prophetam. Et multi ciuium vel militum fulti auxilio reges constituuntur vel deiiciuntur de principatu, & etiam sancti, sicuti Samuel. Successione etiam paterna quidam regnant, sicut de his omnibus in historiis & Chronicis, & etiam in libro, qui inscribitur *Vita Cæsarum*, inuenitur. Quidam siquidem tyrannica vsurpatione obtinent principatum, propter sua complenda, vel populi vlciscenda peccata, de quibus scriptum est, *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui.* Et

Gal.5.19.
Gal.5.22.
Matt.18.15.
Luc.10.16.
3.Reg.13.2.
3.Reg.1.
1.Reg.8.
Osee.8.4.

Iob 34.30. item, *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Quod tale est sicut & necesse est vt veniant scandala, væ autem homini per quem scandalum venit: quia væ illi est, vt quod fiendum est, talem se suo vitio efficit, vt per illum quod ad væ pertinet exequatur. Quod de regno dicitur, quia pater suus ei illud dimisit, vereri hinc potiùs Rex iste debet diuina, & verecundari humana iudicia, quàm de regni adeptione fortè gloriari, si tamen patris bonos mores, & sanctam vitam, & æquum ac iustum regimen imitatus non fuerit, vel si, quod absit, illius prauos mores, aut iniustam vitam, quam illum habuisse non dicimus, siue indignum regimen sequi delegerit. Quid enim filios Samuelis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis heredes? Quid etiam Moysi liberis paterna profuit cura iustitiæ, cuius eos imitatio non successit? Itaque neque ad illos patris potestas quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantùm signabant parentem, & ad eum migrauit qui illius erat filius virtute non genere, quod & iste debet timere. E regione verò, quid Timotheo nocuisse creditur quòd fuerit patre gentili? Siquidem & sanctus Abraham impium habuit patrem, neque tamen heres illius impietatis effectus est. Et Ezechias profanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Quid autem è diuerso Noë filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est seruus? Et Ioseph in media quondam seruiuit Ægypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. Et tres pueri & Daniel in Babylone fuerunt principibus celsiores. Videmus certè quàm non sufficiat ad suffragium liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem vicerunt naturæ priuilegia, & peccantem non modò de nobilitate patris, verùm de ipsa etiam libertate pepulerunt. Esau quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris fauore munitus? Qui licèt studeret atque cuperet nempe ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat, sed tamen quia prauis moribus erat, nihil ex his omnibus prorsus adiutus est, sed iuxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia quæ iam tenere videbatur amisit. Quæ omnis rex, sed & iste attendat, & non omnia quæ ei libent libenter faciat, quia non omnia quæ licent expediunt. Et iuxta quod scriptum est, *Magnatis humiliet caput suum in honore Regis regum, cuius est regnum, & per quem reges regnant.* qui dicit, *Honorantes me honorificabo, & hi qui contemnunt me erunt ignobiles.* Et sacerdotibus suis dicit, *Qui vos recipit, me recipit, & qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Exemplum denique scripturæ, *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud,* ad confirmandum, quia quod facit & qualis in regimine populi, nutu diuino fiat, malè, sicut & diabolus abusus est ad Saluatorem, *Angelis suis mandauit de te,* interpretatus est iste illius discipulus. Ceterùm *cor regis in manu Dei est,* quia, sicut suprà ostendimus, ille ve-

Eccl. 4.7. — 1. Reg. 2.31. — Luc. 9. & 10 — Prou. 21.1. — Matt. 4.

raciter rex est, qui se suásque cogitationes, verba, & actus sub diuino rexerit nutu. Et cor illius in manu est Dei, vt in hac conualle lacrymarum ascensus disponat in corde suo, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, id est, in æternæ felicitatis & diuinæ visionis contemplatione. Econtrà autem, cor eius, qui sessore diabolo malè regitur, in illius est potestate: adeò vt si aliquid de mandatis Dei audierit, veniens ipse diabolus tollat verbum de corde eius, ne credens, vel in his quæ crediderat operando perseuerans, saluus fieri valeat: & sic traditus in reprobum sensum facit quæ non conueniunt, quia cùm cognouerit Deum, non sicut Deum dignis obsequiis honorauit. De eo quod dicitur, Quia Rex, si noluerit venire ad Synodum, liberè etiam compellatus dimittet: sancta scriptura, sacríque canones monstrant, in iudicio personam non debere accipere, sed causæ qualitatem discernere. Et Hucbertus, postquam certo crimine in sororem suam perpetrato denotatus, & litteris Synodalibus ad Synodum extitit prouocatus, iam in tribus Synodis per legatos & litteras ad rationem reddendam, tantùm vt cum seruandæ sibi æquitatis securitate venire valeret, suam præsentiam obtulit, & causidicus ac reputator criminis toties defuit, aut libertatem reddendæ rationis negauit. Vnde Bonifacius Papa ad Gallicanos scribit Episcopos, Probat, inquiens, vera esse illa quæ aduersum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minimè vult. Et nullus dubitat, quòd ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluatur qui est innocens quærit. Confitetur enim de omnibus quisque subterfugere iudicium dilationibus putat. Vnde congregari decreuimus Synodum, vt si adesse voluerit, præsens si confidit ad obiecta respondeat, si adesse neglexerit dilationem sententiæ non lucretur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata toties constat absentia.]

Epist. II.

Ibid. post alia.

QVÆSTIO VII.

Et *quoniam ita vt diximus à quibusdam sapientibus dicitur, vtrum aliquod periculum inde habeant Episcopi, & alij Christiani, qui illi adulteranti communicant, vel si periculum est, quomodo erunt liberi ante Dominum de communicationis periculo?*

RESPONSIO.

Scriptvm est, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum.* Ita è contrario, quotquot quisque exemplo suæ prauitatis destruit, pro tantis, nisi dignè pœnituerit, damnatus erit. Idcirco enim publicè

Iacob. 5. 20.

pœnitens publicam pœnitentiam agit, non quo Dominus secreta confessione & priuata pœnitentia de criminalibus etiam peccatis dignè pœnitenti indulgentiam non largiatur, quia etiam Dauid coram vno redarguente se ex Domini auctoritate pœnituit, & confessus est, & peccati indulgentiam meruit, cuius postea publicè vindictam sustinuit. Sed qui plures suo prauo exemplo destruxit, plures humilitatis suæ pœnitentia ad salutem ædificet, quatenus sicut & de Paulo dicitur, qui eum pridem viderant persequentem Ecclesiam, & posteà ædificantem eam, in eo Dominum glorificabant. Sed & publicè peccans, & ad pœnitentiam redire nolens, idcirco publica excommunicatione ab Episcopis de Ecclesiæ societate deiicitur, non quo iam excommunicatus coram eo non sit, qui leges Ecclesiasticas per suum loquens spiritum promulgauit: sed ideò Sacerdotes & Apostolorum atque Apostolicorum virorum successores suum officium exequuntur, ne à subditis negligere ministerium suum putentur, & sicut peccantis culpa innotuit, ita & redargutio corrigentis omnibus innotescat, & qui aliter suum peccatum non vult intelligere, vel quia ab omnibus repellitur, & à nullo suscipitur, quia sæpè bona præstantur inuitis, vel coactus ad pœnitentiam redeat, & necessitas in deuotionem reuertatur, & correctus per humilitatem, qui per superbiam peccauerat, incorporari per sacerdotalem reconciliationem Ecclesiæ mereatur. Attendendum est etiam cunctis regibus & principibus sæculi, quia princeps & rex prauus, quantis in regimine præest in sæculo, sub tantis modo plagali ad vindictam erit in flammarum damnatione. Vnde necesse est, vt incessanter suos actus consideret, & cùm alios suo exemplo perdit, metuat, quia non solus perit, qui plurimos exemplo suæ prauitatis occidit, pro quibus sine dubio rationem Domino reddet. Et non solùm per se, sed & per eos qui eum imitati fuerint, vel eius exemplo seu auctoritate delinquunt, multipliciùs ipse delinquit. maximè cùm ipse, quasi licitè delinquens, aliis delinquendi fomes existit. Vnde & de alia re loquens dicit Apostolus, *Videte ne fortè licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Et rursus, *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum, in Christum peccatis.* Et Dominus dicit, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & dimergatur in profundum maris.* quia melius profectò tali fuerat, vt in priuata vita degeret, quàm in principatu positus se imitabilem in culpa ceteris demonstraret, & pro tantis pœnas lueret, quantis quasi licitè peccans, suo exemplo ad vitia dux & auctor erroris existit. Cuius tanto est culpa grauior, & erit cruciatio durior, quanto excedenti est facultas liberior: Quia nemo ampliùs delinquit in populis, quàm qui peruersè agens ordinem principatus vsurpat. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa

Act. 9.

1. Cor. 8.

Matt. 18. 6.

vehementer extenditur, quando pro reuerentia principatus peccator honoratur.] Et vt honores & beneficia adulantibus tribuat, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua agit benedicitur, & mortuus à mortuis in morte pessima sepelitur, quia scriptum est, *Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Currit enim cum fure, & portionem suam ponit cum eo, quando ei quis, vel in adulteris laudibus, vel in consentaneis voluptatibus illi se iungit, & portionem suam, quam cum Deo & Angelis habere debuerat, in inferno cum illo ponit, *cuius os abundauit malitia, & lingua concinnabat dolum.* quando illo malè agente nequiter ac dolosè laudabat, vel suis prauis actionibus assensum præbebat, *quia non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Vnde sanctus Ambrosius, Cùm enim, inquit, videt honorari se (quin is qui talia agit) ab his qui non sunt tales, crescit in mala, & gloriatur fortè se talem, idcirco dignum est vna hos pœna multandos. Sed & is qui talia iudicat, sicut idem Paulus dicit, & facit ea, non effugiet iudicium Dei. Per se enim iudicaturus est, apud quem adulatio cessat & personarum acceptio.] Consilium autem huiusmodi periculum deuitandi sanctus Augustinus nobis dat dicens, Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas. Hoc est non communicare, non consentire. Communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel adprobationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, Magis autem, inquit, & redarguite. Videte quemadmodum vtrumque complexus est, Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est autem, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est autem, magis & redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correptione vel coercitione alienorum peccatorum cauendum est, ne se extollat qui alterum corripit, & qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intùs lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes sitis malis, vt adprobetis, neque negligentes, vt non arguatis, neque superbientes, vt insultanter arguatis.] Et sanctus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem Episcopum omnibus donat Episcopis dicens, Sunt enim mali segregandi à bonis, & iniqui à iustis, vt saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, & conuertantur à prauitatibus suis, & si incorrigibiles apparuerint, segregentur à fidelibus vsque ad satisfactionem, iuxta Domini Saluatoris sententiam, qua inter cetera de peccante in se fratre præcipiendo ait, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos,*

Psal.49.
Rom.1.
Rom.2.
Serm.18.de Ver.Dom.
Ephes.5.11
1.Cor.10.
Lib.11. epist.32.
Matt.18.

dic Ecclesiæ. Si autem & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. His ergo & multis aliis sanctorum Patrum auctoritatibus segregandi sunt mali à bonis, ne pereant iusti pro iniustis, sicut scriptum est, *Perit iustus pro impio.* Debet enim semper discretio fieri inter bonos & malos, sicut est inter hœdos & oues. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda, sed palàm sunt arguendi qui palàm nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, vt pro multorum saluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cùm & inter iumenta hæc fieri persæpè cognouimus, & ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separantur à sanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Satius est enim, vt mali manifestè corrigantur, quàm pro illis boni pereant. Vnde volumus vos omnes in vnum conuenire Episcopos, vt de incidentibus causis fiat disceptatio, & salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio, quatenus, dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia conlaudetur, cuius vobis adesse præsentiam si hæc obseruabitis scitote, quia scriptum est, *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse dignatur vbi duo vel tres sunt, quanto magis non deerit vbi plures conueniunt sacerdotes? Et quidem, quia adhibendum bis in anno Concilium Patrum sit regulis institutum, non latet. Sed ne fortè aliqua excusatio sit, semel decernimus congregare, vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præsumatur inlicitum. Nam plerique, & si non amore iustitiæ, metu examinationis abstinentur ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio.] Et S. Ambrosius in epistola ad Theodosium Imperatorem dicit, Exercitiis semper, & iugibus ferè curis sum, Imperator beatissime, deditus. sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc, cùm video cauendum ne quid sit quod adscribatur mihi etiam de sacrilegij periculo. Itaque peto vt patienter sermonem meum audias Nam si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces. Ipse ergo non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris iudicium tuum, ne cùm indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur? Sed neque Imperiale est libertatem dicendi negare, neque sacerdotale quod sentias non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quòd boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè de-

Eccl. 7. 16.

Matt. 18.

denuntiare. Siquidem scriptum est, *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Et alibi, *Fili hominis speculatorem te posui domui Israel, in eo,* inquit, *vt si auertatur iustus à iustitiis suis, & fecerit delictum, quia non distinxisti ei, hoc est, non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram. Tu autem si distinxeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vita viuet, quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis.* Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum quàm malorum consortium: & ideò clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me intersero, alienis ingero: sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio. Quod facio primùm tuî amore, tuî gratia, tuæ studio conseruandæ salutis. si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sanè diuinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo. Sin autem, silentij mei dissimulationísque culpa & me ingrauat, nec te liberat, malo importuniorem me, quàm inutiliorem aut turpiorem iudices. Siquidem scriptum est, dicente sancto Apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere, *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit. præsertim cùm etiam Imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, immò corripiatis si non vtatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in his libenter accipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cùm id loquamur, non quod volumus, sed quod iubemur? Scis enim lectum, *Cùm stabitis ante reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, non tanto adstringar metu, si non audiar. In causa verò Dei, quem audies, si sacerdotem non audies, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem, atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem, sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundùm scientiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauendum arbitror. Noui pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines: obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarum, & ideò plus metuo. Ampliùs sollicitor ne etiam ipse tuo me postea iudicio condemnes, quòd mea aut dissimulatione, aut adulatione, prolapsionem non euitaueris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere. Scriptum est enim, *Si frater tuus in te peccauerit, corripe illum primò, deinde increpa duobus aut tribus testibus. Si te non audie-*

Psal. 118. Ezech. 3. 2. Tim. 4. Matt. 10. Matt. 18.

rit, dic Ecclesiæ. Causam ergo Dei tacebo?] Et item ad locum, *Ego certè quod honorificentius fieri potui, feci, vt me magis audires in regia, ne si necesse esset audires in Ecclesia.* Et item in altera epistola ad eundem dicit ad locum, Tacerem, sed quod miserrimum omnium foret, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et vbi est illud, Si sacerdos non dixerit erratus, qui errauerit in sua culpa morietur, & sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem?] Et item ad locum, Factum est in vrbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui ne fieret, immò quod antè atrocissimum fore duxi cùm totiens rogarem, & quod ipse reuocando graue factum putasti. Hoc factum extenuare non poteram, quando primùm auditum est, quia propter aduentum Gallorum Episcoporum Synodus conuenerat. nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit. Non erat facti tui absolutio in Ambrosij communione, immò etiam ampliùs commissi exaggeratur inuidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet te, Imperator, hoc facere quod rex & propheta auctor Christi secundùm carnem prosapiæ fecit Dauid? Cognito quòd ipse in parabola argueretur, ait, *Peccaui Domino.* Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi, tu fecisti istud, quod Dauid regi dictum est à propheta. Si enim hoc sedulò audieris, & dixeris, *Peccaui Domino*, si dixeris & illud propheticum, *Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Dominum qui fecit nos,* dicetur & tibi, quoniam pœnitet te, dimittet tibi Dominus peccatum tuum & non morieris.] Et item ad locum, Itaque pœnituit Dominum, & iussit Angelo vt parceret plebi, sacrificium autem offerret Dauid. Erant enim tunc sacrificia pro delictis, & nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaque rex ea humilitate acceptior Deo factus est. Non enim mirandum peccare hominem, sed illud reprehensibile, si non se cognoscat errasse, si non se humiliet Deo. Iob sanctus & ipse potens in sæculo ait, *Peccatum meum non abscondi, sed coram plebe omni adnuntiaui.* Et item ad locum, Hæc ideo scripsi, vt non te confundam, sed vt regum exempla prouocent, vt tollas hoc peccatum de regno tuo. Tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio; vince eam. Peccatum non tollitur nisi lacrymis & pœnitentia, nec Angelus potest, nec Archangelus: Dominus ipse, qui solus potest dicere, *Ego sum qui deleo iniquitates tuas*, si peccauerimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Et item ad locum, Vince diabolum, dum habes adhuc vnde possis vincere. Noli peccatum addere, vt vsurpes quod vsurpasse multis obfuit. Et post pauca, Ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris: offerre non audeo sacrificium, si volueris adsistere. Postremò scribo manu mea quod solus legas. Ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia non ab homine, neque per hominem, sed apertè mihi inter-

2.Reg.12.

Psal.94.

2.Reg.24.

Iob 31.

Esa.43.

dictum aduerti. Cùm enim essem sollicitus ipsa nocte, qua ad te, sicut petieras, proficisci parabam, venisse quidem visus es ad Ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia præterea, quæ potui tacere, sed pertuli amore tuo, vt arbitror. Dominus faciat vt omnia cum tranquillitate cedant. Multifariè de his nos admonet signis cælestibus, prophetarum præceptis, visionibus etiam pectorum. Vult nos intelligere, quo rogemus eum, vt perturbationes auferat, pacem vobis imperantibus seruet, fides Ecclesiæ & tranquillitas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Imperatores. Certè vis probari Deo, omni rei tempus, vt scriptum est, *Tempus*, inquit, *faciendi Domine, &, tempus beneplaciti Deus*. Tunc offeres, cùm sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo. Omnino me delectaret habere gratiam Imperatoris, vt secundùm voluntatem tuam agerem, si causa pateretur, & simplex oratio sacrificium est. Hæc veniam refert, illa offensionem, quia hæc habet humilitatem, illa contemptum. Dei enim vox est, quod malit vt fiat mandatum eius, quàm deferatur sacrificium. Clamat istud Deus ad populum, Moyses adnuntiat, Apostolus Paulus prædicat. Id facito quod intelligis tempore plus placere. Misericordiam, inquit, malo quàm sacrificium. Quasi non illi magis sint Christiani, qui peccatum condemnant suum, quàm qui defendendum putant. Iustus enim in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat cùm peccauerit, iustus est, non ille qui se laudauerit. Et tu præuentus es, & ego non declinaui, non quod cauere debueram. sed gratias Domino, quia vult seruulos suos castigare ne perdat. Istud mihi commune est cum prophetis, & tibi erit commune cum sanctis.]

Eccles 3. Psal. 118. Psal. 68. 1 Reg. 15. Osee. 6. Matt. 9. Prou. 18.

Quomodo autem isdem beatus Imperator publicè pœnitens hæc obaudierit monita, isdem beatus Ambrosius inter alia in Sermone quadragesimi diei defunctionis ipsius coram Honorio Augusto filio eius demonstrat. Qualiter etiam ceteri Christiani atque fideles Dei de communicatione huiusmodi periculum euadere valeant, & Dominus in Euangelio de eo qui pro peccato correptus emendare noluerit demonstrat, & Paulus in Epistola ad Corinthios dicit, *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Et item, *Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis frater nominatur & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Auferte malum ex vobis*. Et sanctus Ioannes Euangelista & Apostolus, *Et nunc Antichristi multi sunt*. Et item, *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, hic filium & patrem habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. qui enim dicit illi Aue, communicat operibus illius malignis*. Et ne quis di-

Matt. 18. 1. Cor. 6. 1. Cor. 5. 1. Ioan. 2. 2. Ioan.

cat, Rex est, quomodo me ab illius potero communicatione subtrahere? sciat sanctum Ioannem Baptistam ideo martyrio coronatum, quia dicebat Herodi, *Non licet tibi habere eam*, quin adulteram mulierem. Et Paulus, vt præmisimus, cum huiusmodi nec cibum sumere vetuit, qui & alibi dicit, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Et ipse Dominus in Euangelio clamat, *Qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et item, *Si diligitis me, mandata mea seruate: qui non diligit me, mandata mea non seruat.* Et Apostolus Ioannes, *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et Psalmus de Domino, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et item Apostolus Ioannes in Apocalypsi, *Nec intrabit in ea*, id est, in cælesti Hierusalem, *aliquid coinquinatum, faciens abominationem, & mendacium.* Et item, *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Sed & eos terribilis increpatio Euangelica inuehit, *qui dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei*, & eos increpant ac persequuntur qui se subtrahere volunt ab omni fratre ambulante inordinatè. De quibus videlicet persecutoribus dicitur in Apocalypsi, *Habeo aduersus te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetas docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothyta. & dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, & filios eius interficiam in mortem, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique secundum opera sua.* Eos autem qui redarguunt iniquitatem, quia huiusmodi non consentiunt, blandè consolatur dicens, *Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam. sed diues es, & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* His verò, qui auctoritate ordinis, aut dignitate potestatis, vel fortitudine virtutis, tali facto non possunt resistere, consulit diuina clementia, dicens in eadem Apocalypsi, *Vobis autem dico ceteris qui Thyatiræ estis, Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: tamen id quod habetis tenete, donec veniam. Et qui vicerit, & qui custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget illas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam.* Et sanctus Ambrosius in Epistolam ad Corinthios dicit, *Si quis potestatem non habet quem scit reum abiicere, aut probare non valet, immunis est: & iudicis non est sine accusatore*

Marc. 6. 2. Cor. 13. Ioan. 8. Ioan. 14. 1. Ioan. 4. Psal. 5. Apoc. 21. Ibid. Ioan. 12. Apoc. 2.

damnare, quia & Dominus Iudam, cùm fur esset, quia non est accusatus, minimè abiecit. Hanc autem excusationem ante Deum sacerdotes & principes ac primores terræ habere non poterunt. Vnde & isdem beatus Ambrosius in eodem loco Epistolæ dicit, *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrûm qui hoc opus fecit. Superbiam*, inquiens, *illorum in tantum humiliat, vt non querulos iam sed magis supplices faciat. Erant enim & ipsi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris secum incorrectum conuenire, vt omnes vno consilio abiicerent eum si negaret emendare se. Cognito enim opere isto, pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis dicit Apostolus. Omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant. Publicè enim nouercam suam loco vxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen. Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu, id est, absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, iam iudicaui vt præsens eum qui hoc admisit.* Hîc aduertendum est, quia quicumque criminalia admisit peccata, vnde iam sunt terminata iudicia ab illis Christi organis, qui cum illo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, apud quorum mortuos natura cineres, sed Deo viuos, meritorum miraculis demonstratur quia etiam in dictis & suis promulgationibus viuunt, iam iudicati sunt, & nisi pœnitentiam egerint, prædamnati. quamuis inertia nostra, ea, ad quæ ordinati & constituti sumus, in nostro & nobis commissorum periculo exequi negligamus. Vnde magnus Leo Papa ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, loquens de sancto Nicæno Concilio, quod & de aliis intelligendum fides tenet catholica, scribit, Sancti, inquiens, illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum, in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, vt quæ ad vtilitatem perpetuam generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa.]

1.Cor.5. — Ibid. — Epist.LVI.

His denique perpensis, & aliis, quæ propter prolixitatem omisimus ponere, sanctarum scripturarum, & regularum Ecclesiasticarum auctoritatibus, considerato etiam periculo quisque suo, sed & is de quo agitur, ad se redeat, & aut actum suum rationi & auctoritati euidenter concordare demonstret, ne ipse peccans, sicut de Hieroboam scriptura dicit, vnde grauiùs Deum offendit alios peccare faciat, aut salubri consilio & auctoritati diuinæ, quia aliter saluari non potest, se subdat, & considerans quoniam adolescentia & voluptas vana sunt, pro breui & misera delectatione, *quia pretium scorti vix vnius est panis*, non det alienis honorem suum, & annos suos crudeli, *nec det carnem suam, vt peccare faciat animam suam, neque exhi-*

3.Reg.12. — Prou.6. — Rom.6.

beat membra sua arma iniquitatis peccato, & gemat in nouissimis, quando consumpserit carnes & corpus suum, quando emendare non poterit, cùm anima quæ per corpus gessit cuncta reddere compelletur. Sicque cogitans vias suas, & conuertens pedes suos in testimonia Domini, de his quæ perperam egit, per dignos pœnitentiæ fructus Domino & Ecclesiæ satisfaciat, & de cetero gressus suos dirigat secundùm eloquia Domini per gratiam eius, *vt non dominetur illi omnis iniustitia.* imitans conuersum Paulum, qui de se dicit, *Et in me glorificabant Deum*, sicut Dominus iubet, *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

Psal.118. Act.9. Matt.5.

Tandem de his, quæ in hac epistola peruenisse ad nos memorauimus, quantum Domino inspirante, ex sanctarum scripturarum atque catholicorum patrum doctrina, pro nostra mediocritate sensimus, compellente veritate & superimposito ministerio diximus, nullius sanæ præiudicantes sententiæ, nec dehonorantes auctoritatem. Neque enim quisquam nostrûm, vt olim sanctus Cyprianus dixerat, Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus, (saluo per omnia priuilegio sanctæ & Apostolicæ primæ in toto orbe terrarum Romanæ sedis, atque ipsius Pontificis domni Nicolai Papæ, & decreto sanctorum canonum sancto spiritu conditorum,) pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tam qui iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum singulariter iudicare: sed sicut dicit Apostolus, vnusquisque in suo sensu abundans, expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.

Concil. Carthag.I. in princip.

Hoc tantùm omnes dominos & consacerdotes nostros, & nos cum illis pariter admonemus, vt secundùm præceptionem magni Leonis Papæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, In his quæ dubia fuerint vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum.

Epist.xcv.

Porrò quia Redemptor noster, qui rex nobis pariter & sacerdos fieri dignatus est, sacerdos videlicet, vt nos à peccatis hostia suæ passionis emundet, rex, vt regnum nobis perenne tribuat, regnúmque nos Deo & sacerdotes faciat, ac solus vtrumque dignitate & nomine, rex scilicet, & sacerdos essentialiter fieri potuit, duo prouidentia sua constituit, vt sanctus Gelasius ad Anastasium Imperatorem scripsit, quibus principaliter mundus hic regitur, id est auctoritatem sacram Pontificum, & regiam potestatem, in quibus tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem, de his duabus

Apoc.1.

excellentissimis dignitatum personis, beati Cypriani Pontificis & martyris gloriosi sententias huic opusculo subnectere dignum duximus, vt attendentes ad formam sui nominis, quantum patitur humana fragilitas, in nullo exorbitent à regula sibi ab eodem Pontifice Pontificum, & rege regum traditæ dignitatis. Ait enim in libro de duodecim sæculi abusiuis, primò de Rege, & posteà de Episcopo, quia quanto gradus est celsior, tanto casus est grauior, & quanto est dignitas spiritalior, tantò ascensus sublimior. *Nonus*, inquit, *abusionis est gradus, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet, vnde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Iustitia verò regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere. magorum, & ariolorum, pythonissarúmque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere. per omnia in Deo viuere, prosperitatibus non eleuare animum, cuncta aduersa patienter ferre, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum. Væ enim terræ, cuius rex est puer, & cuius principes manè comedunt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui verò secundùm hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates Imperij tolerat. Idcircò enim sæpè pax populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur: multi etiam dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias vndique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates veris & hyemis terrarum fœcunditatem & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia verò, regis iniustitia non solùm præsentis Imperij faciem fuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hereditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum eius dispersit, & propter iustitiam Dauid regis, lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia regis sæculo valet, intuentibus perspicuè patet. Pax populorum est tutamentum patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimetipsis spes futuræ bea-*

Prou. 16.

Eccles. 10.

3. Reg. 12.

3. Reg. 15.

titudinis. Attamen sciat, quòd sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, locum primatus habiturus est. Omnes namque, quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo plagali in illa futura pœna habebit.

Decimus abusionis gradus est Episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerij sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primùm namque ab Episcopo, quid sui nominis dignitas tenet, inquiratur. Quoniam Episcopus, cùm Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cùm sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officij sui rationem denuntiat ita inquiens, Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non adnuntiaueris vt reuertatur impius à via sua, ipse quidem impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu adnuntiaueris, & ille non fuerit reuersus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti. Decet ergo Episcopum, omnium enim speculator positus est, peccata diligenter intendere. Audiens ergo, & postquam attenderit, sermone si poterit & actu corrigere, & si non poterit, iuxta Euangelij regulam, scelerum operarios declinare. Si enim, inquit in Euangelio, peccauerit frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Si illos non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus est, qui cuicumque doctori vel Episcopo adhærere contemnit. & qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore siue Episcopo recipi non debet. Qui ergo illum excommunicatum à catholico, illo non permittente, sibi iungit, iura sacerdotij sancti, quod Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione Episcopum ad eos, quibus in speculatione positus est, esse oportet. Ceterùm verò qualis in semetipso esse debeat, in lege de sacerdote scribitur, Viduam aut repudiatam non accipiat vxorem. Et Paulus Apostolus exponit, vt ad gradum Episcopi veniens, sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, & hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, præferens doctrinarum fidelem sermonem, ante Episcopatum non plures habens vxores quàm vnam, non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, vt per hæc ipse priùs ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ. Caueant ergo negligentes Episcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, Pastores multi demoliti sunt populum meum, & non pascebant pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos. Sed potiùs procurent hi, quos constituit Dominus supra familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici, puram scilicet, & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire, Euge serue bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.] Hæc denique duo alia abusiua sequuntur, quæ ab istorum

Ezech. 3.
Matt. 18.
Leuit. 21.
1. Tim. 3.
Ezech. 34.
Matt. 25.

rum negligentia, & periculo secreta esse non possunt. *Plebs videlicet sine disciplina*, quod ad negligentis Episcopi reatum, *Populus sine lege*, quod ad Regis iniqui prauitatem non dubium est pertinere. Sed & octo numero, quæ hæc capitanea duo præcedunt, id est, *sapiens & prædicator sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, diues sine eleemosyna, femina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus*, ad ista duo capitula, quibus principaliter mundus hic regitur, siue cum laude & gloria, siue cum vituperatione & iudicio, respicere dinoscuntur. Quoniam Episcopalis auctoritas prædicando vita & verbo, & Regia dignitas regendo & corrigendo, præesse ac prodesse omnibus debent, qui disciplinam, id est, ordinatam correctionem, & maiorum præcedentium regularem obseruationem sequi & obseruare cupiunt. Eos autem qui diuina dicta & legum scita contemnunt, Episcopus medicinali mucrone, vt membrum putridum à sanis abscidere, & rex iudiciali gladio impios debet de terra perdere, quatenus à summo pastore & rege regum cum sibi creditis ouibus & subiectis in futuro ac tremendo iudicio mereantur audire, vt boni & fideles serui in ministerio in quo fuerant constituti, ab ipso qui eos constituit Domino fideles inuenti, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*, quod promisit qui non mentitur Deus diligentibus se, & viuit & regnat ante omnia, & per omnia, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS CAPITVLA SYNODICA ET CORONATIONES REGIÆ.

CAPITVLA.

Presbyteris data anno DCCCLII.
De quibus inquiri & renuntiari debet Episcopo.
Anno XII. *Episcopatus superaddita.*
In Synodo Remis data anno DCCCLXXIV.
Archidiaconis & presbyteris data.

CORONATIONES.

Caroli Calui, quando in regno Lotharij coronatus est.
Ludouici Balbi, quando rex Francorum consecratus est.
Iudith Caroli filiæ, cùm regi Anglorum desponsata est.
Hermintrudis reginæ Caroli Calui.

HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS CAPITVLA,

Ad presbyteros parochiæ suæ.

Ex Appendice ad Tomum III. Conciliorum Galliæ.

I.

CAPITVLA PRESBYTERIS DATA ANNO DCCCLII.

ANNO DCCCLII. Kalendis Nouembris conuentu habito presbyterorum in metropoli ciuitate Remorum, inter cetera monita saluberrima, dum de legibus atque rebus Ecclesiasticis ab Hincmaro Præsule tractaretur, hæc in vltimo prolata sunt memoriæ commendanda, & summopere obseruanda.

CAPVT I. *Ut presbyteri discant expositionem Symboli & orationis Dominicæ, &c. cum Symbolo Athanasij.*

VT vnusquisque presbyterorum expositionem Symboli, atque orationis Dominicæ, iuxta traditionem orthodoxorum patrum plenius discat. exinde prædicando populum sibi commissum sedulò instruat. Præfationem quoque canonis, & eundem canonem intelligat, & memoriter ac distinctè proferre valeat. & orationes Missarum, Apostolum quoque & Euangelium bene legere possit. Psalmorum etiam verba & distinctiones regulariter, & ex corde, cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Necnon & sermonem Athanasij de fide, cuius initium est, *Quicumque vult saluus esse*, memoriæ quisque commendet, & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.

II. *De scrutinio & ordine baptizandi.*

Vt scrutinium, & omnem ordinem baptizandi, nulli penitùs liceat ignorare.

III. *De exorcismis catechumenorum, & de baptismo infirmorum. Item de fontibus, ac vasis ad corporalia & pallas abluendas.*

Exorcismos & orationes ad catechumenos faciendum, ad fontes quoque consecrandum, & ceteras preces super masculos & feminas, pluraliter atque singulariter, distinctè & rationabiliter memoriæ commendet. Similiter & ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis. Et qui fontes lapideos habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc solummodò baptizandi officium habeat, & similiter ad corporale lauandum, & ad pallas altaris, propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.

IV. *De ordine reconciliandi, & vngendi infirmos. déque exequiis defunctorum, & de benedictione salis & aquæ.*

Ordinem reconciliandi, iuxta modum sibi canonicè reseruatum, atque vnguendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes memoriter discat. Similiter ordinem & preces in exequiis atque agendis defunctorum. nec minùs exorcismos & benedictiones aquæ & salis.

V. *De aqua omni die Dominico ante Missam benedicenda.*

Vt omni Dominico die quisque presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido & tanto ministerio conuenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur: & qui voluerit in vasculis suis nitidis ex illa accipiant, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, necnon & super cibos & potum suum conspergant.

VI. *De thuribulo & incenso.*

Vt omnis presbyter thuribulum & incensum habeat, vt tempore quo Euangelium legitur, & finito offertorio, super oblationem incensum, vt in morte videlicet Redemptoris, ponat.

VII. *De pane ad eulogias benedicendo.*

Vt de oblatis, quæ offeruntur à populo, & consecrationi super-

ſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, presbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & conuenienti, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico, & in diebus feſtis, exinde accipiant. Et illa, vnde eulogias presbyter daturus eſt, antè in hæc verba benedicat, & ſic accepturis diſtribuat, & micas ne incautè defluant cuſtodiat: DOMINE ſancte pater, omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpiritali benedictione, vt ſit omnibus cum fide, & reuerentia, ac gratiarum tuarum actione ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuerſas cunctorum inimicorum inſidias tutamentum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

VIII. *De Homiliis S. Gregorij, & de computo, cantúque Eccleſiaſtico.*

HOMILIAS quadraginta Gregorij quiſque presbyter ſtudioſè legat, & intelligat: & vt cognoſcat ſe ad formam ſeptuaginta duorum diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico eſſe promotum, ſermonem prædicti doctoris de ſeptuaginta duobus diſcipulis à Domino ad prædicandum miſſis pleniſſimè diſcat, ac memoriæ tradat. Compoto etiam neceſſario, & cantu per anni circulum, pleniſſimè inſtruatur.

IX. *De matutinali officio, & Horis explendis: & poſt Miſſam quid agere presbyter debeat ante prandium.*

Iuo P. vi. 181. Ex C. Namn. De celebrat. Miſſarum c. 1, ex Agathenſi.

MANE matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonámque perſoluat: ita tamen, vt poſtea horis competentibus, iuxta poſſibilitatem, aut à ſe, aut ab ſcholaſticis publicè compleatur. Deinde peractis Miſſarum ſolemniis, & feſſis infirmis viſitatis, ad opus rurale, & quod ſibi competit, exeat ieiunus: vt iterum neceſſitatibus peregrinorum hoſpitum, ſiue diuerſorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, ſuccurrere poſſit, vſque ad ſtatutam horam pro qualitate temporis & opportunitate.

X. *De cura hoſpitum & peregrinorum.*

Iuo P. v. 257. ex Cõcil. Namnetenſi.

VT curam hoſpitum, maximè pauperum atque debilium, orphanorum quoque atque peregrinorum habeat, hóſque ad prandium ſuum quotidie iuxta poſſibilitatem conuocet, eíſque hoſpitium competenter tribuat.

XI. *De sacris ministeriis ad vvadium non dandis.*

Vt nullus presbyter præsumat calicem, vel patenam, aut pallam altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum, tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ, in vadimonium dare. quia tanta est sanctitas sacri ministerij, vt salua altioris mysterij intelligentia, etiam per prophetam Dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat ad eum à colloquio diuino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum à sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro ministerio nec ad contingendum immundis, quanto minùs in vadimonium, exhibere debet? sicut Stephanus sanctus Papa & martyr ad sanctum Hilarium in suis decretalibus docuit.

De pignoribus & aliis caut. c. 1. ex Cōc. Rem.

Ezech. 44. 19.

Epist. 1.

XII. *Vt in Ecclesia sine consultu Episcopi nullus sepeliatur, & vt pro sepeliendis nihil exigatur.*

Vt nemo presbyterorum quemquam in Ecclesia sepeliat sine consultu Episcopi, exceptis huiusmodi duntaxat personis, quas singillatim & priuatim in Synodo signauimus. nec pro sepeliendis quiddam exenij exigat vel extorqueat. Si quid autem altari, vel Ecclesiæ, aut sibi gratis oblatum fuerit à deuotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus.

XIII. *Vt presbyteri à publicè peccantibus, vel à pœnitentibus, quo eis faueant, munera non accipiant.*

Vt nemo presbyterorum exenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spiritale, à quocumque publicè peccante vel incestuoso accipiat, vt nobis vel ministris nostris peccatum illius reticeat: nec pro respectu cuiusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis peccatis communicans, hoc nobis vel ministris innotescere detractet. nec à quocumque pœnitente aut gratiam, aut fauorem, aut munus suscipere præsumat, vt minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis ferat, & quocumque liuore alium quemlibet digniùs pœnitentem à reconciliatione remoueat. quia hoc Simoniacum & Deo & hominibus abominabile est.

De simonia cap. 14. ex Alexandro III.

XIV. *Quomodo in conuiuiis defunctorum aliarúmve collectarum gerere se debeant.*

Vt nullus presbyterorum ad anniuersariam diem, vel tricesimam tertiam, vel septimam alicuius defuncti, aut quacumque vocatione

D. XLIV. Nullus presbyterorū

ex Namnetensi.

ad collectam presbyteri conuenerint, se inebriare præsumat, nec precari in amore Sanctorum vel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare: nec plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat: nec turpia ioca cum vrso vel tornatricibus ante se facere permittat. nec laruas dæmonum, quas vulgò talamascas dicunt, ibi anteferre consentiat. quia hoc diabolicum est, & à sacris canonibus prohibitum. Sed cum honestate & religione prandeat, & ad tempus ad suam Ecclesiam redeat. Summopere etiam quisque cauens, sicut de statu suo vult gaudere, vt non quacumque occasione, aut parem suum, aut alium quemlibet, ad iram & rixam vel contentionem, quanto magis ad pugnam vel ad cædem aliquo verbo irritet, seu prouocet, nec prouocatus ad hoc quisque prosiliat. quia in talibus comessationibus & potationibus, sicut irreligiosi faciunt, semper se immiscet diabolus. Quando autem conuenerint presbyteri ad aliquod conuiuium, decanus, aut aliquis prior illorum, versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat. & tunc secundùm suum ordinem consedeant, alter alterius honorem portantes. & per vicissitudines cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta lectione legat. & post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum Domini & Saluatoris ac discipulorum eius, sicut illum in cœna fecisse legimus. Et sic se contineant omnes presbyteri in omni loco, maximè in talibus, ne sicut dicit Apostolus, vituperetur ministerium nostrum.

D. XLIV. Quando presbyteri. ex Namnetensi.

Matt 26. 10

2. Cor. 6. 3.

XV. *Quid cauendum sit presbyteris, quando per Kalendas inter se conueniunt.*

D. XLIV. Quando presbyteri. Ex Namnetensi.

VT quando presbyteri per Kalendas simul conuenerint, post peractum diuinum mysterium, & necessariam collationem, non quasi ad prandium ibi ad tabulam resideant, & per tales inconuenientes pastellos se inuicem grauent, quia inhonestum est, & onerosum. Sæpè enim tardè ad Ecclesias suas redeuntes maius damnum de reprehensione conquirunt, & de grauedine mutua contrahunt, quàm lucrum ibi faciant. Nam de huiusmodi conuentu, qui sub religionis obtentu agebatur, Paulus Apostolus conuenienter reprehendit Corinthios, qui inconuenienter cœnam Dominicam manducare conueniebant. Sic & qui ad cœnam Dominicam, id est ad conlationem verbi sub occasione conueniunt, & ex veritate ventris causa coniunguntur, reprehensibiles & coram Deo & coram hominibus habentur. Et ideo peractis omnibus, qui voluerint, panem cum caritate & gratiarum actione in domo confratris sui simul cum fratribus suis frangant, & singulos biberes accipiant, maximè autem vltra tertiam vicem poculum ibi non contingant, & ad Ecclesias suas redeant.

1. Cor. 11. 10

XVI. *De confratriis, earúmque conuentibus, quomodo celebrari debeant.*

Vt de collectis, quas geldonias vel confratrias vulgò vocant, ſicut iam verbis monuimus, & nunc ſcriptis expreſsè præcipimus, tantum fiat, quantum ad auctoritatem & vtilitatem atque rationem pertinet. vltra autem nemo neque ſacerdos, neque fidelis quiſquam, in parochia noſtra progredi audeat. Id eſt, in omni obſequio religionis coniungantur: videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis, & ceteris pietatis officiis. ita vt qui candelam offerre voluerint, ſiue ſpecialiter, ſiue generaliter, aut ante Miſſam, aut inter Miſſam antequàm Euangelium legatur, ad altare deferant. Oblationem autem, vnam tantummodò oblatam, & offertorium pro ſe ſuíſque omnibus coniunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in butticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante Miſſam aut poſt Miſſam preſbytero vel miniſtro illius tribuat, vnde populus in eleemoſyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel preſbyter ſupplementum aliquod habeat. Paſtos autem & comeſſationes, quas diuina auctoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ, ſæpè etiam, ſicut experti ſumus, vſque ad homicidia & odia & diſſenſiones accidere ſolent, adeo penitùs interdicimus, vt qui de cetero hoc agere præſumpſerit, ſi preſbyter fuerit, vel quilibet clericus, gradu priuetur, ſi laicus, vel femina, vſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conuentus autem talium confratrum, ſi neceſſe fuerit vt ſimul conueniant, vt ſi fortè aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari neceſſe ſit, & ſine conuentu preſbyteri & ceterorum eſſe non poſſit, poſt peracta illa quæ Dei ſunt, & Chriſtianæ religioni conueniunt, & poſt debitas admonitiones, qui voluerint eulogias à preſbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, ſinguli ſingulos biberes accipiant, & nihil ampliùs contingere præſumant, & ſic vnuſquiſque ad ſua cum benedictione Domini redeat.

XVII. *Vt defuncto preſbytero nullus ſine conſultu Epiſcopi Eccleſiam illius aut Capellam appetat.*

Vt ſi quilibet preſbyterorum defunctus fuerit, vicinus preſbyter apud ſeniorem ſæcularem nulla precatione, vel aliquo exenio, Eccleſiam illam obtineat, quæ titulus per ſe conſtans antea extitit, ſed neque Capellam, ſine conſultu noſtro. Quòd ſi fecerit, diffinitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat, ſicuti de Epiſcopo canonica decreuit auctoritas, vt qui per ambitionem maiorem ciuitatem adpetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat, quam vſurpare tentauit.

II.

CAPITVLA QVIBVS DE REBVS MAGISTRI & Decani per ſingulas Eccleſias inquirere, & Epiſcopo renuntiare debeant.

HÆC OMNI ANNO INVESTIGANDA SVNT à magiſtris & decanis preſbyteris per ſingulas matrices Eccleſias, & per Capellas parochiæ noſtræ, & nobis Kalendis Iuliis renuntianda. Similiter etiam inueſtigandum & renuntiandum eſt nobis, qualiter obſeruentur & cuſtodiantur illa, quæ capitulatim obſeruanda preſbyteris dedimus.

I. INQVIRENDVM in qua villa, aut cuiuſlibet Sancti honore, prætitulatus ſit preſbyter, vel à quo fuerit ordinatus.

II. SI habeat manſum habentem bunnuaria duodecim, præter cœmeterium, & cortem, vbi Eccleſia & domus ipſius continetur, aut ſi habeat mancipia quatuor.

III. QVOT manſos habeat in ſua parochia ingenuiles & ſeruiles, aut accolas, vnde decimam accipiat.

IV. QVALIA ſint indumenta altaris, quot noua & quot vetuſta, qualiter nitida. quo metallo ſint capſæ & cruces coopertæ. aut ſi diligenter reconditæ ſunt reliquiæ in altari. ſi ipſæ capſæ ſeris munitæ ſunt.

V. QVOS & quot libros habeat, aut ſi bene ſint recitati.

VI. QVALIA aut quot ſacerdotalia veſtimenta habeat, & qualiter ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.

VII. SI habeat locum præparatum, vbi effundi poſſit aqua quando abluuntur vaſa altaris, aut os vel manus poſt perceptionem ſacræ communionis. aut ſi ipſe preſbyter propriis manibus, aut diaconus, aut ſubdiaconus eius, lauet primò corporale.

VIII. QVO metallo ſit calix & patena, aut qua diligentia cuſtodiantur, aut ſi habeat pyxidem, vbi congruè poſſit recondi ſacra oblatio reſeruanda ad viaticum infirmis.

IX. VT chriſma & oleum conſecratum ſub ſera recondantur.

X. SI ipſe presbyter viſitet infirmos, & inungat oleo ſancto, & communicet per ſe, & non per quemlibet, & ille ipſe communicet populum, nec tradat communionem cuiquam laico ad deferendum in domum ſuam cauſa cuiuſlibet infirmi.

XI. SI habeat clericum, qui poſſit tenere ſcholam, aut legere epiſtolam, aut canere valeat, provt neceſſarium ſibi videtur.

XII. INVESTIGANDVM nihilominus de luminaribus Eccleſiæ, aut quot cerarios habeat ipſe Titulus.

XIII.

XIII. Qvaliter sit cooperta Ecclesia, aut si sit camerata, & vt ibi columbæ vel aliæ aues non nidificent, propter immunditiem, vel importunitatis inquietudinem.

XIV. Qvo metallo habeant ibidem signa.

XV. Si atrium habeat munitum. aut si cellam propriam habeat iuxta Ecclesiam, aut si suspiciosa in circuitu ostiola sint.

XVI. Vt ex decimis quatuor portiones fiant iuxta institutionem canonicam, & ipsæ sub testimonio duorum aut trium fidelium studiosè & diligenter diuidantur. & vt de duabus portionibus, Ecclesiæ & Episcopi, ratio reddatur per singulos annos, quid inde profecerit in Ecclesia.

XVII. Vt matricularios habeat iuxta qualitatem loci, non bubulcos aut porcarios, sed debiles & pauperes, & de eodem dominio. Nisi fortè ipse presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima sustentetur. reliquos autem propinquos, si iuxta se habere voluerit, de sua portione vestiat atque pascat.

XVIII. Investigandvm similiter, si nihil patrimonij habens, quando prouectus est ad ordinem Ecclesiasticum, posteà emerit prædia, cuius iuris sint. quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habentibus promotus est, esse debent iuxta canonicæ auctoritatis decretum.

De peculio clericorum cap. I. Iuo Part. III. cap. 94.

XIX. Inqvirendvm, si occasione huius præcedentis Capituli aliquis presbyterorum abhinc de reditibus Ecclesiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, alieno nomine res comparauerit, & ibi structuras fecerit, vel quæ ad Ecclesiam pertinent ibi collocauerit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiserit, vel, quod turpius est, tales mulieres ibi habuerit, quæ lanificium suum exerceant, & curam domus agant, & ad eadem loca presbyter incongruè recurrerit, frequentauerit, vel manserit. quoniam contra decreta canonum hoc malum agitur à quibus perpetratur. quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine presbyter, vel quilibet sub regula, fœnus exercere debet, multo minùs autem fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis. quoniam hoc agere sacrilegum est, & par crimen Ananiæ & Saphiræ, atque Iudæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad vsus fidelium ac pauperum mittebantur, asportabat & furabatur. Nam aliud est sine dispendio Ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet necestuosis, ex caritate cum mensura & ratione subuenire, vel adiutorium ferre, & aliud cum destructione Ecclesiæ, vel dissipatione facultatum Ecclesiasticarum, quasi furtim, immo furtim, quæ Ecclesiæ esse debuerant, & vsibus illius ac pauperum seu hospitum impendi, carnalium carnaliter vsibus sine diuino respectu inseruire. Et de nihil habentibus promotus presbyter non præsumat quæ de facultatibus Ecclesiæ comparauerit vendere, vel quasi

De peculio clericorum cap. 4.

ad casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam cuius propriæ esse debent, sine consultu Episcopi.

XX. INQVIRENDVM, si de tabernis & de comessationibus, & de familiaritate indebita mulierum se custodiant presbyteri, sicut sæpissimè interdiximus & interdicimus: quia ad contumeliam nostram laici me petunt, vt si euidenter cum testibus, quo negari non possit à quoquam, presbyterum in tabernis inuenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter si abhinc presbyteri se de talibus non cauerint, quia diuinum non timent iudicium, temporalem illis inueniemus contumeliam, & sæculare illorum incorrigibilitati adinueniemus detrimentum.

De inlicito clericorum accessu ad feminas, & qua ratione de illo arguendi vel purgandi sint.

Cōc. Trosleianum cap. IX.

XXI. DE accessu autem, & frequentatione, ac cohabitatione clericorum cum feminis, vnde secundùm sacros canones in omnibus Synodis specialiter interdiximus, firmiter & expresè atque sollicitè à nobis & à comministris nostris est inquirendum. Sicut enim his qui Domini in carne aduentum præcesserunt, & his qui subsequentur, pro temporum ratione sunt sacramenta disparia, ad religionem tamen vnius eiusdémque fidei & salutis recurrentia, & vt scriptum est, *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, per incrementa temporum, tam per seipsum, quàm & per Angelos in veteri testamento, in nouo autem similiter per se, & per doctores catholicos & magistros Ecclesiæ, qui & attestante propheta Angeli nominantur, aucta est subtilitas & multiplicatio præceptorum. Per se quidem Dominus in paradiso Adæ, & post diluuium Noë & Abrahæ de circumcisione dedit præcepta: legem autem per Angelos Moysi mediatori inter se & populum, vt ostendit Apostolus. In nouo autem Testamento incarnatus per se dicens, *Audistis quia dictum, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* &, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* &, *Dictum est antiquis, Qui occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Et per sanctos suos, de quibus dictum est, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*, per incrementa temporum virtutem castitatis excrescere, maximè autem apud ministros Ecclesiæ docuit, decernens hoc modo per mysticam Nicænam Synodum, Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspiciones effugiunt.] Et inde lex à Christia-

Marginal notes: Dan. 12. 4. — Matt. 5. 43. — Ibid. 20. — Ibid. 5. 21. — Matt. 10. 20 — Can. 3.

nis Imperatoribus est promulgata hoc modo, Quicumque clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia intra domum suam nouerint tantùm esse concessa. Sed quia sub occasione istarum personarum aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani canones decreuerunt, vt nec ipsi Episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascumque feminas: sed vbi aut clerici præsentes sint, aut graues aliqui Christiani. Vnde, sicut beatus Gregorius ad ministros Ecclesiæ Romanæ scripsit, beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit dicens, Quæ cum sorore mea sunt sorores meæ non sunt. Et ex hoc dicit sanctus Gregorius, Docti ergo viri cautela magna nobis esse debet instructio. Nam inhonestæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minùs validum non timere. Sapienter enim inlicita superabit, qui didicerit etiam non vti concessis. Et hinc Christiani Imperatores legem decreuerunt dicentes, Presbyteris, & diaconis, & subdiaconis, & aliis in clero scriptis, non habentibus vxores, secundùm diuinas regulas interdicimus & nos mulierem habere in sua domo, excepto matre & filia & sorore, & aliis personis, quæ omnem querelam effugiunt. Si quis autem aduersus istam obseruationem mulierem in sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille à conclericis suis audierit, quòd cum tali muliere non debeat habitare, & noluerit eam à sua domo repellere, vel accusatore emergente probatus fuerit inhonestè cum tali muliere versari, tunc Episcopus secundùm Ecclesiasticos canones clero eum repellat, curiæ ciuitatis cuius clericus est tradendum. Et vt sanctus Innocentius, & prædecessor eius Siricius scribunt, Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omninò tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxoris vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere, quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, quo vel à sacrificiis diuinis, vel à baptismatis officio vacent? Nam si Paulus etiam laicis scribit dicens, *Abstinete ad tempus, vt vacetis orationi*, quanto magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab eiusmodi consortio abstineri? Qui si contaminatus fuerit à carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan vsurpabit? aut qua conscientia, quóve merito exaudiri se credit, cùm dictum sit, *Omnia munda mundis, inquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Et ne quis dicat, si habito cum mulieribus, sufficit mihi conscientia mea, dicente Apostolo, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* attendat quod item idem dicit Apostolus, per quem, vt ipse veraci-

Aniani Interp. cod. Theod. de Episc. Eccl. &c. l. 44.

Conc. Afr. can. 5.

Gr. lib. VII. Ind. 2. ep. 39

Nouella Iustiniani 123. c. 29.

Inn. ep. 2. ad Victricium.

1. Cor. 7. 5.

Tit. 1. 15.

Rom. 12. 17 ter fatetur, loquitur Christus, *Prouidentes bona non solùm coram Deo sed etiam coram omnibus hominibus.* Et item præcipit, vt sine offensione omnibus simus, ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est, sic inquiens, *Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* (1. Cor. 8. 12.) Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, vt ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres, ne vel concupiscentia conscientiam suam vrant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis per parochianos vel vicinos cuiuscumque presbyteri inquirere non laborabimus. Abolita est quippe vetus hæresis, quæ cynica, id est canina, propter impudentiam fuerat appellata, dicens concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publicè, cùm legamus primos homines mox post peccatum inobedientiæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & à mutuis conspectibus contexisse. Nam licèt humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis diuinis & Angelicis, atque sanctorum qui in cælis sunt, oculis abscondi non possit: tamen etiam quilibet rusticanus concumbens & cum propria coniuge, provt potest plurimorum deuitat adspectus: quanto magis presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum scit se non solùm Ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quæ habet in sæculo perdere? Non igitur de hoc inuerecundè quæremus, quod & Apostolus non nudo, sed velato nomine loquens apud legitimè coniugatos, studuit appellare dicens, *Iterum reuertimini in idipsum.* (1. Cor. 7. 5.) &, *Ne quis circumueniat in negotio fratrem suum.* (1. Thess. 4. 6.) Tantummodò autem de accessu & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis per tales homines inquiremus, sicut sancti Africani canones iubent. (Conc. Afr. can. 96. 98.) id est, quos publicæ leges ad accusationem vel testimonium recipiunt, siue in mallo, siue in audientia. Et si quiscumque presbyter, non solùm in nostra parochia, sed in nostra diœcesi confessus, vel legali ac regulari iudicio fuerit conuictus, de cohabitatione vel frequentatione, siue accessu cum feminis contra canones, modis omnibus, secundùm decreta beati Gregorij, sine gradus sui restitutione deponetur, & iuxta capitulum magni Leonis Papæ, (Leo epist. 1. Episcopis per Campaniam.) quod dicit, Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ. Ne quid verò sit quod prætermissum fortè à nobis credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disci-

plinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Nam & beatus Augustinus suo Archiepiscopo de Abundantio presbytero suæ parochiæ ita scripsit, Quia cùm non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere cœpit. Qua ego conterritus, non tamen temerè aliquid credens, sed planè sollicitior factus, operam dedi, si quo modo possem ad aliqua malæ conuersationis eius certa peruenire indicia. Ac primò comperi eum pecuniam cuiusdam rusticani de vino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem rationem reddere. Deinde conuictus atque confessus est, cùm secum nullum clericum haberet, apud quandam malæ famæ mulierem, & prandisse, & cœnasse, & in vicina & in eadem domo mansisse. Nam quæ negauit Deo dimisi: quæ occultare permissus non est iudicaui.] Propterea, sicut S.Gregorius decreuit, per idoneos, vt præmisimus, testes sacramento inquiretur de malæ famæ presbytero. & qui proinde iurabunt, hoc modo singuli iurent, De hoc quod me interrogabis de isto presbytero, quid inde sciam, me sciente nec mendacium tibi dicam, nec veritatem reticebo, si me Deus adiuuet, & isti sancti Dei.] Post istud sacramentum, interrogari debet hoc modo, Sancti canones præcipiunt, vt presbyter talem accessum, & frequentationem, ac cohabitationem cum feminis non habeat, vnde mala suspicio, & inconueniens sacerdoti fama possit exire. Propterea dic mihi, si vidisti, aut pro certo scis talem accessum, vel frequentiam, aut cohabitationem feminas habere cum isto presbytero, vnde mala suspicio esse possit, & mala fama exire possit, in illo sacramento quod modò iurasti vt veritatem inde non reticeas, & mendacium inde non dicas.] Et exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui inde veritatem per sacramentum dicant, ex quibus sex iurent, & septimus, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exeat quòd illi ex veritate inde per sacramentum dixerunt: quia multi iam deprehensi apud nos habentur, quoniam pretio conducti se periurauerunt. Et si hoc modo presbyter conuictus fuerit de inconuenienti cohabitatione cum feminis, deponetur, sicut Zosimus Papa decreuit dicens, Sciat quisquis postposita patrum & Apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, à nobis districtiùs iudicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quicquid interdictum toties vsurpatur.]

Aug.ep.236

Epist.ad Hesychium cap.2.

XXII. In lege est statutum, quod & in Euangelio est confirmatum, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Et Apostolus Timotheo præcipit, in cuius persona, vt Leo dicit, omnium Christi sacerdotum numerum erudiuit, vt accusatio aduersus presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus. Et

Matt.18.16

1.Tim.5.19.

Can. 2. sacrum Nicænum Concilium neophytum Episcopum, à duobus vel tribus testibus redargutum, à clero abstinere præcepit. Sed quia in Dan. 13. historia Susannæ duos testes, qui idonei populis videbantur, & in 3. Reg. 21. historia Nabuthæ, verùm & in historia passionis Domini, duos te- Matth. 26. 60. stes dixisse falsum testimonium legimus. quoniam Christus Dei vir- Prou. 8. 15. tus & Dei sapientia dicit, *Per me conditores legum iusta decernunt.* & sanctus Gregorius frequenter in epistolis suis causam ministrorum Ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit definiri: & sanctus 1. Cor. 5. 11. Augustinus exponens sententiam Apostoli, *Si quis frater nominatur fornicator*, & cetera, dicit, Noluit Apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio: sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum, eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpè falsò in quemquam crimen nominatur. In accusatione presbyterorum de numero testium idoneorum auctoritatem legum sequendam vidimus, vt septem testes, vt suprà diximus, idonei requirantur: & si ratio vel causa coëgerit, quatuordecim vel viginti & vnus testes quærantur, vt veritas patefacta monstretur.

2. q. 5 Si mala fama. XXIII. Si autem mala fama ex verisimilitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores atque testes legales defuerint, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, néve securiores presbyteri existentes licentiùs in peccatum labantur, secundùm decretum Gregorij iunioris fit iusiurandum in medio, & habeat malæ famæ presbyter in sacramento purgationis suæ eum testem, quem habebit & iudicem.

XXIV. Et quoniam legimus in epistolis beati Gregorij, sæpè infamatum sacerdotem in purgatione suæ famæ tantùm iusiurandum præbuisse, & legalis atque Apostolica & canonica auctoritas trium testium testimonium recipit ad condemnationem, non ab re videtur si recipiatur ad purgationem. In historia quoque sacra, & in epistola beati Gregorij, legimus beatum Petrum Apostolorum principem, cùm à fidelibus reprehensus fuerit cur ad gentiles intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuisse dicens, *Venerunt autem mecum & sex* Act. 11. 12. *fratres isti.* Et Carthaginenses canones decernunt, vt si presbyteri vel Can. xx. diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, id est vnà secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, auctoritati conuenire ducimus, vt si presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint, secundùm qualitatem ac quantitatem causæ atque personæ, & vtili-

tatem ac sanationem cordium infirmorum, aut singulis, aut cum aliis duobus testibus, aut cum aliis sex testibus, seipsum sacramento à mala opinione purget. Et non est contrarium decreto Gregorij iunioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requirantur: quia scribens idem Pontifex ad Bonifacium Episcopum per Denualdum presbyterum dicit, vt si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiuerit, sit iusiurandum in medio, & non diffiniuit, vtrum ipse solus, an cum aliis iuret.

XXV. Et quoniam, vt scriptum est, & in Angelis reperta est nequitia, & teste Malachia propheta, atque Ioanne Euangelista, sacerdotes Angeli appellantur, & experti sumus quosdam ad inuicem conspirasse, vt se mutuò in sua purgatione adiuuarent, sed reuera nocerent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam conspirauerunt, non incongruè videtur, vt cum credibili Misso Episcopi, presbyteri qui in purgatione infamati sacerdotis, & vnà cum eo ad iusiurandum se obtulerint, talem examinationem per aduocatum infamati presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam reuictos comperimus.

XXVI. Qvia verò, vt S. Augustinus dicit, noua morborum genera noua quærere cogunt medicamentorum experimenta, ac præfatis auctoritatibus instructi, non præiudicantes, si quæ sunt, saniùs intelligentium sententiis, hoc modo agenda vidimus, quatenus & presbyteros à luxuriæ charybdis præcipitio reuocare, & toties repetitam canonum prohibitionem à præuaricantibus quoquo modo possimus euindicare, & nos de dissoluta correptione non iudicemur, sicut Heli sacerdos damnatus est, quia filios suos segniùs ac leniùs quàm debuerit corripuerat, & ipsi filij eius perierunt. quia, vt Leo dicit, Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentésque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.] Et sanctus Gregorius dicit, Qui non corrigit resecanda, committit.] & item Leo scribens ad Ianuarium Episcopum singulis nobis dicit, Non autem dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia canonum & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos. quia vt Hilarus Papa dicit, Non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur. Qualiter autem his agendum sit, qui per contemptum in sanctarum traditionum sanctiones delinquunt, vel in ipsius Domini iniuriam prosiliunt, sanctus Leo ad Rusticum Episcopum decernit, Huiusmodi inquiens lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. A qua districtionis regula, sancto Spiritu promulgata, non licet nobis quacumque pietate indebita declinare: quia etsi debetur

Decr.c.14. — Ibid.c.14. — Decr.c.16.

compassio proximis, rectitudo tamen debetur vitiis. Vnde sacra scriptura simplicitati rectitudinem semper coniungit: quia simplicitas sine rectitudine fatuitas est. Simplicitas igitur erga vitia, sicut catholici doctores dicunt, dissoluta & stulta est: & rectitudo erga proximos, sine pietatis simplicitate, austera existit & dura.

Ab isto loco vsque ad finem istius Capituli non est datum presbyteris.

Quòd de crimine confeßi vel conuicti meritò sint à gradu Ecclesiastico deponendi.

1. Tim. 6. 10

Et ne quidam, contra Apostolum delectantes, non solùm vocum, sed & constitutionum ac factorum nouitate, qui vt audiuimus dicunt, non debere presbyterum vel diaconem de crimine confessum siue conuictum deponere, sed tantùm suspendere, quia sic possunt confessionem & pœnitentiam, sicut & alij homines, facere, nos dicant cum Nouatianis pœnitentiam quibuslibet denegare, quæ cum orthodoxis doctoribus de pœnitentia & degradatione Ecclesiasticorum ministrorum sentimus, eorum sensibus & verbis dicemus. Ipsi autem, iuxta Apostolum, sanam doctrinam non sustinentes, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quia vt S. Ambrosius in explanatione psalmi *Beati immaculati*, & beatus Cælestinus Papa scribens ad Nestorium dicunt, Est pietas ex qua nascitur frequenter impietas, viderint qualiter se à laqueo liberent, quo se innectunt, ponentes in cælum os suum, & loquentes aduersus sacros canones, vt Leo dicit, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, qui sequentes Apostolicam doctrinam dicunt in crimine detectos non oportere ad Ecclesiasticum gradum accedere, vel in clericatu manere, vel ad clericatum redire. Vnde magnus Leo maximo rugitu de vrbe Roma, orbis scilicet capite, per totum mundum intonat, decernens vt Episcopi à præstitutis canonibus nulla aut negligentia aut præsumptione discedant, & si quis sacerdotum contra constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum. Et Hilarus Papa dicit, quia non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur.] Et Gelasius, Comperimus, inquit, nonnullos in ipsis ordinibus constitutos grauibus facinoribus non repelli, cùm & Apostolus clamet nemini citò manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis: & maiorum veneranda constituta pronuntient huiusmodi, etiamsi fortè subrepserint, tam qui antè peccauerunt detectos oportere depelli, quàm sacræ professionis oblitos præuaricatorésque sancti propositi proculdubio submouendos.] Et sanctus Gregorius ad Anthemium subdiaconum, Quia tantæ nequitiæ malum digna non debet

2. Tim. 4. 5. — Decret. c. 5. — Decr. c. 18. — Lib. IX. epist. 66.

debet sine vltione transire, supradictū fratrem nostrum Pascasium admonere te volumus, vt Hilarium priùs subdiaconi, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorū possit esse correctio.] Et ad Columbum Episcopum, Peruenit ad nos, quòd Donadeus diaconus pro corporali fuisset peccato depositus. Dilectio vestra subtili hoc inquisitione perquirat: & si ita est, in pœnitentia retrudendus est, vt commissi flagitij vinculum lacrymis possit absoluere.] Et ad Sabinianum Episcopum, Presbyterum, inquit, de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum, aut permanere, aut reuocari posse cognoscas. Circa quem tamen mitiùs agendum est, propter quod commissum facinus facili dicitur professione confessus.] Et ad Ioannem Archiepiscopum, Quæ aduersus Lucillum Melitanæ ciuitatis Episcopum querela commota sit, in gestorum quæ ad nos direxistis pagina declaratum est. Et ideo quia tanti facinoris vltio nulla debet dilatione differri, fraternitas vestra tres aut quatuor de fratribus ac consacerdotibus sibi nostris adhibeat, vt ipsis quoque præsentibus patefacta ac satisfacta veritate, prædictum Lucillum de Episcopatus ordine, quem huius sceleris contagio maculauit, studeat sine ambiguitate deponere.] Quia igitur in regula pastorali S. Gregorius, legis exponens sententiam, monstrat non debere eum accedere ad ministerium Dei, nec offerre Deo suo panes, qui paruo, vel grandi, aut torto est naso, id est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, vel qui subtilitate immoderata rectitudinem suæ actionis confundit, in pœnitentia vel degradatione lapsorum ex gradibus Ecclesiasticis, secundùm traditionem catholicam & Ecclesiæ magistrorum, nobis est tenenda discretio. Ait enim beatus Gregorius, Nonnumquam à reatu adulterij nequaquam discrepat culpa fornicationis, cùm veritas dicat, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quia enim Græco verbo mœchus adulter dicitur, cùm non aliena coniunx, sed mulier videri prohibetur, apertè veritas ostendit quia & solo visu, cùm turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. Quod tamen plerumque ex loco vel ordine concupiscentis discernitur: quia sicut hunc in sacro ordine studiosa concupiscentia, sic illum adulterij inquinat culpa. In personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus, in quibus fornicationis culpa, qua ab adulterij reatu discernitur, prædicatoris lingua testatur, quæ inter cetera asserit dicens, *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Quòd enim disiunctæ reatui sententiæ subdidit, quoniam valdè à se dissideat ostendit.] Et item idem dicit, Scimus quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quàm cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare. Sed cùm minùs turpis superbia creditur, minùs vitatur: luxuriam verò eo ma-

Lib. x. epist. VIII.

Lib. VII. epist. XXI.

Lib. VII. Ind. II. epist. LXII.

Moral. XXI. cap. IX.

Matt. 5. 28.

1. Cor. 6. 9.

gis erubescunt homines, quo simul omnes turpem nouerunt. Vnde fit plerumque, vt nonnulli per superbiam in luxuriam corruentes experto casu malum culpæ labentis erubescant: & tunc etiam maiora corrigant, cùm prostrati in minimis confunduntur. Reos enim se inter minora conspiciunt, qui se liberos inter grauiora crediderunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatos nonnumquam malignus spiritus de culpa ad culpam trahit, & dum plus percutit, inde eum quem ceperat amittit, atque vnde vicisse cernitur, inde superatur. Ad hoc enim in scriptura sacra virorum talium, id est Dauid & Petri, peccata sunt indita, vt cautela minorum sit ruina maiorum. Ad hoc verò vtrorumque illic & pœnitentia insinuatur, & venia, vt spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo Dauid cadente nemo superbiat: de lapsu etiam suo Dauid surgente nemo desperet. Et sanctus Augustinus, Vt enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claues datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, *Quæ solueritis in terra, erunt soluta & in cælo.* Sed ne forsitan etiam detectis criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbè ageret pœnitentiam, seuerissimè placuit, vt post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore suo perstitit: & B. Petrum, quando amarissimè lacrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo superuacua putanda est posterior diligentia, quia vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutiùs muniretur. experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum. Detecti ergo, siue confessione sua, siue conuictione legali ac regulari, de criminibus ad gradus Ecclesiasticos non accedant, & in gradibus Ecclesiasticis non maneant, vel ad Ecclesiasticos gradus non redeant, sicut sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum apertè atque expresè decernunt. Hoc enim nos admonens Apostolus ait, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Et quia, inquit sanctus Augustinus, parum erat non consentire, id est non communicare, si sequeretur negligentia disciplinæ, *Magis*, inquit, *& redarguite.* Quid est, *nolite communicare?* nolite consentire, nolite approbare. Quid est, *magis & redarguite?* reprehendite, corripite, coërcete. Sicut item idem dicit Apostolus, *Peccantes coram omnibus argue, vt ceteri metum habeant.* Sicut arguit Petrus Ananiam & Saphiram, vt ceteri metum haberent: sicut damnauit Simonem, quem

Epist. 50. Matt. 18, 18. Ephes. 5. 11. 1. Tim. 5. 20

tamen ad pœnitentiam inuitauit : ſicut fornicatorem arguit Paulus, quem tradidit Satanæ, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini. Vnde ſapientis verba clauis atque ſtimulis comparantur, dicente Salomone, *Verba ſapientiæ quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi.* quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Sed in ipſa correptione vel coërcitione alienorum peccatorum, ſicut beatus Auguſtinus dicit; cauendum eſt, ne ſe extollat qui alterum corripit, & qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Foris terribiliter perſonet increpatio, intùs benignitatis teneatur dilectio. Neque enim conſentientes ſimus malis, vt approbemus : neque negligentes, vt non arguamus : neque ſuperbientes, vt inſultantes arguamus, ſicut ſatis beatus Gregorius in regula paſtorali nobis oſtendit. Lapſos autem in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectos, iudicio Dei committimus, cuius miſericordiæ, vt Leo dicit, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam, *Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris*, & alibi; *Dic iniquitates tuas prior vt iuſtificeris.* quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. & Apoſtolus; *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Vnde doctores catholici, Eo tunc Dominus ſaluator inuenitur, quo nunc præ timore Domini peccatum noſtrum à nobiſmetipſis redarguitur. Vnde electi quique culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, vt poſſint culparum iudicem placatum inuenire. & verè eum poſtmodum inuenire ſaluatorem credunt, quem diſtrictè modò iudicem metuunt. Nam qui ſibi nunc in culpa parcit, ei poſtmodum in pœna non parcitur. Culpas nunc ſingulorum Deus enumerat, cùm nos ipſos ad ſingula quæ fecimus deflenda exponit. quas miſericorditer relaxat, quia ea dum nos punimus, ipſe nequaquam in extremo examine iudicat. Neque enim piè Dominus ante diligentium oculos flenda peccata opponeret, ſi per ſemetipſum ea diſtrictè ferire voluiſſet. Conſtat enim quia à ſuo iudicio abſcondere voluit, quos miſerando præueniens ſibimetipſis iudices fecit. Hinc enim ſcriptum eſt, *Præueniamus faciem eius in confeſſione.* &, *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur.* Qua diiudicatione maiorem in ſe quiſque ſeueritatem debet exerere, quo ſe recognoſcit grauiùs deliquiſſe, vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſteà fiat, ſicut comminatur Deus peccatori, *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* atque ita conſtituto in corde iudicio; adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, iudex ratio, carnifex timor. Dehinc dolore torquente ſanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. & quo ſollicitiùs ſuam quiſque conſcientiam diſcutiendo examinat, eo latiores ex intimo cordis fonte lacrymarum

Eccleſ.12. 11.

Epiſt.ad Theodoriũ.

1.Cor.11.31

Pſal.49.2.

1.Cor.11.31

Pſal.49.21.

fluuios fundat: & quotidiano baptiſmate, lacrymis ſuæ compunctionis ab omnium vitiorum, non ſolùm criminalium, ſed & quotidianorum ſubripientium contagione purgetur, iuxta eum qui dicit, Pſal.6.7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis ſtratum meum rigabo.* quia vita noſtra indigna non iudicatur, quæ lacrymis lauatur. Vnde quia poſt baptiſmum inquinauimus vitam, & iterum baptiſmi aquis lauari non poſſumus, conſcientiam noſtram lacrymis baptizemus, & renouemur ſpiritu mentis noſtræ de die in diem. Neſcit enim mens per corpus vetereſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Epheſ.4.32. Hinc namque per Paulum dicitur, *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Hinc Pſalmiſta, qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quaſi inchoans dicebat, Prou.8.15. *Dixi nunc cœpi.* quia videlicet ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, neceſſe eſt vt inchoare nos quotidie credamus. A feruore etenim mentis, vel inter ſpiritales inimicos, vel inter carnales quoſque proximos, ipſo aliquo modo viuendi vſu vetereſcimus, & aſſumptæ nouitatis ſpecie fuſcamur. A qua tamen vetuſtate quotidie, ſi ſtudia circumſpectionis inuigilent, orando, legendo, bene viuendo renouamur: quia vita noſtra, dum lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur. quia peccata, ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt: quoniam aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur. ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos iudicant non iudicare. Epiſt.2. Et ſanctus Gregorius, quod & prædeceſſor eius ſanctus Calliſtus ſcripſerat, de lapſis in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectis, interroganti ſe reſpondit, Nos inquiens præcedentes nobis patres ſequimur, qui auctore Deo ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes, vſque in quartum altaris miniſterium, hanc formam ſeruandam cognoſcimus, vt quia minorem maior præcedit, ſicut honore ita & crimine, & quem maior ſequitur culpa, maior importetur vindicta, & poſt pœnitentiam credatur eſſe fructuoſa. Quid enim prodeſt triticum ſeminare, & fructum illius non colligere? Poſt dignam ſatisfactionem credimus poſſe redire ad honorem, Pſal.40.9. propheta dicente, *Numquid qui cadit non adiiciet vt reſurgat, & qui auerſus eſt non reuertetur?* Idem Propheta ait, *In quacumque die conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis.* Vnde & Pſalmiſta ait, Pſal.50.11. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Dum enim petiit ne à Deo proiiceretur prolapſus culpa, alienam rex & propheta ſimul rapuiſſe vxorem tremefactus expauit, propheta indicante flagitium ſuum: & pœnitentiam agens addidit, Ibid.13. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Si enim ſe dignum Deo per pœnitentiam non feciſſet, nequaquam aliis prædicaret. Ait

enim, *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Dum, inquit, peccata sua prospexit propheta mundata per pœnitentiam, non dubitauit prædicando curare aliena, & sacrificium de semetipso offerre Deo studuit cùm dicebat, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & reliqua, quæ deuotus ac studiosus lector suo loco inuenire valebit. Et item alibi, Sed pœnitentiam agere dignè non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelat? aut quid prodest, si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Vnde necesse est, vt qui peccata deplorat, ploranda minimè committat, & qui plangit vitia, perpetrare vitia timeat. Et si quis in fornicationis culpa, vel fortasse, quod est grauius, in adulterio, vel in incestu, vel in eo quod turpe est etiam dicere lapsus est, tanto à se licita debet abscidere, quanto se meminit & inlicita perpetrasse. attendens consilium beati Ioannis Baptistæ dicentis, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Qua sententia vniuscuiusque conuenitur conscientia, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiùs sibi intulit damna per culpam: & singula quæque admissa consideret, & dum per vnumquodque erroris sui inquinationem deflet, simúlque ac totum lacrymis mundet. Vnde bene per prophetam Hieremiam dicitur, cùm Iudæ singula delicta censerentur, *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus.* Diuisam quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim vno eodémque tempore æquè mens de omnibus dolet: sed dum nunc huius, nunc illius culpæ memoria acriùs tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur. Sic nimirum erga lapsos atque detectos, cum catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrina, sacrorum canonum seueritatis censuram sequimur. Sic de lapsis, sed non detectis, & peccata sua perfectè lugentibus, cum Ecclesia catholica de omnipotentissima Domini benignitate sentimus. quia nullum peccatum est, vt dicit Gelasius, pro quo aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi diuinitùs potestate desistentibus ab eodem non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcumque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, soluta erunt & in cælis.* In quibuscumque omnia sunt, quantacumque sint, & qualiacumque sint. Sic Euangelicas sententias inter se non discordare intelligimus, quibus dicitur, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* De quibus malæ operationis fructibus, id est de manifestis peccatis, sicuti sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebrietas, & si quæ sunt alia, nobis iudicare præcipitur. Cùm autem dici-

Luc. 3. 8

Thr. 3. 48

Ioan. 20. 23. Matt. 18. 18.

Matt. 7. 16.

Matt.7.1. I.Cor.4.5.

tur, *Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* &, *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, & inluminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordis*, de illis factis dictum intelligimus, quæ dubium eſt quo animo fiant, vel quæ facta nos latent. Et ſicut Euangelicæ ſententiæ inter ſe non diſcordant, ita nec Apoſtolica ſedes eſt ſibi ipſa diuerſa, ſiue aduerſa, quæ ſecundùm ſacros canones de manifeſtis peccatis confeſſos, ſiue conuictos, à gradu Eccleſiaſtico iubet deponi, & non publicè confeſſos, vel legaliter ac regulariter conuictos, damnari vel degradari nulla ratione permittit.

III.

CAPITVLA ANNO DVODECIMO EPISCOPATVS SVPERADDITA.

HÆC CAPITVLA ANNO XII. EPISCOPATVS noſtri, IV. Idus Iunias, aliis Capitulis, quæ iam conſacerdotibus noſtris dederamus, auctoritatem patrum ſequentes ſuperaddidimus, & fratribus ac conſacerdotibus noſtris obſeruanda tradidimus.

CAP. I. *Quòd preſbyteri curare debeant, vt publici peccatores pœnitentiam accipiant, & Epiſcopo referre quomodo illam agant. De pœna eorum qui ad pœnitentiam venire contemnunt, & preſbyterorum, qui peccatores non indicant. & quòd vltima pœnitentia nulli neganda ſit.*

VT vnuſquiſque ſacerdos maximam prouidentiam habeat, quatenus, ſi fortè in parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſiue periurium, vel quodcumque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim, ſi auctorem facti vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad pœnitentiam veniat coram decano & compreſbyteris ſuis, & quicquid ipſi inde inuenerint vel egerint, hoc comminiſtris noſtris, magiſtris ſuis, qui in ciuitate conſiſtunt, innoteſcat: vt infra quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi intra parochiam noſtram fuerimus, veniat, & iuxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat: & ſi longiùs à parochia noſtra fuerimus, annus & dies Kalendarum ſubtiliter deſcribatur, quando peccatum publicum quiſque admiſit, & quando ad pœnitentiam

coram miniſtris venit, vel quando ad impoſitionem manus noſtræ peruenit. Et ſemper de Kalendis in Kalendis menſium, quando preſbyteri de Decaniis ſimul conueniunt, conlationem de pœnitentibus ſuis habeant, qualiter vnuſquiſque ſuam pœnitentiam faciat, & nobis per comminiſtrum noſtrum renuntietur, vt in actione pœnitentiæ penſare valeamus, quando quiſque pœnitens reconciliari debeat. Et ſi fortè quis ad pœnitentiam venire noluerit infra quindecim dies poſt perpetrationem peccati, & exhortationem preſbyteri in cuius parochia actum fuerit, & ſedulitatem decani ac compreſbyterorum ſuorum, atque inſtantiam comminiſtrorum noſtrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetrauit, & ad pœnitentiam redire contemnit, à cœtu Eccleſiæ, donec ad pœnitentiam redeat, ſegregetur. Et ſciat quiſque preſbyter, quia ſi per alium nobis cognitum fuerit quod in ſua parochia admittatur, & tardiùs ad noſtram notitiam perlatum fuerit, tantos dies à miniſterio ſuſpenſus in pane & aqua excommunicatus morabitur, quantos dies noſtram vel comminiſtrorum noſtrorum notitiam ipſa actio, ſine illius ſuggeſtione, & debita ac iuſſa commonitione, ſupertranſierit: & in cuius negligentia peccator publicus non commonitus poſt tantos dies ſicut præfiximus obierit, ſciat ſe quiſque preſbyter gradum amiſſurum. Hoc tamen omnimodis ab omnibus caueatur, vt nemo pœnitens, & cum deuotione petens, vltima pœnitentia vel vltimo viatico defraudetur: ea conuenientia, vt ſi conualuerit, ſecundùm Eccleſiaſticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus ſibi conceſſerit, in ordine pœnitentium expetat & expectet.

II. *Vt pro loco ſepulturæ nihil exigatur, & locum hereditario iure nemo ſibi arroget, ſed à preſbytero accipiat. & de ſepulcris non violandis.*

Vt pro loco ſepulturæ, ſicut ſacra & canonica ſanxit auctoritas, nemo à quocumque quiddam exenij exigat. Si autem aliquid quiſquam gratis offerre voluerit, poſt ſepultum cari ſui vel caræ ſuæ corpus, hoc ſuſcipi non vetamus. Et nemo Chriſtianorum præſumat, quaſi hereditario iure, de ſepultura contendere: ſed in ſacerdotis prouidentia ſit, vt parochiani ſui, ſecundùm Chriſtianam deuotionem, in locis quibus viderit ſepeliantur. Ipſe tamen ſacerdos, memor ordinis ſui, prouideat & congruam cuique ſepulturam, & ne ſcandalum, quantum vitari poteſt, fiat ſuis parochianis. Et prouideat, ſicut de miniſterio ſuo & coram Deo & coram ſæculo vult gaudere, vt nullius Chriſtiani corpus de ſepulcro ſuo eiiciatur, & nec ſepulcra confringantur, vel caminatæ ſicut ſolent inde fiant. quia ſicut crudele eſt quemquam de domo ſua expellere, & miſericordiæ opus eſt, egenum & vagum iuxta dominicum dictum in domum re-

cipere : ita ſacrilegum eſt, corpus indeuotè ac inreligiosè propter cupiditatem à ſepulcro eiicere, vbi quiſque dominicam vocationem, vt in aduentu iuſti iudicis reſurgat, in pace quieſcens debuerat expectare.

III. *Vt nullus Miſſam celebret in altari non conſecrato, vel ſine tabula ab Epiſcopo conſecrata.*

Vt quia quidam presbyteri, præter Eccleſiam in qua titulati ſunt, etiam Capellas habent, & quidam etiam veteres Eccleſias reſtaurant, aut altaria noua conſtruunt propter loci conuenientiam, vel immutant, nemo presbyterorum in altario ab Epiſcopo non conſecrato ante conſecrationem cantare præſumat. Quapropter, ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia vel altaria conſecrentur, & in Capellis etiam quæ conſecrationem non merentur, tabulam quiſque presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundùm ſuam poſſibilitatem, honeſtè affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum cùm expedierit deferat, in qua ſacra myſteria ſecundùm ritum Eccleſiaſticum agere valeat.

IV.

CAPITVLA IN SYNODO REMIS DATA ANNO DCCCLXXIV.

HÆC CAPITVLA DATA SVNT PRESBYTERIS in Synodo Remi, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXIV. in menſe Iulio.

Cap. I. *Quòd iidem parochiarum presbyteri, & canonici in Monaſteriis ſimul eſſe non poſſint.*

Qvia non ſolùm inlicita, ſed etiam pernicioſa ſibi ac commiſſæ plebi præſumptione, contra ſacros canones, presbyteri noſtræ parochiæ dicuntur Eccleſias ſuas negligere, & præbendam in monaſterio Montis Falconis obtinere, ſed & canonici ipſius Monaſterij Eccleſias ruſticanarum parochiarum occupare, neceſſe nobis eſt, non ſolùm quid inde ſacri canones definiant demonſtrare, ſed & vigorem ac cenſuram eorumdem ſacrorum canonum, ſi ſe non correxerint, in contemptores exerere. Vt igitur de his interim ſileamus, qui certis de cauſis ſecundùm ſacros canones de aliis paro-

parochiis in noſtram parochiam veniunt, & regulariter à nobis ſuſcipiuntur, vel qui vacantes Eccleſiis vacantibus incardinantur, vel cauſa regulis conueniente, ſecundùm eaſdem regulas de Eccleſiis ad alias Eccleſias transferuntur: de canonum tranſgreſſoribus iidem canones ſacri decernunt, vt in illa Eccleſia tantummodò quique miniſtrent, in qua priùs ordinati fuerunt: ſi verò iam quis tranſlatus eſt ex alia in aliam Eccleſiam, prioris Eccleſiæ rebus in nullo communicent. eos verò qui auſi fuerint, poſt diffinitionem magnæ & vniuerſalis huius Synodi, quicquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decreuit ſancta Synodus à proprio huiuſmodi gradu recedere.] Et ſanctus Leo Papa ſedis Romanæ hinc ad Aquileienſem Archiepiſcopum ſcripſit dicens, Illam partem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim à ſanctis patribus & à nobis ſæpè decretum eſt, vt nec in preſbyteratus gradu, nec in diaconatus ordine, nec in ſubſequenti ordine clericorum, ab Eccleſia ad Eccleſiam cuiquam tranſire ſit liberum, vt in integrum reuoces admonemus. vt vnuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum deprauatus, vbi ordinatus eſt perſeueret. Ita vt ſi quis ſua quærens, non quæ Ieſu Chriſti, ad plebem ſuam & Eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris priuilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus.] Quæ verba beati Leonis ſi quis intelligere attentè curauerit, & omnem prauam occaſionem excluſam, & omnem vtilitatis ac neceſſitatis rationem conceſſam inueniet. Ait enim, vt vnuſquiſque, non ambitione inlectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum deprauatus, vbi ordinatus eſt perſeueret. Si enim quis non fuerit ambitione inlectus, de minori ad maiorem Eccleſiam non quæret aſcendere: ſi non fuerit cupiditate ſeductus, non quæret quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, ac per hoc non plebem ſuam deſerere, & ad monaſterij quaſi tuitionem confugere, vel canonicus ordinatus in monaſterio, obſequia monaſterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate ob emolumentum decimæ ruſticanarum parochiarum Eccleſias ſtudebit inuadere, non curans ſi infantes ſine baptiſmate mortui caſu fuerint, vel ſine communione & reconciliatione infirmi obierint. Conſtat enim & certum eſt, quia & clauſtra monaſterij atque obſequia debita, & quæ ſunt neceſſaria plebi in ruſticanis parochiis, inſimul exequi nemo valebit. Quomodo enim, ſi intempeſtæ noctis ſilentio, aut infans natus periclitatur, aut infirmus viaticum munus petierit, canonicus à clauſtris monaſterij exiet, & ad villam infirmorum neceſſitatibus pergens ſuccurrere præualebit? Quod videns ſanctus Gregorius, tractans coram populo Ezechielem prophetam dicit, *Thronus eius*, quin Domini, *flamma ignis, rotæ eius ignis accenſus.* Hi, inquit, qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minimè permittuntur: ſed quia vno in loco poſiti, diuinitatis in ſe præſentiam

Epiſt. 89. ad Nicetam.

Dan. 7. 9. Hom. 7. in Ezechiel.

portantes ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Quapropter non nobis est negligendum, sed studiosiùs exequendum, quod isti sancti Dei ex hac causa obnixiùs tenendum decreuerunt. Vnde sanctus Leo, ea quæ præmisimus ad Aquileiensem Archiepiscopum scribens, mox subdidit, Non inquiens dubitet dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commouendos. quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides negligentésque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere disciplinam. Si ergo quisquam presbyter parochiæ nostræ, aut infirmitate corporis, aut latente animæ peccato, senserit se non posse proficere plebi sibi commissæ, vel non debere præesse, & voluerit monasterij portum ad agendam pœnitentiam secundùm decreta beati Leonis expetere, professionis suæ libello, ab ordine & titulo atque regimine plebis, secundùm Gregorij decreta se exuat, vt in monasterium intret. Sin autem, Ecclesiam suam & plebem sibi commissam secundùm sacras regulas teneat & gubernet. Si verò contra prædicta canonum interdicta quisque presbyter in parochia nostra præsumpserit, modis omnibus se ab ordine abiiciendum cognoscat.

Leo Decr. c. 14.

II. *Quòd pro loco matriculæ nihil à quoquam requiri vel accipi debeat.*

SÆPE vos admonui de matriculariis, quales suscipere debeatis, & qualiter eis partem decimæ dispensare debeatis: sed admonitionem nostram, immo Dei per nostram exiguitatem, quosdam parui pendere comperi. Vnde necesse mihi est iterare, quod quosdam cognosco negligere. Interdixi enim vobis Dei auctoritate, vt nemo presbyter pro loco matriculæ quodcumque xenium, vel seruitium in messe, vel in quocumque suo seruitio, præsumat requirere vel accipere: & matriculariis debitam partem decimæ, quam fideles pro peccatis suis redimendis Domino offerunt, nemo præsumat vendere. Quod & nunc iterum interdico, ostendens vobis diuinam auctoritatem. Vt enim plurima de sanctis scripturis prætermittam, & pauca vobis sed notissima in medium deuocem, sanctus Spiritus per beatum Dauid quod cantatis cantauit, *Deus meus misericordia tua.* & decima à fidelibus data, misericordia est, & misericordiæ quæ Deus est datur. quæ misericordia dicet in iudicio misericordibus, *Quamdiu fecistis vni ex minimis istis, mihi fecistis.* Eleemosyna enim Græcè, misericordia dicitur Latinè: & qui eleemosynam vendit, Deum, id est misericordiam nostram vendit: & similis est Iudæ, de quo in Euangelio scriptum est, quia loculos habebat Iudas. Ea quæ mittebantur, id est, quæ fideles Domino dabant, vnde ipse & sui discipuli secundùm carnem subsisterent, &

Psal. 18. 18.

Matt. 25. 40

Ioan. 12. 6. & 12. 29.

eleemosynas Dominus faciebat, Iudas portabat, id est asportabat & furabatur. Et presbyter, qui de redemptione peccatorum, id est de decima fidelium, quodcumque exenium requirit aut accipit, non est dignus inter presbyteros nuncupari, sed deiici: sicut Iudas nuncupabatur inter Apostolos, sed de Apostolorum numero deiectus, & in consortium diaboli est in æternum abiectus. Et sciatis, quia quicumque peresbyter ex hoc Iudæ latrocinio fuerit reuictus, non solùm à presbyterali ordine deiicietur, sed nec etiam partem de illa decima, quam matricularij accipiunt, accipere promerebitur: sed partem cum illo habebit, cuius fieri consors maluerit. In se, inquit sanctus Hilarus Papa, quicquid in alium quis non resecarit, inueniet, & sanctus Gregorius, Qui non corrigit resecanda, committit.

III. *De indebito accessu ad feminas, & à ministerio deiiciendis iis qui se non correxerint.*

IAM vobis Capitulum ex sanctis scripturis & catholicorum dictis donaui de inconuenienti accessu, & indebita familiaritate ad feminas. Sed video quosdam vestrûm illud parui pendere. Vnde iterum illud in conuentu vestro volo recitari, cum sententia Zosimi Papæ dicentis, Sciat quisquis hoc postposita patrum & Apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quicquid interdictum totiens vsurpatur. Et sciatis pro certo, quia non in quocumque requiram de viso concubitu vestro cum feminis, sed de interdicto canonico in accessu ad feminas. quia vt Hilarus Papa dicit, Non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur. Et cui vestrûm ampliùs placuerit indebita feminarum familiaritas, quàm sacri ministerij puritas, habeat quod elegerit: quia insimul & sacri ministerij puritatem, & immundi contubernij habere non poterit impuritatem. Deiicietur ergo à sacro ministerio, cui non poterit prodesse correptio. sicut sanctus Leo Papa ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum decreuit dicens, Debet diligentia tua vigilanter insistere, ita vt his, quibus prodesse non poterit correptio, non parcat abscisio. Oportet enim nos Euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius est his in Ecclesia carere membris, quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Abiicienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit: sicut Heli quondam sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni

In Decret. c. 2.

Epist. ad Veranum Leont. & Victur.

Epist. 82. Diligentia.

indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Cùm, inquit Ambrosius, vni sacerdos indulget indigno, plurimos facit prolapsionis contagium prouocari. facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Et sanctus Gregorius, Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur, & melius est, vt pro multorum saluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cùm inter iumenta hæc fieri persæpè cognouimus, vt ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cetera damnentur, vel pereant. Satius est enim, vt manifestè corrigantur, quàm pro illis bonis pereant, sicut verus agricola noster Christus Dominus in Euangelio monstrat dicens, *Omnem palmitem non ferentem fructum*, scilicet bonæ operationis, *tollam eum*. Et hoc est quod à Domino per Moysem in Leuitico figuratè præcipitur, vt lapis in domo leprosus à sacerdote inspiciatur, & si purificari nequiuerit, iam inter immundos computetur, ac de ordine mundorum lapidum, id est Ecclesiasticorum consortio eruatur, atque alius qui dignus est loco eius substituatur. Videlicet abiecto de cælesti, id est Ecclesiastico ædificio, tanquam mortuo lapide, quolibet noxio, qui noluit seruare quod dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* iuxta Petrum Apostolum, tanquam lapis viuus, in domo spiritali, in ædificio scilicet sanctæ Ecclesiæ Hierusalem cælestis, quæ constat ex Angelis & hominibus, & ædificatur vt ciuitas, vtilis superædificetur.

Ioan. 15. 2. Leuit. 14. Apoc. 3. 11.

IV. *De iis qui de facultatibus Ecclesiasticis alodes comparant, & illos Ecclesiæ non derelinquunt.*

QVOSDAM vestrûm Ecclesias vestras negligere, & alodes audio comparare, & in eis mansos exstruere atque excolere, ac in eisdem mansis feminarum habitationem habere, eósque mansos non Ecclesiis secundùm sacros canones derelinquere, sed contra sacros canones vel propinquis vestris, vel aliis quibuscumque distrahere. Vnde sciatis, quoniam à quocumque hoc fieri comperero, secundùm canonicam seueritatem iudicare curabo. Nullum enim alodem Episcopus, vel presbyter, meliùs vel firmiùs potest habere, quàm qui est Ecclesiæ attributus, si secundùm suum ordinem viuere voluerit. Si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alodem, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus adquisiuit, habere valebit. Quam fraudem de facultatibus Ecclesiarum contra sacros canones, & sanctarum seriem scripturarum, prædicationémque maiorum, ex magna parte possent retundere comministri nostri, si secundùm Capitulum ex sacris regulis à nobis collectum, & illis ac vobis datum, studerent requirere quid de decimis singuli agant pre-

ſbyteri. & quoniam nihil ab eis in parochiæ circuitione exigo, quæ per ſingulos annos pareant in Eccleſiis, de his quæ à nobis ſunt Eccleſiis conſtituta, & qualiter quique preſbyteri hoſpitales exiſtant ſecundùm præceptionem beati Petri Apoſtoli iubentis, *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione, vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes.* & ſanctus Paulus dicit, *Caritas fraternitatis maneat apud vos, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.* Et Iacobus Apoſtolus dicit, *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.*

1.Pet.4.9. Heb.13.1. Iac.1.17.

V. *Quòd pro Eccleſiis viduatis præmia patronis dari non debeant.*

SÆPE vos admonui de exeniis ſuperfluis contra ſacras regulas pro Eccleſiis viduatis non dandis. Sed ſicut audiui, vos non inde caſtigatis, ſed vos ipſos, & veſtros nutritos, in maledictionem Simoniacæ hæreſeos traditis. quam hæreſim ſanctus Petrus princeps Apoſtolorum primam damnauit dicens ad Simonem, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Si enim hominis ſenſum haberetis qui hoc facitis, (non enim de omnibus dico) potuiſſetis adtendere, quia ſi vos bene viueretis, & veſtros nutritos in bona vita & in bona conſcientia nutriretis, non vobis eſſet neceſſe, & veſtra perdere, & vos ipſos in damnationem mittere. Ipſi enim ſcitis, quia nemo fidelis in parochia noſtra in ſua Eccleſia ſine preſbytero eſſe cupit, & ſine ordinatione Epiſcopali preſbyterum ibi habere non poteſt. Quapropter quiſque defuncto preſbytero in ſua Eccleſia preſbyterum petit. apud quem cùm clericum bonum quæſiero, vt illi preſbyterum ordinem, ipſe clericum bonum quæret: & ſi eum bonum mihi adduxerit, ordinabo illum. ſin autem, alium requiram: & ipſe tamdiu clericum bonum quæret, vſque dum conuenientem ordini ſacro inueniat. Et non neceſſe eſſet vobis petere Eccleſias cum ſuperfluo exenio: quia quique fideles, ſi veſtra culpa non eſſet, plus quærerent bonos clericos, quàm veſtros denarios. & hoc non ſuffertis: ſed vos & veſtros nutritos in maledictionem mittitis, cùm dato patronis præmio vobis & illis peccatum emitis.

Act.8.20.

V.

CAPITVLA ARCHIDIACONIBVS PRESBYTERIS DATA.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCLXXVII. V. Idus Iulias, Hincmarus Archiepiſcopus dedit comminiſtris ſuis hæc Capitula, quæ ſequuntur, Guntario & Odelhardo Archidiaconibus preſbyteris.

BEATVS PETRVS Apoſtolus, cuius vice in Eccleſia funguntur Epiſcopi, & ſub eorum diſpoſitione ipſorum comminiſtri, in epiſtola ſua commonet illos dicens, *Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ communicator, paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, prouidentes non coactò, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in clero, ſed forma facti gregis, & ex animo.* Cuius verbum atque exemplum ſecutus ſanctus Leo Papa, eum, cui ſuas vices commiſit in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, ab indebito appetitu præſumptionis per diſtincta capitula coërcuit fræno diſcretionis. Iuxta quorum doctrinam, vos in exordio commiſſi miniſterij paucis capitulis patenter ac diligenter commoneo. à quibus vos, quantum patitur humana fragilitas, non deuiare ſub teſtificatione Chriſti præcipio.

1. Pet. 5.

Leo ep. 88. Anaſtaſio Theſſalon.

CAP. I. *Vt non grauent preſbyteros quando parochias circumeunt.*

1. Cor. 11. 1.

EGREGIVS doctor gentium diſcipulis ſuis dicit, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Et vos, quando ruſticanas parochias vobis commiſſas, vel mecum, vel per vos circuitis, ſicut & ego, non graues ſitis preſbyteris in paratis quærendis: neque ducatis ſuperfluè vobiſcum homines, vel veſtros proprios, vel propinquos veſtros, per quos illos grauetis in cibo & potu, & fodro ad caballos. Et prouidete, ne homines veſtri, qui vobiſcum ibunt, illos dehonorent, vel hominibus illorum graues ſint. Nec diu in manſionibus ipſorum preſbyterorum immoremini. & ſi neceſſitas euenerit, vt in aliquo loco immorari debeatis, ſic diſponite victualia veſtra per circummanentes preſbyteros, vt nemini graues ſitis, & non otioſi & infructuoſi ſtipendia Eccleſiaſtica inſumatis, ſicut nec ego grauis ſum preſbyteris, per quos parochias circumeo.

II. *Vt parochias non occaſione victus, ſed inſtructionis cauſa circumeant.*

VT non occaſione victus parochias circumeatis, quatenus de aliorum ſtipendiis viuentes veſtra ſtipendia conſeruetis : ſed verbo & exemplo, non ſolùm presbyteros, ſed & laicos, de veſtra bona conuerſatione & inquiſitione ſecundùm miniſterium vobis commiſſum inſtruatis.

III. *Ne munera à preſbyteris accipiant, vt eorum vitia diſsimulent.*

VT à presbyteris exenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur : ſed omnibus verbo & exemplo notum facite, quia plus valet apud vos Dei & proximi dilectio, quàm terrenum lucrum adquirendi occaſio : plus benignitas quàm ſeueritas, plus commonitio quàm commotio, plus caritas quàm poteſtas. Erga bonos & bene agentes eſtote æquales vt fratres: erga prauos eſtote vitiorum correctores, & fratrum amatores. Similiter & erga alios in veſtris miniſteriis delinquentes.

IV. *Ne à preſbyteris quicquam petant quod ſecum auferant dum redeunt.*

QVANDO parochias circuitis, nolite graues eſſe presbyteris, petentes friſkingas, vel piſces, aut formaticos, aut annonam, aut alias quaſlibet res, vt habeatis quando ad ciuitatem reuerſi fueritis, vnde quaſi fratribus refectionem faciatis, vt ſaluis ſtipendiis veſtris habeatis vnde vos & veſtros conducatis.

V. *Ne denarios à preſbyteris vel eulogias exigant, ſed ſponte oblata tantùm accipiant.*

NOLITE quaſi pro aliquo adiutorio ad quamcumque rem denarios apud presbyteros poſtuletis : neque quando ad Synodum, vel pro inquiſitione miniſterij ſui, ſeu pro chriſma accipiendo venerint, eulogias exigatis, ſed ſi cui fortè commodum fuerit pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.

VI. *Ne paſcendis ſuis vel amicorum caballis preſbyteros grauent.*

NOLITE quaſi per precationem caballos veſtros, vel amicorum veſtrorum, ad paſtum presbyteris commendare præſumatis, neque

annonam, vel fodrum ab eis exigatis. Ideo enim vobis de facultatibus Ecclesiasticis, iuxta quod Apostolus de lege dicit, *Non obturabis os boui trituranti*, solatium præbeo, vt presbyteros non grauetis.

1.Tim.5.8.

VII. *Vt parochias rusticanas confundere vel diuidere non præsumant, & vt Ecclesias omnes, Capellásque illis subiectas describant.*

EXPRESSE vobis in nomine Christi præcipio, vt rusticanas parochias pro alicuius amicitia vel petitione, aut pro aliquo præmio, non præsumatis confundere, nec diuidere: neque Ecclesias illas, quæ ex antiquo presbyteros habere solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis quasi loco Capellarum non subiiciatis: neque Capellas de illis Ecclesiis, quibus antiquitùs subiectæ fuerunt, ad alias Ecclesias subiicere præsumatis. Et per omne ministerium vestrum, vnusquisque vestrûm describat omnes Ecclesias & titulos, quæ antiquitùs presbyteros habuerunt, & Capellas antiquitùs illis subiectas, & mihi scripto renuntiate.

VIII. *Vt nulli Capellam domi habere, aut Missam in domo celebrari sine Episcopi licentia concedant: & vt Capellas eiusmodi omnes describant.*

NEMO vestrûm Capellam alicui in domo sua habere concedat sine mea licentia, neque in domo sua Missas celebrari concedat sine mea licentia. & vnusquisque vestrûm describat per suum ministerium, quicumque Capellam extra Ecclesiam principalem habet à tempore Ebonis vsque ad tempus meum, & à tempore meo, vel mea vel alterius licentia factam, & in cuiuscumque presbyteri parochia quæcumque vel cuiuscumque Capella sit facta.

IX. *Ne pœnitentes pro munere aliquo ad reconciliationem adducantur, vel post eam negligantur.*

SOLLICITE prouidete, ne vos, vel presbyteri, negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel post reconciliationem eos negligatis, quod Simoniacum est.

X. *De relapsis post publicam pœnitentiam.*

SOLLICITE prouidete, vt si aliqui post reconciliationem publicam in publicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, vt sciatis qualiter inde & vos & presbyteri agere debeatis.

XI. *Ne ad ordinationem pro aliquo munere adducantur non idonei.*

SOLLICITE prouidete de vita & scientia clericorum, quos ad ordi-

ordinationem adducetis: ne pro aliquo munere tales ad ordinandum introducatis, qui introduci non debent, quoniam Simoniacum est.

XII. *Vt videant quomodo Capitula sibi data obseruent presbyteri.*

SOLLICITE prouidete, secundùm capitula presbyteris à nobis data, de portione Ecclesiæ, quid inde in Ecclesiis pareat: sed & de matriculariis, & de aliis capitulis presbyteris à nobis datis, qualiter illa teneant & conseruent.

XIII. *Quomodò eligendus sit Decanus in locum defuncti vel inutilis.*

SI Decanus in ministerio vestro aut negligens, aut inutilis & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsideratè Decanum eligite. Et si ego in longinquo sum, Decanum illum qui electus est interim constituite, donec ad meam notitiam electio illa referatur, & mea constitutione aut confirmetur, aut immutetur.

CORONATIONES REGIÆ.

I.

Caroli Calui, quando in regno Lotharij coronatus est.

ORDO QVALITER KAROLVS REX fuit coronatus in Mettis ciuitate, anno DCCCLXIX. in mense Septembris V. Idus Septembres, quæ euenit die Veneris, cum istis Episcopis. videlicet Hincmaro Archiepiscopo, Aduentio, Hattone, Arnulfo, Francone, Hincmaro, & Odone. quando quondam rex Hlotharius, filius Hlotharij Imperatoris, fuit mortuus in Placentia ciuitate.

Adnuntiatio Aduentij Episcopi ante initium Missæ, in Ecclesia S. Stephani coram rege, & Episcopis, & aliis quamplurimis.

CAPVT PRIMVM.

VOs scitis, & multis in plurimis regnis est cognitum, quantos & quales euentus tempore senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinuimus, & quanto dolore, quantáque angustia de illius infausta morte nuper cordibus perculsi sumus. Vnde vnicum refugium & singulariter salubre consilium, rege & principe nostro destituti ac desolati, no-

bis omnibus esse considerauimus, vt ieiuniis & orationibus ad eum nos conuerteremus qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione, & cuius est consilium, ac cuius est regnum, & vt scriptum est cui voluerit dabit illud, & in manu cuius corda sunt regum; & facit vnanimes habitare in domo, soluens medium parietem & faciens vtraque vnum. deprecantes illius misericordiam, vt daret nobis regem ac principem secundùm cor suum, qui in iudicio & iustitia nos in omni ordine ac professione regeret, saluaret, atque defenderet iuxta voluntatem eius, & corda omnium nostrûm vnanimiter in eum inclinaret atque vniret, quem ipse ad salutem & profectum nostrum præscitum & electum atque prædestinatum habebat secundùm misericordiam suam.

II. QVIA denique voluntatem Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordi vnanimitate nostra videmus hunc regni huius heredem esse legitimum, cui nos sponte commisimus, domnum videlicet præsentem regem ac principem nostrum Karolum, vt nobis præsit & prosit, videtur nobis, si vobis placet, vt sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstremus, quia illum à Deo electum & nobis datum principem credimus, & eidem largitori Deo ex suis beneficiis non simus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes, oremus quatenus & eum nobis ad salutem & defensionem sanctæ suæ Ecclesiæ, & ad auxilium atque profectum omnium nostrûm, cum salute ac pace, & tranquillitate nobis conseruet diutiùs, & nos fideli deuotione illi obsequentes, atque optata saluatione fruentes, sub illius administratione in suo gubernet seruitio.

III. ET si illi placet, dignum ipsi & necessarium nobis esse videtur, vt ex eius ore audiamus quod à Christianissimo rege, fideli & vnanimi in seruitio illius populo, vnicuique in ordine suo conuenit audire, ac deuota mente suscipere.

Post hæc Rex Karolus hæc quæ sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis audientibus denuntiauit.

QVIA sicut isti venerabiles Episcopi vnius ex ipsis voce dixerunt, & certis indiciis ex vestra vnanimitate monstrauerunt, & vos adclamastis, me Dei electione ad vestram saluationem & profectum atque regimen & gubernationem huc aduenisse: sciatis me honorem & cultum Dei atque sanctarum Ecclesiarum Domino adiuuante conseruare, & vnumquemque vestrûm secundùm sui ordinis dignitatem & personam iuxta meum scire & posse honorare & saluare, & honoratum ac saluatum tenere velle, & vnicuique in suo ordine secundùm sibi competentes leges tam Ecclesiasticas quàm mundanas, legem & iustitiam conseruare, in hoc vt honor regius & potestas ac debita obedientia, atque adiutorium ad regnum mihi à Deo

datum continendum & defensandum ab vnoquoque vestrûm secundùm suum ordinem & dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iustè, & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt.

ADNVNTIATIO HINCMARI ARCHIEPISCOPI IN ECCLESIA SANCTI STEPHANI.

CAP. I. NE alicui fortè videatur incongruè ac præsumptiosè me ac prouinciæ nostræ venerabiles Coepiscopos facere, quoniam de altera prouincia ordinationi & causis huius prouinciæ nos immiscemus sciat nos contra canones sacros non agere, quoniam Remensis & Treuirensis Ecclesiæ in hac regione Belgica, cum sibi commissis Ecclesiis, sorores & comprouinciales habentur, sicut auctoritas Ecclesiastica & antiquissima demonstrat consuetudo: ac per hoc vnanimi consensu & synodalia iudicia exercere, & quæ à sanctis patribus constituta sunt, debent concorditer custodire, hac priuilegij conditione seruata, vt qui prior de Remensi & Treuerensi Episcopis fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.

II. ET lex diuinitùs inspirata præcipit dicens, Si transieris per messem amici tui colligens spicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas, vel falce non metas. Messis est populus, vt Dominus monstrat in Euangelio dicens, Messis quidem est multa, operarij autem pauci. rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, vt vobis dignè possimus loqui. Messis autem amici est populus in prouincia alteri Metropolitano commissa. Vnde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem, & vestram salutem in corpus vnitatis Ecclesiæ valemus & debemus traicere: in parochianos autem prouinciarum aliis Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus, quia nec est vnde, nec nostrum esse consideramus. [Deut. 23. 25] [Matt. 9. 37.]

III. EST & alia causa, quia isti venerabiles domni & confratres nostri prouinciæ istius Episcopi, non habentes Metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus causis nostris, nos fraterna caritate iubent & commonent agere. Est ita, domni fratres? Et responderunt ipsi Episcopi, Ita est.

IV. PRÆTER ea, quæ domnus Episcopus & frater noster Aduentius vobis ex sua & ceterorum suorum ac nostrorum fratrum & venerabilium Episcoporum voce dixit, in hoc etiam aduertere potestis, voluntatem Dei esse, vt præsens domnus & rex noster, qui in parte regni, quam hactenus tenet & tenuit, & nobis ac Ecclesiis nostris, & populo sibi commisso vtiliter præest ac præfuit, & salubriter prodest & profuit, inde ad hunc locum Domino ducente per-

uenerit. Quò etiam vos eius inspiratione confluxistis, & ipsi vos sponte commendastis, cuius instinctu animantia omnia in arcam Noë significantem Ecclesiæ vnitatem nullo cogente conuenerunt. quia sanctæ memoriæ pater suus, domnus Hludouuicus pius Imperator Augustus, ex progenie Hludouuici regis Francorum inclyti, per beati Remigij Francorum Apostoli catholicam prædicationem cum integra gente conuersi, & cum tribus Francorum milibus, exceptis paruulis & mulieribus, vigilia sancti Paschæ in Remensi Metropoli baptizati, & cælitus sumpto chrismate, vnde adhuc habemus, peruncti & in regem sacrati, exortus per beatum Arnulfum, cuius carne idem Hludouuicus pius Augustus originem duxit carnis, & à Stephano Papa Romano ante sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ altare, Remi in Imperatorem est coronatus, & demum factione quorumdam terreno imperio destitutus, in prædictam regni partem, vnanimitate Episcoporum & fidelis populi, ante sepulcrum sancti Dionysij eximij martyris Ecclesiæ sanctæ est redditus, & in hac domo, ante altare protomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum resonat coronatus, per Domini sacerdotes acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona regni est imperio restitutus. Et quia, vt in sacris historiis legimus, reges, quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, si vestræ vnanimitati placet, vt in obtentu regni, vnde vos ad illum sponte conuenistis, & vos ei commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc coronetur, & sacra vnctione Domino consecretur. Quòd si vobis placet propriis vocibus consonate. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus, Agamus ergo vnanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.

BENEDICTIONES SVPER REGEM KAROLVM ANTE MISSAM, ET ALTARE S. STEPHANI.

ADVENTIVS Episcopus Metensis. DEVS qui populis tuis indulgentia consulis & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ, cui dedisti regimen disciplinæ: vt tibi toto corde deuotus, & in regni regimine maneat semper idoneus, & in bonis operibus perseuerans, ad æternum regnum te duce valeat peruenire. Per Dominum &c.

HATTO Virdunensis. Gratiæ tuæ quæsumus, Domine, huic famulo tuo tribue largitatem: vt mandata tua te operante sectando, consolationem præsentis vitæ percipiat & futuræ. Per Dominum.

ARNVLFVS Tullensis. Nostris quæsumus, Domine, in regimine istius famuli tui propitiare temporibus, vt tuo munere dirigatur, & nostra securitas & deuotio Christiana. Per Dominum.

FRANCO Tungrensis. Da quæsumus, Domine, huic famulo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tua semper mereatur virtute defendi. Per Dominum.

HINCMARVS Laudunensis. Benedictionem tuam, Domine, hic famulus tuus accipiat, qua corpore saluatus ac mente, & gratam tibi semper exhibeat seruitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inueniat. Per Dominum.

ODO Bellouacensis. Conserua quæsumus, Domine, hunc famulum tuum, & benedictionum tuarum propitius vbertate purifica; vt eruditionibus tuis semper multiplicetur & donis. Per Dominum.

BENEDICTIO HINCMARI ARCHIEPISCOPI.

EXTENDAT omnipotens Dominus dexteram suæ benedictionis, & effundat super te donum suæ propitiationis, & circumdet te felici muro custodiæ suæ protectionis, sanctæ Mariæ, & omnium sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti, & tribuat tibi gratiam & misericordiam, quam humiliter ab eo deposcis: liberétque te ab aduersitatibus cunctis, & ab omnibus visibilium & inuisibilium inimicorum insidiis. Amen. Angelos suos bonos semper & vbique, qui te præcedant, comitentur, & subsequantur, ad custodiam tui ponat: & à peccato seu gladio, & ab omnium periculorum discrimine, te sua potentia liberet. Amen. Inimicos tuos ad pacis caritatísque benignitatem conuertat, & apud odientes te gratiosum & amabilem faciat, pertinaces quoque in tui insectatione & odio confusione salutari induat; super te autem sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

Ad ista verba, Coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus Archiepiscopus de chrismate ad dextram auriculam, & in fronte vsque ad sinistram auriculam, & in capite.*

CORONET te Dominus corona gloriæ in misericordia & miserationibus suis, & vngat te in regni regimine oleo gratiæ Spiritus sancti sui, vnde vnxit sacerdotes, reges, prophetas, & martyres, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones: eisdémque promissionibus gratia Dei dignus efficiaris, quatenus eorum consortio in cælesti regno perfrui merearis. Amen. Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque inuisibilibus hostibus semper efficiat: & sancti nominis sui timorem pariter & amorem continuè cordi tuo infundat, & in fide recta ac bonis operibus perseuerabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. Amen. Et qui te voluit super populum suum constituere re-

gem, & in præſenti ſæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen. Clerum ac populum, quem ſua voluit opitulatione tuæ ſubdere ditioni, ſua diſpenſatione, & tua adminiſtratione, per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare. quo diuinis monitis parentes, aduerſitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo miniſterio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſæculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum ciuium conſortio potiri mereantur. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.

Ad iſta verba, Coronet te Dominus, *miſerunt illi Epiſcopi coronam in capite.*

Coronet te Dominus corona gloriæ atque iuſtitiæ, vt cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam peruenias regni perpetui, ipſo largiente, cuius eſt regnum, & imperium in ſæcula ſæculorum.

Ad iſta verba, Det tibi Dominus velle, *dederunt illi palmam & ſceptrum.*

Det tibi Dominus velle & poſſe quæ præcipit, vt in regni regimine ſecundùm voluntatem ſuam proficiens, cum palma perſeuerantis victoriæ ad palmam peruenias gloriæ ſempiternæ. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit.

ORATIONES IN MISSA.

Da nobis, omnipotens Deus, vt beati Gorgonij martyris tui veneranda ſolemnitas & deuotionem nobis augeat & ſalutem. Per Dominum.

Oratio pro Rege. Quæſumus, omnipotens, vt famulus tuus, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, à te virtutum etiam percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra vitare, & ad te qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat peruenire. Qui viuis & regnas cum Deo.

Svper oblata. Reſpice, Domine, munera populi tui ſanctorum feſtiuitate votiua, vt tuæ teſtificatio veritatis nobis proficiat ad ſalutem. Per Dominum.

Munera quæſumus, Domine, oblata ſanctifica: vt nobis vnigeniti tui corpus & ſanguis fiant, & Karolo regi noſtro ad obtinendam animæ corporíſque ſalutem, te largiente vſquequaque proficiant. Per eumdem.

Postcommvnio. Sacramentorum tuorum, Domine, communio ſumpta nos ſaluet, & in tuæ veritatis luce confirmet. Per Dominum.

Hæc, Domine, communio ſalutaris famulum tuum ab omnibus tueatur aduerſis: quatenus & Eccleſiaſticæ pacis obtineat tranquillitatem, & poſt iſtius temporis decurſum ad æternam perueniat hereditatem. Per Dominum.

II.

LVDOVICI II. QVANDO REX FRANCORVM CONSECRATVS EST.

ORDO QVALITER HLVDOVVICVS REX anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII. VI. *Idus Decembris, ab Hincmaro Archiepiſcopo fuit coronatus in Compendio palatio. quando & hæc, quæ ſequuntur, ab Epiſcopis petita ſunt apud regem, & ab eo promiſſa Epiſcopis.*

PETITIO EPISCOPORVM.

A vobis perdonari nobis petimus, vt vnicuique de nobis & Eccleſiis nobis commiſſis, ſecundùm primum Capitulum, quod nouiſſimè in Cariſiaco domnus Carolus Imperator pater veſter, à ſe & à vobis ſeruaturum, conſentientibus fidelibus illius ac veſtris, atque Apoſtolicæ ſedis Legatis, legente Gauzleno denuntiauit, canonicum priuilegium & debitam legem atque iuſtitiam conſeruetis, & defenſionem exhibeatis, ſicut Rex in ſuo regno vnicuique Epiſcopo & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

PROMISSIO REGIS.

PROMITTO vobis & perdono, quia vnicuique de vobis & Eccleſiis vobis commiſſis, ſecundùm primum Capitulum quod nouiſſimè in Cariſiaco domnus Imperator pater meus, à ſe & à me ſeruaturum, conſentientibus fidelibus illius ac noſtris, atque Apoſtolicæ ſedis Legatis, legente Gauzleno denuntiauit, canonicum priuilegium & debitam legem atque iuſtitiam conſeruabo, & defenſionem quantum potuero, adiuuante Domino exhibebo, ſicut rex in ſuo regno vnicuique Epiſcopo & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.

BENEDICTIONES SVPER HLVDOVVICVM REGEM FACTÆ.

Devs qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ: vt tibi toto corde deuotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuóque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate deuotio Christiana permaneat. Per Dominum.

SACRI OLEI INFVSIO.

Omnipotens sempiterne Deus, creator & gubernator cæli & terræ, conditor & dispositor Angelorum & hominum, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti: humilem quoque Dauid puerum tuum regni fastigio sublimasti, eúmque de ore leonis, & de manu bestiæ, atque Goliæ, sed & de gladio maligno Saul & omnium inimicorum eius liberasti, & Salomonem sapientiæ pacísque ineffabili munere ditasti: respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & hunc famulum tuum virtutibus, quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, & in regni regimine sublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus sancti tui perunge, vnde vnxisti sacerdotes, reges, prophetas, & martyres, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones. Cuius sacratissima vnctio super caput eius defluat, atque ad interiora eius descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi reges, gratia tua dignus efficiatur. quatenus & in præsenti sæculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cælesti regno perueniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, & virtute crucis potestates aërias debellauit, tartara destruxit, regnúmque diaboli superauit, & ad cælos victor ascendit. In cuius manu victoria, omnis gloria & potestas consistunt, & tecum viuit & regnat Deus, in vnitate eiusdem Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IMPOSITIO CORONÆ.

Coronet te Dominus corona gloriæ, atque iustitiæ honore, & opere fortitudinis, vt per officium nostræ benedictionis, cum fide recta, & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam peruenias regni perpetui, ipso largiente, cuius regnum & imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SCE-

SCEPTRI TRADITIO.

ACCIPE ſceptrum, regiæ poteſtatis inſigne, virgam ſcilicet rectam regni, virgam virtutis: qua te ipſum bene regas, ſanctam Eccleſiam, populum videlicet Chriſtianum tibi à Deo commiſſum, regia virtute ab improbis defendas, prauos corrigas, rectos vt viam rectam tenere poſſint tuo iuuamine dirigas: quatenus de temporali regno ad æternum regnum peruenias, ipſo adiuuante, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

BENEDICTIONES.

DOMINVS Deus omnipotens, qui dixit ad Moyſem ſeruum ſuum, Loquere ad Aaron fratrem tuum, & ad filios eius dicens, Sic benedicetis populo meo, & ego benedicam ei. Benedicat tibi, & cuſtodiat te. Amen. Num. 6. 23

Illuminet faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui. Amen.

Conuertat vultum ſuum ad te, & donet tibi pacem. Amen.

Extendat dexteram ſuæ benedictionis, & effundat ſuper te donum ſuæ propitiationis, & circumdet te felici muro cuſtodiæ ſuæ protectionis, ſanctæ Mariæ & omnium ſanctorum intercedentibus meritis. Amen. Indulgeat tibi mala omnia quæ geſſiſti, & tribuat tibi gratiam & miſericordiam, quam humiliter ab eo depoſcis: liberétque te ab aduerſitatibus cunctis, & ab omnibus viſibilium & inuiſibilium inimicorum inſidiis. Amen.

Multiplicet in te copiam ſuæ benedictionis, & confirmet in ſpe regni cæleſtis. Amen.

Actus tuos corrigat, vitam emendet, mores componat, & te ad cæleſtis paradiſi hereditatem perducat. Amen.

Talíque intentione repleri valeas, quæ ei in perpetuum placeat. Amen.

Angelos ſuos bonos ſemper & vbique, qui te præcedant, comitentur, & ſubſequantur, ad cuſtodiam tuî ponat: & à peccato ſeu gladio, & ab omnium periculorum diſcrimine te ſua potentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis, caritatíſque benignitatem conuertat, & odientibus te gratioſum & amabilem faciat. pertinaces quoque in tuî inſectatione & odio confuſione ſalutari induat: ſuper te autem ſanctificatio ſempiterna effloreat. Amen.

Victorioſum te atque triumphatorem de viſibilibus atque inuiſibilibus hoſtibus Dominus ſemper efficiat: & ſancti nominis ſui timorem pariter & amorem continuè cordi tuo infundat: & in fide recta ac bonis operibus perſeuerabilem reddat: & pace in diebus tuis conceſſa, cum corona victoriæ ad perpetuum te regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere regem, & in præsenti sæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni, sua dispensatione, & tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare: quo diuinis monitis parentes, aduersitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, & in præsenti sæculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum ciuium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

III.

IVDITH CAROLI FILIÆ, CVM REGI ANGLORVM DESPONSATA EST.

BENEDICTIO SVPER REGINAM, quam Edelulfus rex accepit in vxorem.

NVBAS in Christo, obnupta nube cælesti, & refrigerata gratia spiritali, ac protecta ab omni inlicita concupiscentia, pangas fœdus cum oculis tuis, vt non videas alienum virum ad concupiscendum eum, & non mœcheris in corpore vel corde tuo, & auertas oculos tuos ne videant vanitatem: quatenus in via Domini viuificeris, vt possis dicere cum Propheta, *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.* &, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniat auxilium mihi.* Per conditorem, & redemptorem, ac dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Psal. 122. & 120.

Benedic, Domine, has dotes, & accipientes tua benedictione dotare digneris: vt coniugij fidem & torum immaculatum seruantes, sanctorum patriarcharum adscisci mereantur consortio. Per Dominũ.

Accipe anulum, fidei & dilectionis signum, atque coniugalis coniunctionis vinculum, vt non separet homo quos coniungit Deus. Qui viuit & regnat in omnia sæcula sæculorum.

Despondeo te vni viro virginem castam, atque pudicam futuram coniugem, vt sanctæ mulieres fuere viris suis, Sarra, Rebecca, Rachel, Hester, Iudith, Anna, Noemi, fauente auctore & sanctificatore nuptiarum, Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Deus qui in mundi crescentis exordio multiplicandæ proli benedixisti, propitiare supplicationibus nostris, & huic famulo tuo, & huic famulæ tuæ, opem tuæ benedictionis infunde, vt in coniugali

consortio secundùm beneplacitum tuum, affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Dita eos fructibus sanctis & operibus benedictis. Fac illos talem sobolem generare, quæ ad tui paradisi pertineat hereditatem. Aperi, Domine, ianuas cæli, & visita eos in pace. Inriga terram eorum, vt germinet fructum spiritalem. sanctifica eos, qui datus es nobis ex virgine: & præsta eis tempora salutis, quæ ante tuum aduentum prædixit sanctus propheta Ioannes, vt hîc fideliter credant, & beatè viuentes vitam & regnum consequantur æternum, gratia tua, Christe saluator noster, qui cum Deo patre, in vnitate Spiritus sancti, viuis & regnas Deus, per omnia.

BENEDICTIO REGINÆ.

Te inuocamus, Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt hanc famulam tuam, quam tuæ diuinæ dispensationis prouidentia in præsentem diem iuuenali flore lætantem crescere concessisti, tuæ pietatis dono ditatam, plenam veritatis de die in diem coram te & hominibus ad meliora semper proficere facias: vt in regimine suo gratiæ supernæ largitatem congaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro aduersitate vndique munita, cum pace propitiationis viuere mereatur. Per Dominum.

SVRSVM CORDA.

Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus, electorum fortitudo, & humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluuij crimina mundi purgari voluisti, & per columbam ramum oliuæ portantem pacem terris redditam demonstrasti. iterum Aaron famulum tuum per vnctionem olei sacerdotem vnxisti: & postea per eius vnguenti infusionem, ad regendum populum Israeliticum, sacerdotes, reges, & prophetas perfecisti, vultúmque Ecclesiæ in oleo exhilarandum prophetica famuli tui voce Dauid esse prædixisti. qui hoc etiam vnguento famulæ tuæ Iudith ad liberationem seruorum tuorum, & confusionem inimicorum, vultum exhilarasti, & ancillæ tuæ Hester faciem hac spiritali misericordiæ tuæ vnctione adeo lucifluam reddidisti, vt efferatum cor regis ad misericordiam, & saluationem in te credentium, ipsius precibus inclinares. Te quæsumus, omnipotens Deus, vt per huius creaturæ pinguedinem, columbæ pace, simplicitate, ac pudicitia decoram efficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus est iudicare.

CORONATIO.

Gloria & honore coronet te Dominus, & ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso, vt quicquid in fulgore

auri, & in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus, hoc in actibus semper refulgeat. quod ipse præstare dignetur, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.

BENEDICTIONES.

Benedic, Domine, hanc famulam tuam, qui regna regum à sæculo moderaris. Amen.

Opera manuum illius suscipe, & benedictione tua terra eius de pomis fructuum cæli, & rore atque abysso subiacente repleatur. Amen.

De vertice antiquorum montium & collium æternorum, de frugibus terræ, & plenitudine eius, tua benedictione lætetur. Amen.

Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput eius. Da ei de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini: vt seruiant illi ac semini eius populi, & in honore tuo tribus illam & semen eius adorent. Amen.

Reple eam benedictionibus vberum & vuluæ. benedictiones patrum antiquorum confortatæ sint super eam, & super semen eius, sicut promisisti seruo tuo Abrahæ, & semini eius in sæcula. Amen.

Concede quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt hæc dona tua, quæ fideles tui acceperunt de manu tua, dantibus, accipientibus, & dispensantibus, ad præsentis vitæ subsidium, ac redemptionem animarum, atque ad vitam capessendam proficiant sempiternam. Per Dominum.

IV.

HERMINTRVDIS REGINÆ.

ALLOCVTIO DVORVM EPISCOPORVM in Ecclesia Sancti Medardi, quando Hermintrudis fuit consecrata in reginam.

VOLVMVS vos scire, fratres, quia domnus & senior noster, Karolus rex gloriosus, nostræ humilitatis petiit deuotionem, vt auctoritate ministerij nobis à Deo conlati, sicut ipse in regem est vnctus & consecratus, Episcopali auctoritate, vnctione sacra & benedictione, veluti in scripturis legimus Dominum præcepisse vt reges vngerentur & sacrarentur in regiam potestatem: ita vxorem suam dominam nostram in nomine reginæ benedicamus, sicut & à sede Apostolica, & à nostris decessoribus antea de aliis fa-

ctum comperimus. Et vt non vobis sit mirum quare hoc petat, fraternitati vestræ rationem reddere maturamus. Videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gratia istud regnum in manus suorum antecessorum mirabiliter adunauit. quod ipsi decessores sui nobiliter gubernauerunt, & per successiones sua progenies vsque ad hæc tempora rexit. Et isti nostro seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit: in quorum nobilitate ad sanctam Ecclesiam & regnum, quod Deus illi ad regendum commisit, fideles illius spem maximam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, vt etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret. aliquos Deus adhuc ætate immatura sua gratia de hoc sæculo rapuit, ne vt scriptum est, malitia mutaret corda eorum. aliquibus autem, quod vos non latet, suo iudicio talem passionem permisit incurrere, sicut fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem Episcopalem super vxorem suam venire, vt talem sobolem ei Dominus de illa dignetur donare, vnde sancta Ecclesia solatium, & regnum necessariam defensionem, & fideles illius desiderabile adiutorium, & ista Christianitas optabilem tranquillitatem, & legem atque iustitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino, possit habere. Et de hoc in sanctis scripturis habemus auctoritatem. quia sicut Dominus ad Abraham dixit, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, cui iam centenario de nonagenaria vxore Isaac filium dedit: ita & ipsum Isaac vxorem sterilem accipere fecit, vt & in hoc, sicut in multis solet facere, misericordiæ suæ largitatem ostenderet. Et inde dicit scriptura, quia *deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis*, & concepit. Et non sit vobis mirum, cur antea hoc non fecit. quia sicut sacra scriptura dicit, in primordio coniunctionis masculi & feminæ dixit Dominus ad Euam, *Ad virum tuum erit conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Et cùm iam essent moribus in legitima coniunctione maturi, & prouectæ ætatis, Abraham & Sarra, &, vt sanctus Petrus dicit, *Sarra obediebat Abrahæ, dominum eum vocans:* dixit Dominus ad Abraham, quod antea nec ipsi, nec alio homini legimus illum dixisse, *Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem eius.* Iam enim & Abraham presbyter meritò vocabatur, & defecerant muliebria, id est omnis lasciuitas, Sarræ: & tunc acceperunt benedictionem seminis benedicti à Domino, in quo benedicuntur omnes gentes. Amen. His ergo fulti auctoritatibus, in dispensandis Dei donis, qui ab illo ministri eius sumus ad hoc constituti, vt Leo dicit, non debemus esse difficiles, nec deuotorum petitiones negligere: maximè si ipsas petitiones euidentibus indiciis ex Dei viderimus miseratione conceptas. Quia multiplex misericordia Dei ita saluti humanæ subuenire decreuit, vt præcipuè sacerdotum supplicationibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, vt in sacris litteris legimus, ipse Saluator interuenit: nec

Gen. 22. 18.
Gen. 25. 21.
Gen. 3. 16.
1. Petr. 3. 6.
Gen. 21. 12.

vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Et si quid per seruitutem nostram bono ordine, & gratulando implemus affectu, vt Leo dicit, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Et ideo, fratres, quoniam ita est, & nostra pro vobis ministratio, & vestra erga nos coniuncta deuotio, vt vna fiat apud Dominum supplicatio, sicut legimus, quia ad hoc constituti sunt sacerdotes, vt priùs pro suis, deinde pro populi orent peccatis: & oratio fiebat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est pro omni Episcoporum choro: orantibus nobis pro communi nostra, immo pro totius Ecclesiæ ac populi necessitate atque salute, commune votum etiam vestra communis prosequatur oratio, apud eum qui facit vnanimes habitare in domo, & viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 28. 20

ORATIO.

DOMINE sancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti, & dispositis vniuersitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto inseparabile mulieris adiutorium condidisti, ac femineo corpori de virili dedisti carne principium: docens quia quod ex vno placuit tibi institui, non liceat ab homine separari. respice propitius super hanc famulam tuam maritali iunctam consortio, quæ tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis & pacis, fidelis & casta nubat in Christo, imitatríxque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis vt Rachel viro, sapiens vt Rebecca, longæua & fidelis vt Sarra. Nihil in ea ex actibus suis auctor præuaricationis vsurpet. nexa fidei mandatis permaneat, vni thoro iuncta contactus inlicitos fugiat. muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita. Sit fœcunda in tibi placita sobole, sit probata & innocens. Percipiat per hanc sacram misericordiæ, lætitiæ, & exultationis olei vnctionem, sanitatem mentis, incolumitatem corporis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, plenitudinem caritatis. corona eam, Domine, corona iustitiæ: corona eam fructibus sanctis, & operibus benedictis. Sit meritis & nomine atque virtute regina, adsistens in hoc sæculo fide recta & operibus bonis, & in futuro honore & gloria coronata à dextris regis, in vestitu bonorum operum, circumdata virtutum varietate. Fac illam talem sobolem generare, quæ ad paradisi tui pertineat hereditatem. Præsta, Domine, huic famulæ tuæ tantum caritatis affectum, & misericordiæ studium, atque religionis augmentum, vt tuum iugiter promereatur auxilium. Callidi serpentis ab ea venena repelle, & lorica fidei indutam scuto salutis eam defende, actus eius corrige, vitam emenda, mores compone,

& eam in senectute bona ad cælestia regna digneris perducere. Per eumdem Dominum nostrum.

Coronet te Dominus gloria & honore, & sempiterna protectione. Qui viuit & regnat.

DEVS omnipotens, qui benedixit Adam & Euam, dicens, *Crescite & multiplicamini*, & patriarcharum benedixit coniugia, quíque cum Tobia misit Raphael Angelum suum, cuius ministerio dæmonium effugauit à Sarra vxore ipsius, benedicat te, & Ill. futuram vxorem tuam, vt secundùm præceptum Domini effecti duo in carne vna, quod Deus iungit, homo non separet. & det vobis benedictionem de rore cæli & de pinguedine terræ. Benedicimus enim vobis in nomine Domini, qui mittat Angelos suos bonos, vt vos custodiant semper, & omnem phantasiam, & nequitiam, atque versutiam omnium malignorum spirituum & hominum à vobis depellant, & ab omni inquinamento omnis adulterij, omnibúsque insidiis humanis & diabolicis protegant, muniant, & defendant, gratia Domini nostri Iesu Christi, qui amorem & timorem suum iugiter cordibus vestris infundat, vt consenescatis pariter in senectute bona, & videatis filios filiorum vestrorum florentes in voluntate Domini: & pax vobiscum permaneat. atque in fide recta, ac bonis operibus, & concordia bona, & amore coniugali sincero, necnon & in confessione sanctæ Trinitatis, & Ecclesiæ catholicæ communione perseuerantes, ad vitam perueniatis æternam. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Gen. 1. 28.

ADMONITIO AD LECTOREM
DE OPVSCVLO SEQVENTI.

Scripserat Hincmarus, teste Flodoardo, metricum Opus egregium ad Carolum Regem, quod appellauit Ferculum Salomonis, versibus constans CCCCXLVI. *cui & solutæ orationis partem alteram adiecerat, quæ illius explicationem continebat. Hæc est quæ nunc primùm in lucem datur ex antiquo exemplari. Prioris enim partis nihil dum vidimus præter versus duodecim, quos suo loco inter auctoris fragmenta proferemus.*

HINCMARI REMENSIS
ARCHIEPISCOPI
EXPLANATIO IN FERCVLVM SALOMONIS.

HOc regium ferculum, quod doctores sancti designare dicunt Ecclesiam, corpus scilicet Christi, in cuius vnitate eidem Christo per fidem, vt suprà monstrauimus, quisque incorporatur, multis in scriptura vocatur nominibus. vt est regnum cælorum, mulier, sponsa, vxor, columba, dilecta, vinea, ouis, ouile, ciuitas, turris, columna, firmamentum, domus, templum, corpus Christi, plenitudo Christi, sagena, nuptiæ, cœna, & aliis, quæ lector fortè poterit inuenire, fecit sibi rex Salomon, id est pacificus, Idida, hoc est dilectus Domini, Coeleth, hoc est concionator ipsius quidem Ecclesiæ. His quippe tribus nominibus vocatus est Salomon, quia tota sancta Trinitas fabricauit templum veri Salomonis, corporis scilicet Dei & hominum mediatoris, in vtero beatæ & gloriosæ sempérque virginis eiusdem genitricis dominæ ac dominatricis nostræ Mariæ. Spiritus enim sanctus superuenit in eam, & virtus altissimi patris obumbrauit illi. ideóque totum quod ex duabus & in duabus substantiis atque naturis in vnitate vnius personæ ex ea natum est, sanctum vocatur, & est filius Dei, per quem gloria in excelsis Deo cantatur, & in terra pax est hominibus bonæ voluntatis. qui est filius dilectus in quo patri bene complacuit, & à cuius facie est scientia & intellectus, & qui docet hominem scientiam, & Spiritu sancto suo docet Ecclesiam omnem veritatem. Fecit autem hoc ferculum sibi iste rex regum & dominus dominorum de lignis Libani, quia Ecclesiam de fortibus animo & constantia animabus construxit. Ligna quippe Libani & celsitudine & specie & suî natura imputribili multum præminent. Sic hæc ligna rationabilia atque fructifera, his & aliis virtutibus præminent, non à se, verùm ab illo, qui hæc eadem ligna in ædificio huius ferculi, id est Ecclesiæ istiusmodi gratiosa prædestinationis & electionis suæ gratia, id est gratis data composuit. qui omnes homines vult saluos fieri, & neminem vult perire. Vt enim de costa dormientis Adæ in paradiso fabricauit Euam, ita ineffabilis misericordiæ gratia in cruce dormiens, de latere suo profundens aquam & sanguinem, quibus & lauacro rigaretur & poculo, ædificauit Ecclesiam. quam mundat lauacro aquæ

in verbo, & redimit ſanguine pretioſo, vt videlicet agni immaculati & incontaminati, qui eſt ipſe Chriſtus Ieſus, & ſanctificat Spiritu ſancto ſuo, ſaluum faciens in ſingulis, qui eſt paſſus pro omnibus, totum hominem, videlicet corpus & animam, & hoc in ſabbato, id eſt in requie vnitatis Eccleſiæ, in qua per ſalutarem ſpem fideles ad requiem tendunt perpetuam. ſpe enim ſalui facti ſumus.

Huius ferculi columnæ ſunt duæ, quia turbæ quæ præceſſerunt, & quæ dominicum ſubſequuntur aduentum, per fidem mediatoris ipſius, videlicet pacifici regis & ferculi ædificatoris ſaluatæ atque ſaluandæ, vnius eiuſdémque credulitatis confeſſione clamant dicentes Oſanna. *Per gratiam enim*, inquit Petrus, *Domini Ieſu credimus ſaluari quemadmodum & illi.* Vel certè duæ columnæ ſunt ferculi, quia quiſquis in vnitate præſentis Eccleſiæ cum fide recta & operibus bonis perſeuerauerit, in futura, id eſt in æterna Eccleſia, de incorruptione animæ ſimul & corporis inenarrabili exultatione repletus atque glorificatus ſine fine gaudebit. Quoniam Deus omnia in menſura in qua conſtat qualitas, in numero quo continetur quantitas, in pondere quo ſignificatur ratio peræquata, qua pondus virtutis non oneris electorum accipiunt animæ, illo diſponente qui ſecundùm Iob *poſuit ventis pondus.* vt ab intentione Dei non iam leui motu diſſiliant, ſed in eum fixa conſtantiæ grauitate conſiſtant. per quæ iudicio & in ſæcula illius omnia conſtant, per quæ mundum conſtituit gubernat & iudicaturus eſt, qui comprehendi vel reprehendi non poteſt, præmia vel pœnas ſingulis redditurus cuncta diſpoſuit. Prima iſtius columna ferculi tribus & triginta conſtat capitulis. quia quiſquis in nomine patris & filij & Spiritus ſancti baptizatus ex aqua & Spiritu ſancto renaſcitur, Decalogi mandata cum fide ſanctæ Trinitatis neceſſe eſt perſeueranter cuſtodiat, ſi ad vitam vult peruenire perpetuam. Et denarius numerus ternario ſuperpoſito in eiſdem capitulis ter ducitur. quia mulier, catholica videlicet Eccleſia, acceptum fermentum, ſanctæ Trinitatis ſcilicet fidem, per dilectionem operantem in farinæ ſata tria abſcondit, quando Aſiæ, Africæ, & Europæ illam prædicare procurat, donec fermentetur totum, id eſt orbi vniuerſo prædicetur Euangelium regni acceptum à Domino Ieſu Chriſto de his quæ cœpit & perfecit facere & docere. Tertio die in Euangelica lectione commemorato venit ad nuptias. hoc eſt tertio mundi tempore per incarnationis myſterium eandem ſanctam ſibi Eccleſiam ſociauit. Primum quidem ſæculi tempus ante legem, Patriarcharum exemplis, ſecundum ſub lege, Prophetarum ſcriptis, tertium ſub gratia, Euangeliſtarum præconiis, quaſi tertij diei luce mundo refulſit, in quo iſdem Dominus & ſaluator noſter pro redemptione generis humani incarnatus apparuit. Sed & idem denarius numerus in trigonum ductus triceſimum implet numerum, quo anno Chriſtus baptizatus cuncta ſanctificauit ſuo baptiſmate fluenta nobis

Act.15.11.

Iob.28.25.

aquarum, & huius ſanctificationis gratia triceſimo ætatis anno Ieſus venit ad baptiſma. quia ſcilicet poſt baptiſma iſtud legem erat veterem ſoluturus. Propterea vſque ad hanc ætatem, quæ omnia poteſt capere peccata, in legis obſeruatione permanſit: ne quis diceret ideo eum ſoluiſſe legem, quia eam non valeret implere. Neque enim omnis prorſus ætas cunctis vitiis opportuna eſt. Nam primos adhuc annos imprudentia & imbecillitas animi ſimul obſident. adoleſcentiæ verò tempus feruentior impugnat libido. reliquam verò ætatem habendi maximè cupido ſollicitat. Propterea igitur omnem hanc Chriſtus expectauit ætatem, per quod omne tempus iuſtitiam legis impleuit, ac tunc demum venit ad baptiſma, quaſi cumulum illud cunctis obſeruationibus legis adimplens. Qui quoniam ipſo, quod tricenarius inchoauit, baptiſmo totius ſit Eccleſiæ ſordes expiaturus, eorumdem quoque numerorum myſtica cognatio declarat. quia videlicet triginta æqualibus ſuis partibus computata pariunt ampliùs duodecimum, qui eſt Patriarcharum & Apoſtolorum numerus, & fiunt quadraginta duo. Habent enim partes, triceſimam, vnum, quintamdecimam duo, duodecimam tria, ſextam quinque, quintam ſex, tertiam decem, dimidiam quindecim, quæ ſimul iuncta quadraginta duo conſummant. vbi myſticè, vt diximus, innuitur totam Eccleſiæ perfectionem in Chriſti fide & gratia conſiſtere, quæ à Patriarchis primò agnita, Apoſtolorum eſt latiùs voce diffamata: nec eſſe nomen aliud ſub cælo in quo oporteat nos ſaluos fieri, quomodo in quadraginta duobus nulla eſt particula, quæ non æqualibus tricenarij numeri contineatur in partibus. Tricenarius ergo numerus ſuis partibus quadrageſimum complet & ſecundum, quia Dominus Eccleſiam ſui baptiſmatis ſacramentis & nunc laborantem temporaliter munit, & finitis laboribus ad requiem æternaliter perducit. Et tricennalis baptizati Saluatoris ætas etiam noſtri baptiſmatis intimare poteſt myſterium. propter fidem ſcilicet ſanctæ Trinitatis, & operationem Decalogi reuelata fidei gratia. quod quo ſublimiùs intelligitur eo & doctrina publicatur. Duodenus quippe, quem partes, vt diximus, tricenarij pariunt, Apoſtolorum numerus, prædicatorum videlicet omnium chorus, ter quaternos, ſiue quater ternos continere dinoſcitur. quia fidem ſanctæ Trinitatis, & quatuor ſancti Euangelij libros, ab orthodoxis doctoribus ante finem mundi oportet per quatuor partes, Orientis ſcilicet, Occidentis, Aquilonis & Auſtri, quadrato orbis termino prædicari. Quaſi enim quoddam ſacroſanctum triennij tempus baptizandos habere docuit, qui ait, *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.* quaſi idem hoc triennium per decem multiplicari præcepit cùm ſubiunxit, *docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Qui tribus annis ac bis ternis menſibus mundi tenebras exemplo & verbo ſuo de dilectione Dei & proximi, ſa-

Matt.28.19

Ibid.v.20.

nans corpora ſimul & animas, inluſtrare dignatur, pro generis humani ſalute in cruce occubuit. Euidenter oſtendens, quia prælatis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, ceteríſque artioris ac perfectioris vitæ viris, quorum inenarrabilem gloriam de manifeſtiſſima diuinitatis viſione ſempiternæ Trinitatis illi tantùm ſciunt, qui ea perfrui meruerunt, ſunt plures in Eccleſia iuſti, fide ſanctæ Trinitatis, in qua & incarnatio Domini noſtri Ieſu Chriſti veraciter continetur, qua non acceſſit quaternitas, ſed in vno filio Deo & homine, qui eſt in gloria Dei patris, cum eodem patre & ſancto Spiritu permanet Trinitas, ſpe, caritate, & operibus bonis perfecti, qui poſt carnis ſolutionem continuò beata paradiſi requie ſuſcipiantur, expectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant & appareant ante faciem Dei. In ſemiſſe autem anno demonſtrans, quia nonnulli propter bona quidem opera ad electorum quidem ſortem præordinati, ſed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt, poſt mortem ſeuerè caſtigati, excipiuntur flammis ignis purgatorij, & vel vſque ad diem iudicij longa huius examinatione à vitiorum ſorde mundantur, vel certè priùs amicorum fidelium precibus, eleemoſynis, ieiuniis, fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus abſoluti pœnis, & ipſi ad beatorum perueniunt requiem. Tot etiam annis, id eſt tribus & dimidio, Antichriſtus ſui oſtentabit figmenta mendacij, oſtendens ſe tanquam ipſe ſit Deus ſignis & mendacij prodigiis, adhibens minarum atque pœnarum terrores. Sed non præualebit in eos, qui in fidei rectæ & operum bonorum perfectione, gratia ipſius auxiliante perſiſtent. Qui in carne apparens factus ex muliere, factus ſub lege vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, poſt circumciſionem triceſima tertia die ad templum delatus eſt, & legalia pro eo ſunt munera oblata, qui cuncta diuinitùs conſecrat. Trigonus etiam Decalogi, & tres dies, atque oblatio ad templum delata, illos dies & ſacrificium Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, deſignant, de quibus ipſe in Euangelio dicit, *Ecce eiicio dæmonia & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.* quia expelluntur dæmonia, cùm relictis paternis ſuperſtitionibus credunt in eum gentes: & perficiuntur ſanitates, cùm ſecundùm eius præcepta viuitur, poſteaquàm fuerit diabolo & huic ſæculo renuntiatum, vſque in finem reſurrectionis, qua tanquam tertia conſummabitur, hoc eſt ad plenitudinem Angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Eccleſia. Quapropter huius numeri ratione deuotus quilibet colligat, quia ille à corruptione corporis & animæ tantùm ſaluabitur, qui in fide recta quæ ternario numero, & in operibus bonis, quæ decalogo, id eſt numero conſtante denario deſignantur, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die remunerationis inuentus fuerit.

Luc. 13. 32.

Ducentis etiam & decem versibus, de dogmatibus Ecclesiasticis contra prauè sentientes doctorum loquens sensibus, hæc columna constare dinoscitur. cuius est supputationis ista intentio, vt primùm incipiamus à minori numero, id est à decem, & ab eo progrediamur in postmodum. De denario quippe numero catholici doctores multa dixerunt diserta & fortia, ex quibus quædam hîc compendij studio adnotare curaui. Dicunt namque quia in decalogo sit consecratus. cuius decalogi, psalterij videlicet decem chordarum, decem præcepta Deus famulo suo Moysi in monte in duabus tabulis lapideis conscripta dedit: tria in vna tabula ad Deum pertinentia, quia Deus Trinitas est, & in redemptionis nostræ mysterio tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt. spiritus vtique sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis. quæ tria vnum sunt & indiuidua manent, nihílque etiam à suî connexione seiungitur, & vt beatus cantat Ambrosius,

Omnia trina vigent sub maiestate Tonantis.
Tres pater, & verbum, sanctus quoque Spiritus vnum.
Trina salutaris species crucis, vna redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem à morte recepit.
Trina dies Ionam tenuit sub viscere ceti.
Tres pueri creuere Deum flagrante camino,
Ter Sabaoth sanctum referens benedictio psallit.
Ter mergendus aqua est cui gratia plena lauacri.
Testibus & stabilis constat tribus actio cuncta.
Terno mense suis redeunt sua tempora membris.
Tres sunt ætates, flos, robur, & ægra senectus.
Tres moduli in causis iudex, defensor, & actor.
Tres in sæcla gradus, ortus, transcursio, finis.
Tres spem quæ palpant requies, lux, gloria vitæ.

Septem verò præcepta altera tabula dedit, quorum primum est, sicut & Apostolus monstrat, *Honora patrem & matrem.* Habet præterea septenarius numerus in scriptura sacra multipliciter ostensam perfectionem suam. videlicet quia eo dierum numero, testante scriptura, perfecto cælo & omni ornatu eorum, requieuit Deus ab operibus suis, sed & per legem sabbatum in requiem datum est. Et in capite nostro, mediatore scilicet Dei & hominum homine Christo Iesu, propheta septiformem sancti Spiritus gratiam enumerauit. Septem quoque oculos, & septem candelabra, & septem sigilla, & septem tonitrua, pro perfectione scriptura sacra enumerat, & per septem dies omne sæculum voluitur. Et his duobus perfectis numeris, ternario videlicet & septenario denarius constat. Est etiam, quoniam geminato quinario numero, qui perfectus est in quinque notissimis corporis nostri sensibus, & in quinque libris Moysi, constat. Sed & ab vno per ordinem vsque ad quatuor numeros completur

Ephes.6.2.
Gen.2.1.
Exod.16.23
Esa.11.2.
Apoc.1.12. & 5.6. & 6.1. & 10.3.

denarius. Vnum enim & duo & tres & quatuor ſimul ducti, fiunt decem. quia legis Decalogus per quatuor libros ſancti Euangelij adimpletur. Et fortaſſe propterea qui conducuntur ad vineam, accipiunt nomine mercedis denarium, qui per ſemetipſum multiplicatus in centenarium ſurgit, & per centenarium numerum magna perfectio deſignatur. Per geminatum autem centenarium, & perfectio ſpiritus qui in hac vita electis tribuitur, & perpetua vita ſignatur. Vnde eiſdem electis ſuis Dominus dicit, *Omnis qui relinquit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Neque enim ſanctus quiſque ideo terrena deſerit, vt hæc poſſidere in hoc mundo multiplicius poſſit, quia quiſquis terreno ſtudio terram relinquit, terram non relinquit ſed appetit: neque qui vnam vxorem deſerit centum accepturus eſt. Sed per centenarium numerum perfectio deſignatur. poſt quam etiam vita æterna promittitur: quia quiſquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hîc perfectionem mentis recipit, vt iam non appetat quæ contemnit, & in ſequenti ſæculo ad vitæ æternæ gloriam peruenit, quæ centenario numero, qui de læua transfertur in dexteram, deſignatur. Vnde hoc ferculum, vel hæc menſa, ſcilicet ſancta Eccleſia de fabricatore ſuo, vero videlicet Salomone dicit, *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per læuam quippe eius vita præſens, & ſacramenta incarnationis eius, & præſentiæ ipſius dona ſignantur: per dexteram verò vita futura, & ea quæ in futuro percipient electi præmia figurantur. In quibus non ſolùm viſio diuinæ maieſtatis, ſed & gloria eſt clarificatæ humanitatis, vnius eiuſdémque mediatoris Dei & hominum. Vnde bene læuam eius ſponſa ſub capite ſuo poni, dexteram autem ſe illius amplexari deſiderat, vt & nunc per temporalia ipſius ſubſidia à mundi perturbationibus quieſcat, & tunc manifeſta ipſius viſione perpetuò fruatur. Æternam equidem ſanctorum requiem nullus vnquam turbo interpolat. Vnde & rectè dicitur, *Dextera illius amplexabitur me.* Quia nimirum diuinæ præſentia maieſtatis vndique ſuos cæleſti in regno circumteget, ne aliquam felicitatem Deo dignam, vel memoria miſeriæ violet, vel metus finis anguſtet. Geminatus etiam centenarius innuit, quia quiſcumque ad vitam deſiderat peruenire perpetuam, dilectione Dei flagret ac proximi, & fide catholica atque operatione recta continuè ad eam feſtinare contendat. In fide ſcilicet orthodoxa, de ſancta & inſeparabili Trinitate, ſimul & de Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, corde credens ad iuſtitiam & ore confitens ad ſalutem, quia in eadem ſancta Trinitate nihil eſt prius aut poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales, ita vt per omnia & vnitas deitatis in Trinitate ſit perſonarum, & trinitas perſonarum in vnitate ſit deitatis. quia ex ſolo Patre, id eſt

Matt.19.29

Cant.2.6.

ex substantia patris, æqualis & consubstantialis genitus non factus est filius, & ex patre simul ac filio, coæqualis ac consubstantialis æqualiter procedit Spiritus sanctus, qui cum patre & filio æqualiter adoratur, quia æqualiter est Deus, totus patris & totus filij Spiritus, quia vnus naturaliter Spiritus est & patris & filij. Proinde totus de patre procedit & totus de filio, totus in patre manet, & totus in filio. quia sic manet vt procedat, sic procedit vt maneat. Et hinc naturaliter hanc habet cum patre & filio vnitatis plenitudinem, & plenitudinis vnitatem, vt totum patrem habeat totúmque filium, ipséque totus habeatur à patre, totus habeatur à filio. qui etiam à patre & filio æqualiter datur, immo & à seipso datur. ipséque donum Dei & paraclitus id est consolator dicitur, quia reuera, dum dona sacramentorum distribuit, consolationem animæ præbet. per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.

De Incarnatione quoque Domini nostri Iesu Christi, vna ex eadem & in eadem sancta Trinitate persona, fideliter sentiat. Deum videlicet, & eum verum & perfectum ante omnia sæcula, & sine vllo initio credens, & verum ac perfectum hominem in fine sæculorum, in duabus & ex duabus naturis atque substantiis in vna persona consistere: vt qui per diuinitatis suæ potentiam nos creauerat ad perfruendam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret ad recipiendam quam perdidimus vitam. Qui iuxta Symboli veritatem conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, ancilla ipsius hominis per diuinitatem, & matre Verbi per carnem. nam vtrumque illam & ancillam & matrem esse Domini veritas Euangelij, eiusdem & Elisabeth voce demonstrat: nec alterius ancillam, alterius matrem, quia non prius in vtero virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem: sed mox Verbum ante sæcula vnigenitus æqualis patri venit in vterum, mox Verbum, seruata propriæ veritate naturæ, factum est caro, & perfectus homo idem in veritate carnis & animæ rationalis, operante Spiritu sancto, inuestigabili miraculo natus est per vterum Virginis filius Dei, factus filius hominis vnus Christus. Qui mortuus est sola carne propter peccata nostra, & resurrexit sola carne, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, vt à peccati morte quocumque modo contracta anima resurgeret. Ascendit quoque in cælum, & sedet ad dexteram patris, id est, in gloria paternæ maiestatis. inde venturus iudicare viuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddent de factis propriis rationem. Et qui gratia Dei, & subsequente eandem gratiam libero arbitrio, in fide recta & operibus bonis perseuerauerint, præsciti & prædestinati à Deo in gloriam, ibunt in vitam æternam electis, id est de massa perditionis totius humani ge-

Luc. 1. 38. & 43.

neris facta in Adam ipso peccante, quoniam & Eua ipsa est Adam, gratia lectis, à Deo paratam, sicut ipsa veritas dicit, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et qui non à Deo ad interitum prædestinati, sed ab eo ex retributione iustitiæ in massa perditionis relicti, in infidelitate vel malis operibus perseuerauerint, ibunt in ignem æternum. ad quem Deus neminem prædestinauit, sed eundem ignem diabolo & corpori eius ex retributione iustitiæ præparauit. sicut ipse in Euangelio dicit, *Stipendia enim*, inquit Apostolus, *peccati mors. gratia autem Dei vita æterna.* &, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* &, *Ira*, id est vindicta, *in indignatione eius, & vita in voluntate eius.*

Matt.25.34

Rom.6.23.

Psal.24.10. & Psal.29.6

Altera itaque istius columna ferculi, contradicens illis qui de iis praue sentiunt quæ in altero nobis sæculo complebuntur, triginta & octo capitulis constat. ac si triginta & octo annis in Synagogæ potiùs Satanæ porticu, quàm in Ecclesiæ catholicæ sinu iacentem languidum, malè sentientium videlicet chorum, duodequadraginta numero, qui legis decalogo per quatuor sancti Euangelij libros impletur minùs habentem, & absque dilectione Dei ac proximi, quem legis pariter & Euangelij scriptura commendat, vacuum incedentem insinuans. In quo licèt plures sint choro, si adquiescere veritati consenserint, quasi vnus recuperabunt in vnitate fidei sanitatem. quia præter vnitatem catholicæ fidei nullus cuilibet patet salutis locus. A cuius vnitate quisquis discrepat, salutem quæ ab vno est consequi nequaquam valet. Quæ salus æterna centenario ipsius columnæ versuum numero designatur. quia Abrahæ centenario promissionis filius Isaac, id est risus vel gaudium nascitur, illum innuens qui discipulis suis dixit, *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ad quam æterni salutem gaudij per sexagenarium, quem superadditi sexaginta versus ostendunt, perfectum numerum peruenitur. Qui sexagenarius numerus, quoniam sexies decem sexaginta fiunt, in se continet senarium perfectionem operum demonstrantem. quia sicut creator admirabilis perfectus est in natura sua, ita in senario dierum numero perfecit opera sua, & sexto die creauit hominem perfectum anima & corpore, propter quem creata sunt omnia, & sexta ætate venit conditor hominem reparare quem sexto die creauerat. Sed & denarium sexagenarius numerum comprehendit, qui in decalogo consecratur, &, vt suprà ostendimus, perficitur. quo etiam & sexagenarius numerus esse perfectus hoc modo monstratur. Partire sexagenarium per denarium, & inuenies eundem sexagenarium numerum per denarium esse perfectum, sicut senarium per vnitatem. Nam vnum, duo, & tres sex faciunt, qui est perfectus numerus in partibus suis: ita & sexagenarius quandam perfectionem habet si partitur per denarium numerum. Semel enim decem, & bis decem, & ter decem

Ioan.5.5.

Ioan.16.22

ſexaginta fiunt. nec non & quinquagenarium complectitur ſenarius numerum, quo Iubileus annus, remiſſio ſcilicet peccatorum, & ad patriæ æternæ hereditatem reuerſio, & requies ſempiterna exprimitur. Supereminet quoque coniugalem ordinem duplicatione ſui, laborioſam vidualem continentiam impreſſione digiti demonſtrando, quoniam quæ ſeminauit in lacrymis in gaudio metet. In ſe triginta continens, qui numerus blando indicis & pollicis oſculo depingit & coniugem, fructum fidei per bona opera, vt terra optima, de ſuſcepto diuini verbi ſemine proferens: ſicut centenarius numerus de læua translatus in dexteram, eiſdem digitis, ſed non eadem manu, quibus in læua manu nuptæ ſignificantur & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam. Sed & fructum triceſimum verbum profert quod fidem ſanctæ Trinitatis ædificat, ſexageſimum quod operis perfectionem docet, centeſimum quod ad dexteram regni vitam prædicat ſempiternam. Neceſſe eſt igitur, vt qui vult vitam, & cupit videre dies bonos, per ſex huius ſæculi dies vel ætates in quibus licet operari, ad ſabbatum, id eſt ad requiem ſeptimi diei ſiue ætatis, quando non licebit operari, fide recta & iuſtis operibus, decalogi mandata complendo, abſque admixtione praui operis feſtinare procuret, quatinus de corpore exiens, in ſeptima die vel ætate, ſiue in quinquagenarij quiete numeri requieſcat, donec ſempiternitatem centenariam in octaua die vel ætate cum incorruptione corporum conſequatur. Vnde & reclinatorium huius ferculi aureum octonarius verſuum numerus cantat. quoniam qui in præſenti vita, id eſt in iſtis ſex diebus vel ætatibus quibus operari licet, cultro illius petræ quæ eſt Chriſtus ad inſtar octauæ diei quam deſignat diei octauæ circumciſio, quæ antiquis loco dabatur baptiſmatis, eius videlicet fide, ſpe, & caritate, non ſolùm in baptiſmate, ſed & in omni prorſus actione deuota, ſe purificare curauerit, & in ſeptima ſabbati feliciter requieſcet, & in octaua glorificatus reſurget. Quæ & ipſa cotidiana noſtra circumciſio, id eſt continua cordis mundatio, ſemper octauæ diei ſacramentum celebrare non deſiſtit, quia nos in exemplum Dominicæ reſurrectionis, quæ octaua die, id eſt poſt ſeptimam ſabbati facta eſt, ſanctificare conſueuit, vt quomodo reſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et hæc eſt octaua reſurrectionis noſtræ plenariæ dies ſine vllo temporis fine beata, quando vera omnimodæ circumciſionis gloria coruſcante, non vltra corpus quod corrumpitur adgrauat animam, nõ vltra terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, ſed corpus iam incorruptibile lætificat animam, & ſubleuat cæleſtis inhabitatio totum hominem viſioni ſui conditoris inhærentem, quando renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Quod reclinatorium nobis Salomon noſter fecit, cùm ſpem perpetuæ quietis fidelibus promiſit. *Tollite*, inquit, *iugum meum ſuper vos*, [Matt. 11. 29]

&

& discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et hoc reclinatorium fecit aureum, quia requiem nobis æternam diuinæ suæ visionis gloria coruscam præparauit. Hinc etenim dicitur, *Qui autem diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum.* Vel certè fecit reclinatorium in ferculo fidelibus aureum, quia omnes resurgemus, non autem omnes immutabimur, quoniam Christus passus pro omnibus adquisiuit omnibus resurrectionem, fidelibus autem incorruptionis & animæ & corporis gloriam, de quibus dicitur, *Resurgent in resurrectione iustorum*, cùm omnes sine vlla dubitatione resurgent. Ascensum autem huius ferculi Idida, hoc est dilectus filius patris in quo ei bene complacuit, fecit purpureum. vera enim purpura maritimorum conchyliorum sanguine tingitur. quia viuus & copiosæ redemptionis sanguis agni immaculati & incontaminati Iesu Christi, de Spiritu sancto, id est operatione Spiritus sancti, ex virgineo sanguine sementiuæ naturæ, videlicet ex immaculata Virginis carne, sine vlla carnali concupiscentia, & absque vllo virili attactu, singulariter concepti, & clauso virginali vtero, ac virginalibus integris inconuulsis atque intemeratis mirabiliter nati, lauit nos à peccatis nostris. Qui sanguis, videlicet ipsius agni tollentis peccata mundi, de conchyliis marinis ferro elicitur, quia per seriem stirpis hominum peccatorum, quasi marinis fluctibus oppressorum, sicut genealogia Euangelij monstrat, de Abrahæ & Dauid stirpe processit, & incisione ferri, clauorum videlicet & lanceæ, sacramenta redemptionis nostræ de ipso sacratissimo corpore, in quo erat Deus mundum reconcilians sibi, & in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, nobis emanauerunt, quibus idem rex ac dominus noster, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in ipso sanguine suo, non solùm quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisque nostrûm in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentũ carnis & sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. & non nisi purpureus ad hoc ferculum inuenitur ascensus, quia nullus Ecclesiam nisi sacramentis Dominicæ passionis imbutus ingreditur. Vnde ipse ait, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* &, *Nisi manducaueritis carnem hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habebit vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ferculi verò ascensus purpureus ideo versibus triginta describitur, quia iuxta Apostolum, *Quicumque baptiza-*

Luc.14.14.

Matt.1.

Ioan.3.5.

Ioan.6.54. & 55.

Rom.6.3.

ti ſumus in Chriſto Ieſu, baptizato videlicet triceſimo ætatis ſuæ anno, *in morte ipſius baptizati ſumus.* In quo triceſimo numero decalogi denarius triplicatur, quia perfectio fidei atque bonorum operum baptiſmatis ſanctificatione perficitur. In quo impletur omnis iuſtitia, quia in eo eſt ſanguinis Chriſti redemptio, ſancti Spiritus ſanctificatio, & aquæ baptiſmatis perfecta mundatio.

In hoc autem ferculo Salomon verè quidem pacificus, qui pacificauit per ſanguinem crucis ſuæ ea quæ in cælo ſunt, & ea quæ in terra, & ſoluens medium parietem, fecit vtraque vnum, duos condens in ſeipſo, media caritate conſtrauit propter filias Hieruſalem: ea ipſa videlicet caritate qua pro nobis paſſus eſt. maiorem enim hac caritatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, & ſicut Apoſtolus ait, *Commendat autem Deus ſuam caritatem in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro impiis mortuus eſt.* Siquidem hanc mediam Eccleſiæ ſuæ ſtrati inſtar parauit, vbi fideles animæ molliter quieſcerent. quia totam eam intrinſecus ſupernorum amore repleuit. & hoc eſt quod addidit, *Propter filias Hieruſalem*, id eſt, propter animas cæleſtium deſiderio flagrantes. Quanto enim maiorem Deus caritatem ſuam pro nobis patiendo commendauit, tanto plures ad ſe redamandum ac pro ſe patiendum accendit. Ipſa autem caritas, quin immò miſericordia noſtra, cui dicit Pſalmiſta, *Deus meus miſericordia mea*, ſcilicet agnus qui tollit peccata mundi, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, in cruce duobus verſibus eundem agnum, atque in eodem agno in vna eadémque littera concinentibus pingitur. quæ etiam crux quatuor verſibus vnius menſuræ, & in eiſdem litteris in capite vel in fine congruentibus, per quatuor mundi partes promiſſionis filios, & æternæ hereditatis Chriſto coheredes, id eſt electos & prædeſtinatos ad vitam in gremio redemptionis Chriſti, qui eſt paſſus pro omnibus, complectitur omnia gyro: prædicans ſcilicet mundo quæ ſit ipſius crucis menſura, longitudo videlicet & latitudo, ſublimitas & profundum in dilectione Dei & proximi. Qui duo & quatuor verſus coniuncti ſenarium complent numerum. quia ſexto die homo conditus, ſexto item die crucis eſt myſterio reparatus. Qui ſenarius numerus apud ſæculi ſapientes idcirco dicitur eſſe perfectus, quia ſuo ordine numeratus perficitur, vt cùm vnus, duo, tres dicuntur, ſenarius numerus impletur: vel quia in tribus partibus diuiditur, id eſt ſexta, tertia, & dimidia. videlicet in vno duobus & tribus. Ab Eccleſiaſticis autem doctoribus ideo perfectus dicitur numerus, quia ſexto die perfecit Deus omnia opera ſua, & ſex ſunt huius ſæculi ætates notiſſimis temporum diſtinctæ articulis, in quibus, quaſi in ſex diebus quibus licet operari, pro Deo laboribus inſiſtere, & pro adipiſcenda requie ſempiterna neceſſe eſt operari. & poſt dies ſex gloriam ſui regni quam ſpopondit diſcipulis Saluator oſtendit. quia

Rom. 5. 8.

Cant. 15. 10.

Pſal. 58. 18.

qui Deum videre, & ad gloriam beatæ resurrectionis pertinere concupiscit, per sex dies debet agere bona quæ nouit. Sex quoque sunt Euangelicæ lapideæ hydriæ, fortia scilicet sanctorum præcordia, fide & dilectione Dei ac proximi, & meraca atque purissima absque aliqua mixtura hæreticæ prauitatis scripturæ sacræ scientia repleta. quia quisquis saluari cupit, non solùm necesse est vt de fide sanctæ Trinitatis atque incarnationis Dominicæ fideliter sentiat, verùm & in omnibus Ecclesiasticis dogmatibus ab omni peste hæretica & schismatis præcisione immunem se suósque auditores summopere custodire, & à peccatorum sorde abluere, & diuinæ cognitionis puro fonte potare procuret. & illi omnes præcipuè, quorum perfectio vitæ & fidei ad exemplum rectè credendi ac viuendi aliis proposita esse dinoscitur.

Præfatio denique ferculi, dilectissimum alloquens principem, idem ferculum exponendo viginti & quatuor versibus scribitur, quia fide recta & operibus bonis meritóque vitæ & scientiæ doctrina plenum dilectione Dei & proximi, in omni pia deuotione & actione, de gratia & arbitrio libero rectè sentientem, sicut ad vnumquemque fidelem dicit Dominus per Prophetam, *Ex me fructus tuus inuentus est*, id est donum gratiæ meæ præuenientis qua bene agis ex me est, & subsequenti arbitrio tuo fructus tuus inuentus est. Sícque monstratur à Domino, quia quod bonum volumus, cogitamus, loquimur & agimus, & Dei est per præuenientem gratiam, & nostrum est per liberi arbitrij subsequentem obedientiam. Vnde & remunerabimur, & misericordias Domini in æternum cantabimus, inobedientes autem meritò damnabuntur. Et hinc regem scriptor in isto sæculo bene viuere, & in æternum cum Christo regnare desiderat. Ea propter & in eadem præfatione denarius geminatur, qui per quatuor sancti Euangelij libros completur. quia & sine fide impossibile est placere Deo, & fides sine operibus mortua est in semetipsa. Sed & in ea dualis numerus duplicatur. quia scientia sine caritate inflat, caritas autem cum scientia sana ædificat. & intellectus est bonus omnibus facientibus eum, & dilectione Dei prælata, cui nulla numeri mensura imponitur, de qua ex toto corde, & ex omni mente, & ex omnibus viribus nostris præcipitur, dilectio proximi in duobus præceptis subdiuiditur, cùm dicitur, quod tibi fieri non vis, alij ne feceris, & quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.

Osee 14.9.

Completio siquidem summam versuum proferens octo versibus agitur, & sub ferculi reclinatorio, quod resurrectionis octauam diem demonstrat, ponitur. quia sicut sunt duæ mortes, corporis scilicet per egressionem ab eo animæ, & animæ per admissionem in se peccati: ita & duæ sunt resurrectiones, animæ videlicet, quando indulgentiæ viuificatio per dignos pœnitentiæ fructus gratia Dei adquiri-

tur, & corporis, quando in aduentu Domini omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. & beatus qui habuerit partem in resurrectione prima, quoniam non lædetur à morte secunda, & accipiet binas stolas, immortalitatem scilicet & incorruptionem corporis simul & animæ. Sed significantia istius resurrectionis prima ordine rectè illi supponitur quæ præcellentior est dignitate: sicut & scriptura de compunctionis genere dicit, *Dedit illi pater suus*, quin Caleb Axæ filiæ, *inriguum superius & inriguum inferius*. cùm electi priùs plangat de inferiori inriguo anima, vt non ducatur ad supplicium, posteà verò de superiori inriguo, quia differtur à regno. Summa autem ferculi versuum heroici & elegiaci carminis, quam secum completio designauit, quadringentis quadraginta & sex versibus constat, & vnus decies ductus denarium perficit. De quo quia sufficienter suprà iam diximus, hoc iterum replicare vitamus. Denarius etenim quater ductus in quadragenarium surgit. quia tunc decalogi mandata perficimus, cùm profectò quatuor libros sancti Euangelij custodimus. quos humiliùs conseruamus, si vnde & quò & qualiter cecidimus incessáter aspicimus. A regione siquidem nostra, id est à paradiso, in hanc conuallem lacrymarum superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus, sed ad eam necesse est vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Et quia ab ipsius paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc in quantum possumus per abstinentiam resurgamus. Quæ abstinentia totum vitæ nostræ tempus in continentia à malis operibus, & in exercitatione virtutum esse debere designans, per quadraginta dierum numerum custoditur, quia sicut filij Israel, in quorum locum successimus, per quadraginta annos transito mari rubro in eremi vastitate calamitosè antequàm ad promissionis terram venirent versati sunt, ita & nos in exilij huius ærumnis dignas inobedientiæ pœnas luimus, antequàm ad paradisi gaudia redeamus. In qua probatione post sacrum baptisma priùs longis virtutum exercendi agonibus, ac deinde perpetuis supernæ beatitudinis sumus donandi muneribus, & accepta Dei lege, id est audito verbo diuino, de prisca nostra conuersatione egredi, ac solitudinem vitæ spiritalis constat debere nos ingredi, vt vita nouæ conuersationis quotidie castigati, si terram repromissionis intrare volumus, quasi quotidiano Iordanis baptismate lacrymis saluberrimæ compunctionis ab omni vitiorum subripientium contagione purgemur, iuxta eum qui dixit, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*. Vnde rectè Iordanis riuus iudicij interpretatur, quia nimirum electi, quo sollicitiùs suam conscientiam diiudicando examinant, eo largiores ex intimo cordis fonte lacrymas fundunt. vt quia minùs perfectos se esse deprehendunt, sordes suæ fragilitatis vndis pœnitentiæ diluant. Sed

Iudic. 1. 15.

Psal. 6. 7.

& significantia quadragenarij numeri, in effusione diluuij & in Iacob planctu, in exercitatione quoque filiorum Israel in deserto, atque in prædicatione Ionæ, & aliis multis ostensionibus causa perfectionis in scriptura positi, aliud etiam pernecessarium innuit. quia Moyses morem circumcisionis diuinitùs imperatum, & quadringentis & sex annis obseruatum, per quadraginta annos in eremo intermisit, quem Iosue cultris petrinis perfecit, quia petra erat Christus, & lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Idem quoque Moyses vt legem, quam Dei populo traderet, acciperet secundò diebus quadraginta ieiunauit, Helias in deserto quadraginta diebus abstinuit, ipse auctor hominum ad homines veniens in quadraginta diebus nullum omninò cibum sumpsit. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus decalogi per libros quatuor sancti Euangelij custoditur? Et qui per carnalia desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est vt eandem carnem quater decies affligamus. & vt per decalogi mandatorum custodiam, ac per Deo dignam abstinentiam, ad æternam vitam, quæ centenario numero designatur, quadriga Euangelica & cardinalibus quatuor virtutibus perferamur, necesse est vt quadragenarius numerus per decalogi denarium multiplicetur, & sic ad quadringentesimum numerum efferatur. Quadraginta enim decies ducti quadringentos efficiunt, quia ad æternam vitam, quæ centenario numero & hoc quater ducto figuratur, electi omnes, non solùm de incorruptione animæ simul & corporis, verùm & de visione diuinæ maiestatis, cum gloria mediatoris Dei & hominum clarificatæ humanitatis, sine fine reuersi ad id quod conditi fuerant, vt reuera in vero Iubileo quinquagesimo videlicet anno gaudebunt. Vnde quia sancta Ecclesia in quibusdam suis membris adhuc pro æterna requie laborat in terris, in quibusdam verò omni finito labore cum Christo iam regnat in cælis, in memoriam vtriusque vitæ patres nostri constituerunt gemina hæc congrua religioni solemnia, quadragesimam videlicet imminente Pascha afflictionis, & ab ipso Dominicæ resurrectionis die quinquagesimam, in qua cōtinuè psallitur Alleluia, quod Euangelista Ioannes ab Angelis se audisse cantari perhibet, & venerabilis pater Tobias, ex visione Angelica intelligens qualis sit supernorum ciuium gloria & supernæ Hierusalem claritas, dixit, *per vicos eius Alleluia cantabitur*, quamuis in Ecclesia nunquam à diuina laude cessetur. Et quoniam huius quinquagesimæ celebratione fidelibus perfectio quietis innuitur, & denario numero summa perfectionis exprimitur, quinquagenario decies ducto ad quingentesimum peruenitur, apertè monstratur quia nequaquam sola nos abstinentia carnis in cibo & potu ad æterna gaudia reparat, nisi adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam cum fide recta deuotio mentis ostendat. Illud quippe ieiunium Deus adprobat,

Apoc. 19. 1.
Tob. 13. 22.

quod ad eius oculos manus eleemosynarum leuat, dicente Propheta, *sanctificate ieiunium*. Ieiunium namque sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam vt diximus carnis ostendere. quia in cassum caro atteritur, si à prauis voluptatibus animus non refrænatur, & redemptori nostro vnum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is qui castitate præminet, necdum se per bona opera exercet. & qui bona aliqua pro mundi honestate inchoat, nequaquam in eius intentione debet permanere, nec per bona opera præsentis mundi gloriam quærere, sed totam spem in redemptoris sui aduentu constituat. Sunt namque plerique continentes, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt, doctrinæ inseruiunt, indigentibus multa largiuntur. Sed fatuæ profectò sunt virgines, quia solam laudis transitoriæ retributionem quærunt, quia dicente Domino, laborum suorum damnabilem mercedem recipiunt. Sed & bona etiam cum simplici intentione facta tunc Deo sunt placita, si fuerint sine praui operis admixtione oblata. sicut scriptum est, *Declina à malo & fac bonum*. Prius est enim declinare à malo, & tunc vt proficiat agere bonum: prius de præteritis dignè pœnitere peccatis, & tunc vt prosint bonis insudare operibus. Sed pœnitentiam agere dignè non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitētiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelet? aut quid prodest si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Necesse est etiam, vt qui se inlicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscidere debeat etiam concessa, & se reprehendat in minimis, quem meminit deliquisse in maximis. & sic verè pœnitentiam agimus, si ea quæ commisimus perfectè deploremus: & illos nimirum emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Et quia de quadringentorum versuum numero diximus, restat vt rationem de commemorato quadraginta sex versuum numero compleamus. Hic etenim annorum numerus perfectionem Dominici corporis, cuius sanguine redempti sumus, cuius carne pascimur, & cruore potamur, cuius passionis sacrosanctis mysteriis, & in anima & in corpore, à peccatis etiam & ab ipsis corruptionibus, quæ ob peccata contigerunt, saluabimur aptissimè congruit. Tradunt enim naturalium rerum scriptores, formam corporis humani tot dierum spatio perfici. quia videlicet primis sex à conceptione diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem conuertatur in sanguinem, deinde

Ioel 1,4: & 2,15.

Matt. 6,2.

Psal. 36,24.

duodecim solidetur, reliquis decem & octo firmetur vsque ad perfecta liniamenta omnium membrorum. Et hinc iam reliquo tempore vsque ad tempus partus magnitudine augmentatur. Sex autem & nouem & & duodecim & decem & octo quadraginta quinque faciunt. quibus si vnum adiecerimus, id est ipsum diem quo discretum per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Domini, quot in fabrica templi annos inuenimus. De quo templo dicenti, *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud,* responderunt *Iudæi, quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud?* Et quia templum illud manu factum sacrosanctam Domini carnem, quam ex Virgine sumpsit, vt ex hoc loco discimus, figurabat. quia æquè corpus eius, quod est Ecclesia, quia vniuscuiusque fidelium corpus animámque designabat, mundemus quotidie per omne tempus vitæ nostræ templa corporum cordiúmque nostrorum, vt spiritus Dei habitare dignetur in nobis, & iuxta quod Apostolus admonet, *abiectis operibus tenebrarum, induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induamus nos Dominum Iesum Christum,* qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 2. 19.

Rom. 13. 12

Hæc vt vobis nulla desit Karle care gratia
Versuum mensura pandit, atque ærarum quantitas.
Regis nec non mensa diues cognomento ferculum,
Prompsit vobis sana Princeps per doctorum fercula.
Quæ plano sermone dicta strinxi lege carminum,
Et prosa diserta iunxi diuersis vt calleas
Supra quædam nempe de his explanaui largiùs,
Vt transcurrens quippe quædam computaui strictiùs.
Et si dignum stricta ducis explicari pleniùs.
Adsum votis fortè nobis si donantur otia
Prendat rex quæ Præsul offert, & demonstret moribus
Sensu verbo hæc in actu cunctis regno subditis.
Longa felix viuat isto Karlus vita in sæculo,
Viuat clarus semper almo sanctorum in consortio.

FINIS.

INDEX.

A

ABORSVS fictitius Tetbergæ. 626.631
Acardus Episcopus. 325
Adam primi & secundi gratia. 143. qualem liberi arbitrij libertatem habiturus
Adam si non peccasset. 145
Ado Episcopus. 325
Aduentius Metensis Episcopus in conuentu Aquensi de Tetberga. 574.583. in coronatione Caroli calui in regno Lotarij. 741. 744. Binæ ad illum Hincmari. 584. 585
Adulter est, qui rea vxore inuenta, concubinæ commercio vtitur ante legalem definitionem. 645
Adulteram si flagitij pœniteat. 655
Adulterium dicitur fidei coniugalis violatio. 652
Æneas notarius sacri palatij, pòst Parisiorum Episcopus. 21. eius ordinatio. 26. 118
Africanæ Synodi. 132. 133
Africani Prædestinatiani. 7.99
Africanorum Episcoporum Synodica. 10
Agathonis Papæ epistola vnius deitatis Trinitatem asserens. 449
Agemberti & Northildis coniugum iudicium ab Episcopis ad laicos remissum. 594
Aiulfus Archiepiscopus. 325
Aius Aurelianensis Episcopus. 322
Albericus Episcopus. 325
Alcuinus vir religiosus & doctus. ã iiij b. vir venerandus. 507. in abbreuiatione Augustini in Ioannem. 35. in Genesim ad Sigulfum. 212. in Ecclesiastem. 53.67. De Trinitate ad Carolum magnum. 473. 490. 507. 508. 539
Aldricus Archiepiscopus. 325
Alodes de facultatibus Ecclesiæ comparati. 717.736
Altaris pallæ. 711. induméta. 716. tabula. 732
Altiuillaris monasterium. ẽ iij. 450. 553. abbas Halduinus. 21
Amalricus Turonensis Archiepiscopus. 322
Ambrosij sententiæ, fidei & Ecclesiæ & omnium virtutum firmissimæ columnæ. 170. libri de Sacramentis. 114. 246. 309. 606. 608. versus de ternarij numeri excellentia. 501. 760. hymni. 528. 548
Amphilochius de vita S. Basilij. 658
Angeli cur non redempti. 212. 213. duo vnicuique homini adsistunt. 185
Angelos natura corporales, error quorumdam. 232
Animam hominis non esse in corpore quidam dicunt. 232
Annalis historia Ludouici Pij. 325
Ansegaudus Abrincatinæ vrbis Episc. 323
Antichristus. 212. 215. 216. 220. 398. 401. 402. homo erit. 217
Antonini Pij lex de repudiis. 674
Apostolicus, Papa. 686
Aqua die Dominico benedicenda. 711
Aquæ calidæ vel frigidæ iudicium. 603. 604. &c. frigidæ. 609. 610. 611
Aquense palatium. 568. 574. Aquisgrani conuentus in causa Tetbergæ. 583. Aquensis eiusdem conuentus libelli ab Hincmaro refutati. 568. 570. 573. Tomus. 575
Arator trinam potestatem in Deo dicit. 415. 466. quo sensu. 502. trinam fidem. 499. 500
Arausica Synodus, cui beatus Cæsarius ex delegatione sedis Apostolicæ præsedit, & capitula ab Apostolica sede directa protulit. 48. 134. pleraque capitula ex Prosperi sententiis desumpsit. 135. 142
Archidiaconis in parochiarum visitatione quæ potissimùm curanda, & quæ cauenda. 738. 739. 740. 741
Arioli. 655
Arnulfus Tullensis Episcopus in coronatione Caroli calui in regno Lotarij. 744
Aruspices. 655
Athanasij Symbolum. 309. 437. 452. 469. 540. Sermo de fide, cuius initium est *Quicumque vult saluus esse*, presbyteris discendus. 710. libri octo contra Arrianos. 423. de propriis personis & de vnito nomine Trinitatis. 418. liber primus, de Trinitate. 424. 481. 492. 497. 502. 505. liber secundus. 482. 492. quartus. 477. sextus. 480. 488. septimus. 445. octauus. 507. decimus. 497. 507
Attiniacum palatium. 594
Atto Virdunensis Episcopus in Concilio Aquensi. 575. in coronatione Caroli in regno Lotarij. 744
Auctor libri de tenenda veritate scripturæ. 132. 212
Augustinus Prædestinatianam hæresim non ignorauit. 11. eam refellit in libro de Prædest. sanctorum & aliis. 233. 307. priores suos libros posterioribus correxit. 99. trinam deitatem non sensit. 453. 454 prædestinatos ad interitum interdum dixit. 22. 35. postea emendauit. 86. vasa iræ & gloriæ quomodo exponat. 36. 37. dissentit ab Hilario & Hieronymo. 23
Augustini postrema opera & obitus. 5. liber falsatus à Gothescalco. 450. 451. 452. ob-

trectatores à Cælestino perstricti. ā ij. 10. & à Prospero. 11. 12. 13. 14. liber Hypognosticon. 9. 60. 86. 124. 362

Augustini benignitas in aduersariorum scriptis. ā iij. labor & modestia in Conciliis Africanis. *ibid.* b

Augustodunensis Episcopus. ā iij b

B

BALTFRIDVS Baiocensis Episcopus. 323

Baptismi gratia remittuntur peccata etiam sequentia. 306. triplex mersio, vnum baptisma. 492. 493. &c. scrutiniū & ordo, fons lapideus, aut vas. 711. cum aqua diluuij comparatio. 237. Baptismi perceptio & fruct. 226. 227. &c. 238. 239. 308. 309. &c. baptismo redemptos perire posse contra Gothescalcum. 315. 316. baptismum ab iis qui prædestinati ad vitam non sunt, peccatum originale non auferre, prædestinatorum error. 314. 369

Bartolomæus Episcopus restitutionem à Sergio Papa non impetrat. 323

Batradus Episcopus. 325

Bauo abbas Orbacis. 21. 323

Bedæ chronicum. 5. 23. 24. 215. collectio de libris sancti Augustini super Apostolum. 10

Bernardus abbas Floriaci. 323

Benedictus quos hymnos probarit. 436. de monachis indisciplinatis quid sentiat. 443. 444. 554

Boëtij & Symmachi consulatus. 24. liber de consolatione philosophiæ. 211. ad Ioannem Diaconum, postea Papam. 460. 519. De Trinitate ad Symmachum. 460. 474. 479. Contra Nestorium & Eutychem. 521

Bonoilus. 27. Synodalis conuentus apud Bonoilum. ē

Bonus Episcopus. 325

Bosonis vxor. 676. 680. 691. 692

Bretdingus Matiscensium Episcopus. 323

Brionensis tumultus. ē

C

CÆLESTINVS prædestinatianos auctoritate Apostolica redarguit atque compressit. 14. 234. 432. Synodum contra illos in Gallia conuocari iussit. 15. 234. Eius ad Gallos epistola cum capitulis. 133

Cæsarius Arelatensis Episcopus, Hilarij in ordine suo successor. 142. Synodo Arausicanæ ex delegatione sedis Apostolicæ præsedit. 48. 134. 142

Caminatæ per cœmeteria ne fiant. 731

Capellam domi habere sine Episcopi licentia fas non est. 740. Capellæ extra Ecclesiam principalem seu matricem. 716. 740. Vacantes sine consultu Episcopi obtineri non possint. 715. ab Ecclesiis suis ad alias non transferendæ. 740. Capellas parochiæ suæ omnes descriptas Episcopus habeat. 740

Capitula quatuor veterum Prædestinatorum 62. 63. quatuor Gothescalci. 20. 25. quatuor his opposita, ab Hincmaro edita in Synodo Carisiaca. ā ij. quæ fuerint. ē iij b. 65. in Synodo Valentina explosa sunt. ā ij. 65. & ab Hincmaro singillatim defensa. primum cap. XVI. 66. &c. secundum cap. XXI. 118. &c. tertium cap. XXIV. 149. &c. quartum cap. XXVII. 217. &c. capitula Synodi Valentinæ integra. ē iij.

Capitula Lingonensia eadem cum Valentinis. 1. 2. Horum compositor passim reprehenditur. 27. 28. 29. 47. 48. 50. 51. 56. 131. 132. 141. 211. 317. &c.

Capitula quatuor Prudentij. 118. alia eiusdem septuaginta octo. 231. 232. Decem & nouem Ioannis Scotti. ā iiij b. 231. 232 Capitula alia in Synodo Tullensi prolata. 2. Capitula sedecim Hincmaro à Lugdunensibus imputata. ā ij.

Capreolus Carthaginensis Episcopus. 15

Carisiacum palatium. 21. 747

Carolus magnus Imp. ā iiij b. 612

Caroli calui coronatio in regno Lotharij. 745. Hincmari ad illum epistola. 1

Cassianus taxatur à Gothescalco. 118

Catechumenorum exorcismi & orationes. 79

Characteres magici. 656

Chresimon, nota. 414

Christianus Episcopus. 325

Christus, in quantum homo, prædestinatus. 55. 81. ad infernos descendens quos liberarit. 216. 218. per Christum saluati omnes iusti tum noui tum veteris testamenti. 234. 235. &c. 240. 241. 245. 392. pro omnibus passus est, etiam pro impiis. 219. 220. &c. 299. 391. 392. non pro omnibus passum dixerunt Prudentius & Gothescalcus. 248. quibus argumentis Prædestinatiani id probare contendant. 392. pro omnibus passum docent Dionysius. 248. Cyprianus. 249. Hilarius. 249. Athanasius. 251. Gregorius Naz. 251. Basilius. 252 Ambrosius. 253. Chrysostomus. 259. Hieronymus. 263. Augustinus. 264. Prosper. 269. Cyrillus. 273. Leo. 274. Gregorius. 280. Beda. 282. Cassiodorus. 283. Et si pro omnibus passus est, non omnes tamen eius passione sunt redempti. 284. 285. 293. 296. 404. 405. &c. eius passio quibus non prosit. 247

Circumcisio contra originale peccatum. 239. 248

Clodouei regis baptismus. 744

Compendium palatium. 747

Compotus presbytero necessarius. 712

Concubina quomodo vxor fieri possit. 670. &c.

Confessio & absolutio peccatorum. 570. 571. confessio non publicanda. 572. 573.

614. 676. Confessio libellaris. 326. 577. Sibi confessis an patrocinia debeant Episcopi. 676. 677
Confluentes. 691
Confratriæ quomodo celebrandæ. 715
Coniugia qualiter ineunda. 586. qualiter separari valeant. 588. 589. &c. confessionis secretæ libello separari nequeunt. 624. 625. 676. coniugij dissoluendi difficilior est ratio, quàm Episcopatus abrogandi. 579. 580. viri & feminæ lex eadem. 579. 669. 674. ad continentiam transire coniuges, nisi ex mutuo consensu, non possunt. 681. 682. maleficia in legitimo coniugio fieri cur Deus permittat. 662. Licitum in coniugio quo pacto fiat illicitum, & contrà. 669. 670
Crispio Episcopus. 325
Crucis Christi euacuatio. 300
Cynici philosophi. 629. Cynica hæresis. 724
Cyprianus doctor mirificus, martyr magnificus. 163. dissensit à Stephano Papa. 23. Eius liber de mortalitate. 63. 72. de lapsis. 72. de zelo & liuore. 72. Exhortatio martyrij. 73
Cyrillus in epistola Synodica ad Nestorium. 273. ad Eulogium presbyterum. 109. ad monachos. 273

D

DAMNATIS non examen iudicij, sed solum sententiæ remedium præstãdum. 18
Decani presbyterorum. 714. cibum benedicunt. 714. quibus de rebus inquirere per singulas Ecclesias, & ad Episcopum referre debeant. 716. Decaniarum presbyteri Kalendis mensium conueniunt. 731. Decanus in locum defuncti vel inutilis quomodo eligendus. 741
Decima vnde aluntur matricularij. 717. 734
Defunctorum dies anniuersaria, tricesima tertia, septima. 713
Deus omnipotens. 67. 152. 153. 389. 390. occulti iudicij diuina dispensatio. 84. 87 &c. 94. 111. 112. 115. 117. Dei bonitas nostra vult esse merita, quæ sunt ipsius dona. 139. præscientia in Deo rectissimè dicitur. 107. 108. Deus vult omnes saluos fieri. 149. 150. 152. 153. 379. &c. 390. praua Gothescalci interpretatio. 150. 386. Malè arguunt Prædestinatiani, mutabilem Dei fore voluntatem, si damnet quos ante sæcula non prædestinarat ad mortem. 373. 374
Deum saluos omnes velle docent Dionysius. 161. Cyprianus. 163. Hilarius. 154. Athanasius. 170. Ambrosius. 170. Chrysostomus. 174. Theophilus. 182. Hieronymus. 182. Cyrillus. 185. Augustinus. 186. Prosper. 191. Cælestinus. 197. Leo. 197. Felix Papa. 198. Beda. 201. Cassiodorus. 203
Deitas vna est. 408. *& seqq.* 449. 450. 453. refellitur Gothescalcus, qui trinã dicebat. 413. cur trina dici non possit. 418. 419. 422. &c. In Deo lux vna, non trina. 511. 513. 514. pax vna. 513
Dionysius Areopagita. 163
Disputandum non est de rebus definitis. 433. 434. 435
Doctores interdum dissident vtrimque catholici. 23
Doctorum testimonia ad se rapiunt Prædestinatiani. 289. 290
Dodo Andegauensis Episcopus. 323
Dodo abbas S. Sabini. 323
Donatistæ apud se tantùm Ecclesiam esse gloriati. 289
Donatus Grammaticus. 478
Drogo Archiepiscopus. 325
Dusij dæmones Gallis dicti. 662

E

EBO Gratianopolitanus Episcopus. ã ij. quis fuerit. ã iij. Flori sermonem falsauit. ẽ b. 28. auctor Capitulorum Valentinæ Synodi. ã iij. 319. taxatur eius ordinatio. 318. 319. & quod in Synodo Valentina iactantiùs nominatur. ã iij b
Ebo Remensis Archiepiscopus superioris auunculus. ã iij. 323. 668. 740. libellus confessionis eius & depositio. 324. 325. 326. 579. depositus restitutionem à Sergio Papa non obtinuit. 326
Ecclesia vna veteris & noui Testamenti, fides ac spes eadem. 392. &c. licèt disparia sint sacramenta. 395. 396. Ecclesiæ lex vna, tametsi per plures principes & Episcopos regatur. 684. Ecclesiæ communio per Christi tunicam significata. 354. 355
Ecclesiæ matrices seu principales, & Capellæ his subditæ. 716. 740. vacantes in quibus vacantes incardinantur. 733. pro Ecclesiis viduatis exenia patronis non danda. 737. Ecclesiæ debentur prædia de Ecclesiasticis facultatibus empta. 717
Edelulfus rex Anglorum. 730
Egil abbas in conuentu Aquensi. 574
Electi qui, & vnde dicantur. 46. 48. 54. 93. 100. 365. &c. electorum paucitas. 99. electorum certus numerus. 371. electi ad tempus. 366. 368
Electio saluandorum & saluatorum. 45. prædestinatio ipsa est electio. 45
Epilogus totius libri. 353. *& seqq.*
Episcopi quales ordinandi. 318. 319. &c. quomodo erga reges gerere se debeant. 677. 678. &c. vice beati Petri funguntur. 738. eorum iudicia per quos retractanda. 685. &c. coniugum iudicium ad laicos remittunt. 594
Episcopus libellari confessione remouendus, & in eius loco alius ordinandus. 316. ad Synodum venire debet, vt aut discat, aut

doceat. ã iij
Erardus Episcopus. 325
Erchanradus Episcopus. 325
Erloinus Constantiæ vrbis Episcopus. 323
Ermbertus Episcopus. 325
Erpoinus Siluanectensium Episcopus. 21. 322
Eulogiæ diebus Dominicis & festis benedicendæ. 711. 712. 715. eulogiæ ab Archidiaconis non exigendæ pro chrismate. 339
Excommunicatio hoc agit in Ecclesia, quod agebat in lege veteri, vel in republica legibus nunc agit interfectio. 642
Exenium à publicè peccantibus. 713. 739. pro sepultura. 713. 731. pro matriculæ loco. 735. pro Ecclesiis viduatis. 737
Exorcismi catechumenorum. 711. exorcismi & benedictiones salis & aquæ. 711

F

FAVO Episcopus. 325
Fausti epistola ad Lucidum presbyterum. 16. malè sensit de vltima pœnitentia. 307. eius opuscula apocrypha. 307
Felix Orgellitanæ ciuitatis Episcopus Hilarij librum falsat. é. Synodus contra eius hæresim. ã iij b. é.
Feminarum frequentatio clericis interdicta. 717. 718. 735
Ferculum Salomonis, Hincmari opusculum. 755. 756
Fides vna, non numero, sed genere. 498. quæ per dilectionem operatur sola saluat credentes. 226. 227. 228. 229. 499
Fides terna Sedulio. 498. plurali numero vnde dictæ Hilario. 498
Fides in rebus etiam corporalibus magnum bonum. 654. 655
Flori diaconi Lugdunensis sermo. é. 27. integer. é b. falsatus ab Ebone. é b. 27. falsato vsus compilator capitulorum Synodi Valentinæ. 27. 28. 29. 45. 47. 49. 119
Fodrum ad caballos. 738
Folcoinus Morinensium Episcopus. 21
Formatici. 739
Franca femina. 691
Franco Tungrensis Episcopus in conuentu Aquensi. 573. 575. in coronatione Caroli regis in regno Lotarij. 745
Freculfus Episcopus. 325
Frisxingæ. 739
Frontinianistæ hæretici. 633
Frotarius Episcopus. 325
Fulco Ebonis Remensis successor designatus. 325
Fulgentius perstringitur. 22. 29. fautorem hunc suum aiebant Prædestinatiani. 60. Prædestinationem Dei non tantùm in bono dici docuit, sed etiam in malo. 59. prædestinatos ad interitum reprobos dicebat. 22. 24. 31. 32
Fundanius rhetor Carthaginensis. 267

G

GAVZLENVS Cancellarius. 747
Gelasius in catalogo seu canone de libris authenticis. ã iiij. 22. 23
Geldoniæ seu confratriæ. 715
Gennadius Massiliensis presbyter valdè doctus. 6. Augustini librum de hæresibus suppleuit. 6. taxatur à Gothescalco. 118
Gernobrius Turonẽsium prouinciæ Episc. 21
Godelsadus Cabilonensis Episcopus. 323
Godolricus Episcopus. 325
Gothescalcus Orbacensis pseudomonachus. 414. 552. Arrij filius. 418. Arrio par. 468. alter Simon magus. 433. nouorum prædestinatorum primicerius, & scholæ dyscolæ caput. 21. 150. signifer & præuius huius prauæ doctrinæ resuscitator. 25. 101. 211. modernus Prædestinatianus. 118. Testimonia doctorum detruncat, & ad suos sensus inflectit. 25. Augustini librum falsat. 96. 450. 451. & edictum Constantini Imperatoris in sexta Synodo. 450. Chrysostomum reprehendit. 75. Gennadium taxat, & Cassianum. 118. secum pugnat. 476. *Augustinus noster* dicere solitus. 550
Geminam dicit prædestinationem. 110. 359. quòd Christus non pro omnibus sit passus. 211. 248. 305. negat perire quemquam qui Christi redemptus sit sanguine. 299. 300. 315. trinam deitatem dicendam docet. 414. 438. 468. 470. personæ cuique suam tribuit deitatem. 476
Gothescalci liber ad Rabanum. 25. 118. 149. 211. 224. 226. chartula professionis suæ ad Rabanum. 26. ad quendam complicem suum. 226. pitacium ad quendam monachum. 304. 305. Schedula, quòd trina sit deitas. 415. versus ad Ratramnum. 553. tria dolia sibi parari petit. 433
Gothescalcus damnatus in Synodo Moguntina. 20. iterum in Synodo Carisiaca, vbi honore presbyterali abiectus, virgis cæsus, & ergastulo retrusus est in Altouillari monasterio. é iij. 21. Hincmari schedula ad Gothescalcum morti proximum. 552. 553
Gothicum prouerbium, *Capra lusca hortum videt, sepem nusquam.* 503
Græci tres substantias dicunt pro tribus subsistentiis, id est personis. 465
Gratia & liberum arbitrium. 120. *& seqq.* 156. 204. 285. quid Ecclesia catholica teneat. 374. &c.
Gratia non adimit liberum arbitrium, sed liberat. 127. 133
Gratia & prædestinatio quid differant. 356. Gratia prima & secunda. 46. Gratiæ primi Adam & secundi discrimen. 142. 143
Gregorius primæ & sanctæ sedis Romanæ ornatus præcipuus. 106. dissidet interdum ab Hieronymo & Augustino. 23. de vasis iræ & misericordiæ. 30. an geminam præ-

destinationem censuerit. 34. 35. 113. quo sensu plurali numero prædestinationes posuit. 115
Gregorius iunior ad Denualdum. 600
Guntharius Coloniẽsis Archiepiscopus, summus Capellanus Lotarij regis. 574. Tetbergæ secretam confessionem excipit. 569. in Concilio Aquisgranensi. 575
Guntarius Archidiaconus Hincmari. 21
Guntbertus Ebrocensis Episcopus. 325

H

HÆRESVM vtilitas ad scrutandas scripturas & dogmata. 420. hæresi semel damnata, contra eam non amplius disputandum. 329. 435. damnati censentur qui eam renouant. 330. 334. de iis qui hæresi communicant. 332. 333
Hæretici contra conscientiam suam agunt. 154. 155. sunt Antichristi. 216. hæreticos non saluat baptismatis aqua, sed mergit. 237. hæreticorum non omnia fugienda. 109. 110. 359. quid de praue sentientibus leges decernant Ecclesiasticæ. 340
Hæretici resipiscentes qualiter recipiantur. 341. libellorum in recipiendis exempla. 342. 343. qua conditione recipi debeant. 343. de his qui postea ad prauos sensus deuoluuntur. 344. quòd resipiscentes etiam in pristinis gradibus suscipiantur. 345
Halduinus abbas Altiuillaris. 21
Heirardus Lexouiensis Episcopus. 323
Henricus abbas Corbeiensis. 323
Heriboldus Episcopus Autisiodorensis. ẽ b. 27
Herimannus Niuernensis Episcopus. 323
Hetti Archiepiscopus Treuirensis. 325
Hieronymi laus eximia. 182. dissentit ab Augustino. 23. Hieronymo adscriptus liber de induratione Pharaonis. 10
Hierusalem, gloriosa olim ciuitas, priuilegium perdidit. 150
Hilarius Episcopus Pictauorum. 23. 113. antiquus & venerabilis pater. 498. doctor catholicus, qui propter excellentiam Romanorum Lucifer appellatur. 164. fides dixit plurali numero. 458
Hilarius Episcopus Arelatensis admirator sectatórque doctrinæ S. Augustini. 34
Hilarius monachus Syracusanus. 9
Hilarius Arel. in epistola ad Augustinum. 8. 22. 105
Hildebrannus Sagensis Episcopus. 322
Hildegarius Episcopus Meldensis. 450. 468. 583
Hildemannus Episcopus. 325
Hildi Episcopus. 325
Hilduinus Episcopus Auenionensis. 575
Hilmeradus Ambianensis Episc. 322
Hincmarus monachus S. Dionysij, parœcia Parisiaca, ordinatus Episcopus in Synodo Beluacensi. 327. de eiusdem ordinatione, ex Synodo Suessionensi. 322. 323. Carolũ caluum coronat in regno Lotharij. 741. Ludouicum balbum regem. 747. Iuditham reginam Anglorum. 750. Hermintrudem Caroli vxorem. 752. pro circuitione parochiæ nihil exigebat. 737. in Tetbergæ repudium negat se consensisse. 568. 583. 584. 585. ternam deitatem in Ecclesia cantari vetuit. 4. de libero arbitrio quid sentiat. 145. Capitula quatuor Carisiaci edit contra Gothescalcum. 65. 353. eadem defendit & confirmat contra obtrectatores. 65. *& seqq.*
Hincmarus tribus libris respondit Synodo Valentinæ. 4. 492. iteratò respondit hoc opere. 4. Quòd deitas trina dici non debeat. 413. de repudio Tetbergæ. 537. Synodica capitula. 710. Ferculi Salomonis expositio. 756. Schedula ad Gothescalcum morti proximum. 553. Epistola ad Carolum regem in priore responsione. ã ij. altera in posteriore. 1. Epistolæ duæ ad Aduentium Episcopum. 584. 585
Prosperum & Hilarium Episcopos vocat. 8. Hypomnesticon librum tribuit Augustino. 8. Errat de Prospero, & Chronici eius termino. 24
Hincmarus Episcopus Laudunensis. 583. 584. 745
Homo rectus, & sine peccato, & cum libero arbitrio conditus. 67. voluit Deus, vt in iustitia permaneret, sed libero arbitrio cecidit. 67. 68. homo lapsus factus est massa perditionis totius generis humani. 69. ex hac massa elegit Deus quos per gratiam prædestinauit ad vitam. 69
Honorius Papa. 446
Horoscopi. 655
Hospitum cura & peregrinorum. 712
Hubertus Meldensis Episcopus. 322
Hucbertus frater Tetbergæ. 575. 693
Hucbertus. 680. 681
Hydromantij. 655
Hyginus in hæreseon catalogo Prædestinatianos posuit cum libello ab eis composito. 6. Prædestinatianorum libellus apud Hyginum. 30
Hymnus *Te Deum laudamus* ab Ambrosio & Augustino in eius baptismo conditus. 225
Hymni *Sanctorum meritis*, in quo trina deitas, auctor incertus. 413. 416. 436. quos Hymnos probaret S. Benedictus. 436
Hypomnesticon liber an Augustini. 9. 10. tribuit illi Gothescalcus. 118. & Hincmarus ipse passim. 8

I

IBAS Episcopus. ã ij.
Idololatria mater hæreseos. 418
Ignis gehennæ non succenditur. 76. 77
Immo Nouiomagensium Episcopus. 21. 322
Incantatores. 655

Infernales pœnæ quid secundùm Scottigenam. 232
Ioannes Episcopus. 325
Ioannes Chrysostomus os aureum dignissimè appellatus. 174. cuius testimoniis sedes Apostolica & S. Augustinus multoties vtuntur. 74. 174. 222. à Gothescalco reprehensus. 75
Ioannes diaconus Romanus, postea Episcopus, persecutione Theodorici martyr. 460
Ioannes Scottigena capitulorum XIX. auctor. 231. 232
Ionas Episcopus. 325. Aurelianensis Episcopus, in Synodo Suessonica. 323. apud Theodonis villam pro omnibus subscripsit. 324. 326
Isaac diaconus Parduli, pòst Lingonensis Episcopus. 21
Isidorus Hispalensis Episcopus, vir doctus & legentibus in multis proficuus. 33. ex reliquiis Gallorum. 33. geminam dixit prædestinationem. 33. regulas ex Ticonio excerpsit. 233
Iudæ exemplum. 95. 96. 158. &c. 365. 366. Iudas an particeps cœnæ Dominicæ. 245. 246. 292. Iudæ scelus qui non caueant. 561. 647. 734. 735
Iudicum partes quæ. 563. iudicare de abditis non licet. 573. iudicium quo pacto ordinandum. 620. 621. 622. iudicia Episcoporum per quos retractentur. 686
Iudicium examinationis. 599. per iuramentum seu sacramentum. 600. 601. 602. per aquam calidam aut frigidam. 603. in iudicio fraus operatione diaboli. 617
Iuramenti purgatio. 600. 601. 602. sacramenti purgatio. 619. Iuramentum incautum negligere licet, ne in grauius crimen incurratur. 651

L

Landrannus Archiepiscopus. 325
Launus Æquolesinæ ciuit. Episcopus. 323.
Leo Papa vir religiosissimus atque doctissimus, & facundia honestissimæ eloquentiæ valdè profusus. 196. maximo rugitu de vrbe Roma intonat. 722
Leucorum ciuitas. 353
Libellorum satisfactionis hæreticorũ exempla. 342. 343. Libellus confessionis Tetbergæ ab Hincmaro examinatur. 575. 577
Libellus conuentus Aquensis. 568. Libellus alter eiusdem conuentus. 573
Liberatus Archidiaconus Carthaginensis, eiusque Breuiarium. 288
Liberi arbitrij creatus homo, libero arbitrio cecidit. 67. liberum arbitrium homo non in totum perdidit sed infirmauit. 119. libertatem arbitrij in primo homine perdidimus. 119. 120 per Christum recepimus. 119. 120. Liberum arbitrium habemus ad bonum, præuentum & adiutum gratia, ad malum, desertum gratia. 120. 121. liberi arbitrij, & vulnerati semiuiui comparatio. 127. 128. cum oue perdita. 137. 204
Liberum habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum. 120. 122. &c.
Liberi arbitrij in Adam & nostri discrimen. 143. 144
Liberi arbitrij nostri plena sanitas, in spe nunc, pòst in re futura. 144
Liberum arbitrium in homine nihil esse dixerunt veteres Prædestinatiani. 118. & tale in hominibus plasmari à Deo, quale est dæmonum. 63. 118
Ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat. 618. ligaturæ execrabilium remediorum. 656
Lotharius Imp. ã ij. & iiij. b. 3
Lotharius rex Tetbergam vxorem accusat in conuentu Aquensi. 568. Lotharij & vxoris discidium. 644. 666. &c. 683. 685.
Lotharius Bosonis vxorem retinet. 691
Lucidi presbyteri Prædestinatianam hæresim eiurantis epistola seu libellus ad Synodum Arelatensem. 17. 343
Ludouicus Pius Imp. à Stephano Papa Remis coronatus, à Clodoueo rege ortus per S. Arnulfum. 744. Northildis ad eum proclamatio de Agemberto marito. 596. 597
Ludouici Balbi regis coronatio. 747
Lugdunensis scriptoris, qui contra Hincmarum de tenenda veritate scripturæ librum edidit, acerba reprehensio. 132
Lupus Catalaunensium Episcopus. 21. 322
Lupus Abbas Ferrariensis. 323

M

Macarius Antiochenus in sexta Synodo conuictus falsasse testimonia Catholicorum. e. 29. 413. ob eam rem depositus. 448
Magi qui vulgò malefici. 655
Magicæ artes ab Angelis malis. 655. variai illarum genera. 655. 656
Mala fama per iusiurandum purganda. 722. 723
Malefici inuestigandi & puniendi. 663. 664. 665
Maleficiorum inter coniuges varia genera & exempla. 653. 654. Maleficio liberata puella per S. Basilium. 658. 659. 660. &c.
Malum in scriptura non solùm peccatum, sed & peccantis supplicium. 56. 57
Mansus habens bunnuaria duodecim. 716. mansi ingenuiles & seruiles. 716
Mariæ Virginis conceptio & partus. 631
Maria peccatrix, de qua septem eiecta dæmonia. 656. 657
Massa perditionis. 69. in massa perditionis relicti. 70. &c. 86. 87. 93. 285. 362. 363. 370

Matricula. 734. matricularij. 741
Matricularij debiles & pauperes. 717. 734
Mercurius inuentor præstigiarum in denariis. 656
Metis coronatur Carolus caluus in regno Lotharij. 743
Missarum solemnia. 711. 712. Missæ fiant in altari consecrato, vel in tabula consecrata. 731. 732. in domo ne fiant sine Episcopi licentia. 740
Modoinus Episcopus. 325
Moguntina Synodus. 20
Montis-Falconis monasterium. 732
Morbertus Episcopus. 325

N

NATVRA & gratia. 130. 131
Necestuosus. 717
Necromantici. 655
Nestorij hæresis. 5. Ephesi damnata. 14
Nestorius Constantinopolitanus falsator. ẽ
Nicænum Concilium mysticum. 443. 718
Nielfa villa. 3. 231. 317
Northildis & Agemberti coniugum discidium & iudicium. 194. 195
Notho Archiepiscopus. 325
Nortmannorum infestatio. 3. Christiani non erant. 691. 692
Numerus duplex. 503
Nutriti presbyterorum, clerici. 737

O

OBELVS & chresimon notæ oppositæ. 414
Oblatæ quæ à populo offeruntur. 711
Oblationes in confratriis. 715
Obstrigilli præstigiatores. 656. qui de denariis iocantur. *ibid.*
Odela[illegible]lus Archidiaconus Hincmari. 738
Odelingus abbas in conuentu Aquensi. 574
Odo abbas Corbeiæ. 323. Episcopus Bellouacensis. 745
Omnes Deus vult saluos fieri, sine exceptione. 150. 151. 152
Omnipotens. 152. 153
Opera bona non negligenda. 103. Mala nostra solùm nostra sunt, bona nostra & Dei sunt & nostra. 126
Orbacis monasterium. ẽ iij. 20. 414. abbas Bauo. 21
Orbis terræ regiones XI. prouinciæ CXIII. 287
Ordo baptizandi. 711. reconciliandi. 711. vngendi infirmos. 711. ordo & preces in exequiis atque agendis defunctorum. 711
Origenis vesania de redemptione dæmonum. 213. 214
Originale peccatum negant Prædestinatiani iis remitti qui non sunt prædestinati ad vitam. 30
Otgarius Archiepiscopus. 325

P

PARATÆ. 738
Pardulus Laudunensium Episcopus. 21. 322
Parochiæ rusticanæ. 732. Archidiaconis commissæ. 738
Passio Christi pro omnibus, licèt ea non omnes redempti. 284. 285. quid generaliter omnibus contulerit, etiam impiis. 397. 398
Pasti & comessationes confratriarum. 715
Patrocinia Ecclesiastica & protectiones quatenus fieri debeant. 676. 677. &c.
Patropassiani Sabelliani. 415. 416
Pauli locus de vasis in honorem & in contumeliam. 29. 30. &c. 36. 163
Paulinus Aquileiensis contra Felicem. 473. venerandæ memoriæ. ã iiij. b
Paulini ad Faustum epistola. 307
Peccata non puniuntur quæ commissurus erat homo si viueret. 63. 64
Pelagius Papa quo sensu trinam vnitatem dixerit. 454
Periurium cauendum. 595. 596
Perseuerantia non est in hominis potestate, sed Dei. 74
Personæ in Trinitate quomodo intelligendæ contra Gothescalcum. 518. 519. *& seqq.*
Personarum acceptor non est Deus. 92
Petro adhibita est Pauli societas, & ambo Ecclesiam Romanam consecrauerunt. 151
Petri Itinerarium. 617
Petrus Episcopus Aretinus. 450
Pharaonis induratio. 38. 39. 43. 44. 80
Pœnitentiam omnis peccatoris Deus acceptat. 97. 153. 173. 178. qui agere fugit, in perditionem se demergit. 97. 98
Pœnitentia publicis peccatoribus agenda, & quæ de his curanda sint presbyteris. 730 731. quæ pœnitentia Episcopali iudicio decerni soleat grauissimis fornicationibus. 640. 641. Pœnitentibus feria quinta ante Pascha Romæ fit remissio. 666. Pœnitentes pro munere aliquo ad reconciliationem non adducendi. 740. Post pœnitentiam relapsi, ad Episcopum deferendi. 740
Pontificalia gesta. 326
Prædestinatiana hæresis quando orta. 5. in hæresum catalogo posita à Gennadio & Hygino. 6. in Africa & in Gallia cœpit. 7. Augustino innotuit, etsi nomen illi quod postea accepit non indidit. 15. ab Episcopis Galliæ damnata in Synodo. 15
Prædestinatianorum veterum quæ placita, & quid in his varient moderni. 62. 63. 64. 65. 103. Prædestinatiani noui, diuersi ordinis & habitus, nec ad decimum numerum peruenerunt. 288. in tribus tantùm prouinciis. 289. refelluntur circa saluandos & non saluandos. 205. 206. &c. de perceptione baptismi quid sentiant. 304.

ad interitum prædestinari reprobos docent. 357. damnari aliquos secundùm quod præsciti erant futuri. 307. 357. patrum testimonia ad se trahunt 289. Prædestinatiani noui in veteribus prædamnati. 18. 329 Prædestinatiani Africani. 99

Prædestinatio sanctorum quid sit. 47. 99. 100. 361. *& seqq.* vna est. 77. 110. 111. semper in bono est. 62. 117. prædestinatio ad malum exploditur. 59. Prædestinatione Dei nemo perit. 73. 102. prædestinatio aut ad donum pertinet gratiæ qua liberantur electi, aut ad retributionem iustitiæ qua puniuntur iniusti. 49. 62. 69. 70. 86. non est sine præscientia. 69. 70. 71. Prædestinatio & præscientia. 69. 82. 107. 108. 109. 356. 357. prædestinationis & gratiæ discrimen. 356. Prædestinationem omnia, siue ad bonum siue ad malum, in hominibus operari dixerunt veteres Prædestinatiani. 118

Prædestinatio gemina Isidoro. 33. indifferenter interdum dicta Augustino. 22. 35. gemina Gothescalci prædestinatio refellitur. 106. quo sensu dici queat. 110. 111. 113. 359. 360. prædestinationes plurali numero apud Gregorium quomodo intelligendæ. 115

Prædestinatorum numerus. 101. 102. an certus. 106. 107. prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus. 101. 421. nec de nobis præsumere. 105. Prædestinatus homo non est, nec ad peccati, nec ad mortis malum. 37. 58. prædestinati non sunt homines ad pœnam. 76. 79. Prædestinatos à Deo reprobos ad interitum dici non debet, sed pœnam reprobis prædestinatam. 22. 54. 55. 56. 83. 86. 96. 366. 367

Præscientia in Deo propriè non est, rectissimè tamen dicitur. 106. 107. præscientia Dei sine prædestinatione esse potest. 372. præscientia Dei nemo perit. 357. reprobi præsciti non prædestinati, qui saluantur præsciti & prædestinati. 372

Præstigiatores, obstrigilli. 656

Presbyteri in qua villa, aut cuius Sancti sint honore prætitulati. 716. presbyteri parochiarum, canonici in monasteriis simul esse non possunt. 732. 733. Feminarum illicitum accessum caueant. 718. 795. quomodo inquirendus & puniendus sit, vel purgandus. 718. &c. De crimine confessi vel conuicti deponendi. 724. *& seqq.* alodes de facultatibus Ecclesiæ ne comparent. 717. 736. sacra ministeria ne dent ad wadium. 713. tabernas ne adeant. 718. facultates Ecclesiæ ne dissipent. 717. curam gerant hospitum & peregrinorum. 712. 737

Presbyteri quæ præcipuè discere debeant. 710. 712. nullum in Ecclesia sine Episcopi consultu sepeliant. 313. pro sepultura nihil exigant, sed congruam cuique prouideant. 713. 731. à pœnitentibus vel publicè peccantibus, quo eis faueant, munera ne accipiant. 713. curent vt publici peccatores pœnitentiam agant. 730. 731. quomodo in conuiuiis defunctorum gerere se debeant. 713. 714. quid cauendum quando per calendas inter se conueniunt. 714. communionem per se & non per quemlibet tradat, nec cuiquam det laico ad deferendum infirmis. 716

Presbytero defuncto nemo illius Ecclesiam obtineat sine consultu Episcopi. 715. Presbyteri de Ecclesiis ad Ecclesias translati. 733. vacantibus Ecclesiis incardinati. 733

Principes Deum super se, qui illos iudicabit, cogitare debent. 638. 639. ad Episcopos referre, quæ ad fidem spectant. 1

Priscianus. 466

Prosper vir eruditissimus atque religiosissimus. 191. Legatus Romanæ Ecclesiæ, fidelis interpres Augustini. 22. 24. ex delegatione sedis Apostolicæ obiectionibus respondit. 249. 432. 442. trinam maiestatem in Deo quomodo dixit. 465. 466. 502. aliàs vnam. 467

Prosperi liber promissionum & prædictionum. 501. De vocatione gentium. 55. 57. 58. 140. 191. 269. De prouidentia. 381. Chronicum. 5. 24

Prouerbium antiquum. 415. Gothicum. 503

Prouinciæ Italiæ XVII. Galliarum XVII. Africæ sex, Hispaniæ septem, Illyrici XIX. Thraciæ sex, Asiæ XII. Orientis X. Ponti octo, Ægypti sex, Britanniæ quinque. 288

Prudentius Episcopus Tricassinus in Synodo Suessonica. 322. prædestinari ad mortem dixit. 43. quòd Deus non velit omnes saluari. 149. quòd Christus non pro omnibus sit passus. 211. 248. Capitulis Synodi Carisiacæ subscripsit, postea aliter scripsit. 119. 204

Prudentij epistola ad Wenilonem de ordinatione Æneæ Episcopi. è iiij. 26. 118. 149. 211. Recapitulatio capitum LXXVII. 231. Libellus ad quosdam fratres, ante epistolam scriptus. 291. refellitur. 292

Prudentius poëta. 411. trinam potestatem in Deo dixit. 466. 502. nomen triplex. 466. trinum specimen. 466

Pyxis, vbi congruè possit recondi sacra oblatio ad viaticum infirmis.

Pythonissæ ventriloquæ. 655

R

RABANI Moguntini epistola ad Hincmarum de Gothescalco. 20. Gothescalci ad Rabanum liber. 25. 118. 149. chartula professionis ad eundem. 26

Raganarius Episcopus. 325

Ragenarius Ambianensium Episcopus. 21. 325
Ragnoardus Archiepiscopus. 325
Ratbertus abbas Corbeiæ. 21
Ratoldus Episcopus. 325
Ratramnus monachus Corbeiensis deitatem trinam dici oportere contendit. 413. 438. Hilarij & Augustini testimonia detruncat. 413. Ratramni libelli duo, quòd reprobi prædestinentur ad mortem. 26. Liber ad Hildegarium Meldensem Episcopum, quòd trina sit deitas. 413. 450
Regulæ septem à Lugdunensibus prolatæ exploduntur. 233
Remensis & Treuirensis Ecclesia sorores. 743. Remense monasterium, vbi requiescit Sanctus Remigius. ã iij. Remensis Ecclesiæ archiuum. ẽ
Remigius Archiepiscopus Lugdunensis. 1. 2. 320
Reprobis pœna constituta. 71. 73. 75. 89. pœna perituris prædestinata. 89. non ad pœnam prædestinati, sed in massa vel in iniquitatibus suis iusto iudicio relicti. 79
Rex peccans increpationi & iudicio subiacet. 694. 695. 696 Episcoporum erga reges, & regum erga Episcopos. 697. 698. &c. Regis promissio quando coronatur. 747. Coronæ impositio. 748. sceptri traditio, 749
Rigboldus Remorum Chorepiscopus. 21. 323
Rodoaldus Archidiaconus Remensis. 21
Roma orbis caput. 287. 724. Romana Ecclesia prima in toto orbe omnium Ecclesiarum mater & magistra. 150. 154. 370. apex Ecclesiarum. ã iiij b. principatum omnium ciuitatum meruit non per homines, sed per Christum. 151. glorificata est magni Petri principis Apostolorum præsentia. 150. Apostolica sedes superexaltata Petri confessione, & Pauli ornata prædicatione. 511. Romana Ecclesia de rebus fidei consulenda. 562. piis & catholicis debet sufficere quod Romana Ecclesia docet. 152. Romanæ Ecclesiæ auctoritas sequenda. 24. 561. Synodus contra Felicem ad Romanam Ecclesiam velut ad apicem Ecclesiarum transmissa. ã iiij b.
Rothadus Suessonicæ ciuit. Episcopus. 21. 322. 325
Rotomagense Episcopium. 3. 131

S

SABELLIANA hæresis. 415. 417. 484. 510. 533
Sabelliani patropassiani. 415. 416. 504
Sacramentum altaris non verum corpus & sanguinem Domini esse, sed tantùm memoriam, qui docerent. 232
Saluos Deus vult omnes fieri. 149. 150. 152. 153. cur non omnes saluentur. 153. 154. &c. 189
Saponarias villa. 2
Saul & Iudas. 365. 368
Scripturarum sensus quomodo quærendus. 302. Locorum, quibus abuti solet Gothescalcani, explanatio. 29. 42. 43. 365
Sedulius poëta. 417. 498. 502. 505
Sepulcra non violanda. 731. Sepulturæ causa nihil exigendum. 713. 731. hereditario iure non arroganda, sed arbitrio sacerdotis. 731
Simoniacum est pœnitentem ad reconciliationem pro munere aliquo adducere. 740. Clericos pro munere aliquo ad ordinationem introducere. 740. 741
Sisagutus Episcopus. 325
Sodomitica peccata. 627. 628. 629. 630. 631
Sophronius Hierosolymitanus, de vna deitate. 449. 504
Sortilegi, qui per sanctorum sortes diuinationis scientiam profitentur. 655
Superuentæ in lanificiis feminarum. 656
Synodus Africana. ã ij. 132. 133. pseudosynodus Ariminensis. 418. Synodus Arausicana. ã ij. 48. 134. Beluacensis. 327. in Carisiaco palatio. 21. Gallicana, id est Arelatensis. 343. Moguntina. 20. Nicæna mystica. 443. 718. Palæstina. 141. 142. Remensis Hincmari. 732. apud Saponarias. 2. apud Leucorum ciuitatem. 353. Suessionensis quinque prouinciarum. 323. 452. apud Theodonis villam. 325. Valentina prior. 326. 622. Valentina posterior. 3. 65
Synodi sex generales. 499. Quinta sub Iustiniano. 428. Sexta sub iuniore Constantino. 446

T

TABVLA de marmore, vel nigra petra, aut de litio, ad Missam celebrandam. 732
Tabula, mensa. 714
Teotgaudus Archiepiscop. Treuirensis. 574. 575
Testes in iudicio adhibendi. 640. 641. 721
Tetberga vxor Lotharij regis, de stupro accusata vicario eius incocto exeunte absoluitur. 568. 614. 615. iterum à rege delata per secretam confessionem scelus agnoscit in conuentu Aquensi. 568. 569. à regis consortio remouenda iudicatur. 574. publicæ pœnitentiæ addicenda decernitur. 577. 578. Quod per secretam confessionem iudicari non potuerit. 579. 580. 624. 625. nec concipere tali modo potuisse, nec virginem post aborsum manere. 626. *& seqq.* accersiendum esse qui vim intulit. 633. 634. &c.
Teudericus Camaracensium Episcopus. 21. 322. 325
Teutbertus Episcopus. 325

INDEX.

Teutboldus Lingonicæ ciuit. Episcopus 21. 323
Teutgaudus Episcopus. 325
Teutmundus Episcopus. 325
Theodoricus rex Arrianus. 460
Theodorus Episcopus in quinta Synodo depositus, vt falsator. 448
Theodorus Archiepiscopus ad Anglos missus. ã iiij b.
Theodosiana lex. 323
Theodulfus orthodoxus & insignis poëta. 602
Theophilus Alexandrinus. 182. 213. 214
Ticonij regulæ. 233
Timotheana hæresis 6
Translationes ab Ecclesiis ad Ecclesias. 733
Trinitas quasi triunitas. 471. Trinitatis vna essentia, & vna substantia, tres personæ 470. 471. Arrius tres deitates in Trinitate dogmatizauit 468. vna trium personarum diuinitas, non sua cuique 485. 489. &c. vna voluntas, vna gloria, vna operatio, vna maiestas. 500. 501. 502. vna Trinitati debetur adoratio, gloria, gratiarum actio, & non separata. 332. 335. &c.
Trinitatis vnitas explicata. 453. 454. &c. *vsque ad* 465. 479. 480. &c. 505. 527. *& seqq. vsque* 541. &c.
Trini & terni discrimen. 503. 504. 506
Trina deitas an pluralis numeri. 478. 479.
Trina vel trinitas numerum habet. 419
Trinam vnitatem, sicut & ternam deitatem dici non placuit. 455
Trina maiestas, potestas, pietas, in Deo qui dicant 466. 500. trinum specimen. 466. trinum nomen. 500
Tritheiæ, seu trinæ deitatis latratores. 505
Tritheotiam malè exponit Gothescalcus trinam deitatem. 474. 475
Tullense territorium. 2

V

VASA iræ & misericordiæ. 18. 92. 363. 386
Vermeria palatium. ã ij.
Victorinus Rhetor ad Candidum Arrianum. 474
Vita Cæsarum, liber. 693
Vocationis diuinæ dispensatio. 87. 88
Voluntate sua cadit qui cadit, & voluntate Dei stat qui stat. 131
Vrsicinus Damasi hostis. 416
Walocharius Episcopus. 325
Wenilo cum Ragenario patre suo in Synodo Carisiaca. 21. Rotomagensis Archiepiscopus. 568. 575. 583
Wenilo Sennensium Archiepiscopus. 21. 322
Wiladus Episcopus. 325
Witaus Camaracensium Chorepiscopus. 21
Wlfinus Episcopus. 325
Wormatiense placitum Ludouici Pij. 590

X

XENIVM. 734. pro quo exenium suprà.

Y

YRMINFRIDVS *Beluacensium Episcopus.* 21. 322

FINIS.